IX
H
3-10

BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
IX
H
3
NAPOLI

Digitized by Google


COLLEGIUM
URBANUM
DE PROPAGAN
FIDE

CONTROVERSIARUM SCHOLASTICO-POLEMICO-HISTORICO-CRITICARUM

AUCTORE

LIBERIO à JESU
CARMELITA DISCALCEATO, THEOLOGO EXIMIO,
COLLEGII DE PROPAGANDA FIDE PRÆFECTO,

TOMUS PRIMUS ex poſthumis

Tripbariam incedit contra hæreſes

I. De Spiritu Sancto:
II. De Purgatorio, Suffragiis, &c.
III. De Statu animarum, & corporum.

ADSPIRANTE

BENEDICTO XIV.
P. O. M.



MEDIOLANI, MDCCXLIII.

Ex Typographia Petri Franciſci Malateſtæ.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

BENEDICTO XIV.
P. O. M.

Præpoſitus Generalis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum
Congregationis Sancti Eliæ
S. P. D.

VIdetur, SANCTISSIME PATER, divinitus factum, ut cùm hujuſce prima adversùm Hæreſes Armamentarii frons CLEMENTI XI. fuerit inſcripta, reliquam Tomis duodecim compoſitam molem diſtraxerimus in hunc diem TUÆ SANCTITATI nuncupandam.

Theologia hæc eſt Scholaſtico - polemico - hiſtorico - critica ad annos triginta à *Liberio* confratre noſtro deſudata ; quem propagandæ Fidei Collegio præfectum, dum in eodem ferme ſtadio eſſes, PATER BEATISSIME, propter & moris, & ingenii ſimilitudinem, ac ſtudiorum conjunctionem tanti faciebas, ut pluris neminem. Sed ille ſenio, ac laboribus ceſſit. Tu Deo nobis favente ita cucurriſti, ut, quod ſupremum eſt in terris, proſpera ætate comprehenderis.

Atque huc recolenda in ævum omne dulciſſima recurrit ejus diei memoria, cùm poſt tantam illam, quæ certè aliquid magnum portendebat, comitiorum diuturnitatem, velox fama pertulit, *PROSPERUM LAMBERTINUM* fuiſſe BENEDICTI XIV. nomine in Pontificem adlectum.

Ea dumtaxat commemorabo, quæ tum ilicet evulgata literis fuere *Nicolai Sormani* de hac ipſa editione benemerentis *Tom.* 1. *Apologiſm. Mediolanenſ. in dedic.*

„ Hoc nuncio ita apud nos Mediolani accepto,
„ nemo ſcitatur novi Pontificis dotes per gradus
„ ſingulos evecti ad ſummum, noti omnibus, &
„ quantum homini licet, noſcentis omnes. Alii
„ in Cœlum ſuſpenſi, ac dulce lacrymantes dum
„ anteacta reputant, futura præſagientes laudare
„ ſanctum Dei numen. Negare alii GREGORIO
„ MAGNO ſucceſſiſſe quemquam aut calamo
„ præſtantiorem, aut firmiorem pectore, aut qui
„ ad Orthodoxam rem naviter adminiſtrandam
„ attulerit plus animi, ingenii, conſiliique. Por-

„ ten-

„ tendere unanimes pacis ſequeſtrem inter Catho-
„ licos. Gratulari Eccleſiaſticæ aſſertorem liber-
„ tatis, ac diſciplinæ vindicem, expulſoremque
„ ignaviæ, ac ſocordiæ: oſòrem non modò luxus,
„ pomparumque prophanarum, ſed affectatæ etiam
„ pietatis: publici unius cumulatorem theſauri ad
„ aliquod grande, ac ſe dignum facinus parandi:
„ cunctis demum verè ſapientibus, ac ſinceris, &
„ qui ipſum imitentur ſeduli in munere, & aſſidui
„ ſtudio eruditionis ſacræ, providum, & ultrò be-
„ neficum patrem &c.

Hæc ille de ſuorum publicâ Mediolanenſium gratulatione. Noſtris verò Cœnobiis omnibus immodica ſanè fuit animorum exultatio. Memorabatur ea peculiaris charitas, quâ dum Bononiæ in patria eſſes Archiepiſcopus, identidem noſtrum ibi aſceterium conſueveras adire, & ipſos tyrones, poſita Principis majeſtate, complectens blando excolere magiſterio: quod & Mediolani S. AMBROSIUS conſuevit, animi causâ divertens in proximum Nemus, ubi fratres alebat in communi contubernio, & optimos inde carpebat flores ſuis elucubrationibus innectendos. *Petrarcha de Vita ſolit.*

Ea verò inter colloquia dum frequens mentio incideret de *Liberianis* ſcriptis, ſuccenſére nobis, & dulce etiam videbaris ſubiraſci, quòd tandiu premeretur ſub modio tantum Eccleſiaſticæ lumen doctrinæ.

Nos ergo inceſſit Te hortante, crevitque ad ſummum Sacerdotium evecto, ſtimulus evulgandi

reli-

reliquos omnes *Fr. Liberii* codices; ad Mediolanenſe Cœnobium jure quodam hæreditario delatos; fuerat enim ille ejuſdem Monaſterii alumnus.

Adjecit quoque animos ea cogitatio, quòd novum hoc Religionis fulcrum peropportunè excitaretur ea in Urbe Mediolani, quæ jampridem fuerat ſacri propugnaculum Imperii; quam propterea Græci Patres, ac Latini ſuſpicerent tanquam Romanæ filiam Matri proximiorem, purius exugentem lac, & uberius. Uni propterea eidem Urbi ex orthodoxis quatuor doctoribus duo contigerunt AMBROSIUS, & AUGUSTINUS, acceſſitque noviſſimè S. CAROLUS, cui prima omnium Eccleſia ejuſdem Monaſterii dicata eſt; qui quid non egit, ut ſuam illam præmuniret Diœceſim contra hæreſes ex proximis Helvetiorum, ac Rhetórum alpibus irruptionem comminantes?

Duo tamen ab hoc molimine abſterrebant nos: primum, quòd Typographía Mediolanenſis parùm audiat apud exteros; neque noſtris ſolitariæ vitæ addictis ſit fas ad omnia accurrere, ut opus contingat tam magno dignum Auſpice. Sed hunc timorem depulére Athenæi ejuſdem præclariſſimæ Civitatis Socii, qui & rem ſpondent ex progreſſu, & experientiâ meliuſculam in dies futuram.

Alterum eſt illud, cui SANCTITATEM TUAM enixiùs imploramus. Bella heu! horrida bella difficiles terrâ, marique aditus effecerunt ad eas potiſſimùm regiones, quibus hoc Chriſtianæ veritatis jubar intenditur. Fore tamen confidimus, ut quemadmodum CLEMENTIS pontificatu,

catu,

catu, quo hæc editio cœpit; ita & Tuo bellum atrox diuturnior quies excipiat.

Divinæ mos providentiæ eſt, ut in magnis tempeſtatibus clavo Eccleſiæ rectorem apponat robore corporis, atque animi præſtantiorem, qui vitæ curſu longiore neceſſitates introſpiciat, malaque inveterata conſtantibus expugnet remediis.

Te igitur ſoſpitent eòuſque vegetum Superi, ut ea perficere poſſis, quæ in tuis aureis Voluminibus præluſiſti. Grandis expectatio eſt, cui explendæ à Deo perſpicuè datus videris. Illud erecti omnes, elatique animis attendimus ſcilicet, quid legalis in arce Apoſtolica reſidens Juſtitia polleat, cujus hæc curarum eſt omnium maxima, ut Epiſcopi eligantur, quantum fieri poſſit, Tibi ſimiles, ad aram facti magis, quàm ad aulam, zelo fervidi, duri ad laborem, non ſenio, non valetudine imbecilli, ſubinde electuri miniſtros ex probis, doctiſque, & indefeſſis meliores; unde probitatis, ac doctrinæ æmulatio oriatur in Clero, abs quo populorum pendet ſalus.

Ave, euge MAGNE PONTIFEX. Proni ad oculum ſacratiſſimi pedis, Cœnobium præſertim Sancti Caroli, cui *Liberius* ſe filium addixerat, omnemque noſtram, immo Tuam Sanctæ Matris THERESIÆ ſodalitatem humillimè commendamus.

NICO-

NICOLAI SORMANI

AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ DOCTORIS

PROLEGOMENA.

GRande hoc Orthodoxæ armamentarium Fidei, in quo congeſtum adversùs hæreſes, telorum eſt omne genus, priuſquam uſui recludam publico, paucis honorem præfabor Auctoris. Hic eſt LIBERIUS à Jeſu Sacri Ordinis Thereſiani decus; cui Patria Bellintiachum in agro Novarienſi: natalis dies fuit XVI. Kal. Martias a. MDCXLVI.: nomen à baptiſmate Stephanus: parentes Jo. Petrus de Miliis, & Maria Gavitelli: ſatis amplum genus. Namque *Inſulanus* coram Magnatibus Galliæ a. MDXVIII. inter Inſubrum electiores familias prædicabat Milios; quos èt recenſet *Marinonus* in ſyllabis illuſtrium Mediolanenſium à *Fannuſio* retextis.

Natus annos XXIII. prælaudato S. M. THERESIÆ albo adjecit nomen *Liberius à Jeſu* IV. Idus ſextiles a. MDCLXX. in Cœnobio Mediolanenſi, ea nempe in æde, quæ prima omnium fuit S. Carolo dedicata. Bononiæ intra octennium emenſus Philoſophiæ, ac Theologiæ curricula, Romæ ſubinde in Seminario S. Pancratii annos ferme XXXVI. impendit dogmaticis diſputationibus.

Sapientiam magni hujuſce Doctoris facilè norit quiſque ex ejuſdem ſcriptis. Evecto ad Cardinalatum *Gabrieli*, ſtudiorum de Fide propaganda præſidi LIBERIUM ſuffecit INNOCENTIUS XII. tanti Virum faciens, ut pluris neminem.

Gradum hunc ad honores Apoſtolicos indepto, mirum! quanta ſit modeſtiæ, & chriſtianæ, ùt ita loquar, exinanitionis facta eidem acceſſio. LIBERII cathedram, ùt olim Phœbi tripodem, cùm viri principes obſiderent literis, nunciis, legationibus, & ſuis ipſi auribus appetendæ eruditionis causâ undique advecti; is dulci quidem affatu, ſed parco, & ſimplici ſermone vix ea videbatur noſſe blanda potiùs, quàm vera officia verborum, quæ ſunt in urbano uſu poſita.

Non ille auram captare ſapientis: non ambire grandes amicitias: infixus cellæ, ac pluteo nunquam exibat clauſtris, niſi vel charitas ad vicina Romæ magalia, vel munus ſuum in academiis obeundum evocaret. Succiduam quamque horam inſumebat inſtar æditui, curando Eccleſiæ nitori, perpolliens odéi ſubſellia, & nævum ex altaribus quemque linguâ quodammodo, palpebriſque elucns.

Sæpè fando teſtabatur ipſe in re theologica ſe *ad ſanguinem deſudare*. Nulla tamen hujuſmodi ſtudiorum tam vehemens cauſa unquam obſtitit, quominùs intereſſet choro plerùmque inſomnis, & dape modica refectus. Labore, ſenioque gravis, ac demum penè exſuccus, ac languens ad orationem matutinam primus accurrere: in eo dignitatis gradu cum omnibus zelo, & modeſtiâ ita certare, ut nihil unquam ageret inconſultis Fratribus, volens quæcunque in verbo Domini ſacere.

Diem clauſit extremam a. MDCCXIX. ætatis LXXIII. IV. Kal. Februarii: quam diem noſtra Mediolanenſis Eccleſia celebrat Thomæ Aquinati ſacram, cujus doctrinæ fuit LIBERIUS ſectator aſſiduus. Jacet propè cœmeterium Calipodii. Dum morbo extremo langueret, humillimo corde orabat Fratres,

ut ſibi aliquid legerent ex piis Libris, quibus alere ſpiritum conſueverat. Quantus filiorum in amantiſſimi Patris agone dolor erupit! dum ille veniam de offenſis imploraret ſæpiùs, & abſolvi identidem cuperet à cenſuris, ſi quid inter ſcribendum, aut diſputandum circa hæreſes offendiſſet?

Quod miraculi inſtar fuit: nemo unquam in Patre LIBERIO minimam vel mœſtitiæ, vel iræ ſpeciem notavit; tametſi Deo placuerit ipſum in adverſis probare fortiùs. Haud diſſimulem Volumen Primum, in quo agit de Eccleſia Militante, ad cenſuram fuiſſe non abſque fori ſtrepitu revocatum. Poſitus in eo judicii diſcrimine Vir præſtans ingenio, famâque ne verbo quidem excuſavit ſe; quinimmo volens, ut par erat, lubenſque palinodiam cecinit, quam legere eſt Volumini eidem inſitam ſub fol. 192.

Viſitur Mediolani in Cœnobio effigies P. LIBERII juxtà imaginem B. JOANNIS à Cruce ſuper ſcalis, quæ in Bibliothecam ferunt. Formam exhibet ea tabula non admodum procéri corporis, ſed lacertoſi, & laboribus, ſi macies abſit, permagnis apti. Frons ampla grave quiddam explicat blandaoris dulcedine temperatum. In oculis ingenium micat feſtivum, ac ſublime. Color planè ſuavis, & recurva narium majeſtas olent ſine calliditate prudentiam. In labiis cor ſplendet. Exornant iconem libri, & cilicium, & ferrea ſcutica cum epigraphe. *R. P. LIBERIUS a Jeſu in Ven. Coll. Urbano de propaganda Fide ſtudiorum Præfectus, Sac. Controverſiarum prælector, orthodoxæ Fidei propugnator, atque hæreticorum malleus, obiit plenus meritis anno à parta ſalute 1719., natus annos* 73.

Præ cæteris, qui hunc Romæ Carmelitam noverunt adhuc viventibus, honoris causâ nomino *R. Patrem Benedictum Canalem* Virum clariſſimum Ordinis Servorum. Is hoc anno 1742. ineunte Martio cùm in Bibliothecam Ambroſianam adveniſſet, mihi atteſtatus eſt in hæc verba: *tanta erat P. LIBERII exiſtimatio, ut eo in Academiis diſputante (tametſi eloquio uteretur paulò crudiore) grande ſilentium tenerent omnes, nec Romani dumtaxat, ſed ſi qui fortè irreperent, etiam Sectarii.*

Scripta LIBERIANA partim Romæ edita ſunt typis: partim, & hæc multò plurima nos Mediolani edenda accuramus. Quæ jam lucem adſpexere, hiſce ſub titulis circumferuntur. *Controverſiæ Dogmaticæ adverſus hæreſes utriuſque Orbis Occidentalis, & Orientalis explicatæ alumnis Seminarii S. Pancratii Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum apud S. Pancratium de Urbe à Rev. P. Fr. LIBERIO à Jeſu Carmelita Excalceato Provinciæ S. Angeli Lombardiæ profeſſo ex ditione Novarienſi &c. in tres Tomos diſtributæ. Tomus primus de Eccleſia Militante, & de prætenſo primatu Anglicano. Hoc opus Sacræ Congregationis S. Officii Decreto jam ſuſpenſum donec corrigatur, nunc eadem Sacra Congregatione permittente correctum denuo in lucem prodit. Romæ ex Typographia Bernabò Anno MDCCX. Superiorum permiſſu, Auſpice Clemente XI.*

Capita Diſputationum, quæ primum hoc jam Romæ cuſum Volumen explent, præcipua notantur.

DISPUTATIO I. *De origine Eccleſiæ Catholicæ Militantis.*

An de ejus conſtitutivo ſit ratio communis Angelis, & Hominibus, vivis, & defunctis, prædeſtinatis, ac reprobis, baptizatis, & cathecumenis. Negat ad Eccleſiam hæreticos pertinere, & intra ipſam actu eſſe pſeudopoliticos externos chriſtianos.

An ſubjectio actualis Vicario Chriſti ſit de conſtitutivo Eccleſiæ. Probat Sciſmaticos ſimplices, nulla hæreſi laborantes eſſe intra Eccleſiam: idem dicitur de Excommunicatis.

An Adam fuerit de Eccleſia militante, quam probat quoad formam cæpiſſe poſt lapſum ab Abel.

An Eccleſia novi Teſtamenti incæperit poſt Aſcenſionem Domini. Oſtenditur quoad ſubſtantiam cæpiſſe à prædicatione Chriſti, quoad intrinſecam ſubſtantiam à paſſione.

DISPUTATIO II. *De qualitate ejuſdem Eccleſiæ: an ſit una unitate corporis myſtici, indiviſibilitatis, ſalutis, ſtatus.*

An vera Chriſti Eccleſia ſit viſibilis, infallibilis, ſancta, catholica, apoſtolica.

DI-

DISPUTATIO III. *De notis Eccleſiæ. Verbum Dei prædicatum, & acceptatum non eſt vera Eccleſiæ nota.*

Item negatur de uſu Sacramentorum, de pſalmodia, de fidei confeſſione, de perſecutionibus, de charitate.

An Unitas, Univerſalitas, Sanctitas, Miracula &c. ſint vera Eccleſiæ ſigna.

DISPUTATIO IV. *Ubinam ſit Eccleſia Dei, extra quam non datur ſalus.*

An unitas conveniat Eccleſiæ Romanæ, & ſoli. An nota ſanctitatis miraculorum univerſalitatis, Apoſtolicæ competat eidem, ùt ſoli, Romanæ Eccleſiæ.

An liceat abſque peccato miraculum à Deo petere.

DISPUTATIO V. *An Eccleſia Romana declinaverit in Antichriſtianam.*

Oſtenditur Antichriſtum non eſſe aliquod Regnum Tyrannicum, ſed aliquam perſonam ſingularem.

An Elias, & Enoch ſint futuri defenſores tempore Antichriſti.

An everſio Romani Imperii ſit præmittenda adventui Antichriſti, & diei Judicii.

Breviſſimum oſtenditur fore Regnum Antichriſti: ab eo palam negandam Chriſti divinitatem; nec ab eodem Eccleſiam omnem fore ſubvertendam.

Hactenus Diſputationes quinque Prima hujus Parte Voluminis comprehenſæ. Jam modò alias quatuor innuam conſlantes Partem alteram, in qua agitur de falſo Eccleſiæ Capite, ſeu de *Laicocephalia Anglicana, ubi inter cætera, præmittitur eruditio præambula de initio, ac progreſſu Anglicani ſchiſmatis adverſus Romanam Eccleſiam.*

DISPUTATIO I. De Regimine politico. *An politica poteſtas ſit Chriſtianis licita.*

An liceat poteſtati Chriſtianorum Principum leges condere.

An leges eorundem obligent in conſcientia.

An, ut Lex humana obliget in conſcientia, requiratur populorum conſenſus.

An judicia ſanguinis inter Chriſtianos ſint licita.

An Principes politici dominio excidant peccantes lethaliter.

An politicus Magiſtratus ſit immediatè à Deo.

DISPUTATIO II. De ſpirituali Eccleſiæ poteſtate.

An detur poteſtas ſpiritualis juriſdictionis in Eccleſia Chriſti.

An poteſtas determinandi de rebus Fidei ſit popularis.

An judicium Fidei ſit conciſtoriale Seniorum.

Negatur jure divino veteris Teſtamenti, poteſtatem judiciariam Fidei, & Religionis convenire Regibus temporalibus.

Item negatur judiciariam poteſtatem Fidei, jure divino Teſtamenti Novi, ad Reges ſpectare.

Idem confirmatur auctoritate Patrum, & ratione.

DISPUTATIO III. De quibuſdam licitis, & illicitis in perſecutione Anglicana adverſus Catholicos.

An Angli ſine peccato jurare potuerint formulam obedientiæ exhibitam à Jacobo Rege.

An Catholici Angli poſſint ad evitandas pœnas, adire hæreticorum templa. Defenditur Decretum Pauli V. pro parte negativa.

An plerique Anglorum in perſecutione recedentes à Regno, ut pœnas vitarent, licitè fugam arripuerint.

Defenditur pars affirmativa.

An iiſdem, imminente perſecutione, licuerit negare exteriùs Fidem Romanam.

Negatur, & aliqua dubia practica reſolvuntur pro noſtris Miſſionariis in Hibernia, & Hollandia.

An Catholici Angli pro Religione mortem paſſi, verè ſint Martyres.

An pœnis, bonorum ſpoliatione, & legum ſeveritate cogi poſſint acatholici ad catholicam Fidem. De his ego plura in Menologio Cartuſiano, quod ad Typographum jam dimiſi.

DISPUTATIO IV. *De erroribus Anglicanis ſuper Sanctorum cultu.*

An actibus externis liceat Deum adorare.

An corporalibus imaginibus ſit fas Deum repræſentare.

An Deus ſit adorandus cultu latriæ ſupremo unico in ſpecie.

Explicatis terminis ſtatuit Chriſtum ùt hoc individuum colendum eſſe cultu ſupremo latriæ.

Item probat Chriſtum, ùt in Euchariſtia, eſſe latriâ dignum.

Itidem ſtatuit Humanitati affectæ donis ſupernaturalibus à Verbo præciſivè acceptæ, cultum Hiperduliæ eſſe tribuendum.

Defenditur tanquam catholica, pars affirmans Crucis imaginem, ejuſdemque ſignum adoranda eſſe.

Dicendum idem eſt de Sanctiſſimo Jeſu Nomine.

An Sancti orent pro nobis. An ſine ſuperſtitione poſſint invocari.

Plura ibidem diſputantur de hyperduliæ cultu Deiparæ, de Sanctorum Reliquiis, de uſu Imaginum in vetere, & in lege nova, de Idòlo &c.

Habes elenchum Tomi Primi in fol. paginis 584. præter Indicem, & Præfationes compoſiti, ac Romæ, ùt dicebam, recuſi anno 1710. ex typographia Barnabò, auſpicante Sanctiſſimo Patre Clemente XI.

Anno deinde 1713. prodiit Volumen alterum itidem in fol. paginis 578. hoc inſignitum titulo.

FOEDUS TIMORIS, & AMORIS DEI in miniſterio Sacramentalis reconciliationis hominis ad Deum Scholaſtico-Dogmaticè propugnatum, ac exhibitum alumnis Seminarii S. Pauli Carmelitarum Diſcalceatorum apud S. Pancratium de Urbe à Rev. P. Fr. LIBERIO à JESU Carmelita Diſcalceato, Provinciæ S. Angeli Longobardiæ profeſſo in eodem Seminario Controverſiarum ſacrarum Prælectore, & in Venerando Collegio de Propaganda Fide Præfecto. Opus præambulum ad Controverſias Polemicas de Sacramento Pœnitentiæ adverſus Sectarios, Dedicatum Emo, & Rmo Principi D. D. S. R. E. Presbytero Cardinali Baldino Panciatico tit. SS. Pancratii, & Praxedis &c. Romæ MDCCXIII. Typis Dominici Antonii Herculis in via Parionis.

Totum id Opus ſex Diſputationibus coaleſcit.

DISPUTATIO I. Quidditas attritionis chriſtianæ in ſex articulos diſputatur.

Attritio chriſtiana rectè explicatur per analogiam ad attritionem materialem.

Odium peccati eſt ratio generica attritionis.

Ratio ſpecifica attritionis eſt gehennæ metus, turpitudo peccati, æternæ Beatitudinis jactura.

Turpitudo peccati ſufficiens motivum attritionis.

Attritio excludit voluntatem peccandi.

De eſſentia attritionis eſt propoſitum non peccandi de cætero.

DISPUTATIO II. De Qualitate attritionis in articulos quinque diſtributa.

Attritio chriſtiana eſt actus ſupernaturalis.

Item eſt odium peccati ſuper omnia.

Inſuper eſt odium appretiativè majus virtualiter unius peccati præ alio. Sufficit pro pluribus peccatis. Non debet eſſe ſuper omnia intenſivè.

DISPUTATIO III. De amore Dei imperfecto: hæc itidem in ſex articulos diſputatio dividitur.

Attritio chriſtiana in ſenſu formali, & ſtricto dici poteſt in aliqua vera notione amor Dei incohatus, vel meliùs incohativè.

Negatur, quòd attritio per additionem amoris Dei formalis ſolius benevolentiæ inefficacis conſtituatur in ordine diſpoſitionis ſufficientis ad juſtificationem.

An attritio ex incobato amore Dei ſuper omnia inferat juſtificationem ante actualem ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ.

Tertium hunc articulum duodecim ſectiones dividunt.

An Contritio obliget ſtatim à commiſſo peccato.

An attritio ſimplex diſponens ad juſtificationem reguletur amore ſpei theologicæ, vel amore concupiſcentiæ. Reſpondetur ad amorem concupiſcentiæ ſpectare.

DISPUTATIO IV. De efficacia ſimplicis attritionis chriſtianæ articulis octo diſpoſita.

Attritio christiana ſimplex eſt diſpoſitio ultima antecedens ad juſtificationem.

An ex Scripturis, ex Doctrina Eccleſiæ, ex oraculis Apoſtolicæ Sedis, auctoritate S. Thomæ, Doctrinâ omnium ſæculorum, ac demum ex rationibus theologicis probetur ſimplicem attritionem eſſe ſufficientem diſpoſitionem in Sacramento Pœnitentiæ ad peccatorum remiſſionem.

DISPUTATIO V. De primo, & maximo præcepto diligendi Deum: quod totum in duodecim articulos diditur.

An maximum mandatum cadat ſub præcepto, vel ſit tantùm de conſilio. Affirmatur prima pars.

Primum, & maximum mandatum eſt præceptum ſpeciale.

Utrum præceptum maximum ſit negativum, ſeu an ſit de actibus, vel de habitibus. Reſp. eſſe affirmativum, ſeu de actibus.

An maximum mandatum ſub præcepto obliget ad ſummam intenſionem.

An in primo inſtanti uſus rationis urgeat per ſe maximum præceptum divinæ dilectionis.

An idem præceptum per ſe obliget frequenter in decurſu vitæ.

Utrum Eccleſia habeat poteſtatem præcipiendi directè actus purè internos vi directiva.

An maximum mandatum obliget, quoties urget obligatio alterius præcepti.

Obſervatur cum D. Thoma *dari obligationem referendi omnes actiones noſtras ad Deum.*

Negatur præceptum maximum obligare ſingulis diebus.

Affirmatur obligare per ſe in articulo mortis.

Negatur obligare in confeſſione facienda ſub dolore attritivo.

An maximum præceptum eximat ab onere omnium præceptorum, ac virtutem. Reſpondetur negativè.

Item negatur eximere à præcepto ſpei chriſtianæ.

DISPUTATIO VI. ſynoptica de contritione perfecta ſecundùm ſe. Hæc ultima diſputatio ſex articulis concluditur.

An ſolum motivum divini amoris ſpectet ad eſſentiale contritionis conſtitutivum.

An practico contritio ultimò diſponens ad juſtificationem in voto eſſentialiter exigat, & per ſe duos formales actus diſtinctos entitativè dilectionis Dei, & deteſtationis peccati. Reſpond. unum ſufficere, qui ſimul utrumque contineat.

Item affirmativè reſpondet ad queſtionem, an contritio ultimò diſponens od juſtificationem extro Sacramentalem in actu practico exigat eſſentialiter formalem peccati deteſtationem.

Quæritur, an contritio vero ſemper hominem Deo reconciliet, priuſquam actu Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiatur. Reſponſio eſt affirmativa, & oſtenditur, quòd etiam in minimo grodu nequeat eſſe informis.

Contritionem eſſe de peccatis olienis negatur.

Quod autem contritio ad delenda venialia ſit neceſſaria neceſſitate medii in juſtis, affirmatur.

Hactenus LIBERIANÆ elucubrationes, quæ jam ope typographica publici ſunt juris factæ. Reſtat jam aliquid dicendum de Libris poſthumis, quorum nunc prima editio inſtituitur à nobis.

Miraberis fortaſſe, LECTOR SAPIENTISSIME, quòd cùm LIBERIUS in fronte prælibati Operis Romæ excuſi a. 1710., ubi Controverſias Dogmaticas pollicebatur triplici Tomo evulgandas, ſpem deinde videatur feſelliſſe; quandoquidem non modò Secundum, ac Tertium nunquam dederit, ſed triennio poſt, anno ſcilicet 1713. protulerit in lucem Volumen illud, quod ego mox innuebam ſub titulo *Timoris, & Amoris*, quod ipſum appellat *Opus præambulum ad Controverſias Polemicas de Sacramento Pœnitentiæ adverſus Sectarios*. Hoc certè ad illud Primum non refertur; debuiſſet enim inſcribi Tomus Secundus, non autem præambulum opus ad aliud omnino diverſum à Primo.

Ut ergo ſubſequentium, quæ nos ad prælum inſtruimus, Voluminum rectam concipias ſeriem, diligenter attende.

Vixdum emiſſo in lucem Tomo Primo Controverſiarum, in quo duos alios ſpondebat Auctor ſubinde emittendos, juſſus eſt, antequam polemicas de Pœni-

Pœnitentiæ ſacramento diſputationes iniret, ſibi viam ſternere per id opus quaſi podromum, ubi fœdus compoſuit Amoris Divini ſimul, & Timoris. Id ſe feciſſe dura neceſſitate compulſum profitetur fol. VI. in Prolegomenis per hæc verba: *Summa neceſſitatis eſt noſtris hiſce temporibus, quibus Romano-Catholicæ Eccleſiæ hoſtes grandia edunt Volumina &c.*

Poſt hæc, ſuccreſcente materia, quæ in duos neutiquam Tomos compingi poſſet, ſive quòd invertendus eſſet ordo, ut aptiorem novis quæſtionibus locum daret, ſive alia de cauſa nobis incomperta, ſenio intereà gravis morte corripitur. Scripta verò tum, quæ idem ipſe deſtinaverat typis, tum quæ dictaverat in Academia Concilii, in Archilicæo Sapientiæ, nec non alia plurima devenerunt ad Cœnobium Mediolanenſe hæreditario quodam jure.

Actum deinde in Comitiis ſæpè eſt, quonam modo Patres jamdudum ſponſa editione fungerentur, & publicam exſolverent fidem. Inſtabant etiam non modo viri Eccleſiæ principes, ſed illi omnes, queis Orthodoxæ Religionis defenſio cordi eſt. Veruntamen abſterrebat nos moles ipſa operis, & gravitas impenſæ, quam facere oporteat in hac editione pro merito adornanda. Omnes tamen obices evicit ſolertia *M. R. P. Innocentii à S. Jo. Baptiſta*, qui Provinciam Lombardiæ, maximèque *Rmi P. Symphoriani à S. Andrea*, qui univerſum Ordinem ſumma cum laude moderatur.

Itaque negotium ei præ cæteris demandarunt, qui quò plus laudis meretur, eò mihi diſtrictiùs imperavit, ne de nomine quidem innuerem, ſed omnem qualemcunque ipſius operam, quæ certè maxima eſt, grato ſibi, ingrato nobis ſilentio premerem. Is itaque ſelectiſſimus Pater ingenio, lateribuſque penè LIBERIO par, primus Dogmaticæ Cathedram Theologiæ inſtituit, ac tenuit in publica Novocomenſi aula: inde ad hanc longè gravioris momenti curam eſt accitus.

Mea verò imbecillitas, ſi roges, quid contulerit ad rem, fatebor ingenuè. Aliud nihil ad hujus tantæ robur doctrinæ contuli præter alicubi ſtylum paulò nitidiorem, qui LIBERIO priores ſcholaſticos ſecuto abeſt. Noverat ille, quid Paulus de ſe loqueretur 1. ad Corinth. 2. *Et ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & veritatis conſiſtit.* Et Magnus Gregorius ad Leandrum Epiſcopum initio expoſitionis Libri Job. *Quæſo, ut hujus Operis dicta percurrens in eo verborum folia non requiras; quia per ſacra eloquia ab eorum tractationibus infructuoſæ loquacitatis levitas ſtudioſè compeſcitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur; & cuncti procul dubio ſcimus, quia quoties in foliis malè lætæ ſegetis culmi proficiunt, minori plenitudine grana ſuccreſcunt, unde & ipſam artem loquendi, quam magiſteria diſciplinæ exterioris inſinuant, ſervari deſpexi. Nam ſicut hujus quoque epiſtolæ tenor enunciat, non metaciſmi colliſionem fugio, non barbariſmi confuſionem devito, ſitus, motuſque propoſitionum, caſuſque ſervare contemno; quia indignum vehementer exiſtimo, ut verba cœleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati.*

Nemo tamen hinc ſibi licentiam arroget pedibus trahendi ſtylum Theologicum, & obſcura, incondita, mendoſa in publicum faſtidium typis evulgandi. Obſtat perpetua locutio ipſius *Auguſtini*, *Gregorii*, aliorumque Patrum clara, ſimplex, nervoſa, ac concinna, quæ cum victoria delectat, & non ſine voluptate animos flectit. Hæ dotes orationis, ingraveſcente Barbarorum ævo, obſoletæ apud ſcholaſticos penè in contemptum abjerant; ſed hoc ſeculo politiore jam poſtliminio revocatæ excoluntur, quantum ſat eſt, ne ſcripta noſtra laborem, ac tædium legentibus creent. Edendorum igitur à nobis Operum ſeriem diſce.

TOMUM PRIMUM de Eccleſia Militante jam bis impreſſum deſiderantibus dabo ad complementum Operis; notæ enim marginales, quæ Primo deerant, Tomum hunc, quem legis, & ſequentes alios effecére aliquantò grandiores.

res. Oro igitur, ut qui Tomum primum excupiunr, Typographum noſtrum moneant in tempore.

TOMUS II, idemque primus ex poſthumis, quem nunc præ manibus habes Lector prima luce donatum, tripharíam invehitur in Occidentales hæreticos; unà ét Græcorum exagitat præcipuos errores. *Tractatus primus* verſatur circa proceſſionem SPIRITUS SANCTI, vindicans quæcunque ad ipſius Divinitatem pertinent. Pro coronide ſtat diſceptatio ſuper adiecta Symbolo particula FILIOque, adſutis vindiciis Symboli Athanaſiani, quod omnino genuinum probatur. *Tractatus alter* in quinque partes diditus exiſtentiam inquirit, & eſſentiam Purgatorii, ac ſubinde examinat, quænam expiandis ibidem animabus tormenta infligantur; ubi etiam verum probatur oſtentum animæ *Samuelis*. Quartum occupat locum diſputatio de Suffragiis piacularibus, aptèque eidem loco diſflatur commentitia *Trajani* exſolutio à vinculis Gehennæ. Claudit ſecundum hoc ſyntagma diſputatio de Indulgentiis. *Tractatus tertius* examinat ſtatum primò animarum, deinde corporum. Ingrediuntur anteriorem partem quæſtiones de judicio ſingulorum, de tempore retributionis præmii, ac pœnæ; ſimul in cauſam veniunr plurima adverſus *Millenarios*, *Illuminatos*, & *Quietiſtas*. Pars poſterior involvit doctrinam de ritibus Sepulturæ, de Mortuorum reſurrectione, de Judicio univerſali, & de præambulis ejuſdem ſignis.

Hæc dicta ſufficiant de hoc, quem legis Tomo primo ex poſthumis; cujus ét Elenchum habes infrà locupletiorem. De reliquis ſingillatim in Præfatione Tomi cujuſque ediſſeram plura. Eos nunc breviſſimè, & per ſumma thematum capita attingam.

TOMUS III. impenditur totus in defenſione CHRISTI DOMINI. Accedit ad calcem apologia Epiſtolarum *Clementis I.* uſque ad *Siricium* adversùs *Blondellum*, alioſque Neotericos. Quoniam verò Chriſtus fuit auctor Sacramentorum, Tomi ſequentes inſumentur præcipuè in eorundem controverſiis. Itaque

TOMUS IV. Baptiſmum complectitur, Confirmationem, & Euchariſtiam, ſubnectitque erroris Græcanici confutationem de Azimis.

TOMUS V. conflatur quæſtionibus hiſtorico-polemicis de vero Pœnitentiæ Sacramento. Tomum hunc quintum, ſi erit opus, bipharíam dividemus ita, ut Pars anterior ea ſit jam typis Romæ evulgata anno 1713. ſub titulo *Fœdus Timoris, & Amoris Opus præambulum ad Controverſias polemicas de Sacramento Pœnitentiæ adversùs Sectarios*. Plures certè Bibliothecæ adhuc carent ea Parte, & omnes excupient Tomum ejuſdem formæ, quâ ſunt cæteri. Mihi verò Opera omnia Patris LIBERII magnificentiùs edere cupienti viſum eſt minorem partem, quæ jam prodiit, majori, longèque ſumptuoſiori coaptare.

TOMUS VI. continet Extremam Unctionem, prima Sacramenti Ordinis elementa, & omnia ad Epiſcopatum, & Cardinalatum ſcitu neceſſaria.

TOMUS VII. cætera comprehendit, quæ ad ipſos Ordines ſpectant, de Romani Pontificis ſucceſſione, electione, auctoritate extra, & ſupra Concilium.

TOMUS VIII. uno expletur Matrimonii Sacramento.

TOMUS IX. tutatur Conſilia Evangelica contra recentiores Hæreticos.

Poſtremò duos ſubiicimus Tomos Miſcellaneorum; ubi theſes plurimæ coacervantur ab eodem Patre LIBERIO defenſæ in Academia Concilii, in Archilicæo Sapientiæ, aliæque pro Collegio Salmaticenſi, pro ſtatu religioſo quoad ſubſtantiam in lege Veteri, nec non ſcripta in Rev. Franciſcum Galieni Spuchæ.

Moneo tamen pleraque etiam ſcholaſtica dogmaticis hiſce theſibus inſpergi, ea nimirum, quæ ad tutanda Fidei dogmata facilem ſemitam pandunt. Hoc fateor candidè: ſpecies illa novitatis, quæ commendare ſolet magni cujuſque Operis frontem, noſtro huic primo volumini deeſt. Sed ex jamdudum editis reliqua metiri facilè poſſis. Certè nolui editionis ordinem ab Auctore ſtatu-

tu-

tutum invertere; & inſunr etiam huic, quæ multa cum eruditione delectent, præſertim vindiciæ contra *Moliniſtas* S. M. THERESIÆ myſticam ad nepbaria diſtorquentes. Moneo èr hoc, necdum poſito irarum æſtu. In primis foliis atramenti ſoliditas fefellit noſtros Athenæi Mediolanenſis ſocios, queis hæc inſidet cura. Qui typos intingunr, prælosque agitanr, etiamſi palum commineris, nihil non moliuntur, ur ſcapulis parcant. Progreſſu tamen, & experimento omnia, ùt vides, creſcunt in melius contra morem.

Suus demum cuique eſt habendus honos. Inter Sodales Athenæi noſtri ſolertiſſimos unum haud prætercam, ne me, ùt alios, ingrati ſilentii redarguat Patria. Hic eſt Marchio *D. Alexander Burri*, primus (ecquid diſſimulem?) primus, inquam, auctor, atque incentor, quo perfectum eſt, ut typographica res noſtra apud exteros jam bene audiar.

Indicem Tomi hujus habes in Volumine ſubſequenti; eſt enim materia in utroque valde connexa. Cæterùm Tomus quiſque ſuam in calce exhibebit alphabeticam ſynopſim; atque in fine totius Opetis ſubiiciemus rerum omnium genetalem elenchum ſyllabica methodo digeſtum.

J. ✠ M.

FR. SYMPHORIANUS A S. ANDREA PRÆPOSITUS GENERALIS
Frattum Carmelit. Diſcalceat. Congregationis S. Eliæ Ordinis Beatiſſimæ Virginis Matiæ de Monte Catmelo, ac ejuſdem Sancti Montis Prior.

TEnore præſeotium facultatem Impertimut, quantum ad Nos attinet, P. F. Joanni Franciſco à S. Maria Magdalena Congregationis noſtræ Sacerdoti profeſſo, ut typis mandet libros, quibus titulus *Opera P. F. Liberii à Jeſu Carmelita Excalceati*, à ſupradicto Patre concinnatos, & à duobus Theologis è noſtris tecognitos, & commendatos. Datum Placentiæ in Conventu noſtro S. Thereſiæ die 13. Septembris 1741.

Fr. Symphorianus à S. Andrea Generalis.

L. ✠ S.

Fr. Clemens à Paſſione Secretarius.

DE mandato Rmi Patris Magiſtri Joannis Dominici Libonii de Fetratia Inquiſitoris Generalis Mediolani, ejuſque Dominii diligentet perlegi Tomum Primum Libti, cui titulus *Controverſia Dogmatica adversùs Hæreſes utriuſque Orbis Orientalis, & Occidentalis explicata &c.* à Rev. Patre Ft. Liberio à Jeſu Carmelita Excalceato &c., qui cum Doctrinam ſanam, & ortodoxam, clata, & facili methodo, & ſummà eruditione expoſitam, atque validis argumentis confitmatam contineat ad Catholicæ Religionis utilitatem, & doctiſſimi Aucthoris commendationem juremeritò publicæ luci dari poſſe cenſeo.

Dat. Mediolani in Conventu S. Franciſci die 25. Januatii 1742.

Fr. Joannes Baptiſta Carena Minorita Conventualis Librorum Cenſor.

Stante ſupradicta Atteſtatione

Die 18. Aprilis 1742.

IMPRIMATUR

Fr. Jo. Dominicus Liboni Inquiſitor Generalis Mediolani.
Franciſcus Curionus Archipresb S.Euſebii pro Emo, & Rmo D.D.Card.Archiep.
Joannes Petrus Carlius pro Excellentiſs. Senatu.

ELEN-

ELENCHUS.

TRACTATUS PRIMUS.

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI.

CONTROVERSIA I. An Spiritus Sanctus ſit verè Deus. col. 5
Solvuntur argumenta Hæreticorum. 9
CONTROV. II. An Spiritus Sanctus ſit perſona ſubſiſtens. 13
Hæreticorum argumenta ſolvuntur. 14
CONTROV. III. An una tantùm detur Proceſſio in Divinis. 17
Refelluntur Hæreticorum argumenta. col. 20
CONTROV. IV. An Spiritus Sanctus ſit genitus. 22
Solvuntur Hæreticorum argumenta. 26
Concordantur aliqua Patrum dicta. 32
CONTROV. V. An ſcripturis conſtet proceſſio Spiritus Sancti à Filio. 34
Solvuntur Græcorum argumenta ex ſcripturis 41
CONTROV. VI. An traditionibus conſtet proceſſio Spiritus Sancti à Filio. col. 44
Prima duo Græcorum argumenta refelluntur. 48
Cætera Græcorum argumenta refelluntur. 53
CONTROV. VII. An rationibus theologicis oſtendatur proceſſio Spiritus Sancti à Filio. 56
§. I. An ratio amoris mutui probet proceſſionem Spiritus Sancti à Filio. ibid.
Argumenta adverſariorum ſolvuntur. col. 58
§. II. Digreſſio Theologica. An Spiritus Sanctus ùt liberè amans creaturas exiſtentes procedat ex earum amore. 62
Adverſariorum argumentis reſpondetur. 64
§. III. An relativa oppoſitio probet proceſſionem Spiritus Sancti à Filio. 67
Solvuntur objecta ab Adverſariis. 71
§. IV. Solvuntur objecta contra præcedentem ſolutionem. 75
§. V. Alia objecta ſolvuntur. 80
CONTROV. VIII. Utrum Pater, & Filius ſint unum principium Spiritus Sancti. 83
Objectiones contrariæ diſſolvuntur. 85
CONTROV. IX. An relatio Spiratoris ſit ſubſiſtens individuum. 88
Adverſariorum objectiones diluuntur. col. 91
Ponuntur tria corollaria, ut præcedentia magis, magiſque illuſtrentur. 95
CONTROV. X. An licitè Symbolo additum ſit *Filioque*. 107
Græcorum argumenta enodantur. 112
§. I. Corollarium I. Quandonam Symbolo factum fuit additamentum. 114
§. II. Corollarium II. Vindicatur Symbolum Athanaſii. 120

TRACTATUS SECUNDUS.

DE PURGATORIO.

PARS I.

DE EXISTENTIA PURGATORII.

CONTROVERSIA I. An ex reatu pœnæ arguatur Purgatorium. col. 131
Solvitur primum Hæreticorum argumentum. 138
Solvuntur reliqua argumenta. 148
CONTROV. II. An ſcripturis Veteris Teſtamenti probetur Purgatorium. col. 155
CONTROV. III. An ſcripturis Novi Teſtamenti probetur Purgatorium. 164
§. Secundus. Innuuntur alii textus Novi Teſtamenti. 170

c Hære-

Hæreticorum argumenta ex ſcripturis enodantur. 175
CONTROV. IV. An ex peccato veniali colligatur Purgatorii exiſtentia. col. 178
Solvuntur Hæreticorum argumenta. col. 181
§. Secundus. In altera vita deleri peccata venialia. 187
Argumenta contraria ſolvuntur. 190
CONTROV. V. An traditione conſtet Purgatorii exiſtentia. 193
Solvuntur Hæreticorum argumenta. col. 196

PARS II.

DE QUALITATE POENARUM IN PURGANTIBUS.

CONTROVERSIA I. An Purgantes igne torqueantur. col. 201
Solvuntur Græcorum argumenta. 203
CONTROV. II. An ignis corporeus effectivè Animas torqueat. 208
Objecta ſolvuntur. 211
CONTROV. III. An in Purgatorio detur pœna damni. 217
Solvuntur argumenta. ibid.
CONTROV. IV. An Purgantium pœna duret uſque ad diem Judicii. 219
Solvuntur Schiſmaticorum argumenta. col. 222
CONTROV. V. An Dæmones torqueant Purgantium Animas. 224
Adverſariorum objectiones ſolvuntur. col. 225

PARS III.

DE STATU PURGATORII.

CONTROVERSIA I. An ſoli Juſti ad Purgatorium deſcendant. 227
Hæreticorum argumenta ſolvuntur. col. 229
CONTROV. II. An in Purgatorio ſit meritum, & demeritum. 236
Hæreticorum argumenta diluuntur. 237
CONTROV. III. An Animæ Purgantium certæ ſint de ſua ſalute. 342
Lutheri argumenta ſolvuntur. 247
CONTROV. IV. An Purgatorium ſit locus peculiaris determinatus. 162
Contrariorum argumenta ſolvuntur. col. 266
CONTROV. V. An Animæ Purgatorii identidem exeant ab Ergaſtulo. 269
Solvuntur argumenta contra principalem quæſtionem. 282

PARS IV.

DE SUFFRAGIIS.

CONTROVERSIA I. An inter Fideles ſuffragia unius alteri proſint. col. 285
Solvuntur argumenta. 287
CONTROV. II. §. I. An ſuffragia unius Fidelis per modum meriti de condigno alteri proſint ad acquirendum ſtatum gratiæ. 288
§. II. Solvuntur argumenta. 290
§. III. Solvuntur reliqua argumenta. col. 293
CONTROV. III. An ſuffragium Juſti alteri proſit pro condigna ſatisfactione pœnæ temporalis. 296
Solvuntur objectiones. 298
CONTROV. IV. An ſuffragia Viventium proſint Defunctis non æternaliter damnatis. 301
Diluuntur Hæreticorum argumenta. col. 303
CONTROV. V. An Vivorum ſuffragia proſint Damnatis. 307
§. I. Stabilitur Aſſertio.
§. II. Solvuntur argumenta ex Scriptura,

ra, & Patribus. 310
§. III. Solvuntur argumenta à ratione. col. 315
Liberatio Trajani fictitia. §. IV. Solvitur ultimum argumentum ex facto *. 320
CONTROV. VI. An ſuffragia pro Defunctis proſint per modum gratuitæ impetrationis. 329
Solvuntur objectiones. 330
CONTROV. VII. An ſuffragia pro Defunctis ex juſtitia proſint. 332
Solvuntur argumenta. 334
CONTROV. VIII. ſuffragia pro uno facta illi ſoli proſint. 336
Contrariæ objectiones diſſolvuntur. 337
CONTROV. IX. An ſuffragia exiſtentis in peccato proſint. 340
Contraria refelluntur argumenta. 342
CONTROV. X. An opus præceptum ſit ſatisfactorium. 349
Solvuntur objecta. 350
CONTROV. XI. An opus ſatisfactorium debeat eſſe pœnale. 352
Solvuntur argumenta. 353
CONTROV. XII. An opera à Confeſſario injuncta totum pœnæ reatum extinguant. 356
Adverſariorum objectiones ſolvuntur. col. 358

PARS V.

DE INDULGENTIIS.

CONTROVERSIA I. An Eccleſia habeat theſaurum meritorum Chriſti col. 365
Hęreticorum argumenta ſolvuntur. 368
CONTROV. II. An Eccleſiæ theſaurus conſtet ex ſatisfactione Sanctorum. col. 372
§. I. Theſaurus Eccleſiæ coaleſcit etiam ex ſuperfluentibus Sanctorum ſatiſfactionibus. ibid.
§. II. Præcluditur *Lutheri* reſponſio. 376
§. III. Quædam Hæreticorum argumenta diſſolvuntur. 378
§. IV. Reliqua Hæreticorum argumenta diſſolvuntur. 382
CONTROV. III. An ex Scriptura colligatur poteſtas concedendi Indulgentias. 388
Hæreticorum argumenta refelluntur. col. 392
CONTROV. IV. An ex antiquitate conſtet Indulgentiarum uſus. 396
Hæreticorum præcluduntur argumenta. 403
CONTROV. V. An ex aliis ſignis conſtet veritas Indulgentiarum. 406
Fit ſatis Hæreticis. 410
CONTROV. VI. An uſus paſſivus Indulgentiarum ſit Perfectorum. 414
Hæreticorum ſolvuntnr argumenta. col. 415
CONTROV. VII. Utrum Indulgentiæ relaxent pœnam debitam in foroDei. col. 417
Objecta ab Hæreticis diluuntur. 419
CONTROV. VIII. An Indulgentiæ abſolutæ intelligantur etiam de non injunctis. 422
§. I. Dividitur Indulgentia. Ibid.
§. II. Stabilitur Aſſertio. 431
§. III. Contrariæ objectiones ſolvuntur. col. 433
CONTROV. IX. An, quando mentio fit de injunctis, Indulgentia ſolas à Confeſſario impoſitas redimat pœnitentias. 436
Adverſariorum argumenta ſolvuntur. col. 438
CONTROV. X. An, qui Indulgentias lucrantur, teneantur adimplere ſatisfactiones Sacramentales. 440
Objectis reſpondetur. 441
CONTROV. XI. An Indulgentia deleat ſaltem culpam venialem. 445
Contraria impugnantur argumenta. col. 451
CONTROV. XII. An Indulgentia ſit abſolutio pro Vivis. 454
Contraria argumenta. 456
CONTROV. XIII. An, ut Indulgentia ſubſiſtat, requiratur pia, & juſta cauſa. 461
Oppoſita ſolvuntur argumenta. 462
CONTROV. XIV. An cauſa neceſſaria ad

ad valorem debeat eſſe æqualis. 466
Contrariorum objectiones ſolvuntur. col. 468
Quædam corollaria ex dictis inferuntur. 472
CONTROV. XV. An Summo dumtaxat Pontifici poteſtas faciendi Indulgentias Divino jure competat. 475
§. I. Quædam prænotantur. Ibidem.
§. II. Alia inferuntur. 478
§. III. Reſolvitur Difficultas. 482
Diſſolvuntur argumenta. 484
CONTROV. XVI. An ad fructum Indulgentiæ neceſſarius ſit ſtatus gratiæ. 486
Solvuntur objectiones. 488
CONTROV. XVII. An opus injunctum debeat fieri in ſtatu gratiæ. 490
§. I. Aliqua ſupponuntur. Ibidem.
§. II. Probatur aſſertio. 493
§. III. Contrariorum argumenta. 494
CONTROV. XVIII. An, quando injungitur confeſſio, intelligatur de confeſſione in voto. 497
Reſolvuntur argumenta. 498
CONTROV. XIX. An Indulgentiæ proſint Defunctis. 503
Objectiones ſolvuntur. 505
CONTROV. XX. An Indulgentia juvet Mortuos viâ abſolutionis. 507
Contrariorum argumenta ſolvuntur. col. 508
CONTROV. XXI. An ſimplici ſolutione Defunctis proſit Indulgentia. 510
Præcluduntur quædam effugia. 511
CONTROV. XXII. An Indulgentia Defunctis proſit infallibiliter. 515
Adverſa argumenta ſolvuntur. 516
CONTROV. XXIII. An animæ, quæ ſunt in Purgatorio, pro vivis orent. 522
Adverſariorum argumenta ſolvuntur. col. 528

TRACTATUS TERTIUS.

DE STATU ANIMARUM.

CONTROVERSIA I. An in die obitus fiat particulare Judicium. col. 534
Hæreticorum argumenta ſolvuntur. col. 538
CONTROV. II. §. I. An animæ a mortis inſtanti recipiant retributionem præmii, vel pœnæ. 543
§. II. Schiſmaticorum argumenta ex Scripturis ſolvuntur. 548
§. III. Probatur concluſio ex Patribus. col. 555
§. IV. Contraria argumenta ex Patribus deſumpta ſolvuntur. 557
§. V. Tertia probatio ex rationibus. 570
§. VI. Solvuntur argumenta ex rationibus. 572
CONTROV. III. contra Armenos, & Græcorum Neotericos. §. I. An Animæ beatæ Deum videant in ſe. 576
§. II. Solvuntur argumenta ab auctoritate. 582
§. III. Solvuntur argumenta contra naturalem rationem. 589
§. IV. Reliqua argumenta contra conſequentiam ſolvuntur. 594
CONTROV. IV. contra *Millenarios* docentes poſt diem Judicii fore Chriſti regnum ad mille annos plenum omnium laſciviæ voluptatum. 601
Hæreticorum argumenta ſolvuntur. col. 605
CONTROV. V. An ultimo beans ſit aliquod bonum creatum contra *Cherintum*, *Mahometem*, atque *Ethnicos*. 612
Solvuntur argumenta. 617
CONTROV. VI. An Beatorum animæ conſtituantur in ſtatu beatificante per increatam Dei cognitionem. 622
Solvuntur argumenta. 627
Supremum argumentum refellitur præſertim contra *Illuminatos*, & *Quietiſtas*. 634
Solvuntur objectiones. 641
§. II. An voluntas maneat Deo unita nulla comitante cognitione. 649
Solvuntur objectiones. 654
§. III. An voluntas plùs diligat, quàm intellectus cognoſcat. 658
§. IV. An in pura contemplatione dentur phantaſmata. 663
Solvuntur objectiones. 667

CON-

CONTROV. VII. An animæ conſtituantur in ſtatu beatifico per vires naturales contra *Beguardum*, & *Beguinas*. col. 676
Oppoſitus error diſſolvitur. 681
CONTROV. VIII. contra Beguardorum hæreſim: An anima conſtituatur in ſtatu ultimo beatifico in hac vita. col. 686
Solvuntur objectiones Beguardorum, & Moliniſtarum. 689
CONTROV. IX. An animæ in ſtatu ultimo beatifico ſint æquales: contra *Jovinianum*, & *Lutherum*. 691
Retundimus tela hæreticorum. 694
CONTROV. X. Contra *Origeniſtas*: An Beati aliquando amiſſuri ſint fælicitatem. 702
Hæreticorum argumenta ſolvuntur. col. 706
CONTROV. XI. adversùs *Antropomorphitas*, nec non *Maximinum*, *Celſum*, alioſque hæreticos. An ſtatus animarum compleatur per corporalem Divinæ Eſſentiæ viſionem. 712
Hæreticorum argumenta diſſolvuntur. col. 713
CONTROV. XII. contra *Pelagium*, *Tertullianum*, alioſque hæreticos. An rationalis anima per traducem propagetur. 724
Hæreticorum ſolvuntur argumenta. col. 730
Solvitur ſeptimum argumentum. 734
Alia argumenta diſſolvuntur. 739
CONTROV. XIII. adversùs *Philonem*, *Origenem*, *Priſcilianum*, alioſque; An animæ rationales ſimul fuerint creatæ, & extra corpus peccaverint. 740
Solvuntur argumenta Hæreticorum. col. 743

PARS II.

DE STATU CORPORUM.

CONTROVERSIA I. contra *Calvinum*, *VViclephum*, *Genevenſes*, *VValdenſes*, & alios &c. An ritus ſepulturæ ab Eccleſia adhibitus ſit pius, & licitus. 747
§. I. Stabilitur Catholica veritas. 749
§. II. Eadem concluſio traditione roboratur. 752
§. III. Diſſolvuntur Hæreticorum argumenta 756
§. IV. §. V. Alia argumenta. 759 & 763
CONTROV. II. An ſit futura mortuorum reſurrectio. 767
§. I. Stabilitur Catholica veritas. 769
§. II. Prob. auctorit., & ratione. 779
§. III. Hæreticorum objecta refelluntur. col. 782
CONTROV. III. An omnes, & ſinguli ſint reſurrecturi. 787
§. I. Probatur omnes, & ſingulos homines eſſe reſurrecturos. 788
§. II. Solvitur prima objectio, & oſtenditur Impios eſſe reſurrecturos. 789
§. III. Solvitur ſecunda objectio, & oſtenditur abortivos eſſe reſurrecturos. 791
§. IV. Solvitur tertia objectio, & oſtenditur mulieres etiam eſſe reſurrecturos. 793
§. V. Cætera argumenta enodantur, & oſtenditur eos, qui viventes erunt ſub finem mundi, morituros eſſe, & reſurrecturos. 798
CONTROV. IV. An futura ſit mortuorum reſurrectio in eadem identitate numerica. 806
Hæreticorum, & Philoſophorum argumenta ſolvuntur. 809
CONTROV. V. An mortuorum reſurrectio ſit futura virtute naturali. 823
Principaliora reſolvuntur argumenta. col. 827
Cætera Adverſariorum argumenta infringuntur. 833
CONTROV. VI. An omnium reſurrectio ſit ſimul, ſeu eodem tempore futura. 840
Argumenta diſſolvuntur. 844
CONTROV. VII. contra *Prodianitas*, *Gnoſticos*, *Albanenſes*, alioſque hæreticos: an ſit futurum univerſale judicium. 848

§. I.

§. I. Probatur futurum eſſe univerſale omnium hominum Judicium. 849
§. II. Primum Adverſariorum argumentum diſſolvitur. 853
§. III. Solvitur ſecundum argumentum. col. 857
§. IV. Tertium argumentum cum ſuis inſtantiis. 865
CONTROV. VIII. An Chriſtus proximè qua homo venturus ſit ad judicandum. 878
Hæreticorum argumentis reſpondetur. col. 883
CONTROV. IX. An ignis conflagrationis prævié ad judicium ſit elementaris, & purgativus Electorum, & Cœlorum. 890
§. I. Quid importet prima pars tituli. col. 892
§. II. Quid ſecunda. 897
§. III. Quid tertia. 900
§. IV. Solvuntur argumenta. 906

MO-

MONITUM.

ERrata, quæ de more illabuntur typis, ne monendum quidem te, Lector, cenſui. Etenim ſunt pauciora, quàm ut neceſſe fuerit adſuere indicem; & ea perfacilè etiam quivis poſſit advertere. Unum moneo: col. 2. lin. penult.: Horoſius *legas* Oſius, & col. 123. lin. 3. *Japſenſis* legas *Tapſenſis*, & alia minutula præſertim emendes in notis marginalibus, ubi characteris tenuitas fugit oculorum aciem.

PROOE-

PROŒMIUM.

ORientalibus plagis primò illuxit Evangelicæ veritatis jubar, & eò majori affluentiâ, ac puritate, quò rivus fonti proximior nitidiores, uberioreſq; latices deducit. Prima in Chriſtum credidit Orientis Ecclesia; pietate, ac doctrinâ per illuſtriores Mundi oras feliciter propagata floruit mirabiliter. Verùm ſicuti lumen ejus: ita èt tenebræ ejus. Superbiæ fumo paulatim obcæcata, divinæ luci obrutum ſubtrahens, errorum caliginem paſſa eſt, Ægyptiacâ graviorem. A fide penitus excidit Ortodoxa, & quæ primogenitæ gloriabatur honore, adulterinæ ſubiit dedecus. Sapere voluit plus, quam oportet; ideo plus æquo deſipuit. Non enim ſolùm animalis homo neſcit, quæ Dei ſunt, ſed etiam ſpiritualis, cum propria tranſcendere ſpiritualitatis confinia præſumit, & jumentis inſipientibus deterior efficitur. Angelorum crimine fœdata eſt Orientalis Eccleſia; ac propterea Angelicæ obſtinationis poenâ mulctatur. At illorum omnino deſperanda eſt ſalus: hujus quidem difficilis, haud tamen ſpem omnem excludit, utpote necdum termini immobilitate, firmata. Hanc nos decet obdurationem tentare, ut emolliamus; æquum enim eſt, ut qui in Orientali regione Religionis noſtræ primordia fuimus ſortiti, eidem extremo ſalutis periculo laboranti ſuppetias feramus. Omnium gentium nobis, qui in Vineâ Domini inſudamus, curanda eſt ſalus, ſed eorum præſertim, qui primò peccarunt; quocirca Patres noſtri Orientalium ſaluti primos ſudores inſumpſere. Quamvis autem inter Orientis Eccleſias Græca poſterior fuerit ab Apoſtolica Sede abſciſſa: ejus tamen errorum confutationem primo aggrediar loco; eſt enim cæteris nobilior, & ejus errore in ſuis reliquæ confirmantur erroribus; immò falſa ejus dogmata ab hæreticis recentioribus vi magis exerta propugnantur. Quamobrem Ipſorum impugnatio, velut gladius utrinque acutus, uno ictu duos expugnet hoſtes. At priuſquam ad controverſiarum examen deſcendam, obiter Græcanici Schiſmatis prima ſubjiciam elementa.

SYNOPSIS HISTORICA.

DE GRÆCI SCHISMATIS ORIGINE.

C*ONSTANTINUS MAGNUS* poſteaquam Româ Imperii ſedem Bizantium tranſtulit, Græci, quos Imperatoris præſentia inflaſſet, Conſtantinopolitanum Epiſcopum, anteà ne Patriarchæ quidem privilegio gaviſum Anno Domini 381., nequiequam reclamante Concilio Nicæno, anteponendum Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, & alterum a Romano Pontificem habendum curaverunt; nec acquievere unquam. Nam cum Conſtantinopolis alterius Romæ cognomento ſuperbiret anno quadringenteſimo quinquageſimo primo in Chalcedonenſi ſub LEONE Canonem 28. *Anatolius* Conſtantinopolitanus Patriarcha, regreſſis Sedis Romanæ Legatis, aliiſque Patriarchis abſentibus, furtim, & clandeſtinè addidit, in quo Conſtantinopolitanæ Sedi jus Patriarchicum, & Primatus honor tribuebatur.

Anno verò 858. *Photius* nobilitate, opum affluentiâ, & ſeculari litteraturâ clarus apertius Schiſma tentavit. Cum enim a Concilio Romano ſub NICOLAO I. fuiſſet a Sede Bizantina depoſitus, cui (Sanctiſſimo viro *Ignatio* in Inſulam Terebintum relegato) ope *Michaelis* Imperatoris ex laico fuerat intruſus, Eccleſiam latinam pluribus calumniis impetiit, litteriſque cæteros Orientales Patriarchas ad Latinorum damnationem ſollicitavit. Mortuo tamen Imperatore Michaele, *Baſilius*, qui ejus cæde ſibi Imperium firmaverat, *Photio* a Patriarchali Sede expulſo, *Ignatium* ab exilio revocavit. Aſt egregium facinus inconſtantiâ periit. Poſt obitum Ignatii *Photium* in priſtinam reſtituit dignitatem; ejus verò filius *Leo* ob eruditionem Philoſophus appellatus, cum patri in Imperium ſucceſſiſſet, ipſum Sede Bizantina iterum evertit, atque in ea *Stephanum* fratrem collocavit, Epiſcopos ab ipſo ejectos Eccleſiis reſtituit, Romanoque Pontifici tanquam Oecumenico ſe, ſuoſque per epiſtolas ſubjecit, ipſique uſque ad annum 1053. Conſtantinopolitana Eccleſia fideliter adhæſit.

Anno autem 1053. *Michael Cerularius*, qui anno 1043. Conſtantinopolitanus Patriarcha fuit inauguratus, ad decem annos occultatum virus, LEONE IX. Pontifice, *Conſtantino Monomacho* Orientis Imperatore, Occidentis verò *Henrico* II., in publicum effudit, atque Romanæ Eccleſiæ Primatum inficiari eſt auſus, ſeque Oecumenicum Patriarcham jactitare. Eouſque inſana temeritas efferbuit, ut Romanum Pontificem, Latinoſque omnes anathematiſare non ſit veritus, triplicem præcipuè inter alias anathematis adſtruens cauſam. Prima, quòd *Latini Spiritum Sanctum aſſererent a Filio procedere*; altera, quòd contra Statuta Nicæna Symbolo addiderint *ex Patre, Filioque procedit*: tertia, quòd in *Azimo conficiant Euchariſtiam*.

Cauſa Anathematis in Rom. Pontificem.

Sibi igitur Ortodoxo regimine perperam, nefarièque uſurpato, univerſalis etiam Patriarchæ nomen ſumpſit, quod jam pridem affectaverant ejus deceſſores. Eidem errori poſtmodum obſtinatè reliqui Orientis Patriarchæ adhæſerunt, & in Septentrione Moſcovitæ, Lituani, Ruſſi albi, & nigri, Iberi, ſeu Georgiani; quorum tamen aliquot Romanam Eccleſiam univerſalem agnoſcunt, & ſub CLEMENTE VIII. anno 1595. Archiepiſcopus *Michael* Metropolita Kiovienſis, Hlicienſis, & totius Ruſſiæ unâ èt ſeptem Epiſcopi Rutheni litteris ad *Clementem* datis, ſeſe vero Pontifici Maximo ſubdidere, & ad Romanam communionem unanimes acceſſerunt.

Sub Clemente VIII. Ruſſorum pluribus aliis ſe ſubdiderunt Rom. Pontifici.

Quater ſupra decies veritatem agnovit Græcia, ut teſtatur Horoſius *de Sacerdotum conjugio*, ac ter publicè confeſſa eſt, in Concilio

A vide-

videlicet Lateranenſi ſub INNOCENTIO III. anno 1215. In Lugdunenſi ſub GREGORIO X. 1274. In Florentino ſub EUGENIO IV. anno 1438., & ad Eccleſiæ Romanæ rediit unitatem. Totidem vicibus verò fidem Chriſti Vicario datam fregit in profundum Iniquitatis relapſa. Deus inconſtantiam ulciſcitur duriſſimâ Turcarum tyrannide; pari ſiquidem gradu, quo a Latinis receſſit, Mahumetanam barbariem incurrit. Præſtitum ubi ſolemnius in Lugdunenſi Concilio Apoſtolicæ Sedi obſequium ejuravit Græcia, Ipſam invadunt Turcæ: Bulgariam occupant, Adrianopolim, Galliopolim; & arctiſſimâ obſidione Bizantium ſtringunt, quam Bajazeto fugato, ſolvit *Tamerlanus* non ſine peculiari Supremi Numinis auxilio, quod ſincera *Manuelis Paleologi* in Romanum Hierarcham reverentia obtinuit.

Marcus Eugenius Epheſinus Metropolita a Bartholomæo Florentino in erudito certamine ſuperatus in febrim incidit, & contumax Ario infelicior ex ore, inferiuſque ſtercus emittendo obiit anno 1445.

Receſſit iterum pertæſa poenitentiæ ſuæ poſt initam coelo, terràque plaudentibus pacem in Florentina Synodo, obſecuta potiùs *Marci* unius *Epheſini* in Latinos odiis, & mendaciis, quibus Concilii unitatem inſimulavit, quàm Patrum utriuſque Orbis univerſorum ſuaſionibus, ac teſtimoniis. Sed tantam ferre diutiùs contumaciam noluit Deus; & quemadmodum Hieroſolymam, eo quòd peccaſſet in Chriſtum, perdidit, ſubjecitque Tributo Dominam gentium: haud aliter Conſtantinopolim, quod Chriſti Vicarium abjeciſſet, Turcis ad diripiendum tradidit. Anno 1453., ut legere eſt in *Geſtis Rom. Pontificum in Vita Nicolai V.* Mahumetes ſecundus tercentis millibus militum, & claſſe inſtructa Navibus 228., Triremibus 18., & quinquaginta biremibus, Urbem obſidere die 2. Aprilis coepit: die autem 29. Maji Spiritui Sancto ſacrâ, quem ex Patre, Filioque procedere negabat, ſeu biduo poſt octavam Pentecoſtes, ùt *Natali Alexandro* placet, miſerrimè expugnavit. Infandi ejus excidii dolorem calamus, animuſque refugit: omnia tamen Græcis ante triennium NICOLAUS Papa V. *Eugenii* Succeſſor prænunciaverat, illâ Evangelii adductâ parabolâ de ficu ſterili triennio excultâ, ac tandem a Domino ob ſterilitatem excidi juſſâ. Quinimmo centum ante annos CHRISTUS B. *Brigittæ* Hieroſolymia agenti ob crimen Schiſmatis, Græciæ exitium prædixerat.

A Nicolao V., & à D. Brigitta Græcorum calamitates enunciatæ.

Jugibus quidem deflenda lachrymis ea Græcorum clades; at longè miſerabilior cordis cæcitas, animique durities. Ille etenim populus acquiſitionis jam lumen non videt: ſub Mahumetico jugo tantùm abeſt, ut a malo reſipiſcat, quantò ſit obſtinatior in Schiſmate, irarum coeleſtium cauſam retorquens in Latinos, & in Romanum Pontificem, cui aliquando adhæſerit. Neque attendit, ſe propter fraudolentam fidem, tantiſque fatiſcentem ſciſſuris unionem coepiſſe Deum ex ore evomere, & tandem reprobare. Sed quia, teſte *Auguſtino* in Pſal. 54. *Illorum tantùm deſperanda eſt ſalus, contra quos habemus occultam luctam,* fortiter agendum eſt, ut lux in tenebris luceat. Scin utique tria eſſe, quæ Græcorum converſionem præcipuè impediunt. Primum ſuperba animi elatio ob præeminentiam Apoſtolicæ Prædicationis ipſis conceſſam, atque ob antiquum Patrum tum ſanctitate, tum doctrinâ illuſtrium ſplendorem. Secundum ignorantia; ibi enim triſte, ac perenne juſtitium litteris, ac ſcientiis indictum eſt: nullæ Academiæ, nulla humanarum, divinarumque rerum ſtudia; omnes diſciplinæ non collapſæ modò, ſed conſepultæ adeo, ut Eccleſiarum Præſules ea Monacis eligantur, & ſub anathemate interdictum ſit philoſophiæ operam dare. Tertium tandem eſt, quòd Sacrorum Codicum ſolent teſtimonia corrumpere, aut aliquid addere, vel demere, aut commentitios ſubrogare, ut falſa Patrum auctoritate ſuos fulciant errores. Pluries hæc ſapientum Epiſcoporum in Conciliis querimonia audita fuit, ac præſertim noviſſimis hiſce ſeculis, eam propalam a Latinis deſciſcere coeperunt. Hæc tamen a ſuſcepto inſtituto minimè non deterrent; enitendum eſt enim, ut ſuperbiam vincat humilitas, & caliginem ignorantiæ diſſipet veracioris doctrinæ lux.

Tria præcipui Græcorum converſionem impediunt.

TRA-

TRACTATUS PRIMUS.

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI.

DIſputationi de SPIRITUS SANCTI proceſſione primom locum damos; uamqoe in hoc præcipuus fuit Græcotum error, de quo pluries actum in Conciliis. Cùm verò Patres noſtri iu hoc refellendo pro virili iuſudaverinr, nos cotum imitati ſollicitudinem, primam hanc diſpotationem inſtituimus.

CONTROVERSIA I.

AN SPIRITUS SANCTUS SIT VERE' DEUS.

Greci non erraverunt circa Divinitatem Spiritus Sancti.

1 TAmetſi non deſuerint ex Conſtantinopolitauia Epiſcopis, qui Spiritui Sancto Divinitatem ſint iuficiati; nihilominus propriè loquendo, Græci circa hanc controverſiam non erraverunt. Juvat tamen ab ea exordiri, tom quia ſi Spiritua Sanctus non eſſet Deua, quærere ſupervacaneum eſſet, an à ſolo Patre, vel à Patre, & Filio procedat; tum quia plurima ab adverſariia afferuntur argumenta hujuſmodi difficultatem attingentia, quæ ſolutioue indigenr.

2 Plures eirca Spiritus Sancti Divinitarem erroneæ opiniones fuere, quarum aliquas dumtaxat delibem. HELCHESEITÆ apud S. *Epiphanium* delirantes Spiritum Sanctum effecere Chriſti Sororem, fæmineo eultu ſpectabilem, explere longitudinem ſex milliariorum, & latitudinem vigintiquatuor. ORIGENES apud *Hieronymum* Apologia ad *Ruffinum*, aſſeruit Spiritum Sanctum eſſe a Patre per Filium factum, otrioſque miuiſtrum, & inferiorem. ARIANI apud *Athanaſium* diſp. contra *Arium*, Spiritum Sanctum ereaturam creaturæ affirmant. MACEDONIUS apud *Baſilium* ep. 78. docuit Spiritom Sanctum puram creaturam nihil habere cum Patre, & Filio communo, perinde oſſe ac eorum adminiſtrum, ac ſamolum. Huic tanquam auctori, ac principi hæreſis ea triboitur; quam cæteroqui plures ſeqountur, ex antiquis *Aëtius*, *Eunomius*, *Marcellus*, *Photinus* &c.: ex neotericis *Calvinus* lib. 1. inſtit. cap. 13. §. 22. Spiritum Sanctum eſſe virtutem Dei; *Philippus Melanchton* in locis communibus, Spiritum Sanctum eſſe tantùm aliqoid Dei: *Theodorus Beza* confeſſione Gallicâ puncto primo art. 1. eſſe potentiam Patris, & Filii: *Michael Servetus* lib. 1. de Trinitate, energiam quandam Patris eſſe affirmautes; aliique plures; coutra quos

Macedonius Nicomed. Epiſc. deinde in Sedem Conſtantinopol. intruſus ab Arianis illius Eccleſiæ Epiſcopus eſt cōſtitutus Socr. lib. 2. cap. 9.

Hæretici antiqui, & moderni male ſentientes de Spiritu Sancto.

3 DICO. *Spiritus Sanctus verè eſt Deus, & Filio conſubſtantialis.* Probatur 1. ex Sacrà Scripturà, ex qua S. Thomas 4. contra Gentea cap. 17. viginti duo conficit argumenta, quæ ad tria eapiia ſummatim reducuntur.

EX PRIMO CAPITE ſic probatur. Non minus expreſsè Scriptura affirmat Spiritum Sanctum Deum, quàm affirmet Deum Patrem, & Filium. Certò de Fide ſuſtinetur Patrem, & Filium eſſe Deom; ergo qoia Scriptura expreſsè affirmat Spiritum Sanctum eſſe Deum, certò de fide ſuſtinendum eſt Spiritum Sanctum eſſe Deum. Major probatur Epiſt. 1. Jo: eap. 5. ver. 7. dicitur. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Ergo eâdem unitate Divinæ Naturæ gaudet Spiritos Sanctus cum Patre, & Filio: ergo eodem modo Scriptura affirmat Spiritum Sanctum Deum, ac Patrem, & Filium. Act. 5. habetor, *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri Te Spiritui Sancto. Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Eece quomodo Spiritus Sanctus vocatur Deus. Prima ad Corinth. 6. v. 19. *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt? Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Ecce Spiritus Sanctus, qui in uobis habitat, ſicut in Templo, Deus appellatur. Iſaiæ 6. v 9. habetur: *Dicit Dominus exercituum: vade, & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere*; quem loeum explicans *Paulus* Act. ult. v. 26. *Benè Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad Patres noſtros dicens: vade ad Populum iſtum, & dic ad eum, aure audietis, & non intelligetis.* Ubi *Paulus* Spiritum Sanctum vocat illum, quem Dominom exereituum Iſaias appellar. Deiude univerſaliter, qui locutua eſt per Prophetas, Deus dicitor; unde in Scripturis ſæpe reperitur. *Hæc dicit Dominus Deus*: & Loc. 1. ver. 68. Zacharias eanit: *Benedictus Dominus Deus . . . ſicut locutus eſt per os Sanctorum, qui a ſæculo ſunt, Prophetarum ejus.* Sed 2. Petri cap. 1. v. 21. Spiritus Sanctus eſt, qui locutus eſt per Prophetas: *Spiritu Sancto inſpirante locuti ſunt Sancti Dei homines*: ergo Spiritus Sanctus eſt Deos.

Spiritus Sanctus habet eandem naturæ unitatem cum Patre, & Filio.

4 *EX SECUNDO CAPITE* Catholica veritas oſtenditur. Ubi ſunt eædem proprietates, & operationes, ibi debet eſſe eadem natura. Sed eædem proprietates, & operationes, quas habet Pater, Spiritui Sancto a Scriptura tribuuntur; ergo habet eandem naturam cum Patre. Sed Patris natura eſt Divina; ergo èt Spiritus Sanctus. Probator miuor inductione. Immenſitas prædieatom proprium eſt Dei. Jeremiæ 23. v. 33. *Cœlum, & terram ego impleo.* Sed Spiritus Sanctus ubique eſt, & gauder immenſitate: Sapient. 1. v. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*: & Pſalm. 138. v. 7. *Quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam, ſi aſcendero in Cœlum tu illic es; ſi deſcendero in Infernum ades.* Ergo

Spiritus Sanctus cum Patre, & Filio habet eaſdem proprietates.

5 Secundò virtus mortuurum vivificativa eſt propria Dei; atque ideo illam affert Chriſtus cuutra Judæos ad ſuam Divinitatem probandam Joan. 5. v. 21. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat: ſic èt Filius, quos vult, vivificat.* Sed habet virtutem vivificativam ad Rom. 8. v. 11. *Si Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum a mortuis, habitat in vobis, vivificabit mortalia corpora veſtra per Spiritum Sanctum inhabitantem in vobis*: & Jo. 6. v. 64. *Spiritus eſt, qui vivificat.* Ergo

6 Tertiò virtus ſanctificativa eſt propria Dei Levit. 22. v. 32. *Ego Dominus, qui ſan-*

Virtus ſanctificativa eſt propria Dei

Ritiſo vos, & Pſ. 83. v 12. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Sed Spiritus Sanctus virtutem habet ſanctificativam cum Patre, Matth. ultimo v. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: 1. ad Cor. 6. v. 17. *Juſtificati eſtis in nomine Domini Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri*. Ad Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*: & ad Titum 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti* Ergo.

Cognitio ſecretorum, & futurorum eſt ſolius Dei propria.

7 Quarto. Cognitio ſecretorum, & futurorum prædictio ſolius Dei eſt: Daniel. 2. v. 28. *eſt Deus in Cœlo revelans myſteria*. Sed cognoſcere ſecreta, & revelare futura convenit etiam Spiritui Sancto: 1. ad Corinth. 2. v. 10. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*: & 14. *Spiritus loquitur myſteria*. Ergo.

8 Quinto. Virtus creativa ſolius Dei eſt. Sed Spiritui Sancto competit creare: Pſalm. 103. v. 30. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*: Job. 33. v. 4. *Spiritus Dei fecit me*. Judit. 16. v. 17. *Miſiſti Spiritum, & creata ſunt*: & Pſalm. 32. v. 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum*. Ergo.

9 DICES cum Macedonianis. Hæc omnia tribuit Scriptura Spiritui Sancto tanquam miniſtro Dei, non vero auctoritate, tanquam Deo.

Sed contra: 1. ad Corinth. 12. v. 6. dicitur: *Diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatus omnia in omnibus*. Deinde connumeratis pluribus donis Dei, ſubditur v. 11. *Hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus dividens ſingulis pro ut vult*. Ex quibus expreſsè habetur Spiritum Sanctum Deum eſſe, qui dividit dona ad libitum, & quomodo vult, ac per conſequens non ſe habet tanquam creatura miniſterialis.

10 *EX TERTIO* tandem *CAPITE* ſic. Spiritus Sanctus in Scriptura ponitur major Chriſto Homine; Ergo eſt Deus. *Probatur conſeq.* ex principiis Adverſariorum, qui ſolum Deum ponunt Chriſto Homine ſuperiorem. *Anteced. oſtenditur*. Chriſtus ùt Homo de Spiritu Sancto concipitur: Matth. 1. v. 20. *Quod in Ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*. Spiritu Sancto

Spiritus Sanctus in Scriptura ponitur Chriſto Homine ſuperior.

ſanctificatur: Luc. 4. verſ. 18. *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit me, evangelizare pauperibus, miſit me*. Spiritu Sancto operatur miracula. Matth. 12. v. 28. *Si autem ego in Spiritu Dei eiicio Dæmones*. Spiritu Sancto Cruci offertur, Hebræor. 9. v. 14. *Per Spiritum Sanctum obtulit ſemetipſum*. Hæc autem omnia, oſtendunt Spiritum Sanctum Chriſto Homine majorem; ſicuti Ariani concludebant Patrem maiorem Filio abſolutè; quia Filius ab eo dicitur miſſus, ſanctificatus, oblatus. Ergo.

Probatur veritas Catholica ex Conciliis.

11 *Probatur ſecundo* veritas Catholica ex Conciliis. Conſtantinopolitanum primum in Symbolum poſuit: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum*. Epheſinum parte 2. actione 1., acceptat verba Opuntinæ Civitatis Epiſcopi: *Credo in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*: Calcedonenſe tribus, aut quatuor locis Divinitatem Spiritus Sancti fatetur; & actione 2. admittit verba Symboli Conſtantinopolitani: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum*: & loco particulæ *vivificantem*, ponit *vivificatorem*. Conſtantinopolitanum ſecundum, ſeu quinta Synodus, expreſsè damnat Macedonii hæreſim; & actione 1., & 3. quatuor antecedentium Conciliorum fidem approbat. Conſtantinopolitanum tertium, ſeu ſexta Synodus plura pro Spiritus Sancti Divinitate affert teſtimonia, & ſub initio actionis primæ, epiſtolam recitat *Manſueti* Mediolanenſis Epiſcopi ad Imperatorem; ubi Anathema Macedonio pronunciatur, *qui Spiritum Sanctum*, inquit, *nec conſubſtantialem Deo Patri; ſed magis creaturam impulſu Satanæ auſus eſt prædicare*. Conſtantinopolitanum quartum, ſeu octava Synodus, tribus, aut quatuor actionibus veritatem iſtam fatetur; & actione 3. legitur epiſtola ad Nicolaum Papam, quæ ſic incipit: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unius, & ſolius, & veri Dei*. Plura omitto Provincialia Concilia; nam Generalia abundè ſufficiunt.

12 *Probatur tertio* ex Patrum auctoritate. S. Athanaſius lib. ad Serapionem de Spiritu Sancto. *Si Spiritus creatura eſt, non efficeretur per eum conſociatio Dei in nobis*. S. Baſilius Ep. 80. ad Euſtathium Medicum: *Dominus tradens ſalutarem Fidem his, qui doctrinà erudiebantur, Patri, & Filio conjungit Spiritum Sanctum. Quod verò ſemel conjunctum eſt, per omnia dicimus conjunctionem habere. Non enim quod in aliquo collocatum eſt, in aliis ſeparatur, ſed in vivifica poteſtate .... & in multis aliis velut in notione ſecundum bonitatem, & ſanctitatem, & æternitatem, ſapientiam, rectitudinem, principalitatem, potentiam*. S. Fulgentius in reſponſione ad inquiſitiones Ferrandi: *Iſtam quippe plenitudinem cognitionis ſola poſſidet unitas naturalis, per quam ſic eſt in Deo Spiritus ejus, ut unus ſit cum illo naturaliter Deus*. S. Gregorius Nazianzenus Oratione 37. *Si Spiritus adorandus non eſt, quomodo me Deum per Baptiſmum efficit? Si autem adorandus, an non colendus, an non venerandus? ſi porro venerandus, an non Deus?* S. Cyrillus in Theſauro lib. 3. cap. 2. ad illud Joan. *In hoc cognoſcimus, quia in ipſo manemus, & ipſe in nobis, quia de Spiritu ſuo dedit nobis*: ſubdit: *Si ergo Spiritu Sancto inhabitante in nobis, Deus eſt, qui inhabitat, quomodo Spiritus non erit Deus?* Eadem veritas clarè conſtat ex Liturgiis. S. *Jacobus* Domini Frater ſub initio ſuæ Liturgiæ appellat Spiritum Sanctum Conſubſtantialem, & infra cum Patre, & Filio ſimul aſſidentem, regnantem, & coæternum aſſerit. S. *Marcus* in ſua Liturgia poſt verba *hoc facite*, vocat Spiritum Sanctum Conſubſtantialem Deo. S. *Martialis* Chriſti, & Apoſtolorum diſcipulus, ad Burdegalenſes habet: *Idem Deus Spiritus Sanctus, in quo omnia ſubſiſtunt*. D. Auguſtinus lib. 5. contra Maximianum Arianum cap. 3. *Objicis mihi*, inquit, *quod dicam Spiritum Sanctum æqualem eſſe Filio, dico plenè; da mihi, inquis, teſtimonium, ubi adoratus Spiritus Sanctus .... Quales homines eſtis, quam Religioſæ humilitatis, qui Spiritum Sanctum adorare non vultis, cum legatis: Littera occidit: Spiritus autem vivificat? Non vultis ergo adorare, quem vivificare animas non negatis?* Plura reſtant Patrum teſtimonia; ſed dicta ſufficiant.

Probatur ex Liturgiis.

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

PLura objiciunt Macedoniani , Ariani , Semiariani contra Spiritus Sancti Divinitatem ; ſed ad ſequentia reducuntur communiora ab auctoritate deſumpta , quæ a ratione in ſequentibus adducemus .

Spiritus Sanctus per Hæreticos nunquam in Scriptura vocatur Deus .

13 OBJICIUNT 1. Spiritus Sanctus nuſquam in Sacrà Scripturà vocatur Deus ; ergo eſt creatura . Confirmatur . Si Spiritus Sanctus eſſet Deus , Scriptura Sacra in iis , quæ ſunt Divinitatis , Patri , & Filio aſſociaret ; ſed non facit : ergo .

Prob. min. Matth. 11. verſ. 27. dicitur : *Nemo novit Filium niſi Pater , neque Patrem quis novit , niſi Filius* . Sed hic nulla fit mentio Spiritus Sancti ; immo ponitur particula *niſi* excluſiva : Joan. 17. v. 3. dicitur : *Hæc eſt vita æterna , ut cognoſcant te ſolum Deum verum , & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* ; ubi nulla fit mentio Spiritus Sancti , & ponitur particula excluſiva *ſolum* : ad Rom. 1. v. 7. *Gratia vobis , & pax a Deo Patre noſtro , & Domino Jeſu Chriſto* : 1. ad Corinth. 8. ver. 6. *Nobis unus Deus Pater , ex quo omnia . Nos in illum & unus Dominus Jeſus Chriſtus , per quem omnia , & nos per Jeſum* : ubi nihil de Spiritu Sancto : ergo .

Ariani abraſerunt a Sacro Codice Spiritus eſt Deus .

Reſpondeo primo . Plura loca ſupra dedimus , in quibus de Spiritus Sancti Divinitate fit mentio ; quibus addo cum D. *Ambroſio* lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 1. illud Jo. 4. v. 24. *Spiritus eſt Deus* : Quod verbum abraſerunt Ariani a Sacro Codice , ne cogerentur fateri in Sacris literis de Spiritus Sancti Divinitate expreſſam fieri mentionem . Deinde *ex iis , quæ legimus aliqua etiam , quæ non legimus intelligimus* ; ut habet D. *Auguſtinus* ad Maximianum . Addit *Nazianzenus* Oratione 37 ſupralaudata : *Habebat quædam Salvator , quæ a Diſcipulis , licèt alioqui multiplici doctrinà implerentur , tunc tamen portari poſſe negabant . Ac rurſus dicebat fore , ut ab adveniente Spiritu omnino edocerentur . Ego unum ex eorum numero eſſe cenſeo ipſum Spiritus Sancti Deitatem in poſterum apertius declarandam* . Admiſſo igitur , quod nullibi adſit expreſſa mentio Divinitatis Spiritus Sancti ; nihil tamen concludit argumentum .

Non eſt neceſſe , ut Scriptura ubique faciat mentionem de Spiritu Divinitate Sancto .

Ad confirmationem *reſpondeo* negando conſequentiam . Non enim eſt neceſſe , ubique Sacra Scriptura mentionem facere vel Divinitatis Spiritus Sancti , vel ſimultatis cum Patre , & Filio . Sufficit enim alicubi , & identidem exprimi , ut Matth. 28. v. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti* . Quod ſi hoc genus argumentorum valeret , probaret , quod nec Pater , nec Filius eſſet Deus . Non Pater ; nam ad Galatas 3. v. 27. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis , Chriſtum induiſtis* , ubi nulla fit mentio Patris . Non Filius ; quia ſæpè nominatur Pater ſine Filio , ùt *Iſaja* cap. 45. *Aggæi* cap. 3. 1. ad Corinth. 2. v. 11. nominatur Spiritus Sanctus non expreſſo Filii nomine : *Quæ ſunt Dei , nemo novit niſi Spiritus Dei* . Sic D. *Athanaſius* ad Serap. , nec particulæ illæ *niſi* , *ſolùm* ſunt excluſivè , ſed potiùs incluſivè , ut advertunt Patres ſuperiùs citati ; quia cum tres Perſonæ ſint unum unitate naturæ , ubi una nominatur : reliquæ ſubintelliguntur ; & maximè ſtante correlatione inter ipſos . Locis verò notatis in confirmatione , ideo expreſſiùs Filius nominatur ; quia intenditur Chriſti Nominis glorificatio , prædicatio , & ejuſdem Fidei promulgatio .

Alicubi in Scriptura expreſſius Filius nominatur ; quia intenditur Chriſti Nominis glorificatio .

14 OBJICIUNT ſecundo . Quod eſt Deo inferius , non eſt Deus . Sed Spiritus Sanctus eſt Deo inferior ; ergo non eſt Deus . Minor probatur : ad Rom. 8. v. 26. *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* . Sed qui poſtulat ingemiſcens , eſt inferior eo , a quo poſtulat . Ergo . Rurſus ad Galat. 4. v. 6. *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem Abba (Pater)* . Si ergo Spiritus clamat ad Patrem , eſt eò inferior .

Quomodo Spiritus Sanctus gemitibus interpellat pro nobis.

Reſpondent aliqui textum loqui de Gratia , & Charitate , quæ in Juſtis reſidet , ratione cujus poſtulant , & clamant ad Patrem . Verùm hæc ſolutio non eſt admittenda ; etenim textus loquitur de Spiritu inhabitante , *Spiritus Dei habitat in vobis* . *Inhabitantem Spiritum ejus in vobis* &c. Ulterius interpellare proprium eſt Perſonæ intellectualis , & ſubſiſtentis ; Charitas verò non eſt Perſona intellectualis ſubſiſtens .

Reſpondeo ergo cum *Auguſtino* lib. 1. contra Maximianum ſub initio , & alibi : *Sic dictum eſt , gemitibus interpellat , ut intelligeremus : gemitibus interpellare nos facit* : & Ep. 121. *dictum eſt , interpellat pro Sanctis ; quia interpellare facit Sanctos* . Quæ ſolutio clarè deducitur ex textu . Prius enim dicitur , *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram : Spiritu Dei aguntur* : ut intelligeremus a Spiritu nos moveri , & adjuvari ad poſtulandum , & clamandum . Et ad Rom. 8. verſ. 15. dicitur . *Accepiſtis Spiritum adoptionis Filiorum , in quo clamamus . Abba (Pater)* quod eſt idem , quod dicitur ad Galatas : *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem . Abba Pater* .

DICES . Si Spiritus Sanctus poſtulat ; quia poſtulare nos fecit , idem dicendum eſt de Patre , qui pariter poſtulare nos facit ; Sed hoc non admittitur ; ergo non in eo ſenſu poſtulat Spiritus ; quia poſtulare nos faciat .

Quare Pater Æternus non dicitur poſtulare .

Reſpondeo . Quamvis *poſtulare* ſignificet effectum , quem etiam Pater , immo tota Trinitas in nobis operatur . Non dicitur tamen poſtulare Pater ; quia ſimiles locutiones ſignificant , quod accipiat ab alio , ut faciat homines poſtulare . Sicuti Pater non dicitur mitti , quamvis operatio , ad quam aliqua Perſona mittitur , puta ſanctificatio hominis , fit a tota Trinitate ; etenim *mitti* reſpicit alterum , a quo aliquid recipiat . Idem dicitur de poſtulatione , quæ non convenit Patri , cum nihil ab alio recipiat .

15 OBJICIUNT tertiò . Qui alieno ſubditur imperio , non eſt Deus . Spiritus Sanctus alieno imperio ſubditur ; ergo non eſt Deus . *Prob. min.* Jo. 16. v. 13. *Non enim loquitur a ſemetipſo ; ſed quæcunque audiet , loquetur* . Sed qui ſolùm audita loquitur , non eſt ſui juris , ſed alieni . Ergo . Rurſus . 1. ad Corint. 2. v. 10. dicitur Spiritus *ſcrutari profunda* ; ſcrutari autem arguit ignorantiam , ſicuti afflictio arguit imperfectionem , quæ Deo non convenit ; attamen Apoſtolus ad Epheſ. 4. v. 30. inquit : *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei* : & Iſajæ 63. v. 10. *& afflixerunt Spiritum Sancti ejus* . Ergo .

RESP.

S. Baſil. lib. 5. in Eunomium Spiritus Sanctus ex propriis non loquitur, quia totum habet a Patre.

RESP. *neg. min.* Ex cujus probatione S. *Baſilius* lib. 5. in Eunomium colligit Spiritum Sanctum creaturam non eſſe; ſiquidem creatura rationalis aliquando a ſe ipſa loqui poteſt mendacium juxta illud Joan. 8. v. 44. de diabolo dicitur: *Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur*. Dicitur ergo a ſemetipſo non loqui; quia quidquid habet Spiritus Sanctus; habet a Patre per æternam proceſſionem. Sic idem *Baſilius*; quinimmo egregiè D. *Auguſtinus* tract. 99. in Joan. *Non ergo loquetur a ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur. Ab illo audiet, a quo procedit. Audire illi ſcire eſt: ſcire verò eſſe. Quia ergo non eſt a ſemetipſo, ſed ab alio procedit, a quo illi eſt eſſentia, ab illo ſcientia, ab illo igitur audientia, quod nihil eſt aliud, quàm ſcientia.* Reſpond. ſecundo ex D. *Ambroſio* lib. de Spiritu Sancto cap. 12. *Ubi unitas Spiritus, ibi Dei virtus, nec poteſt eſſe diſcretio, ubi opus unum eſt; & idem quod loquitur Filius, loquitur Pater, & quod Pater loquitur, loquitur & Filius, & quod loquitur Pater, & Filius, loquitur & Spiritus Sanctus: Unde & de Spiritu Filius Dei dicit. Non enim loquetur a ſe, hoc eſt non ſine mea, & Patris communione. Neque enim diviſus, ac ſeparatus eſt Spiritus, ſed quæ audit loquitur; audit videlicet per unitatem ſubſtantiæ, & per proprietatem ſcientiæ.*

Æternitas totum tempus complectitur.

DICES contra primam reſponſionem: textus loquitur in futuro, *accipiet*. Ergo non loquitur de proceſſione æterna. *Reſpond.* cum æternitas totum tempus complectatur, ipſi verba cujuslibet temporis adaptari poſſe. S. Thom. 4. cont. gent. c. 23. ad 2.

Omnia corda ſcrutatur Deus, quod creaturæ non convenit.

Secundus textus ſuperius adductus nihil evincit; ſiquidem, ut habet *Epiphanius* in Ancorato; etiam Deus dicitur ſcrutari: Paralipom. 28 lib. 1. verſ. 9. *Omnia corda ſcrutatur Deus*. Pſalm. 7. v. 10. *Scrutans corda, & renes Deus*; & tamen non eſt ignorans, nec ei negatur Divinitas. Undè *Ambroſius* lib. 2. de Spiritu Sancto cap. XI. *Similiter ergo Scrutator eſt Spiritus Sanctus ut Pater, ſimiliter Scrutator ut Filius, cujus proprietate ſermonis id exprimitur, ne videantur nihil eſſe, quod neſciant, quem nihil præterit. Scrutari* ergo ſumitur pro *cognoſcere*, & *penetrare*. Adde: *Paulus* ait Spiritum Sanctum non utcunque ſcrutari, ſed *ſcrutari profunda Dei*. Nulla verò creatura ſcrutatur profunda Dei. Ad ultimum textum, DICO cum D. Th. loco cit. ad 7. ea intelligi oportere de Spiritu Sancto per ſimilitudinem effectus creati; deſerit enim peccatores, ſicuti contriſtati deſerunt contriſtantes: & Pſal. 105. verſ. 40. *Iratus eſt furore Dominus in populum ſuum*. Dicitur namque iratus per ſimilitudinem effectus; quia punit: quod etiam irati faciunt.

16 OBJICIUNT quartò. Quod eſt factum, non eſt Deus. Sed Spiritus Sanctus eſt factus: ergo. *Prob. min.* Jo. 1. v. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Sed inter omnia continetur etiam Spiritus Sanctus. Ergo. *Confirmatur*, quod ab alio mittitur, eſt illo inferior; ſed Spiritus Sanctus a Deo mittitur: Jo. 14. v. 26. *Paraclytus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*. Ergo. *Confirm.* ſecundò. Omne, quod movetur, creatura eſt. Sed Spiritus Sanctus movetur. Gen. 1. v. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Ergo. *Confirm.* tertiò. Qui loquitur per Prophetas eſt Spiritus Sanctus. Sed qui loquitur per Prophetas eſt creatura. Ergo &c. *Minor oſtenditur* ex Zachar. 4. v. 5. *reſpondit Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me*. Sed Angelus eſt creatura. Ergo.

Spiritus Sanctus non eſt factus.

RESPOND. *nego min.* Nec inducta auctoritas aliquid evincit; intelligitur enim de his, quæ facta ſunt, ut explicat *Nazianzenus* Orat. 5. de Theologia: Spiritus verò Sanctus, non eſt factus, ideo non continetur in illa particula *Omnia*, ſicuti non continetur Pater, de quo idem argumentum retorqueri poſſet. Ad primam confirm. *negatur*, quod miſſio arguat inferioritatem, cum ſolùm prioritatem originis deſignet; ſicuti patet in Verbo, quod miſſum a Patre dicitur, quin inferius credatur. Ad ſecundam *negat. min.* Quia per Spiritum ibi intelligitur aer, qui habet naturalem locum ſuper aquas. Si autem velimus intelligere talem locum de Spiritu Sancto, ea locutio eſt metaphorica, & per ſimilitudinem: ſicut illa Gen. 18. v. 21. *Deſcendam, & videbo, utrum clamorem opere compleverint*. Ad tertiam *conc. majorem* intellectam de loquente principaliter: & *neg. min.* Ad probationem, DICO cum Athanaſio ad Serapionem, verè Angelum fuiſſe, qui locutus eſt Zachariæ: paſſim habemus divinas locutiones per Angelos ad homines delatas; & tunc locutio illa principaliter eſt a Spiritu Sancto miniſterialiter ab Angelo.

Per Spiritum intelligitur aliquando aer.

DICES. Locutio illa non erat ad Zachariam, ſed in Zacharia; ergo non erat Angelus. Nullum enim habemus exemplum in Sacro Codice, quod Angelus bonus in hominem intraverit. Sed contra: ergo neque fuit alia creatura, cum ibi non fiat mentio niſi de Angelo. Igitur tenendum, Angelum fuiſſe. Nec abſurdè dixeris Angelum in Zacharia locutum (nec quæro alia in Scripturis exempla) ſicut Angelus malus in obſeſſis loquitur.

17 OBJICIUNT 5. D. *Baſilius*, & *Nazianzenus* Spiritui Sancto Divinitatem negant. Ergo. *Probatur ant.* D. Baſilius Homil. 17. in Baptiſma. *Neque alienus eſt a gloria Dei Spiritus, ex ineffabili ore ineffabiliter prolatus, neque ipſe Deus eſt, ſed Dei Spiritus, & apud Deum, qui & a Deo mittitur, & per Filium nobis ſuppeditatur*. Nazianzen. lib. 5. de Theol. circa initium: *At verò noſtri Sapientes, partim vim quandam, & facultatem Ipſum exiſtimarunt, partim creaturam, partim Deum* &c. Ergo.

Baſilius in editione Pariſienſi apud Michaelem Sonnium Homil. 17. in S. Baptiſ.

RESP. *Baſilium*, & *Nazianzenum* acerrimos fuiſſe propugnatores Divinitatis Spiritus Sancti, ut mox vidimus. Quando igitur *Baſilius* negat Spiritum eſſe Deum, loquitur de virtute, & dono creato Spiritus Sancti, ſcilicet de Gratia, & Charitate, quæ animabus juſtis infunditur, ſub quibus donis dicitur ad extrà, ſeu viſibiliter mitti. *Nazianzenus* verò refert aliquorum Neophitorum ſenſum in Sacra Scriptura modicè verſatorum; vocat autem eos ſapientes ironico quodam modo, qui ob perfunctoriam quandam Scripturæ notitiam tumidi ſe magiſtros crederent. Cæterùm loquens de veris ſapientibus habet *Baſilius* lib. 2. contra Eunomium circa finem: *Ex quo prædicatio veritatis denunciatur neminem in hodiernum uſque diem*

Baſilius, & Nazianzen. acerrimi Divinitatis Propugnatores.

dem audivimus , qui Spiritum Sanctum creaturam appellaſſet . Hine redarguitur audax dictum Eraſmi in Præfatione ad lib. Hilarii : *Audemus Spiritum Sanctum nominare Deum , quod veteres auſi non ſunt* .

CONTROVERSIA II.

AN SPIRITUS SANCTUS SIT PERSONA SUBSISTENS .

Macedoniani docent Spiritum Sanctum non eſſe ſubſiſtentē Perſonam . Abailardus mundi animam . Ferellus motum quemdā creatum . Blandrata Patris virtutem . Somerus occultam Dei virtutem Spiritū Sanctum aſſeruerunt .

QUidam ex Macedonianis apud D. *Thom.* 4. contra Gent. e. 18. docuerunt Spiritum Sanctum non eſſe Perſonam ſubſiſtentem, ſed accidentalem perfectionem mentis a Deo donatam . Cui ſenteutiæ addidit *Abailardus* (ut refert D. *Bernardus* in epiſtola quadam ab Innocentium Papam , quæ eſt ordine 190.) eſſe mundi auimam . *Guillelmus* , *Ferellus* motum quemdam eſſe in rebus creatum Spiritum Sanctum affirmat . Sie *Petrus Carolus* in ſummà gallicà : *Blandrata* in diſp. Albana negans eſſe Perſonam , ipſum Patris virtotem dicit . *Joannes Somerus Pirneaſis* ſubſiſteutem rejicit , occultamque Dei virtutem eſſe contendit . Alios plures ex Modernis Pneumatomachos miſſos facio .

Sicuti ſubſiſtentes Perſonæ ſunt Pater, & Filius , ſic & Spiritus Sanctus .

18 DICO . Spiritus Sanctus non eſt accidentalis aliqoa Perfectio , ſed Perſona ſubſiſtens ; breviter oſtenditur ex dictis . Pater , & Filius ſunt Perſonæ ſubſiſtentes . Sed Spiritus Sanctus cum Patre , & Filio connumeratur ; ergo eſt Perſona ſubſiſteus . Niſi enim eſſet Perſona ſubſiſtens , inter Perſonas ſubſiſtentes connumerari uon poſſet . *Minor habetur* prima Jo: 5. v. 7. *Tres ſunt , qui dant teſtimonium in Cœlo , Pater , Verbum , & Spiritus Sanctus , & hi tres unum ſunt* : Matth. e. 28. v. 19 *Doceta omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti* . Ergo .

Spiritus Sanctus non eſt eſſentia Patris, & Filii.

Nee dicas his locis ſolùm colligi Spiritum Sanctum Patris , & Filii eſſentiam eſſe , non verò Perſonam ab otroque diſtinctam ; repugnat namque Scripturæ aperiè docenti a Patre procedere , & a Filio , ot Jo: 15. v. 26. *Spiritum veritatis , qui a Patre procedit* ; & infra clarius patebit . Eſſentia autem nec a Patre , nec a Filio procedit , ſed Perſona ab utroqoe diſtincta .

Quæ ſunt propria ſubſiſtentium Spiritui Sancto tribuuntur .

19 CONFIRM. PRIMO . Quæ in Scriptura Spiritui Sancto tribuuntur , omnino ſubſiſtentis propria ſunt ; ergo Spiritus Sanctus eſt Perſona ſubſiſtens : *Anteced. prob.* 1. ad Corinth. 2. verſ. 10. *Spiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei* . Act. 15. v. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto , & nobis nihil ultrà imponere vobis oneris* . Ibid. 13. v. 2. *Dixit illi Spiritus Sanctus ſegregate mihi Barnabam , & Saulum ad opus , ad quod aſſumſi eos* . Sed hæ aliæque id genus locutiones nou niſi de ſubſiſtentibus admitti poſſunt . Ergo .

Operari ex arbitrio propriæ voluntatis, eſt proprium Perſonæ ſubſiſtentis .

20 CONFIRM. SECUNDO . Quod ex ſuæ voluntaria arbitrio operator , non eſt accidentalis perfectio , ſed ſubſiſtens Perſona ; atqui Spiritus Sanctus ex arbitrio ſuæ voluntatis operatur juxta illud prim. ad Cor. 12. v. 11. *Hæc omnia operatur unus , atque idem Spiritus dividens ſingulis prout vult* ; & Jo. 3. v. 6. *Spiritus ubi vult , ſpirat* . Ergo.

Perfectiones humanæ mentis nobis a Spiritu Sancto donantur.

21 CONFIRM. TERTIO . Cauſa omnium A aceidentalium perfectionum humanæ mentis eſſe uequit mentis perfectio aceidentalis . Sed Spiritus Sanctus omnium perfectionum humanæ mentis cauſa eſt . Ergo . *Prob. min.* 1. ad Corinth. 12. verſ. 8. , & ſeq. Omnia mentis dona nobis a Spiritu Sancto donari aſſerit Apoſtolus : *Alii quidem per Spiritum datur ſermo Sapientiæ : alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum , alteri Fides in eodem Spiritu* &c.

Spiritus Sanctus non eſt mundi anima.

22 *Probatur ſecundo* ſpecialiter contra *Abailardum* . Si Spiritus Sanctus eſſet mundi anima , eſſet mundi limitibus incluſus , circumſcriptus , atque definitus : ſicut anima noB ſtra in corpore ineluditur , circumſcribitur , & definitur . Sed hoc repugnat Divinitati , quam Spiritui Sancto in ſuperiori Controverſia convenire oſtendimus . Ergo .

HÆRETICORUM ARGUMENTA SOLVUNTUR .

Spiritus Sanctus non eſt ſubſtantialiter multiplicabilis , diviſibilis &c.

23 OBJICIES PRIMO . Nihil multiplicabile , aut diviſibile eſt Perſona ſubſiſtens . Sed Spiritus Sanctus eſt multiplieabilis , & diviſibilis . Ergo non eſt Perſoua ſubſiſteus . *Minor habetur* tum 4. Reg. 2. verſ. 5. *Obſecro , ut fiat in me duplex Spiritus* C *tuus* : ſie *Eliſaus* ad Eliam , cui iſte reſpondit : *Si videris me , quando tollar a te , erit tibi , quod petiſti* : tum Num. 11. verſ. 16. Ubi ad Moyſen loquitur Deus: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael , & auferam de Spiritu tuo , tradamque eis* . Ergo .

RESP. *nego min.* , nec probatio urget ; qoia eitati textus non loqountur de Spiritus Sancti ſubſtantia , ſed de effectibus , qoos in nobis operatur : iſti multiplicari , augeri , auferri , dividi poſſunt : & ſicut gratia ſanctifieans , quæ eſt partieipatio divinæ naturæ , multiplicatur , augetur , quin natura divina multiplieetur , & augeatur ; ſic effectus SpiriD tus Sancti augeri , & multiplicari poſſunt , quin ipſe Spiritus ſubſtantialiter multiplieetur , & augeatur . *Notandum* tamen eſt : Spiritus ſecundum ſuum effectum , non dieitur dividi , aut multiplicari &c. ad hunc ſenſum , quod idem nomero , quod uni datur , alteri vel ſecundum partem , vel ſecundum totum concedatur , ſed ſolùm , quod conſimiles effectus in uno producantur , ae in alio . Quare non partem Spiritus Moyſis ſeptuagiuta viris dedit , uec eundem individualem Eliæ ſpiritum Eliſæo duplicare voluit , ſed de conſimilibus donis divinæ locutionea procedunt .

24 OBJIC. SECUNDO . Si Spiritus E Sanctus eſſet ſubſiſtens Perſona , voluntati humanæ non ſubjiceretur modo, quo ſcientia ſubjicitur ; ſed ita ſubjicitur . Ergo . *Minor oſtenditur* . 1. ad Cor. 14. v. 32. *Spiritus Prophetarum ſubjecti Prophetis* . Sed Spiritus Prophetarum eſt Spiritus Sanctus . Ergo .

Spiritus Prophetiæ non ſubjicitur abſolutè hominibus, ſed ſolū quo ad examen, & probationem .

RESP. *neg. min.* Quia mens D. *Pauli* nou eſt Spiritum Sanctum ſubdi hominibus , ſed doctrinam Prophetarum eſſe dijudicandam ab aliis Prophetis , vera ne ſit , an falſa . Multi namque propheiant , ideſt docent in nomine Chriſti , & tamen pſeudoprophetæ ſunt . Quare non omnis doctrina eſt abſolutè admittenda ,

prius

prius probanda, atque examinanda, ut habetur 1. Joan. 4. v. 1. *Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, an ex Deo ſint*. Hoc igitur modo Spiritus prophetiæ ſubditur Prophetis, quod in ſupradicto capite notavit idem Apoſtolus v. 29. *Prophetæ duo, vel tres dicant, & alii dijudicent*.

Spiritus Sanctus dicitur in Scripturis aliquid Dei.

25 OBJIC. TERTIO. Frequenter in Scripturis Spiritus Sanctus non dicitur abſolutè Deus, ſed ſolùm aliquid Dei; ergo non eſt niſi accidentalis quædam perfectio a Deo deſcendens. *Antec. habetur* iis locis omnibus, ubi appellatur non abſolutè Spiritus, ſed connotativè Spiritus Dei: & in Joele cap. 2. v. 28. *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem*. Inſuper 2. ad Cor. 1. v. 5. dicitur *Pignus*. Pignus autem eſt dumtaxat aliqua pars pretii.

RESP. *neg. ant.*, nec probationes quicquam evincunt. Non prima; quia etiam Verbum pluries dicitur Filius Dei, quin arguatur non eſſe Perſonam ſubſiſtentem. Si attendamus igitur Scripturas, idem eſt Spiritus Sanctus, & Spiritus Dei. Matth. 10. v. 20. dicit Dominus: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Hinc Marci 13. verſ. 11. *Non enim vos eſtis loquentes, ſed Spiritus Sanctus*; & clarius 1. Corinth. 2. v. 10. *Nobis revelavit Deus per Spiritum Sanctum: Spiritus enim ſcrutatur omnia*: Inde v. 11. *Ita, & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei*. Si ergo Spiritus Sanctus eſt Perſona ſubſiſtens, & aliundè idem eſt Spiritus Sanctus, ac Spiritus Dei, apertè conſtat, quod non ſit accidentalis Dei perfectio a Deo deſcendens, ſed verè, & propriè Perſona ſubſiſtens. Secunda probatio ex *Joele* explicatur a D. *Thoma* de miſſione Spiritus Sancti a Patre hominibus facta per dona gratiæ effundendo Chariſmatum abundantiam. Quinimmò non ſolùm eſt ſenſus, quod aliquid ſui Spiritus effundat in homines per Chariſmatum dona, ſed quod totam ſubſtantiam Sancti Spiritus juſtis donet, dum gratiam, & charitatem largitur. Ubi enim Charitas eſt, ibi Deus eſt juxta illud: *Deus Charitas eſt, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: & alibi: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; quæ omnia ſpecialiter de Spiritu Sancto dicuntur; cum gratia, & Charitas ipſi peculiariter attribuantur.

Idem eſt Spiritus Sanctus, & Spiritus Dei.

Ad tertiam probationem *reſpondet Athanaſius* lib. de communi eſſentia Trinitatis, quod licet pignus eſſet tantum pars pretii; non tamen evincitur Spiritum Sanctum eſſe formam accidentalem, cum etiam Deus pars in Scripturis vocetur. Pſalm. 15. v. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ*; nec tamen dicitur forma accidentalis. S. *Paſchaſius* verò in libris de Spiritu Sancto attendens Spiritum Sanctum pignus vocari probè colligit Deum eſſe; quia pignus ſolet eſſe ſaltem æquale dato; cum igitur Spiritus Sanctus aſſeritur pignus Dei, erit Deo æqualis; ſed de hoc clarius infrà.

Spiritus Sanctus cum ſit Pignus Dei, eſt Deus.

26 OBJIC. QUARTO. Spiritus Sanctus comparatur rebus, quæ non ſunt ſubſiſtentes; ergo non eſt Perſona ſubſiſtens: *ant. prob.* Joan. 3. v. 5. comparatur aquæ. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum*; & Luc. 11. v. 20. comparatur digito: *Si in digito Dei Dæmonia ejicio*. Conſtat autem nec aquam eſſe perſonam, nec digitum.

Spiritus Sanctus eſt digitus Dei.

RESP. perperam ab Hæreticis iſtæ ſimilitudines exponuntur, cum potius per ipſas in cognitionem Divinitatis Spiritus Sancti deveniamus. Undè ad primum *reſpondet Paſchaſius* lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 5. ſenſum eſſe, regenerationem ſpiritualem non haberi, niſi per aquam virtute Spiritus Sancti ſanctificatam, & elevatam, ex qua arguitur Spiritum Sanctum Deum eſſe. Si enim habet virtutem ſanctificandi aquam in ordine ad ſpiritualem generationem, quæ aquæ vires excedit, pernecеſſariò eſt Deus, cum ſanctificare principaliter ſolius Dei proprium ſit; ſi autem eſt Deus, eſt Perſona ſubſiſtens. Ad ſecundam idem *Paſchaſius reſpondet* lib. 1. cap. 7., quod ex allato textu contrarium deducitur. Si enim digitus Dei eſt, Deus eſt; nihil enim eſt in Deo, quod non ſit Deus; & cum ſit in Deo per modum procedentis, debet eſſe ſubſiſtens Perſona.

Spiritus Sanctus ſanctificat aquam in ordine ad ſpiritualem generationem.

27 OBJIC. QUINTO validiùs. In Scriptura Sacra, in Eccleſiæ Hymnis, & apud Sanctos Patres, Spiritus Sanctus vocatur donum Dei; ſed donum Dei non eſt niſi perfectio quædam accidentalis humanæ mentis, quæ enim in ordine ſpirituali a Deo nobis donantur, qualitates ſunt, ùt gratia, charitas, & ſimilia; ergo etiam Spiritus Sanctus, qui eſt donum Dei, non erit Perſona ſubſiſtens, ſed quædam qualitas ſupernaturalis, ſeu accidentalis perfectio.

Reſp. huic argumento ex D. *Auguſtino* lib. 15. de Civit. Dei cap. 15. S. *Thomas* 1. par. quæſt. 38. art. 1. ſed contra. *Sicut corpus carnis nihil aliud eſt, quam caro: ſic donum Spiritus Sancti nihil aliud eſt, quam Spiritus Sanctus*. Sed Spiritus Sanctus eſt nomen perſonale; ergo & donum Dei. Deinde in reſponſione ad primum, *reſpond.* donum Dei poteſt ſumi dupliciter, & ſubſtantialiter, & accidentaliter. Si donum Dei ſumatur ſubſtantialiter, tunc non diſtinguitur a Spiritu Sancto, ſed eſt ipſemet Spiritus Sanctus, ut docet D. Th. 1. p. q. 38. art. 1. *Sic donum Spiritus Sancti nihil aliud eſt, quam Spiritus Sanctus*. Si ſumatur accidentaliter, tunc non eſt niſi aliquid creatum, & eſt aliqua perfectio accidentalis humanæ mentis. Spiritus Sanctus igitur utroque modo dicitur donum Dei, primo modo ſubſtantivè, & ſic eſt perſona ſubſiſtens. Si ſecundo modo, eſt quid accidentale, ſed non deſtruit Catholicam veritatem. *Secundo reſpondetur* ex eodem D. Th. loco citato tripliciter poteſt aliquid habere rationem doni, & alteri donari. *Primò* per identitatem, quomodo quis ſe ipſum alteri donat. *Secundò*, ut poſſeſſio, quo pacto ſervus dicitur eſſe Domini. *Tertiò* per originem, quo modo filius dicitur eſſe patris. Si primo, & tertio modo ſumatur donum, eſt perſona ſubſiſtens: ſi vero ſecundo modo, donum eſt aliquid creatum, & accidentalis perfectio rationalis creaturæ. Et in reſponſ. ad quartum, oſtendit, quare dicatur Spiritus Sanctus donum ab æterno, licèt ſolum detur in tempore: *Donum non dicitur ab eo, quod actu datur, ſed in quantum habet aptitudinem, ut poſſit dari, unde ab æterno Divina Perſona dicitur donum, licet ex tempore detur*.

DI-

Verbum non dicitur donum Dei ſicuti Spiritus Sanctus.

DICES : æquè Filius habet eſſe per originem a Patre, ac Spiritus Sanctus a Patre, & Filio : Sed Filius non eſt donum Dei ; ergo neq; Spiritus Sanctus . Ergo non eſt donum Dei per hoc , quod ſit ab illo per proceſſionem ; ſed quia eſt accidentalis perfectio .

Sed contrà . D. Thom. in laudata quæſt. art. 2. ad primum rationem reddit , cur Spiritus Sanctus dicatur donum , non verò Filius : *Sicuti Filius , quia procedit per modum Verbi , quod de ratione ſua habet , quod ſit ſimilitudo principii , dicitur propriè Imago : licèt etiam Spiritus Sanctus ſit ſimilis Patri : ita etiam Spiritus Sanctus , qui a Patre procedit , ut amor dicitur propriè donum , licèt & Filius detur* . Ibique oſtendit Spiritui Sancto primi doni rationem convenire , quia amor habet rationem primi doni , per quod omnia gratuita donantur . Videatur D. *Thomas* citatâ quæſt. art. 1. & 2.

CONTROVERSIA III.

AN UNA TANTUM DETUR PROCESSIO IN DIVINIS .

28 INter alia argumenta , quibus ducti Ariani , & Macedoniani veteres , ut habemus ex *Baſilio* , & aliis Patribus , & neoterici Tranſylvani Spiritus Sancti Divinitatem impugnant , illud eſt , quòd una natura non eſt , niſi uno modo communicabilis ; quare cum natura Divina ſit Filio communicata , Spiritui Sancto communicari nequit , eaque propter Deus eſſe non poſſit . Ut hoc igitur argumentum diſſolvatur , ſequentem controverſiam inſtituo , quam utpote a Scholaſticis luculentiſſimè actam , præpete attingam calamo .

Ut ad intelligendum res fiat illuſtrior ; ſuppono proceſſiones in Divinis eſſe actus immanentes intellectus , & voluntatis divinæ . In Scripturis ſiquidem Filius vocatur *Verbum* . Eccleſiaſtici 1. & Jo. 1. *Sapientia* . Prov. 8. *Veritas* . Jo. 14. ſimiliter Spiritus Sanctus dicitur *Charitas* , ut prima Jo. 4. v. 7. *Diligamus nos invicem , quia Charitas ex Deo eſt* : ſed Verbi Sapientia , & Veritatis productio eſt per Intellectum , ſicuti Charitatis per voluntatem : ergo iſtæ proceſſiones ſunt actus intellectus , & voluntatis . Hanc veritatem docent communiter Patres , ut Cyrillus Alexandrin. lib. 1. in Jo. cap. 5. *Filius appellatur Verbum , & Sapientia , quoniam ex intellectu immediatè , atque indiviſibiliter eſt* . *Auguſtinus* de Trinit. lib. 15. cap. 10. uſq. ad 16. *Hilarius* lib. 2. de Trinitate circa medium . *Hieronymus* ad Principium, aliique communiter . Item de Spiritu Sancto dicunt per actum voluntatis procedere , ut laudat. *Auguſtin.* de Trinit. lib. 9. cap. 12. *Anſelmus* in Monologio cap. 50., & alii , qui apud Salmaticenſes noſtros de hoc tractantes videri poſſunt . His poſitis .

29 DICO PRIMO . Præter *Proceſſionem Verbi in Divinis , datur alia proceſſio Spiritus Sancti* . PROB. PRIMO . Sicut Scriptura tribuit Verbo proceſſionem a Patre : ita tribuit Spiritui Sancto . Sed quia Verbo tribuit proceſſionem a Patre , admittitur una proceſſio , quæ per intellectum dicitur ; ergo , quia tribuit proceſſionem Spiritui Sancto , alia admitti debet , quæ per voluntatem dicatur . *Minor* quo ad primam partem ſupponitur : quo ad ſecundam oſtenditur : Jo: 15. v. 26. habetur : *Spiritum veritatis , qui a Patre procedit* : & 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem , & alium Paraclytum dabit vobis* : Ubi manifeſtè apparet Spiritum Sanctum alium eſſe a Filio , & a Patre procedere . Conſtat ulteriùs ex Patribus . Jo: 16. v. 14. Chriſtus Dominus de Spiritu Sancto dicit : *Ille me clarificabit , quia de meo accipiet* : Quem locum *Auguſtin.* Tract. 100. in Joan. , & *Hilar.* de Trinit. lib. 8. de æterna proceſſione Spiritus Sancti a Patre , & Filio explicant : ad Rom. 8. v. 9. *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet ; hic non eſt ejus* : ubi dicitur Spiritus Chriſti , quia a Patre , Filioque procedit , & clarè denotat Concilium Alexandrinum in epiſt. 10. Cyrilli ; Quibus omnibus accedit Symboli Nicæni auctoritas . *Qui a Patre , Filioque procedit* ; & Symboli Athanaſii : *Spiritus Sanctus a Patre , & Filio , non factus , nec creatus , nec genitus , ſed procedens* . Ergo .

Datur in Deo duplex potentia formaliter immanens , intellectus ſcilicet , & voluntatis .

30 PROB. SECUNDO ratione deſumpta ex D. *Auguſtino* lib. 9. de Trinitate cap. 12. & D. *Thoma* 1. p. q. 27. art. 3. In Divinis datur duplex potentia immanenter perfectè operativa : ergo datur duplex proceſſio . *Antecedens* demonſtratur naturali lumine . Deus eſt ens perfectiſſimum intellectuale . Sed omne ens perfectiſſimum intellectuale , neceſſariò habere debet duplicem potentiam immanenter perfectè operativam , intellectum ſcilicet , & voluntatem . Ergo . *Prob. min.* Implicat , quod ſit natura aliqua intellectualis , & non ſit intellectiva , & careat vi cognoſcitiva . Sed ubi eſt vis intellectiva , & cognoſcitiva , ibi etiam eſt vis appetitiva . Ergo . *Prob. min.* Ipſum intelligere virtutis intellectivæ , cum ſit perfectum , & jucundum , eſt etiam amabile ; ſed non eſt amabile , niſi a vi appetitiva . Ergo . Hocque manifeſtius fit advertendo , quod omni enti inditum eſt appetere ſuam perfectionem , ſi non habet , vel in eâ quieſcere , ſi habet modo proprio ſuæ naturæ : ergo etiam ens intellectuale appetit ſuam perfectionem modo ſibi proprio . Sed modus proprius appetendi entis intellectivi eſt per appetitum elicitum , ſeu per voluntatem : ergo . Ulteriùs , quia ens naturale eſt in actu ultimatè completum per formam naturalem , habet naturalem appetitum ſuæ perfectionis : ergo quia ens intellectivum eſt in actu ultimatè completum per formam intelligibilem , ideſt per cognitionem veri , habere debet appetitum rationalem ſuæ perfectionis . Deinde repugnat dari voluntatem in Deo eorum , quæ ſunt extra ipſum , & non dari voluntatem eorum , quæ ſunt intra ipſum . Amor enim aliorum , oritur ab amore ſui ; ſed Deus habet voluntatem eorum , quæ ſunt extra ipſum , ut habetur ad Theſſalonic. 4. v. 3. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra* : & ad Rom. 12. v. 2. *Ut probetis , quæ ſit voluntas Dei* . Tandem ad Rom. 26. v. 42. *Fiat voluntas tua* ; ergo etiam voluntatem eorum , quæ ſunt intra ipſum . Ergo .

Non minùs eſt ſecunda voluntas , quàm intellectus ,

Prob. nunc conſeq. Proceſſio ad intra contraponitur proceſſioni ad extra . Atqui proceſſio formaliter ad extra eſt a potentiâ operante ad extra tum actionem , tum terminum actionis , ut inductione conſtat . Ergo proceſſio formaliter ad intra eſt a potentia operante

B ad

ad intra tum actionem, tum terminum actionis. Sed ubi eſt multiplex potentia formaliter operans tranſeunter, adeſt etiam multiplex proceſſio ad extra. Ergo ubi fuerit multiplex potentia formaliter Immaneus, aderit quoque multiplex proceſſio ad intra. Ergo cum Deo inſit multiplex potentia formaliter immanens, ſcilicet intellectus, & voluntas, inerit duplex proceſſio.

31 Illuſtratur argumentum. PRIMO. Non minus voluntas in Divinis eſt potentia immaneus, & fœcunda, quàm intellectus. Sed propter fœcunditatem intellectus admittitur proceſſio per intellectum; ergo propter fœcunditatem voluntatis eſt admittenda proceſſio per voluntatem. *Major*, quo ad fœcunditatem intellectus nil cuiquam negotii faceſſit: quo ad voluntatem verò pariter eſt certiſſima. Nam potentia volitiva verſatur circa bonum, quod ex naturà ſuà eſt diffuſivum, & operatur principaliter per amorem, qui eſt ſons, & origo cujuslibet communicationis: ergo voluntas perfectiſſima eſt perfectiſſimè amativa; ergo perfectiſſimè communicativa, atque adeo perfectiſſimè fœcunda. SECUNDO. Ex eo, quod cognitum inſit cognoſcenti per Verbum productum, colligitur, cognitum divinum ineſſe cognoſcenti divino per Verbum Divinum productum; Sed etiam amatum ineſt amanti: ergo per aliquid productum: ergo amatum divinum inerit amanti divino per aliquid divinum productum. *Min. habetur* in Scripturis. 1. Joan. 4. v. 16. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Ad Philipp. 1. v. 7. *Eo quod habeam vos in corde per amorem*. Cant. 8. verſ. 6. *Pone me ùt ſignaculum ſuper cor tuum*. Igitur ſicuti amans eſt in amato, ita amatum eſt in amante. *Prima conſeq.* ſtat ex paritate; ſicut enim, ut cognitum conſtituatur intra intellectum, & trahatur ab intellectu, non ſufficit intellectio, ſed debet Verbum produci; ita ut amatum ſit in amante, & trahat ad ſe amantem, non ſufficit volitio, & amor, ſed inſuper requiritur aliquid aliud productum; quæ ratio, ut clarior explendeſcat.

Sicuti cognitum eſt in cognoſcente, ita amatum eſt in amante.

32 NOTO hoc eſſe diſcrimen inter terminum productum ab intellectu, & terminum productum a voluntate, quòd ille eſt ſimilitudo actualis objecti, immo ipſum objectum in eſſe intelligibili, & ratio ſub qua, ſeu medium, in quo objectum, ejuſque veritatem contemplatur. Intellectus enim non tendit in objectum, ut illud habeat, & poſſideat, ſed ut cognoſcat, & ejus verum apprehendat: terminus verò a voluntate productus non eſt ſimilitudo objecti, nec ratio, ſub qua attingit objectum, & bonum; ſed quidam impulſus, ſeu pondus, ut dicebat *Auguſtinus*, quo fertur ad objectum, & ab objecto trahitur; amari namque non eſt trahi, ſed trahere; hinç eſt, quod non habet veram rationem termini, ſed viæ, & tendentiæ ad objectum, ſeu habitudinis, & convenientiæ ad illud: ac proinde non habet proprium nomen, & nomine operationis, & amoris a *S. Thoma*, aliiſque ſolet appellari. Secus accidit in termino intellectus; ille enim habet nomen, & rem termini propter dicta, adeoque ſolùm notionaliter dicitur, amor verò eſſentialiter, & notionaliter; quia per ſe primò ſignificat ipſum actum amoris, & ſeçundariò aſſumitur ad ſignificandum impulſum, & prædictam tendentiam.

Notandum circa terminum productum ab intellectu, & voluntate.

33 Ex quibus intelligitur ſenſus illius axiomatis *Intellectus trahit ad ſe res, ſecus voluntas*. Quia licet objectum in utraque potentia ſit, in intellectu tamen eſt tanquam imago formalis ſui, in qua, ut in medio *quo* intellectus veritatem contemplatur, quæ contemplatio eſt finis ipſius. Objectum verò voluntatis eſt in ea tanquam in via, in inclinatione, & pondere, quo fertur ad poſſeſſionem amati; & ideo dicitur ferri ad extra.

Explicatur illud, intellectus trahit ad ſe res, ſecus voluntas.

REFELLUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

34 OBJICIES PRIMO. Uni naturæ unicus modus convenit communicabilitatis, ſed natura divina eſt una, ergo unicum habet modum communicabilitatis; ſed eſt Verbo communicata; ergo non eſt Spiritui Sancto communicabilis. *Major prob.* Actiones communicantes non ſunt multiplicabiles, niſi multiplicatis terminis formalibus; ſed termini formales non multiplicantur, cum unicus ſit, videlicet natura. Ergo.

RESP. Verum eſt, quod uni naturæ non convenit niſi unicus modus communicabilitatis; ſi loquamur de natura limitata, ſecus ſi loquamur de natura infinita, & quæ habet ſuum eſſe in ordine intellectivo, & quidem perfectiſſimo. Cum enim eſſentialiter ordo intellectivus duplicem habeat potentiam operativam immanentem, duplicem quoque habet modum communicabilitatis; & cum aliàs in Deo operari ſit ſuum eſſe, ſequitur, quod natura communicetur per identitatem, ac proindè tam Verbum, quam Spiritus Sanctus procedant ùt Deus.

Natura, qui habet ſuum eſſe in ordine intellectivo dupliciter cõmunicabilis eſt.

DICES: etiam naturæ infinitæ non competit niſi unicus modus communicandi: quod enim natura creata ſit finita, habet unicum modum communicandi finitè; ergo etiam quòd natura divina ſit infinita, habebit unicum modum communicandi infinitè. *Reſpond.* Eſſe de ratione naturæ communicari proportionatè ad naturam; unde ſi natura petat communicari pluribus modis, ita debet communicari. Natura divina, cum habeat duplicem potentiam formaliter immanentem, & exigentem productionem termini, ideo petit duplicem communicationem; hæc autem exigentia non datur in natura finita.

35 OBJIC. SECUNDO. Proceſſio Verbi eſt infinita in ratione proceſſionis, ergo natura divina, quæ communicatur Verbo, non eſt ulteriùs communicabilis. *Anteced.* eſt certum, aliter, ſi proceſſio Verbi eſſet finita, non poſſet per identitatem convenire naturæ divinæ. *Conſeq. probat.* Hoc ipſo, quod eſt infinita in linea proceſſionis exhaurit totam vim communicativam, ſicut quia omnipotentia eſt infinita, non datur duplex omnipotentia.

RESP. *conc. ant.* Loquendo de proceſſione Verbi formaliter ſecundùm ea, quæ importat ex ſua ſpeciali linea: non verò in linea quaſi ſubalterna proceſſionis; in hac enim non eſt infinita poſitivè, ſed ſolùm negativè, quatenus non dicit poſitivos terminos finitantes. Cæterum

Proceſſio Verbi eſt infinita, & incommunicabilis in linea atoma, non verò in linea quaſi ſubalterna.

rum non includit umnem rationem ſpectantem ad quemlibet modum proceſſionis. Quod conſtat ex adducto exemplo de omnipotentia, quæ in linea ſua atoma eſt poſitivè infinita, & immultiplicabilis, in lineà autem attributi, non comprehendit quidquid ſpectat ad omne attributum, & ideu alia dantur attributa præter umnipotentiam. Sic proceſſiu Verbi eſt infinita poſitivè in linea ſua atoma, & eſt immultiplicabilis; relinquit tamen, quud detur alia proceſſio per vuluntatem.

36 OBJIC. TERTIO. Semel communicata natara divina, quantum communicabilis eſt, nequit ulterius communicari. Sed Verbo divino communicatur natura divina quantum communicabilis eſt; ergo nequit ulterius communicari. *Prob. min.* Verbum per proceſſionem recipit umnem excogitabilem perfectionem; aliter eſſet imperfectum; ſed niſi communicaretur natura divina quantum communicabilis eſt, non reciperet omnem excogitabilem perfectionem. Ergo.

Natura Divina communicatur Verbo quantum communicabilis eſt.

RESP. *diſt. maior.* Communicata divina natura quantum communicabilis eſt, tam quo ad modum, quàm quoad ſabſtantiam nequit ulterius communicari *conc. maj.* Communicata natura divina quantum communicabilis eſt quoad ſubſtantiam, ſed non qaoad modum *neg. major.*, & eodem modo diſtincta minore, negatur conſeq.. Ut ergo Verbum recipiat omnem excogitabilem perfectionem ſuæ lineæ, ſufficit, quod ei communicetur natura divina quantum communicabilis eſt communicabilitate propria Verbi, ideſt per intellectum, non verò per voluntatem.

37 OBJIC. QUARTO contra dicta: Si Verbo non communicatur natuta ſub omui modo, proceſſio in divinis non erit ſolum duplex, ſed multiplex; hoc admitti non puteſt. Ergu. *Probatur ſequela.* Ideu nun communicatur umni modo, quia præter cognoſcere, datur etiam velle; ſed in divinis datur multiplex cognoſcere, & velle, ut cognitio Dei, & volitio Dei, & cugnitiu, & volitiu creaturarum, immo præter intellectum, & voluntatem dantur alia attributa operativa. Ergo.

Proceſſio in Divinis ſolū poteſt eſſe duplex.

RESP. *neg. ant.* & ad probationem dico. Cum cugnitio productiva Verbi ſit cognitio perfectiſſima, & comprehenſiva, debet attingere umne cognoſcibile, quod ſaltem neceſſariò repræſentatur a Verbo. Cognitio autem cumprehenſiva complectitur non ſolum ens divinum, ſed etiam creatum, ſaltem neceſſariò cunnexum cum divina eſſentia. Unde non datur multiplex cognoſcere fœcundum, & eodem modu luquimur de velle productivu Spiritus Sancti; ſe extendit enim ad omne volibile divinum, & ad omne volibile creatum, nec datur duplex velle fœcundum. Ad id, quod additur, concedo dari alia attributa operativa; ſed hæc non ſunt formaliter immanentia, ſed virtualiter tranſeuntia, & virtualiter ſpecificata a creaturis, ac proindè ſolùm motivè, & finaliativè ſiſtunt in Deo, non verò terminativè. Ad hoc autem, ut aliqua potentia fundet proceſſiunem ad intra, debet eſſe formaliter immanens, ideſt tam motivè, quam terminativè ſiſtens ad intrà. Hujuſmodi autem in divinis eſt tantùm duplex, intellectus, & vuluntas, ideoque duplex tantùm modus communicabilitatis. Adde: etiamſi daretur aliqua alia operatio ad intra, hæc tamen non probaret dari alias proceſſiones, quia illæ operatiunes non eſſent niſi modificationes intellectionis, & volitiunis; eſſent enim operationes attributorum, quæ ſunt modificationes vuluntatis, & intellectus, ſeu, ut ita dicam, habitus illarum potentiarum.

Cognitio productiva Verbi eſt comprehenſiva omnium rerū quæ connectuntur cum ente divino.

Operationes aliorum attributorum poſſunt dici modificationes intellectionis, & volitionis Dei.

38 OBJIC. QUINTO argumentum Theologicum. Si per voluntatem divinam produceretur hujuſmodi impulſus, poſſet Deus uniri voluntati Beatorum, ſicuti per ſeipſum unitur intellectui Beatorum, & terminat in Chriſto naturam creatam. Sed hoc non admittitur; quia terminus voluntatis debet eſſe voluntarius, & ab intrinſeco, quod Deo repugnat. Ergo.

RESP. PRIMO *concedo ſequelam* propter paritatem; ſicut enim per Verbum, Deus eſt perfectè intellectus in actu ſecundu a Beatis, & aliàs eſt actus purus; ita per impulſum eſt perfectè dilectus in actu ſecundo, & aliàs eſt actus purus. Deinde RESP. SECUNDO *negando ſequelam*. De ratione Verbi non eſt, quod procedat vitaliter ab alio, ſed ſolum, quod repræſentet actu, & perfectè objectum; de ratione verò impulſus eſt, quod ſit formaliter voluntarius, cum ſit pondus, & inclinatio voluntatis; unde cum nihil Dei poſſit procedere a voluntate creata, probabile erit, quod nequeat in ratione termini amoris uniri. Videantur *PP. Salmaticenſ.* de Trinitate tract. VI. diſp. 3. dub. 1. per totam.

Sicut Deus eſt perfectè intellectus per Verbum, ita per impulſum eſt perfectè dilectus.

CONTROVERSIA IV.

AN SPIRITUS SANCTUS SIT GENITUS.

39 MAcedoniani tum antiqui, tum moderni Sancti Spiritus Divinitatem impugnant; non enim queunt intelligere, quod ſit Deus, & non accipiat per proceſſionem, quæ ſit generatiu, divinam naturam.

Nullibi reperitur, quod proceſſio Spiritus Sancti ſit generatio.

DICO tamen, proceſſiu Spiritus Sancti non eſt generatiu. Concluſio eſt de Fide ſicut præcedentes. Probatur argumento negativo ex Verbo Dei ſcriptu. *In Sacra Scripturu* Spiritus Sanctus aliquando vocatur procedens, nullibi genitus: ergo ejus proceſſio non eſt generatio. *Probatur conſeq.* ex generali regulà; quod Sacra Scriptura accipienda eſt ſecundum proprietatem ſermonis, quoties non ſequitur abſurdum, & aliundè non habetur uppoſitum. Si ergo habemus expreſſè proceſſionem Spiritus Sancti, & nullam habemus mentionem generationis, nec aliunde ſequitur abſurdum; dicendum eſt Spiritum Sanctum procedere, non verò eſſe genitum. Nec aliu modu plura credimus myſteria, niſi quia unſus prædicati ſit mentio, alterius non. Patrem v. g. non admittimus miſſum, quia aliquando mittentem legimus, nullibi miſſum. Hinc eſt, quod, quia Filius eſt genitus, de ipſo quidem proceſſionem legimus, ſed alibi etiam generationem. Si ergo nullibi Spiritui Sancto attribuitur generatiu, ſed ſolum proceſſio, hæc illi concedenda eſt, illa verò neganda. Licèt enim omnis generatio ſit proceſſio, non tamen umnis proceſſio eſt generatiu. *Anteced.* quo ad

primam partem clarè habetur Jo: 15. verſ. 26. *Cum autem venerit Paraclytus . . . . qui a Patre procedit* . Ecce proceſſio ; quoad generationem verò nullibi reperitur . Ergo .

Ubi eſt unicus Filius, ibi eſt unica generatio.

40 PROBATUR *ſecundò* argumento poſitivo . Ubi eſt unicus Filius , ibi unica eſt generatio : ſed in Divinis unicus eſt Filius , ſecunda ſcilicet Perſona ; ergo eſt unica generatio ; ergo proceſſio Spiritus Sancti non eſt generatio . *Minor oſtend.* Jo: 1. v. 12. *Vidimus gloriam ejus gloriam quaſi Unigeniti a Patre* , & v. 18. *Unigenitus , qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit* . Cap. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit Mundum , ut Filium ſuum Unigenitum daret* . Atqui eſſe unigenitum Filium , & eſſe unicum idem eſt ; nihil enim aliud eſt unigenitum eſſe , quam eſſe unicum genitum . Ergo .

41 Huic argumento reſpondebant Eunomiani apud *Baſil.* lib. 2. contra Eunomium : Chriſtum eſſe unigenitum ; quia eſt productus a ſolo Patre ingenito . Quam reſponſionem dant etiam Tranſylvani , ut *Servetus* lib. 1. de Trinitate , & Dialogo 2. de Trinit. *Franciſcus David* in diſp. Albana actione 5. & 6. dici , aliique dicunt Chriſtum eſſe unigenitum , quia conceptus , & natus a ſolo Deo , ſupplente vices hominis virtute Spiritus Sancti ; probantque illo Luc. 1. v. 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te , & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* ; adeoque ſuccedit in locum Patris naturalis ; & iſti ſolùm diſcriminantur ab antiquis Hæreticis , quod illi loquebantur de Chriſto Deo , iſti verò videntur loqui de Chriſto homine .

Chriſtus non eſt unicus , quia ſit a ſolo Patre ingenito, nec quia eſt conceptus virtute Spiritus Sancti.

Verbum non dicitur ingenitus , quia ab uno ſolo genitus .

Sed hanc reſponſionem rejicit egregiè *Baſilius* ex communi uſu , & intelligentia , ſecundum quam *Unigenitum* non accipitur , ut ab uno ſolo genitum , ſeu ab eo , quod quis ab uno ſolo generetur , ſed ex eo , quod unus tantùm generatur . Subditque *Athanaſius* exemplum Adæ , qui a ſolo Deo fuit productus , & tamen non dicitur unigenitus . Poſſet addi exemplum illorum , qui dicuntur unigeniti , qui tamen ſunt a duobus , a Patre ſcilicet , & a Matre : non ergo dicitur quis unigenitus , quia ab uno genitus .

Salomon dicitur unigenitus propter ſpecialem Matris dilectionem.

42 RESPONDEO *ſecundò* . Proverb. 4. verſ. 3. Salomon dicitur unigenitus , *& unigenitus coram Matre mea* ; & tamen Berſabea ejus mater alios filios habuit , ùt habetur 2. Reg 12. Ex eo ergo , quod Filius Dei vocetur unigenitus , non colligitur Spiritum Sanctum non eſſe genitum .

Sed contrà . Nam , ùt plures Interpretes optimè adnotaverunt , in hoc loco nomen unigeniti accipitur , & a Sacra Scriptura pro ſingulariter dilecto a Matre ſua , cui expoſitioni favent Septuaginta , qui habent *& dilectus in facie matris* : & Hebraicus contextus , qui latinè ſonat , *& unicus inter Filios Matris meæ* : qui modi loquendi explicant peculiarem dilectionem a Matre ſuper alios genitos ; & finis ipſius Salomonis hoc innuit . Vult enim ſuo exemplo ad ſtudium Sapientiæ adhortari , ad quod ipſe incubuit a pueritia , licèt eſſet tenellus , & valdè Matri carus .

Frater Salomonis non dicitur de populo Dei , quia mortuus eſt incircumciſus .

Eſt alia reſponſio *Lyrani* in hunc locum, cum aliis : Unigenitum reverà dici Salomonem , quia non habuit alios fratres, qui computarentur inter filios populi Dei ; ille enim , de quo 2. Reg. 12. fit mentio , mortuus eſt incircumciſus ante octavum diem , proindeque nunquam fuit ex populo Dei juxta illud Gen. 17. *Maſculus , cujus præputii caro non fuerit circumciſa , delebitur anima de populo ſuo* . Cum ergo Spiritus Sanctus non poſſit minùs diligi a Deo , quàm Verbum , & aliundè poſſit reverà dici , Salomon fuiſſe unigenitos , ſequitur , quod ſecundum utramque expoſitionem textus ſupracitati nihil Hæreticis faveant :

43 RESPOND. *tertiò* ad Hebræos 1. verſ. 6. Chriſtus vocatur Primogenitus : *Et cum iterum introducit primogenitum in Orbem terræ* . Sed Primogenitus ordinem dicit ad alios genitos ; ergo Deus præter Verbum , alium generavit : non alium , niſi Spiritum Sanctum : ergo eſt genitus .

Chriſtus Unigenitus in ſinu Patris : Primogenitus inter Filios Dei per adoptionem .

Sed contrà . Chriſtus vocatur Primogenitus non ad intra , ſed ad extra , in ordine videlicet ad creaturas , quatenus propter ipſum juſti adoptantur inter Filios Dei . Sic *Cyrillus* lib. 10. Theſauri cap. 4. ; & expoſitio deſumitur ab eodem Paulo ad Galatas 4. v. 2. ubi habet : *Miſit Deus Filium ſuum , ut adoptionem Filiorum reciperemus* . Ad Rom. 8. v. 15. *Accepiſtis Spiritum filiorum , in quo clamamus Abba* (*Pater*) . Unigenitus eſt igitur Chriſtus in ſinu Patris., Primogenitus in multis fratribus per adoptionem dicente *Auguſtino* lib. de Fide , & Symbolo cap. 4. : *Secundum id , quod unigenitus eſt , non habet fratres , ſecundum id autem , quod Primogenitus eſt , fratres vocare dignatus eſt omnes , qui poſt ejus primitias , in Dei gratiam naſcimur per adoptionem Filiorum* .

44 PROBATUR *ſecundò* Verbo Dei tradito in Athanaſii Symbolo antiquiſſimo , & ab univerſali Eccleſia admiſſo , habetur : *Spiritus Sanctus a Patre , & Filio non factus , nec creatus , nec genitus , ſed procedens* . In Symbolo Nicæno , poſtquam dicitur Filius unigenitus , de Spiritu Sancto ſubditur , *Qui ex Patre , Filioque procedit* . In Concilio Toletano 1. a Leone Primo approbato , legitur in aſſertione Fidei : *eſt ergo Ingenitus Pater , genitus Filius , non genitus Spiritus Sanctus* . Et in Toletano undecimo , in confeſſione Fidei , Spiritus Sanctus nec ingenitus , nec genitus creditur . Quam doctrinam aſſerunt Sancti Patres communiter , quorum aliquos in ſequenti referam Controverſia .

Difficilis explicationis eſt Spiritus Sancti proceſſio .

45 Sed licèt nobis revelaverit Deus Spiritum Sanctum non eſſe genitum : occultavit tamen modum diſtinguendi ejus proceſſionem , a proceſſione Verbi : unde *Auguſtin.* lib. contra Maximinum dixit : *Diſtinguere inter illam generationem , & hanc proceſſionem neſcio , non valeo , nec ſufficio* . S. *Bernard.* Serm. 1. Pentec. *Proceſſionem Spiritus Sancti poſuiſſe tenebras latibulum ſuum* . Eandem inſcrutabilem putat *Nazianzenus* Orat. 37. , & alii plures , quibus redarguitur quorundam Theologorum præſumptio , qui ſuis autumnant metaphyſicis cavillationibus demonſtrativam afferri diſparitatem poſſe generationis unius , & alterius proceſſionis . Ego verò Patrum veſtigiis humiliter inhærens , unam , vel aliam expoſitionem ſubjiciam ſolvendis veroſimiliter Hæreticorum argumentis .

Illud igitur communius pro diſcrimine adſtruunt Patres , quod Verbum procedit per intellectum , Spiritus Sanctus per voluntatem .

Hoc-

Hocqae nnum motivum complectitur D. *Thomas* abicunque hanc difficaltatem tractat , & maximè pr. parte quæſt. 27. art. 4. , & contra gent. lib. 4. c. 23. primo Sentent. diſtint. 13. art. 30. quæſt. 1. 10. , & alibi , ad cujus intelligentiam .

46 *NOTANDUM primò* , aliquam actionem , ſeu proceſſionem non ex eo præcisè dici generationem , quia producit , vel communicat etiam immediatè naturam , quæ ſimilis ſit naturæ producentis , vel principio prodacenti , ſed ex modo , quo illa natura communicatur , ſicut docet *S. Thomas* loc. cit. contra Gent. , & in ſententiis ad Anibaldum art. 3. exemplisque oſtenditur . Adam naturam humanam communicat Abeli , & dicitur generare : Deus ex luto eandem naturam communicat Adamo , & ea coſta ipſius Evæ ; attamen iſtæ actiones haudquaqnam dicuntur generationes . Non euim Adam , & Eva dicuntur generati a Deo . Tota igitur diverſitas generationis deſumitur ex modo , qno uni communicatur natura actione creativâ , & alteri generativâ . Hinc docet D. *Thomas* loco citato contra Gent. . Quod ſi homo virtute divina per artificium extrinſecum , vel ex parte ſui corporis , eandem naturam humanam , qnam Filio communicat per generationem , alteri communicaret , porrò iſte non diceretur natus , nec reverâ eſſet , non alia ratione , niſi propter diverſum modum dandi terminum actionis . Quæ doctrina plana eſt ex Philoſophia diſtinguente ſpecies motus ex terminis formalibus , non verò materialibus .

Adamo non dicitur genitus licet habuerit eandē naturam cum Abele .

47 *NOTANDUM ſecundò* , mudum proprium actionis generativæ eſſe aſſimilationem , quatenus ſcilicet communicatio termini ſit modo aſſimilativo ; & ideo generatio definitur : *Origo viventis a vivente in ſimilitudinem naturæ* : ubi non dicitur in natura ſimili , ſed in ſimilitudinem naturæ , ut intelligas ſimilitudinem non ſe tenere ex parte naturæ communicatæ , ſed ex parte modi communicandi . Hinc eſt , ut productum efficiatur imago producentis , & in illud peculiariter inclinet : quæ non eveniunt , ubi in actione deſit modus aſſimilationis , ùtùt identitas naturæ communicatæ intercedat ; quod patefaciunt exempla ſuperius allata , ac præſertim ignis , qui eandem dicit relationem producti ad producentem , ſive ab igne producatur , cui quoad naturam habitam aſſimilatur , ſive a Sole , cui in natura formali diſſimilatur .

Explicatur deffinitio generationis .

48 *NOTANDUM tertiò* , intellectum ex ſua linea , & modo agendi , eſſe aſſimilativum , ſecùs voluntatem . *Declaratur prima pars* . Intellectus ex ſuo modo peculiariter agendi , priuſquam intelligat , exigit fieri in actu per ſimilitudinem rei intellectæ : hoc eſt , res intellecta debet eſſe in intellectu per ſpeciem , quæ eſt formalis ſimilitudo ipſius , & cognoſcendo producit Verbum , quod eſt ipſamet imago actualis objecti , ſeu veriùs ipſum objectum in eſſe intelligibili ſecundum illud Philoſophi 3. de Anima textu 37. *Intellectus intelligendo fit omnia* . Si lapidem intelligit , fit in ordine intelligibili lapis , ſi Leonem , Leo &c. ac proindè ex natura ſua eſt aſſimilativus . Quod ſi intellectus ſit perfectiſſimus , qualis eſt Divinus , perfectiſſimè erit aſſimilativus . Perfectiſſima autem aſſimilatio habetur in identitate naturæ . Quare divinus intellectus neceſſariò eſt aſſimilativus in unitate naturæ . *Declaratur ulteriùs hoc ultimum* . Natura Divina ſumpta in ordine naturali pertinet ad lineam intellectivam , ſive conſiſtat in actuali intelligere , ſive non . Si ergo linea intellectiva ut ſic eſt aſſimilativa ut ſic , linea intellectiva , quæ habet conſtituere naturam in ordine naturali , erit etiam aſſimilativa in ordine naturali .

Declaratur ſecunda pars , voluntatem ſcilicet non eſſe aſſimilativam . Voluntas operatur radicaliter , ſeu primariò , medio amore . Amor verò habet rationem ponderis , & impulſus , quo amans fertur ad amatum juxta illud Auguſtini : *Eò feror , quocunque feror : amor meus pondus meum* . Quare voluntas fertur in rem amatam per modum inclinationis : ferri autem in aliud per modum inclinationis , non eſt operari modo aſſimilativo , ſed potius eſt ſimilitudinem præſupponere , quia ùt prima parte quæſt. 27. art. 4 ad 2. docet *S. Thomas* , & communiter admittitur . Similitudo eſt cauſa amoris ; quamobrem amor non gignit ſimilitudinem , ſed ſupponit , & ideo dicitur Eccleſiaſtici 13. v. 19. *Omne animal diligit ſimile ſibi* . Non facit ſimile ; & hæc eſt ratio , quare Parentes adeo diligunt Filios , quia ſimilitudinem , & imaginem ſuam per generationem productam in ipſis conſpiciunt .

Voluntas non eſt aſſimilativa .

49 Ex quibus ſic efformatur telum infringendis Hæreticorum aſſultibus . Generans communicat naturam modo aſſimilativo . Sed ſpirans Spiritum Sanctum non communicat naturam modo aſſimilativo . Ergo non generat : ergo proceſſio Spiritus Sancti non eſt generatio . *Prob. min.* Spirans producit Spiritum Sanctum per voluntatem ; ſed voluntas non operatur modo aſſimilativo ; ergo neque Spirans .

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA .

50 CUi convenit definitio generationis viventium , generatio eſt ; ſed ſpirationi convenit definitio generationis viventium ; ergo eſt generatio ; *Probat. min.* Generatio viventium definitur : *Origo viventis a principio vivente conjuncto in ſimilitudinem naturæ* . Sed proceſſio Spiritus Sancti eſt origo viventis a principio vivente conjuncto , cum ſit a Patre , & Filio viventibus , & habeat eandem naturam vivam cum ipſis : ergo . *Explicatur* 1. vis argumenti . Spiritus Sanctus ex vi formaliſſima ſuæ proceſſionis accipit naturam communicatam ; quidquid enim habet , ex vi ſuæ proceſſionis recipit : juxta illud Joan: 16. verſ. 15. *De meo accipiet* ; ergo vi ſuæ proceſſionis oritur in ſimilitudinem naturæ . *Explicatur ſecundò* : Spiritus Sanctus per Catholicos , eſt formaliſſimè Deus ; ſed non eſt Deus a ſe ; ergo eſt Deus per proceſſionem ; ergo per naturam divinam per ſe communicatam .

Spiritus Sancti oritur a vivente .

Huic argumento communiter reſpondent Thomiſtæ *negando min.* quia licet Spiritus Sanctus habeat naturam vivam a Patre , & Filio , non tamen illam habet ex vi ſuæ proceſſionis ; hoc eſt non habet illam , ut terminum formalem actionis . Concedunt quidam Spiritum Sanctum omnia habere per proceſſionem , ſed

non

non omnia habere per modum termini formalis, ſed aliqua ſolùm identicè. Habet ſiquidem per modom termini ſormalis rationem impulſus, ſed quia cum boc impulſu identificatur natura divina; ideò identicè recipit etiam naturam divinam; atqoe in hoc ſenſu eaplicant teatum *Joannis*. Quando verò dicitor: *procedit ùt Deus ſpiratus*: diſtinguunt. Si ly *Deus* faciat ſenſum, quòd ratio ſpirati, ſeu impulſus ſit terminus ſormalis, qui identificat ſibi naturam, *concedunt*; Et boc ſufficit, nt dicatur Spiritus Sanctus verè Deus, Patri, & Filio æqualis; quia abſolutè, & in eſſe entis habet eandem omninò natoram divinam.

Spiritus Sancti proceſſio non eſt generatio; quia modo aſſimilativo non communicatur natura Divina.

Hæc doctrina ſuas patitur inſtantias. Quia tamen non eſt meom in ſpeculationibus immorari; ſed Hæreticorum argumenta ſolvere; ideò ommiſſa hac reſponſione, *reſpondeo* conformiùs utique Scripturis, & Sancto Tbomæ *negando min.* Quia non competit proceſſioni Spiritus Sancti illa particula, *in ſimilitudinem*: eo quia modo aſſimilativo non communicatur natura Divina. Non aotem ratio generationis attenditur penes naturam commuuicatam, ſed penes modnm communicandi, ùt apertè Angelicus Doctor contra Geot. & ad Anibaldum ſuperiùs docet. Quare, admitto Spiritum Sanctum accipere per ſpirationem naturam divinam, non ſolùm identicè, admitto procedere ùt Deum ſpiratum. Sed nego generari; qoia non recipit naturam modo aſſimilativo, ſed per modum ponderis in rem amatam, quam ſimilem præſupponit; iterumque repeto S. *Thomæ* exemplum. Si Petrus per generationem prodncat Panlum, deinde Deus Paulom annihilet, poſtmodum vel ipſe Dens ex nihilo reproducat eundem Paulum, vel ſi eſt vera aliquorum ſententia, det Petro virtutem creativam, qoà ea nihilo Paulum, aliàs Filium producat, aut det illi virtutem illum educendi ea parte aliquà ſui corporis, puta: ea brachio: peto. Iſta actio eductiva, aut prodoctiva ea nihilo eſt ne generatio? Nequaquam, licèt det Paulo naturam, & quidem formaliter, & primariò. Cur igitur non eſt generatio, niſi quia Petrus dat quidem formaliter, & primariò naturam Paulo, ſed non dat modo generativo? Ita cum Pater, & Filius, utvis communicent Spiritui Sancto formaliter, & primariò naturam; nihilominus cum illam non communicant modo generativo, non dicitur genitus, nec proceſſio ejuſdem eſt generatio.

51 OBJIC. SECUNDO. Procedens in eadem natura cum ſno principio generatur: ſed Spiritus Sanctus procedit in eadem natnra divina cum ſoo principio: ergo generatur. *Prob. min.* Spiritus Sanctus procedit ùt Perſona Divina; ſed nequit procedere ùt Perſona Divina, niſi procedat in eadem natura com ſno principio: Ergo. *Min. prob.* 1. Spiritus Sanctns procedit ùt ſubſiſtens: ſed non procedens ùt ſubſiſtens in natura ereata: ergo in Divina: ergo ùt Perſona Divina. *Secundo* Spiritus Sanctus procedit ùt diſtinctus a Patte, & Filio. Sed noo diſtinguitur a Patre, & Filio, niſi ùt nna ea Divinis Perſonis: ergo. *Tertiò* Spiritos Sanctus ex vi proceſſionis accipit aliqoid Divinum; aliter ejus proceſſio non eſſet Divina; ſed hoc Divinum non eſt inhærens: ergo eſt ſubſiſtens.

CONFIRM. PRIMO. Ex vi proceſſionis Spiritui Sancto communicatur ratio entis Divini: ergo ex vi proceſſionis communicatur natura Divina. *Conſequentia oſtenditur*. Actio infinitè perſecta attingens aliqnam rationem communem, & tranſcendentem attingit qoidquid ſub illa continetur. Sed proceſſio eſt actio infinitè perſecta: ergo attingit qoidquid continetur ſub ratione communi entis per ipſam attacta. Sed ſub tali ratione continetur natura Divina: ergo. *Antecedens prob.* Spiritui Sancto commonicatur ratio entis inventa in prædicato ſibi communicato: ſed ıalis ratio entis non eſt creata: ergo Divina. Certiſſimè igitur ratio entis Divini intimè tranſcendit rationem impulſus; immn ipſa natura Divina eundem impulſum perfectiſſimè tranſcendit, ntpote perfectiſſima etiam in linea tranſcendentis. Si ergo ratio impulſus communicatur Spiritui Sancto vi ſuæ proceſſionis, communicator etiam ratio entis Divini, & natora Divina.

CONF. SECUNDO. Quoties alicui communicatur natura, & proprietas, priùs communicatur illi natura, quàm proprietas: ſed Spiritui Sancto communicatur natura, & proprietas: ergo priùs natura: ergo ea vi ſuæ proceſſionis priùs recipit naturam.

Communis Thomiſtarum ſolutio.

Secundum communem Thomiſtarum ſolutionem *negatur minor*, & diſtinguitor proceſſio in proceſſionem adæquatè acceptam, & in proceſſionem inadæquatè acceptam; ſeo prout proceſſio affert ea, quæ ſont ſuæ lineæ, & prout affert ea, quæ ſunt alterius lineæ. Hoc poſito dicimos, proceſſionem Inadæqoatè acceptam non afferre natoram Divinam, ſed ſolùm illam afferre identicè, & ea vi ſuæ lineæ, quod explicatnr exemplo Conſecrationis, quæ ſi inadæquatè accipiatur, importat ſolùm Corpus, aut CHRISTI Sanguinem, ſi verò adæquatè, & identicè accipiatur, CHRISTI Corpus, & Sanguinem importat; ita proceſſio adæqnatè accepta affert naturam Divinam, inadæquatè autem, & ex vi ſuæ lineæ ſolam affert rationem impulſus. Hinc negatur procedere ùt ſnbſiſtens ſnbſiſtentià relativà, licèt identicè procedat ùt ſobſiſtens in natura divina. *Ad ſecundum reſpond.* Ut Spiritus Sanctus procedat ùt diſtinctus a Patre, & Filio, ſufficit, quod procedat in co, in quo illis opponitur; cum verò non in natura Divina, ſed in ſubſiſtentia relativa opponatur, ideo ea vi ſuæ proceſſionis illam non accipit. *Ad tertium*: Si ly *Divinum* denotat naturam Divinam, *negatur maj.* Si denotat impulſum, *conceditur*. Ad primam confirmationem RESP. *diſt. ant.* Communicaıur ratio entis Divini generaliſſimè *nego ant.* Aliter communicaretur ſormaliter Paıer, & Filius. Communicarur ratio entis Divini talis particularis lioeæ. *Conc. ant.* Sed ea hoc minimè infertur communicari ſormaliter naturam Divinam, at dumtaxat rationem amoris, & quidquid exigit intrinſecè ejus linea. Et qoamvis natura Divina tranſcendat tranſcendentià rei lineam amoris; haud tamen tranſcendit, ùt aliqoid ſpectans ad illam lineam, ſed ùt pertinens ad aliam.

Ad ſecundam conf. Major eſt vera in ordine

ne executionis, non verò in ordine intentionis, niſi ſit prima prodoctiu naturæ; quod explicatur exemplo generationis, in qua per ſe primò intenditur ſubſtantia, in aggeneratione verò per ſe primò ſubſtantia non intenditur. Cum verò proceſſio Spiritus Sancti ſit ſecundæ naturæ communicatio; ideo non intenditur per ſe primò natura, quamvis per ſe primò executivè, & ſubjectivè, ſeù identicè communicetur. At ſive communicetur natura, nec ne, nihil laboro: conſequenter ad ſuperiùs dicta reſpondeo, argumentum non concludere. Et enim, ùt vidimus ex D. *Thoma*, communicatio præcisè naturæ, etiam per ſe primò non eſt generatio, niſi modo aſſimilativo communicetur. In proceſſione autem Spiritus Sancti natura non communicatur modo aſſimilativo; nam communicatio in tali proceſſione fit per modum ponderis, & impulſus provenientis ex ſimilitudine inter Patrem, & Filiom: namque Spiritus Sanctus procedit tamquam mutuus amor utriuſque, ùt infra explicabitur, non autem modo aſſimulativo.

52 OBJIC. TERTIO. Quia in proceſſione Verbi natura Divina eſt principium *quo* fœcundans, ideò eſt generatio. Sed eadem natura Divina in proceſſione Spiritus Sancti, eſt principium *quo* fœcundans. Ergo etiam ipſa eſt generatio.

CONF. Ideò proceſſio Verbi eſt generatio; quia intellectus conſtituitur in actu per ſimilitudinem objecti tamquam per formam illam complentem. Sed etiam voluntas conſtituitur in actu per ſimilitudinem objecti, tamquam per formam illam complentem; ergo etiam proceſſio Spiritus Sancti erit generatio; ergo utraque procedit modo aſſimilativo. *Prob. min.* Sicut intellectus ex ſe eſt indifferens ad hoc, vel illud, neque eſt potens ad proſequendum ſuum terminum, niſi compleatur, & determinetur per objectum per ſui ſimilitudinem unitum; ita voluntas ex ſe eſt indifferens ad hoc, vel illud, neque potis eſt ad proſequendum ſuum terminum, niſi compleatur, & determinetur ab objecto præſente in intellectu per ſuam ſimilitudinem; atque hinc fit, ut actus voluntatis ſit unius ſpeciei potiùs, quàm alterius. Utraque ergo potentia conſtituitur in actu per ſimilitudinem objecti.

In proceſſione Verbi Divina natura eſt principium quo fœcundans ut aſſimilativum.

RESP. *diſting. maj.* Quia in proceſſione Verbi natura Divina eſt principium *quo* fœcundans ùt aſſimilativum, ideò eſt generatio, *conced. maj.* eſt principium *quo* fœcundans præcisè ùt effectivum, & propagativum, ſeu impulſivum, *neg. maj.*, & diſtinguendo minorem *neg. conſeq.* Non negamus in utraque proceſſione naturam Divinam eſſe principium *quo* radicale, ſed dicimus in prima concurrere ſub una formalitate, ſub alia in prima proceſſione; in prima vi aſſimilativa, in ſecunda vi impulſiva. Et ratio eſt, quia natura Divina non eſt principium proceſſionum, niſi ùt modificata per intellectum, & voluntatem tamquam per principia proxima; cumque intellectus operetur modo aſſimilativo, voluntas modo impulſivo, ideo vi aſſimilativa concurrit ad productionem Verbi, & vi impulſiva ad Spiritus Sancti productionem. Certè eadem natura eſt principium *quo* radicale operationis intellectus, & voluntatis; & tamen non valeret argumentum: natura Divina cum intellectu intelligit *ùt quo*; ergo etiam cum voluntate, & hoc ob dictam rationem.

Confirmatio non officit, ſed potius favet allatæ doctrinæ. Pro qua *notandum primò*, aliter ad operationem intellectus requiri objectum determinans; aliter ad operationem voluntatis. Ad operationem intellectus eſſe debet objectum intrinſecè unitum intellectui per ſuam ſimilitudinem, ſeù ſpeciem, quæ in ſuo formali conceptu ipſam objecti naturam importat; adeòque verè intrinſecè completur per illam, & in actu conſtituitur, ac proinde illa ſimilitudo habet propriam rationem formæ. Secus ad operationem voluntatis, non debet objectum ipſi intrinſecè uniri, cum ſe habeat extrinſecè, & directivè, quatenùs voluntas non fertur in incognitum: unde ſimilitudo objecti non eſt vera forma conſtituens voluntatem in actu, ſed præcisè vim habet extrinſeci determinativi.

Aliter requiritur objectum ad operationem intellectus, ac ad operationem voluntatis.

Notandum ſecundo. Forma, quæ intrinſecè potentiæ unitur, eſt etiam illius propria ratio agendi, quæ ſi eſt per modum præcisè univoci, tribuit potentiæ, ut producat effectum, qualis eſt ipſa forma; & ideo ſimilitudo conſtituens in actu intellectum, tribuit illi, ut producat Verbum, quale eſt ipſa ſimilitudo, ſeù ut producat ipſam actualem ſimilitudinem objecti; ac per conſequens intellectus operatur modo aſſimilativo. Econtra verò forma in eſſe cogniti extrinſeca potentiæ operatur ſolùm oſtendendo bonitatem objecti, qua voluntatem moveat, alliciat, attrahat, inclinet, & impellat. Ex quo fit, ut terminus productus a voluntate ſic determinatâ, nihil aliud ſit, quàm impulſus, & actualis inclinatio in objectum, qui modus agendi non eſt aſſimilativus, ſed ſimilitudinem ſupponens, ad quam inclinatur, & quam amat. Ex his patet ſolutio confirmationis.

Forma, quæ intrinſecè unitur potentiæ, eſt illius propria ratio agendi.

53 OBJIC. 4. Intellectus Divinus non eſt productivus termini in unitate naturæ ſubſtantialis in eſſe naturali generativo, & aſſimilativo modo; quia intellectus, ſed quia Divinus eſt. Sed in Deo voluntas non eſt minus intrinſecè Divina, quam intellectus, cum ſit ens a ſe, & increatum. Ergo licèt ùt voluntas non ſit aſſimilativa, ùt voluntas tamen Divina erit aſſimilativa, & generativa. *Prob. maj.* Si aſſimilare in natura ſub eſſe naturali conveniret intellectui, ùt intellectus eſt, omni intellectui conveniret; ſed non convenit omni intellectui, ſiquidem intellectus creatus non producit ſimile in natura ſub eſſe naturali.

Qui defendunt naturam Divinam conſtitui per intelligere, ab hoc argumento facilè ſe expediunt dicendo rationem *Divini* aliter in eſſe intellectui, aliter voluntati: Divinum prout dicit naturam ſub proprio conceptu, non eſt voluntati intrinſecum, ùt quid propriæ lineæ, ſed ſolùm identicè, & per tranſcendentiam. Unde ſola illa ratio *Divini* eſt voluntati intrinſeca, quæ ſpectat ad propriam lineam affectivam, & amativam, præſcindendo tamen a ratione univerſaliſſima tranſcendentis. Intellectui autem ratio *Divini*, prout dicit rationem naturæ ſub proprio conceptu naturæ, convenit intrinſecè ùt quid propriæ lineæ;

Reſponſio in ſententia illorum, qui defendunt naturam Divinam conſtitui per intelligere.

lineæ ; ac proinde bene valet , quod intellectus , *quà Divinus* , ſit productivus termini in unitate naturæ ſub eſſe naturali : ſecus voluntas adhoc *quà Divina* eſt .

Sed enim , quia Hæreticis reſpondendum eſt , qui ex quocumque catholicorum principio Fidei dogmata impugnant ; ideo ſive natura Divina conſtituatur per intelligere actuale , aut radicale , ſive per rationem entis a ſe , ſive in quacumque alia formalitate. RESPONDEO *diſt. maj.* Intellectus Divinus eſt productivus termini , quia Divinus quomodocumque operans *neg. maj.* , quia Divinus operans modo aſſimilativo *conced. maj.* , *& diſt. min.* Voluntas eſt Divina operans aſſimilitativu modo *nega* ; operans diverſimodè *conced. min. & neg. conſeq.* Hoc citra dubium eſt : intellectus ùt Divinus termino communicat naturam in eſſe naturali ; & voluntas ùt Divina , ipſa etiam termino communicat naturam ſub eſſe naturali . Falsò tamen dicitur utraque potentia generare ; quia utraque non eodem modo operatur . Intellectus ſiquidem , ut dictum eſt , operatur modo aſſimilativo , & ſic generat . Voluntas adhoc ùt Divina , non operatur modo aſſimilativo , & ſic non generat .

Alia reſponſio contra Hæreticos .

Ad majorem elucidationem propoſitæ difficultatis ulteriùs adverto , quod natura Divina , ùt principium *quo* radicale proceſſionis Verbi in eſſe rei , & in ordine naturali Divino fœcundat intellectum Divinum juxta exigentiam ipſius . Cum autem intellectus adhuc ùt Divinus , exigat operari , ùt conſtituitus in actu per ſimilitudinem Divinam , quæ nihil aliud eſt, niſi ipſa Divina natura, ut inde producat Verbum , quod eſt ipſa actualis ſimilitudo objecti , ſeù ipſa natura in actu ſecundo intellecta : & quia modus ipſe operandi eſt per aſſimilationem , ideo natura Divina in eſſe rei fœcundans intellectum , fœcundat illum modo aſſimilativu , ut in eſſe rei producat ſuum terminum aſſimilativè , ac proindè generativè . Voluntas autem ùt Divina , non petit conſtitui in actu per ſimilitudinem Divinam ; ſed illam ſupponit in intellectu Divino ; & ideò non petit operari aſſimilativè , ſed impulſivè ; quapropter natura Divina non illam fœcundat aſſimilativè , ac per conſequens nec generativè . Hæc omnia conſtant ex paritate de anima . Natura Divina ſiquidem id eminentiſſimo modo facit cum ſuis proprietatibus , quod facit anima cum ſuis potentiis organicis ; ipſa enim non operatur eodem modo in omnibus , ſed ſecundum propriam exigentiam ; cum potentia generativa radicaliter generat , & terminum etiam principio radicali ſimilem producit ; cum augmentativa non generat , nec producit terminum principio radicali ſimilem , ſed auget , cum oculo videt , & modo proprio oculi , audit cum auditu modo ſuo proprio : ſic Divina natura cum intellectu aſſimilat , & generat : cum voluntate propagat , & inclinat : cum miſericordia miſeretur ; quia eſt forma eminentiſſima operans ſecundum exigentiam ſuarum proprietatum , & attributorum .

Natura Divina diverſimodo fœcundat intellectum , & voluntatem .

Anima diverſimodè operatur cum potentiis organicis .

54 OBJIC. 5. *& ultima* . Proprium eſt voluntatis producere terminum , qui ſit unio amantis cum amato . Ergo proprium eſt voluntatis perfectiſſimè amantis producere ſummam , & perfectiſſimam unionem amantis cum amato . Sed perfectiſſima , & ſumma unio eſt in identitate naturæ : ergo cum Divina Voluntas ſit perfectiſſima , producet hanc perfectiſſimam unionem identitatis , & pro termino formali habebit naturam Divinam , adeoque generabit .

INSTABIS a *paritate* . Licèt intellectus ex generali ratione non producat terminum ſimilem in natura , in ordine naturali , ſed ſolùm in ordine intelligibili ; tamen quò intellectus eſt perfectior , perfectiorem producit terminum , & ſi ſit perfectiſſimus , producit terminum perfectiſſimè ſimilem , adeoque in eſſe entis , & in ordine naturali . Ita licèt voluntas ex generali ratione voluntatis ſit productio ſolius unionis affectivæ ; tamen ex ratione perfectiſſima voluntatis erit productiva unionis perfectiſſimæ , adeoque in eſſe rei .

Suſtinentes naturam Divinam conſiſtere in intelligere , negant paritatem ; quia intellectivum , ut ita dicam , ordinis naturalis eſt in eſſe entis , & intellectivum ordinis intelligibilis ſunt in Deo ejuſdem lineæ ; & per conſequens ſi intellectus producit ſimilem in eſſe intelligibili , poteſt concludi , quod intellectus perfectior , & perfectiſſimus producat ſimilem in eſſe entis , & in ordine naturali . Appetitivum autem eſt omnino extra lineam naturæ ; unde ex majori , vel minori perfectione non poteſt deduci productio termini in identitate naturæ ; quia etiam ſummum affectivum eſt diverſæ lineæ a linea naturæ .

Intellectus perfectiſſimus producit ſimile in eſſe naturali .

Sed ab hac opinione abſtrahendo , conceſſo toto argumento , nihil contra dicta concluditur . Quia argumentum intendit probare , quod per proceſſionem communicetur Divina natura Spiritui Sancto , quod non impugnat concluſionem ; quia non probat , quod talis communicatio ſit generatio . Ad generationem enim , ut ſæpè dictum eſt , non attenditur , quod natura ſit communicata , ſed ad modum , quo communicatur . Præſens ratio concludit oppoſitum ; nam productio ſummæ unitatis amantis ad amatum eſt ea inclinatione , & impulſu in ſummum bonum , ſummè ſimile , ſummè attrahens , & alliciens .

Admiſſa , quod per voluntatem communicetur natura , tamen talis communicatio non eſt generatio.

CONCORDANTUR ALIQUA PATRUM DICTA .

55 QUamvis communiter Sancti Patres ad explicandam proceſſionem Spiritus Sancti non eſſe generationem , ratione utantur ſuperiùs explicatâ ; nihilominus cum ſparſim aliquas propoſitiones adhibeant ab aliquibus Theologis haud ſatis intellectas , propterea indigent explicatione .

S. *Baſilius* lib. 5. contra *Eunomium* videtur dicere , Verbum ideò genitum eſſe , quia illi communicatur natura fœconda in aliam perſonam : non ſic in proceſſione Spiritus Sancti , qui non generatur . Quæ ratio eſt falſa ; nam ſecundum doctrinam Concilii Lateranenſis ſub INNOCENTIO III. cap. 1. eadem omnino eſſentia , quæ eſt in Patre , & Filio , reperitur in Spiritu Sancto ; ſic enim habet : *Pater , & Filius , & Spiritus Sanctus tres quidem Perſonæ , ſed una eſſentia , ſubſtantia , ſeu natura ſimplex omnino* , Fundamentum autem eſt ;

In Divinis eſt una natura , una ſubſtantia , una eſſentia omninò ſimplex .

qoia

quia quidquid eſt abſolutum in Deo, reipſa tam Filio, quam Spiritui Sancto communicatur; ſed conceptus naturæ eſt quid abſolutum: ergo tam Filio, quam Spiritui Sancto communicatur. In Divinis enim omnia ſunt unum, niſi ubi ubviat oppoſitio relativa. Veruntamen in Spiritu Sancto non eſt alterius productiva, non quia de ſe vim non habeat producendi, ſed quia deeſt illi connotatum requiſitum ad producendum ſimile in natura; ſicut in Filio natura non eſt productiva alterius Filii ex defectu connutati, quod eſt in Patre; quo non obſtante nullus ex Catholicis dicet, Filio non eſſe communicatam eandem naturam, quæ eſt in Patre. Hæc tamen non criminantur dictum *Baſilii*, ſi modò tanti Doctoris eſt, de quo plures dubitant, ſed rectam habet explicationem a poſteriori; & eſt ſenſus: niſi Filius eſſet fœcundus in amorem, non procederet per intellectum, adeoque non eſſet genitus, cùm non procederet modo aſſimilativo. Intellectus namque eſt amoris principium, cum nihil volitum, quin præcognitum; hinc eſt, ut ſi Verbum non eſſet in amorem fœcundum, non eſſet per intellectum; & ideò concludit Sanctus Doctor Filio communicari naturam fœcundam, & ob hoc eſſe genitum: ſecus Spiritui Sancto, qui cùm ſit impulſus in bonum cognitum, ex ſuo conceptu non eſt alterius fœcundus.

Verbum eſt fœcundum in amorem.

56 S. *Athanaſius* ad Serapionem in Epiſtola de Spiritu Sancto dicit, Spiritum Sanctum non eſſe genitum, quia Verbo communicatur tota natura integra, & non tantùm pars; ut autem poſſet dari alius genitus, non deberet communicari integra natura; ideo enim in creatis multiplicantur Filii, quia diviſibiliter communicatur natura ſubjectivè. Hæc doctrina optima eſt, niſi eam in pravum ſenſum detorquera velimus; & ſic elucidatur. Si Spiritui Sancto communicaretur natura Divina generativè, & modo aſſimilativo, proceſſio Spiritus Sancti eſſet ejuſdem omnino ſpeciei cum proceſſiona Verbi. Utrobique enim eſſet æquale ſpecificativum. Hoc autem implicat, ubi natura integra uni communicatur, quia diſtiuctio numerica habetur a partibus ſubjectivis, quæ dari non poſſunt, quoties integritas, & plenitudo naturæ unica proceſſione exhauritur: poterit quidem pluribus modis ſpecie diverſis communicari, non autem pluribus ſolo numero diſtinctis. Supponit autem *Athanaſius*, generationem Verbi totam plenitudinem naturæ exhaurire; quia Verbi proceſſio eſt infinita in ſua linea, adeoque ambit totam latitudinem ſuæ rationis formalis communicandi; tum etiam, quia numerica diverſitas non datur, ubi non datur materia, ùt rectè docent Thomiſtæ. Adde: ſi poſſet duplex communicatio ſolo numero diverſa admitti in divinis proceſſionibus, non eſſet ratio, cur non multiplicarentur plures, & plures Filii; adeoque poſſent dari Filii Filiorum, ùt rectè deducit *Baſilius* contra Eunomium lib. 5. cap. 12.

Natura integra, & non pars Filio communicatur.

Verbi proceſſio eſt infinita in ſua linea.

57 Sanctus *Auguſtinus* duplicem aliam aſſignat rationem, cur Spiritus Sanctus non ſit per generationem. Prima habetur *lib. 3. de Trinit. cap. 27.*, & alibi, quam admittit D. *Thomas* de potent. quæſt. 10. art. 2. ad 11. Verbum ideo generari, quia ab uno: ſecus Spiritum Sanctum, quia a duobus. Secunda ratio habetur *lib. 5. de Trinitate cap. 14.*, aſſeritque Verbum genitum, quia procedit ùt quomodo natum, ſecus Spiritum; *exit enim non quomodo natus, ſed quomodo datus*. Utraque optima eſt, & conſona doctrinæ D. *Auguſtini* alibi traditæ.

Verbum generatur, quia ab uno, ſecus Spiritus Sanctus, quia a duobus.

Prima: quia Spiritus Sanctus procedit ùt amor mutuus Patris, & Filii, adeoque a duobus, ùt infra explicabitur: ſed hoc ipſo, quod procedit ùt amor mutuus duorum, nequit eſſe genitus: ergo hoc ipſo, quod procedit a duobus, non generatur. *Prob. min.* Ad generationem neceſſariò requiritur ſimilitudo, vel per modum termini, vel per modum rationis formalis *ſubqua*. Sed in proceſſione amoris mutui duorum nullo ex his modis ſimilitudo intervenit, quia ùt docet S. *Thomas* pr. par. quæſt. 27. art. 4. ad 2. Similitudo eſt principium amoris: ergo proceſſio amoris mutui duorum ſupponit ſimilitudinem inter illos duos; ac per conſequens, ſicut concludit D. *Thom.*, neceſſe eſt, ut amor non ſit genitus, ſed genitum ſupponat, atque ab eo originetur. Verbum verò, quia ab uno procedit ùt ſimile, ideò rectè dicitur genitum. *Secunda*. Quia diverſitas generationis a non generatione non deſumitur præciſè a natura communicata, quod ſæpè diximus, ſed a modo illam communicandi. Illa autem particula *exit ùt datus* egregiè modum explicat diverſum, quo Spiritui Sancto natura communicatur. Dicitur enim Spiritus Sanctus datus, quia ùt habet Angelicus Doctor *pr. parte quæſt.* 28. *art.* 1., eſt primum Donum, & primum Donum eſt primus amor procedens. Proceſſio autem amoris non eſt aſſimilativa, ac proinde nec generativa. Hinc optimè inſert *Auguſtinus*, Spiritum Sanctum non eſſe genitum, quia procedit ùt quomodo datus.

Spiritus Sanctus procedit ut mutuus amor Patris, ac Filii.

Similitudo eſt principii amoris.

Ratio generationis deſumitur a modo communicandi naturam.

58 S. *Cyrillus Alexandrinus* lib. 3. Theſauri cap. 1. defendit Verbum generari; quia procedit per modum imaginis; ſecus Spiritus Sanctus. Quam rationem apprubat S. *Anſelmus* in Monologio cap. 53.; nec rejicienda; quia de ratione imaginis naturalis eſt recipere naturam a communicante modo proprio aſſimilativo: accipere autem naturam modo aſſimilativo eſt generari; unde ubi deeſt ratio imaginis naturalis, deeſt ratio naturæ modo aſſimilativo, & generativo; quare *Cyrillus* rectè concludit ex defectu imaginis in Spiritu Sancto carentiam generativæ proceſſionis.

Spiritus Sanctus non habet rationem imaginis.

CONTROVERSIA V.

AN SCRIPTURIS CONSTET PROCESSIO SPIRITUS SANCTI A FILIO.

59 JAm præcipuam inter Latinos, & Græcos controverſiam aggredior, quæ ut clariùs, & accuratiùs examinetur, dividam controverſias. Prius tamen aliquos ex præcipuis tum recentioribus, tum antiquis auctoribus, qui Græcum errorem propugnaverunt, ſubjiciam. Quidam Controverſiſtæ hujus hæreſis auctorem *Eunomium* faciunt, allegantes S. *Baſilium* lib. 2. contra ipſum Eunomium, qui cùm in neganda Filii Divinitate Arianis conſentiret, Spiritum Sanctum

Eunomius *non fuit auctor hæreſis negantis proceſſionem Spiritus Sancti a Filio.*

negans a Filio procedere, eumque Deum eſſe, non videtur ipſius erroris anteſignanus, ſuppoſitâ ſcilicet utriuſque Divinitate. Quamobrem cum aliis Doctoribus primus auctor aſſeritur *Theodoretus*, qui in nono *Cyrilli* Alexandrini anathematiſmo blaſphemum affirmat eum, qui Spiritum Sanctum dixerit eſſe a Filio, aut per Filium. Hinc conjicitur, quare D. *Thomas* pr. par. quæſt. 36. art. 2. ad 2. primum hujus Hæreſis auctorem *Neſtorium* dixerit, eo quia Theodoretus circa annum 430. Neſtorio favebat, abs quo errore, ſicut ab aliis in Concilio Calcedonenſi S. *Leonis* operâ receſſit, atque Eccleſiæ reconciliatus eſt. Verùm cùm per id tempus Neſtorianorum cauſa ageretur error de Spiritus Sancti proceſſione altas radices non jecit; & quamvis aliqui huic adhærerent, propalam tamen illum docere non audebant. Hæc ad tempora uſque *Pippini* Regis, in cujus conſpectu in magno Concilio Gentiliaci celebrato inter Latinos, & Græcos, de hac veritate diſputatum eſt.

Theodoretus *Princeps fuit iſtius erroris, qui poſtmodum in Concilio Calcedonenſi ope ra S. LEONIS Papæ Eccleſiæ reconciliatus eſt.*

Coram Pippino *de hac veritate diſputatum eſt.*

Anno verò octingenteſimo circiter ſexageſimo inter utramque Eccleſiam apertiùs orta eſt contentio. *Photius* ſiquidem Conſtantinopolitanus Patriarcha Concilium congregavit, Librumque edidit, quo Spiritum Sanctum a ſolo Patre procedere proclamavit, cujus ſententiæ fuit èt *Theophilatus* in cap. 3. Joannis, ubi Latinos reprehendit, quaſi malè miſſionem Spiritus Sancti a Patre, Filioque Interpretantes. Cæterùm ſub LEONE IX. anno milleſimo quinquageſimotertio, aut quarto *Michael* Conſtantinopolitanus Patriarcha, a Romano Puntifice ob aſſertam Spiritus Sancti a duobus proceſſionem, a Catholica Eccleſia per Schiſma receſſit; fautoreſque poſtmodum habuit *Nicetam*, *Nicolaum Methonenſem*, alioſque plures ex Græcis, qui libris editis, Spiritum Sanctum ab utroque procedentem inficiati ſunt.

Fautores iſtius erroris.

Ex Occidentalibus in Græcanicam Hæreſim abiêre *Valentinus Gentilis* Protheſi 36., & 37. *Chriſtianus Francus* lib. contra Trinitatem, & alii, inter quos *Petrus Martyr* Epiſt. ad Romanos aſſerens diſputationem de Spiritus Sancti proceſſione a Patre, & Filio meram eſſe Scholaſticorum contentionem. Contra quos hanc ſtatuo cardinalem theſim.

60 DICO: Spiritus Sancti proceſſio a Filio ex Scripturis conſtat. *Prob.* 1. In Divinis accipere ab alio, eſt ab eo procedere; ſed Spiritus Sanctus accipit a Filio: ergo ab illo procedit: *Maj. prob.* Filium a Patre procedere, eſt ab eo accipere, quidquid habet, juxta illud *Omnia, quæ habet Pater, dedit Filio, omnia, quæ habet Pater, mea ſunt*. Et Joannes Theologus ſeſs. 18., & 19. Concilii Florentini demonſtravit apud Sanctos Patres idem omnino eſſe unam Perſonam Divinam ab alia procedere, ac ab ea accipere. *Minor* habetur Joann. 16. v. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Non autem poteſt a Filio ſolam ſcientiam accipere, ſed neceſſe eſt, ut aſſentiam accipiat: ſicut quia Filius a Patre accipit, non ſolùm ſcientiam, ſed etiam eſſentiam accipit.

61 *Illuſtratur primò* argumentum ex præcedentibus verbis. Filium a Patre audire, eſt ab eo procedere, ùt de ſe ipſo ait: *Quæ audivi a Patre meo, annunciavi vobis*. Non enim aliter Filius a Patre audit, niſi quatenus ùt Verbum a Patre dicente productum: ſed Spiritus Sanctus a Filio audit, quæ annunciat: ergo Spiritus Sanctus a Filin procedit: *Min. habetur* Jo. 16. v. 13. *non enim loquetur a ſe metipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur*, & utique a Filio audiet, ideoque ſubdit v. 54. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Ubi Spiritus Sanctus illud dicitur annunciare, quod audit, & id annunciare, quod accipit, ac proinde idem eſt audire, & accipere; accipit a Filio: ergo a Filio audit: & revera quid anditur, niſi Verbum, & loquens per Verbum? Si ergo Filius eſt Verbum, Spiritus Sanctus Patrem non audit loquentem, niſi medio Filio.

Sicuti Filius a Patre audire eſt ab eo procedere, ſic Spiritum Sanctũ a Filio audire eſt ab illo procedere.

62 *Illuſtratur ſecundò*. Eodem modo dicitur Filius a Spiritu Sancto clarificandus, quo Filius clarificavit Patrem: ſed Filius clarificavit Patrem docendo ſe habere a Patre, quæ docuit, & ab illo procedere: ergo etiam Spiritus Sanctus Filium clarificabit annunciando ſe ab ipſo procedere, & docendo, quæ ab ipſo accepit. *Min. habetur* Joan. 17. verſ. 4. *Ego te glorificavi, ſuper terram .... Manifeſtavi nomen tuum hominibus .... Nunc autem cognoverunt, quia omnia, quæ dediſti mihi abs te ſunt, quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt, & cognoverunt, quia a te exivi*. Major patet; capite enim ſuperiori v. 12 de Spiritu Sancto dicitur: *non enim a ſemetipſo loquetur, ſed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Ecce conſimiles cauſales. Clarificavi; quia a te exivi: clarificabit; quia de meo accipiet: clarificavi; quia manifeſtavi: clarificabit; quia annunciabit. Ergo.

Spiritus Sanctus clarificat Filium.

Nec refert modus loquendi in futuro *accipiet*, perinde ac ſi dum Chriſtus hæc dicebat, totum, quod Spiritus Sanctus habet, nondum accepiſſet, nec jam non eſſet Deus, ſed creatura mutabilis indigens aliquid de novo accipere, quo perficiatur. Dicitur in futuro *accipiet*; quia æternitas, qua Divinæ proceſſiones menſurantur, complectitur omnia tempora, ùt Sanctus *Auguſtinus* in hunc locum habet: ERIT, FUIT, EST. ERIT; QUIA NUNQUAM DEERIT: FUIT; QUIA NUNQUAM DEFUIT: EST; QUIA SEMPER EST. Quinimmo ſolet Scriptura varia tempora in ſuis locutionibus deſignare. Cùm autem Spiritus Sanctus eſſet mittendus ad Apoſtolos; de hoc exprimitur per verbum de futuro *accipiet*; nempe quando mittetur id, quod ab æterno accepit, annunciabit.

Explicatur quare Chriſtus in futuro dixerit: accipiet.

63 Huic argumento dupliciter reſpondent *Theophilactus*, & *Eutimius*; primò explicant *de mea accipiet*, ideſt nihil contrarium his, quæ ego docui, ipſe docebit: ſecundò *de meo accipiet*, ideſt de meo Theſauro, qui eſt Pater: ergo non eſt a Filin, ſed a ſolo Patre.

Sed contra primam expoſitionem ſtat apertè litteralis textus. Illa enim accipit, quæ loquitur, ſed quæ loquitur, non habet a ſe: *Non enim a ſemetipſo loquetur*: ergo habet ab alio: ergo quando dicitur a Filio accipere, quæ annunciat, non eſt ſenſus ipſum locuturum conſonè ad doctrinam Chriſti, ſed locuturum ea, quæ verè accipit a Chriſto: ſicut quan-

Spiritus Sanctus non ſolũ loquitur conſona ad doctrinam Chriſti, ſed ea, quæ verè accipit ab illo.

quando Chriſtus dixit, ſe mundo prædicare, quæ a Patre accepit, ſenſus non eſt, ſe minimè dicere contraria his, quæ Pater per Prophetas dixit, ſed revera doctrinam a Patre accepiſſe, eamque Mundo manifeſtaſſe.

Quæcumque habet Pater, ſunt etiam Chriſti præter eſſe Patris.

Contra ſecundam ſtat etiam litera: addens rationem, cur de ſuo accipiet, Chriſtus: *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi; quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Jo. 16. v. 15. Quaſi dicat, omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt, præter eſſe Patris: ſed vis ſpirativa eſt in Patre, nec eſt eſſe Patris: ergo vis ſpirativa mea eſt, ſeu eſt in me, ac proinde a me procedit; & hæc eſt ratio, cur ego dixi, de meo accipiet. Quam ratiocinationem repetit *Cyrillus* pluribus in locis, & præcipuè in Dialogo ad Hermiam, aſſerens coæternum Filium Patri, & quodcumque aliud æquale habentem citra generare tantùm, cum hoc ſoli Deo Patri conveniat. Accipe verba Doctoris. Sermo autem magis eò tendit, ut oporteat intelligere ea ſubſtantia Dei, & Patris per veram nativitatem natum eſſe Filium, *Deum verum ex Deo vero . . . excepta ea, quod ſit Pater*. Illud igitur *de meo* pertinet ad rationem principii, & eſt notionale. Pronomen ſiquidem *meum* abſolutè prolatum, & abſque ullo additamento cadit ſupra perſonam loquentem, & non ſupra aliquid extrinſecum ad ipſam perſonam pertinens. Quando enim cadit ſupra aliquid extrinſecum, adjacens eſt, & non niſi cum recto ponitur, & ſic dicitur meus ſervus, mea domus, meus Pater &c. Ulteriùs in ſenſu adverſariorum textus reddit hunc ſenſum *de meo accipiet*: idest a Patre accipiet Divinitatem ut ſit Deus, ſicut ego ſum: ſed iſte ſenſus literam diſtorquet: ergo non eſt legitimus. *Explicatur minor*: contextus ſonat Spiritum Sanctum aliquid a Filio accipere; dicit enim *ille me clarificabit; quia de meo accipiet*. Sed quonam modo illa cauſalis ſit vera, *quia de meo accipiet, clarificabit me*, ſi a Filio nihil accipit, ſed a Patre tantùm? Eadem veritas roboratur ex alia cauſali. *Quæcumque habet Pater, mea ſunt; propterea dixit, quia de meo accipiet*. Videtur enim ad literam reddere hunc diſcurſum: Spiritus Sanctus accipit a Patre, quæ ſunt Patris: ſed quæ ſunt Patris mea ſunt: ergo Spiritus Sanctus de meo accipiet: ſed non poteſt accipere, quæ ſunt Patris, niſi ab illo procedendo: ergo non poteſt accipere, quæ mea ſunt, niſi ex me procedendo. Quare ly *de meo* non excludit vim principiativam, at ſolummodo ſignificat Filium non eſſe omninò primum principium, ſed ideò principiare Spiritus Sancti productionem, quia virtutem ſpirativam a Patre accipit, quod denotatur per illa verba: *Quæcumque habet Pater*, &c. Dixit etiam *de meo*, non ex me ad innuendum, quòd Spiritus Sanctus non accipit totum, quod eſt Filii, eſſentiam ſcilicet, & Filiationem, ſed dumtaxat eſſentiam, quæ eſt communis Patri, Filioque.

Dupliciter poteſt intelligi pronomen meum.

A Patre, & Filio accipit Spiritus Sanctus eſſentiã, quæ eſt communis utrique, non verò propria utriuſque Paternitatem ſcilicet, & Filiationem.

Miſſio dicit exitũ ab alio ſecundũ originem.

PROBATUR *ſecundò* Catholica veritas. Inter Divinas Perſonas non datur miſſiò, niſi ſecundùm originem. Sed Spiritus Sanctus mittitur a Filio; ergo a Filio habet originem. *Mio. habetur* Joann. 18. verſ. 16. *Cum autem venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*: & cap. 16. verſ. 7. *Si enim non abiero, Paraclytus non veniet ad vos: ſi autem abiero mittam eum ad vos*. Maj. prob. Miſſio eſſentialiter importat auctoritatem, & ſuperioritatem in mittente ſupra miſſum, ut patet in Principe reſpectu Legati, in Domino reſpectu Servi, & ex ipſo verbo *miſſio*, quod ſonat exitum ab alio, aut ab alio dependentem. Sed inter Divinas Perſonas non datur auctoritas, & ſuperioritas, niſi originis; ſunt enim in omnibus aliis omnino æquales; & ideò dicit D. *Thom.* pt. pat. q. 43. art. 1. ad prim. *Miſſio in Divinis non importat, niſi proceſſionem originis, quæ eſt ſecundùm æqualitatem*.

64 DICUNT GRÆCI, quòd etiam Filius dicitur miſſus a Spiritu Sancto. Iſaiæ 48. verſ. 16. *Nunc Dominus miſit me, & Spiritus ejus*. Sed Filius non procedit a Spiritu Sancto: ergo ex eo, quòd Spiritus Sanctus dicatur a Filio mitti, non arguitur ab illo procedere.

Spiritus Sanctus mittit Filium, ut homo eſt, non ut Deus.

Sed contrà. Inſtantia ſiquidem nobis ſavet: eà enim ratione, quà Spiritus Sanctus mittit Filium, eſt eo Superior, & ab eo exit: mittitur enim ùt homo, non ùt Deus; ſicut S. *Lucas* cap. 4 v. 14. explicat, & refert dictum Iſaiæ cap. 6. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde* &c. Spiritus Sanctus autem eſt Chriſto Superior quà homo, & ab eo exit, exitu tamen diſtincto realiter in eſſentia. Cùm verò Spiritus Sanctus in Perſona mittatur a Filio, neceſſe eſt Filio eſſe inferiorem, non in eſſentia: ergo ſecundùm originem.

65 DICUNT SECUNDO. Spiritum Sanctum mitti proceſſione morali, & quatenus ſuis meritis obtinuit a Patre ejus adventum; & ideo dixit: *quem ego mittam vobis a Patre*. Rurſus Joan. 18. v. 16. *Et ego rogabo Patrem, & aliam Paraclytum dabit vobis*.

Ar perperam miſſio Spiritus Sancti a Filio intelligitur de miſſione morali. Etenim verbum illud *mittam* abſolutè prolatum non infert ſolam proceſſionem moralem, ſed majorem auctoritatem; aliter poſſet dici Pater a Filio mitti; quandoquidem Filius ſuis meritis cauſa eſt, quòd Pater ad nos veniat juxta illud Jo: 14. v. 13. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus*. Ut autem hæ, & aliæ id genus objectiones clariùs diluantur cum D. Thoma *pr. par. quæſt.* 43. & 18. 1. *Sentent.*: & *in Opuſculis contra Græcos*. In miſſione duplex intervenit habitudo, vel quaſi habitudo. Prima eſt habitudo miſſi ad principium mittens: altera eſt habitudo miſſi ad terminum, cui mittitur, quæ ſemper involvit, vel connotat aliquem effectum de novo productum, & creaturæ communicatum ex vi miſſionis a perſona miſſa. Prima habitudo importat eſſentialiter auctoritatem mittentis ad miſſum; & quia in Divinis non admittitur alia auctoritas, niſi penes originem: ideo in Divinis una Perſona nequit ab alia mitti, niſi ab ea procedat: quod ipſimet Græci confitentur teſte S. *Thoma* in Opuſculo citato, & *Beſſarion* in Opuſculo de proceſſione Spiritus Sancti. Se-

In miſſione duplex invenitur habitudo, vel quaſi habitudo.

Prima habitudo importat auctoritatem mittẽtis ad miſſum, ſecunda importat novũ modum eſſendi Perſonæ miſſæ in termino.

cunda habitudo importat novum modum eſſendi Perſonæ miſſæ in termino, cui mittitur, ratione effectus temporalis, qui de novo producitur. His ita explicatis, quando Scriptura locis in argumento noſtro allegatis, ait, a Filio mitti Spiritum Sanctum, in recto ſignificat miſſionem ſecundùm primam habitudinem, & in obliquo importatur ſecunda habitudo; ideo apprimè concluditur proceſſio Spiritus Sancti a Filio. Per alios verò textus in objectione allatos miſſio, ſeù datio in recto accipitur pro ſecunda habitudine, & in obliquo pro habitudine prima. Quoniam verò ſecunda habitudo includit effectus creatos, ac productos gratiæ ſcilicet, & charitatis, quos nobis meruit Chriſtus, & a Patre impetravit, proinde Chriſtus ponitur, quaſi rogans, ex quo concluditur proceſſio moralis ſolùm in ordine ad productionem effectus, non verò quoad miſſionem perſonæ. Quod autem dicatur abſolutè in Scriptura Spiritus Sanctus dari a Filio, præter citata in noſtra ratione, alia indicant verba Joan. 4. v. 13. *In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis*: & Act. 5. v. 32. de Spiritu Sancto dicitur, *quem dedit Deus omnibus obedientibus ſe*.

66 DICUNT TERTIO *Græci*: Spiritum Sanctum non mitti, quoad internam ſubſiſtentiam, & Perſonam, ſed quoad externam donorum largitionem gratiæ, & charitatis.

Aliquando cum donis mittitur ſubſtantialiter Spiritus Sanctus.

Veruntamen hæc reſponſio adverſatur Scripturis. In ipſis enim dicitur cum donis miſſus etiam Spiritus Sanctus ſubſtantialiter, ùt ad Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*: hic habetur perfecta diſtinctio donorum, & Perſonæ; & etiam 1. ad Corinth. 6. v. 19. *Membra veſtra ſunt Templum Spiritus Sancti, qui in vobis eſt*. Omitto Sanctos Patres, qui abſolutè dicunt ipſum Spiritum Sanctum a Filio mitti. Sicut ergo, ubi ponitur miſſio Filii a Patre, non intelligitur ſola largitio donorum, quæ Filio appropriantur, ſed Perſona; ita cùm dicitur Spiritus a Filio mitti, non intelligitur ſola largitio donorum, quæ Spiritui Sancto attribuuntur, ſed ipſa ſubſiſtens Perſona.

Spiritus Sanctus in Scripturis dicitur Spiritus Filii.

67 PROB. TERTIO *Concluſio*. Spiritu Sanctus nequit eſſe, & appellari Spiritus Filii, niſi ſit a Filio; ſed in Scriptura verè dicitur Spiritus Filii: ergo verè a Filio procedit. *Min. habetur* ad Rom. 8. v. 9. *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus* Act. 16. v. 7. *Tentabant ire ad Bithyniam, & non permiſit eis Spiritus Jeſu*. Joan. 15. vocatur Spiritus veritatis, hoc eſt Chriſti, qui eſt Via, Veritas, & Vita. *Major explicatur*. Caſus ille genitivus Spiritus Filii genealogiam, & productionem importat, ùt cùm Scriptura Beatæ Virginis genealogiam explicat, dicit: *qui fuit Heli, qui fuit Abraham*; & quia Verbum dicitur Filius Patris, ideo a Patre producitur, & denotatur illius generatio. Rurſus ſicuti dicitur Spiritus Patris Matth. 10. v. 20. *Spiritus Patris veſtri loquitur in vobis*: ita dicitur Spiritus Filii; ſed non dicitur Patris, niſi a Patre procedat: ergo non dicitur Filii, niſi a Filio procedat. Deinde ùt arguit S. *Thomas*; vel appellatur Spiritus Filii abſolutè, vel appellatur ejus, ùt quando dicitur Spiritus ejus; ſi appellatur abſolutè, neceſſe eſt Filium habere auctoritatem in Spiritum Sanctum; quia nequit aliquid abſolutè eſſe alterius abſque auctoritate, & ſuperioritate. Sed in Divinis non eſt alia auctoritas niſi originis: ergo Spiritus Sanctus eſt Filii per proceſſionem. Si dicitur ejus, ùt Spiritus ejus, etiam importatur proceſſio; quia Spiritus Sanctus eſt terminus perſonalis, & diſtinctivus, & omne nomen perſonale, & diſtinctivum importat relationem originis. Ulteriùs non poteſt dici Spiritus Filii, vel quia procedit uterque ab eodem principio in eadem conſubſtantiali natura; nam hoc modo etiam Filius dici poſſet Spiritus Sancti; & iſte modus unitatem potiùs Filii, & Spiritus Sancti ſignificat, quàm diſtinctionem, cùm tamen hæc duo nomina notionalia ſint, & propria: vel quia Chriſtus eſt pleno Spiritu Sancto, ſeu donis ejus; & hoc non: nam Spiritus Sanctus eſt Chriſti, non ùt habentis Spiritum, ſed ùt dantis, & ideo Act. 5. v. 32. dicitur *Spiritus Sanctus, quem dedit Deus, omnibus obedientibus ſibi*. Multominus dicitur Filii ratione ſubjectionis, ùt ex ſe conſtat; eſt enim Deus: ergo ratione proceſſionis. Argumentum hoc magni fecerunt Sancti Patres, & paſſim contra Græcos protulerunt. Sufficiat auctoritas Divi *Cyrilli* lib. 13. Theſauri cap. 3. circa medium: *Oſtendens*, inquit, *Chriſtus Dominus Spiritum Sanctum ex ſubſtantia Patris, & Filii eſſe*: *Spiritus, inquit, veritatis, qui a Patre procedit*; & *Auguſtinus* tract. 99. In Jo: hoc unico motivo præſentem demonſtrat veritatem.

Spiritus Sanctus non eſt Filii, quia ex eodem principio procedit, nec quia Chriſtus eſt plenus Spiritu Sancto, nec ratione ſubjectionis, ſed ratione proceſſionis.

68 Plura habet alia ex Scripturis argumenta S. *Thomas* Opuſc. pr. contra Græcos; lib. 4. contra Gentes cap. 24.; de Potent. quæſt. 10. art. 4., & in Sententiis additis Patrum doctrinis, quorum aliqua ad uberiorem copiam ſubjicio. Primus ſit locus ille Jo: 20. v. 22. *Inſufflavit, & dixit eis accipite Spiritum Sanctum*; quà ceremonià ſignificare voluit, ſe ex corde ſuo, & ſinu ſuo vitaliter producere Spiritum Sanctum: quæ ratio licèt a Theophilacto nullo adducto argumento, aut reſponſione irrideatur: nihilominus a SS. Patribus approbatur: & maximè ab *Auguſtino* lib. 3. in Maxim. cap. 14., & alibi locis a *Macedon.* relatis: a *Cyrillo* lib. 12. in Joan. cap. 56. Supradictæ auctoritati conſonat illud Pſalm. 32. v. 6. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Os Patris Filius eſt cum ſit ejus Verbum; & Spiritus Sanctus dicitur Spiritus oris Verbi; quia ſicut ab ore materiali flatus materialis erumpit: ſic a Verbo Spiritus Sanctus producitur. Secundus ſit: ad Hebræos 9. v. 19. *Quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit*: ad Rom. 13. v. 18. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam gentium, verbo, & factis: in virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti*. Quibus locis Chriſtus dicitur operari per Spiritum Sanctum. Quandocumque autem unus operatur per alium, oportet, vel ut operans det virtutem operativam ei, per quem operatur, vel econtra. In Divinis Perſonis virtus operativa eſt eſſentia: ſi ergo Filius

Cærimonia inſufflationis ſignificat proceſſionem Spiritus Sancti a Filio.

Chriſtus operatur per Spiritum Sanctum: adeoque eſſentiam illi communicat.

Filius operetur per Spiritum Sanctum, oportet, vel ſit principium operandi Spiritui Sancto, vel econtra: hoc ſecundam dici non poteſt; ergo primum: ideoque Filius Spiritui Sancto eſſentiam communicet. Tertius eſt ad Epheſ. 1. v. 13. *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto*: ex quo apparet eſſe ſigillum, & carecterem Filii: conſtat eutem caracterem, & ſigillum derivari ab eo, cujus ſunt.

SOLVUNTUR GRÆCORUM ARGUMENTA EX SCRIPTURIS.

69 OBJIC. I. *Dionyſius* de Divinis nominibus cap. 1. *Non eſt*, inquit, *audendum dicere aliquid, neque cogitare de ſuperſubſtantiali occulta Divinitate præter ea, quæ divinitùs nobis ex ſacris eloquiis ſunt expreſſa*; ſed nullibi in Scripturis exprimitur Spiritus Sancti proceſſio a Filio: ergo non eſt aſſerenda. *Minor patet*; quia nullus expreſſus locus effertur a Latinis. Huic argumento maximè fidunt Græci; in re enim tanti momenti nemo dixerit, defeciſſe nobis Deum, nec ſatis clarè tale myſterium revelaſſe.

RESP. *neg. min. Ad probat. diſting.* Si pro *expreſsè* intelligatur, in Scriptura deeſſe hæc verba: *Spiritus Sanctus a Filio procedit*; concedo: ſi pro *expreſsè* intelligatur in Scriptura clarè ſatis non declarari, & exprimi Spiritus Sancti proceſſionem a Filio, *nego*. Pluribus jam oſtendi veritatem hanc in ſacris litteris patére, non quidem primâ, benè verò ſecunda expreſſione. Quod conſtat a paritate proceſſionis Filii e Patre. Proceſſio enim Filii a Patre aliquando proponitur nobis per verbum *genui*; aliquando per verbum *exivi*, *dare*, *mittere*, & ſimilia, quæ quidem verba clarè accipiuntur, ùt explicativa proceſſionis Verbi a Patre. Immò proceſſio Spiritus Sancti e Patre per ipſos Græcos nonne benè, & dilucidè exprimitur per verbum *mittere*, *dare*? Per hoc, quod dicetur Spiritus Patris, ſicut conſtabit argumento ſequenti? Cur ergo luculenter, & expreſsè per eadem verba non declarabitur proceſſio Spiritus Sancti a Filio? Nonne lucido ſatis ordine genealogiam Virginis Sanctus *Lucas* propoſuit ſub hac phraſi: *Qui fuit Heli, qui fuit Abraham, qui fuit Jacob*; ac Matthæus ſub hac alia. *Abraham genuit Iſaac, Iſaac genuit Jacob*, &c.? Nonne ergo exprimetur clarè proceſſio Spiritus Sancti e Filio per hoc, quòd dicatur *Spiritus ejus*, ſicut explicatur per verbum *procedit*?

70 OBJIC. 2. Scripture poſitivè aſſerit Spiritum Sanctum a ſolo Patre procedere: ergo non procedit a Filio: *Ant. hab.* Jo: 15. v. 16. *Cum venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Hic dicitur expreſsè e Patre procedere, & non ſit mentio Filii: ergo poſitivè excluditur. *Prob. conſeq.* quia Spiritus Sanctus dicitur hic e Patre procedere nulla facta mentione generationis, ideò poſitivè dicimus Spiritum Sanctum non generari; quia *Matthæi ultimo* ſit mentio trium tantùm perſonarum, poſitivè excludimus e Divinis quaternitatem. Ergo quia in dicto textu ſit tantùm mentio proceſſionis e Patre, poſitivè excluditur Filius. Hoc argumento uſus eſt *Marcus Epheſinus* in Concilio Florentino ſeſſ. 23. diſputans cum *Joanne Theologo*.

Ad argumentum *reſpondetur* primò cum D. *Auguſtino* lib. 3. ad Maximum cap. 14. in dicta auctoritate ſit etiam mentio de Filio; quia ibi ſit mentio Patris, quia Pater eſt primus fons, & origo ſpirativæ virtutis, & ab ipſo talis virtus derivatur ad Filium. Cùm autem Filium in eſſe Spiratoris non ponat in numero cum Patre; ideo non excluditur Filius e ratione principii Spiritus Sancti. *Dico ſecundò* cum *Anſelmo* lib. de proceſſione Spiritus Sancti. Etiamſi in Scripturis diceretur, Spiritus Sanctus non procedere niſi e Patre: haud tamen excluderetur Filius. Sicuti de facto Spiritus Sanctus agnoſcit Patrem, etiamſi Matthæi 11. v. 27. dicatur: *nemo novit Patrem niſi Filius*. Nec Filius, & Spiritus Sanctus diem Judicii ignorant, etiamſi dicatur Marci 13. v. 32. *De die autem illa, vel hora, nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, niſi Pater*. Rationem ab utroque Doctore deſumptam dat D. *Thomas* loco cit. In Sacra Scriptura quidquid dicitur de una Perſona, de altera debet intelligi, etiam ſub particula excluſiva, præter ea, quæ pertinent ad formalem diſtinctionem unius ab altera propter ſummam communicationem omnium in identitate naturæ; & ideo plures hujuſmodi propoſitiones occurrunt in Scripturis, quæ unius, vel alterius Perſonæ mentionem faciunt. Principium verò ſpirativum non pertinet ad formalem diſtinctionem Patris, & Filii; ac proinde hoc ipſo, quod de uno dicitur, de alio etiam intelligitur.

Quomodo debeant intelligi in divinis, particulæ excluſivæ, quæ in Scripturis reperiuntur.

Principium ſpirativum non pertinet ad formalem diſtinctionem Patris, & Filii.

Deinde cum omnibus ferè Patribus DICO in dicto textu fieri expreſſam Filii mentionem ſub illo nomine *mittam*. Miſſio enim, ùt jam declaravi, importat auctoritatem in mittente ſupra miſſum, quæ in Divinis non eſt, niſi originis. Dicit autem *mittam vobis a Patre*, quia Filius virtutem miſſivam tanquam e fontali principio habet a Patre; rurſuſque addit, *qui a Patre procedit*, ut propalem fiat, non ſolummodo Filium eſſe immediatum principium ſpirativum, ùt aliqui Hæretici apud *Cyrillum* innuebant. Quare per prima verba non excluditur ratio principii a Filio: neque per ſecunda importatur ſola cauſalitas e Patre, ſed vere utriuſque immediata Spiritus Sancti activa productio.

Miſſio importat auctoritatem in mittente.

Hinc patet, cur ex allata auctoritate eruatur, Spiritum Sanctum non generari; neque enim ibi talis ſit mentio generationis, ut nullibi reperiatur, quòd Spiritus Sanctus generetur: & aliàs alibi poſitivè dicitur, quod ſolus Filius generetur, & quod una tantùm in Divinis poſſit eſſe generatio. Ex Cap. ultimo *Matthæi* certò quidem excluditur quaternitas Perſonarum; ſed hoc ideo eſt, quia nullibi ponitur verbum æquivalens quaternitati. Hoc autem in noſtro caſu non verificatur; quià licèt aliquando expreſsè non ponatur proceſſio Spiritus Sancti a Filio: pluribus tamen locis vel expreſsè, vel æquivalenter ponitur, ùt ſupra demonſtratum eſt.

Nullibi reperitur, quod Spiritus Sanctus generetur, nec quod in Divinis detur quaternitas Perſonarum.

71 OBJIC.

71 OBJIC. 3. Solus ille Spiritum Sanctum producit, qui in eum habet naturalem auctoritatem; ſed eam ſolus habet Pater; ergo. *Prob. min.* Solus ille habet naturalem auctoritatem in Spiritum Sanctum, qui poteſt illum promittere, & dare. Sed ſolus Pater poteſt illum promittere, & dare. Ergo. *Min. oſtenditur* Lucæ ultimo v. 49. ubi dicitur: *Et ego mitto promiſſum Patris in vos*. Promiſſum Patris dixit: ergo Pater eſt, qui promittit, non verò Filius. Rurſus Joann. 14. v. 26. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis*: ego rogabo, ſed Pater dabit. Ecce in ſolo Patre naturalis auctoritas promittendi, & dandi Spiritum Sanctum.

Filiam in Filio datur naturalis auctoritas in Spiritum Sanctū.

RESP. *neg. min.* ad probationem aio in allatis textibus contineri etiam naturalem auctoritatem Filii in Spiritum Sanctum. In primo habetur abſolutè: *& ego mitto*: nequit autem Filius Spiritum Sanctum mittere, niſi iſte ab illo procedat. Neque enim ex eo, quòd dicatur *promiſſum Patris*, excluditur promiſſio Filii; habemus enim ab ipſo etiam promiſſionem, ùt Joann. 16. v. 4. *Si autem abiero, mittam eum ad vos*. In ſecundo poſt allata verba ſubditur: *Paraclytus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*. In nomine meo, inquit, ad denotandum, etiam Filium concurrere in tali datione.

72 OBJIC. 4. Si Spiritus Sanctus a Filio procederet, deberet eſſe amor Filii: ſed juxta Scripturas, Spiritus Sanctus non eſt amor Filii. Ergo. *Prob. min.* Amor Filii in Patrem eſt amor debitus; quia eſt accipientis; amor Spiritus Sancti eſt gratuitus, juxta illud 1. ad Corint. 12. *Diviſiones verò gratiarum ſunt; idem autem Spiritus*. Sed amor debitus alius eſt ab amore gratuito: ergo amor Filii non eſt Spiritus Sanctus.

Dupliciter ſumitur amor gratuitus.

RESP. Amorem gratuitum dupliciter accipi. Primò prout opponitur mercenario: ſecundò prout dicit non eſſe ab alio. Primo modo tam amor Filii, quam Spiritus Sancti dicitur gratuitus; eſt enim amor amati propter ſe ipſum, non autem propter aliquod extrinſecum motivum mercedis, aut fructus. Secundo modo amor Patris ſolummodo eſt gratuitus; quia non eſt ab alio. Amor verò Filii, & Spiritus Sancti non eſt gratuitus; quia eſt ab alio. Neque id ſignificat quicquam incongruum; ſicuti nil minus congruum importat, quod amor Patris non ſit debitus, cum ſit dantis; ſit autem debitus amor Filii, cum ſit accipientis. Non enim Sancti Patres amorem debitum ſumunt in Divinis pro amore cadente ſub obligatione; ſed pro amore, qui eſt ab alio: gratuitum verò pro amore, qui non eſt ab alio. Auctoritas *Pauli* probat per Spiritum Sanctum nobis gratis dari dona gratiæ; ac perperam applicatur amori ad intra.

73 OBJIC. 5. Filius procedit a Patre velut quidam ſplendor: quocirca in Symbolo dicitur *lumen de lumine*. Spiritus Sanctus procedit tanquam calor; ideoque Act. 2. v. 3. habetur, *& apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis*. Sed calor a ſplendore non procedit; ſunt enim diſparata, & ſeparabilia: ergo neque Spiritus Sanctus a Filio.

RESP. *neg. min.* Optimè enim calor a ſplendore procedit: corpora ſiquidem cœleſtia media luce calefaciunt. Veruntamen in inferioribus aliquando calor, & ſplendor ſeparantur, & diſparatè ſe habent inter ſe: Cæterùm in Divinis ſervant ordinem originis, nec unus ab alio ſeparatur, aut diſparatè ſe habet propter dicta, & fuſiùs infra dicenda.

CONTROVERSIA VI.

AN TRADITIONIBUS CONSTET PROCESSIO SPIRITUS SANCTI A FILIO.

INficias eunt Græci ſatis conſtare ex verbo Dei tradito, proceſſionem Spiritus Sancti a Filio; deceptique aliquibus loquendi modis autumant ſibi Patres favere. Itaque ad accuratam hujuſce theſis diſcuſſionem, antiquitatis monumenta enucleemus oportet, atque ea præſertim, quæ a Græcis æqui, bonique fiunt. At brevitati conſulam; cum ſæpius a Latinis fuſè probata ſit univerſalis Eccleſiæ traditio de Spiritus Sancti a Filio proceſſione.

74 DICO *igitur*. Traditione conſtat Spiritus Sancti proceſſio a Filio. *Prob.* 1. Conciliorum univerſalium Græcis, Latiniſve Patribus auctoritate coaleſcentium. Concilium Epheſinum approbat *Cyrilli* Epiſtolam, in qua expreſsè Spiritus Sancti proceſſio a Filio ponitur his verbis. *Quamvis enim in ſua ſit ſubſtantia Spiritus ejus, & intelligatur in Perſona proprietas, juxta id, quod Spiritus eſt, & non Filius; attamen alienus ab illo non eſt. Nam Spiritus appellatus eſt veritatis, & veritas Chriſtus eſt; unde & ab iſto ſimiliter ſicut ex Deo Patre procedit*. Probatque hoc inſuper infra verba Salvatoris adducendo *de meo accipiet*, quæ de proceſſione a Filio dicta explicat, & non propter conſubſtantialitatem cum illo. Lecta eſt Epiſtola actione pr. poſt Epiſtolas *Cæleſtini* Papæ, quamvis a Collectoribus Conciliorum non eodem loco ab omnibus ponatur; aliqui etiam loco verbi *procedit*, ponunt, *effunditur*, *emittitur*, ſed idem ſignificat.

Concilium Epheſinum anno 431. contra Neſtorii celebratum ſub Cæleſtino I. cum Cyrillo Alexandrino Sede Apoſtolica Legato, ducentos Patres habuit aſſeſſores.

75 Concilium Chalcedonenſe ſeſs. 2. approbat eandem D. *Cyrilli* Epiſtolam cum Symbolo Nicæno, & non ſolùm quoad ea, in quibus tractat de unica Perſona Chriſti, & de vera in Beata Virgine Maria Maternitate Dei, ſed etiam quoad alia omnia, integramque recepit his verbis: *Epiſtolas Synodicas Beatiſſimi* Cyrilli *Alexandrinæ Eccleſiæ Præſulis ad Neſtorium, & Orientales, congruenter habentes, amplexa eſt ad convincendas Neſtorii veſanias, & ad interpretationem eorum, qui ſalutaris Symboli zelo noſſe deſiderant intellectum*. Verbis hiſce luculentiſſimis pandit ſe approbaſſe, quæ ad totam Symboli doctrinam pertinent, in quo utique proceſſio Spiritus Sancti a Filio continebatur.

Concilium Chalcedonenſe anno 451. celebratum ſub S. Leone contra Eutychen, & Dioſcorum prò duabus in Chriſto naturis 636. Epiſcopi interfuerunt.

76 Concilium Conſtantinopolitanum II. actione ſexta integram ejuſdem *Cyrilli* Epiſtolam adducit, & approbat; cujus doctrinæ etiam actione octava mentionem fecit, tametſi nomine *Cyrilli* haud expreſſo.

Concil. Conſtantinopolit. II. an. 453. pro celebris de tribus Capitulis decidenda lite, & contra Origenis doctrinam ſub Vigilio Epiſc. 165.

77 Conſtantinopolitanum III., ſeu ſexta Syno-

Concil. Conſtantinopol. 3. ſub Agathone an 68. contra Monothelitas, Epiſcopi num. 166., ſeu juxta Cedrenum 289.

Synodus actione 18., vel ùt apnd alios 17., legit, & approbat litteras *Agathonis*; Epiſtolam Synodi Romanæ, ſub ipſo Agathone celebratæ; Epiſtolam Leonis I. ad Flavianum; & deinde ſubditur: *Ad hæc, & Synodicis Epiſtolis, quæ ſcripta ſunt a Beato Cyrillo adverſus impium Neſtorium, & ad Orientales Epiſcopos*.

Septima Synodus tacet: octava nihil expreſsè ait; ſed eidem tamen doctrinæ calculum apponit, quatenus Act. 10. Can. 1. ex profeſſo recipit doctriuam omnium præcedeutium Conciliorum Generalium, & Provincialium, nec non cujuslibet Deiloqui Patris.

Concil. Later. ſub Innoc. III. an. 1215. contra Albigenſium præſertim Hæreſim præſentibus Pontifice, & 1285. Patribus.

78 Lateranenſe ſub Inuocentio III. anno 1215., præſidente ipſo Poutifice, & 1285. Patribus, tum ex Græcis, tum ex Latinis, Patriarchâ Conſtantinopolitano, & Hieroſolymitano, Legatis Antiochénis, & Alexandrinis, apertè eandem veritatem declarat cap. 1. *Pater a nullo, Filius a ſolo Patre, Spiritus Sanctus ab utroque pariter*. Id ipſum repetit cap. 2.

Lugdunenſe 2. ſub Gregor. X pro ineunda cum Græcis unione. Patres circiter mille cum Summo Pontifice adfuerunt anno 1274.

79 Lugdunenſe ſub Gregorio X. Can. 1. candem veritatem ſanxit; ictoque cum Græcis fœdere die natali SS. Petri, & Pauli an. 1274. Summus Sacerdos ad aram operatus eſt, & Symbolum latiuè unanimes ceciuerunt cum additioue FILIOque; deinde idem Symbolum Græcè a Græco Patriarcha cantatum eſt, & ter a Græcis particula FILIOque repetita; & poſt quartam ſeſſionem iterum Græci bis concinerunt FILIOque.

Concilium Florentinum an. 1438 Ferrariæ primo congregatum, Florentiæ demum concluſum præſentibus Eugenio IV., Michaele Paleologo Imp., Joſepho Patriarcha Conſtantinop. una cum 141. Patribus.

80 Concilium Florentinum ſumma cum celebritate controverſiam hanc examinavit, & ad concordiam Græcos reduxit.

Concilia Provincialia in Hiſpania.

81 Ex Provincialibus in Hiſpania decem, & octo Concilia Toletana (ſecundo, & decimo octavo exceptis) Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere, definiunt formulis diſertiſſimis. Ne ſim moroſior, antiquiſſimum ſeligo, quod ſub exitnm quarti Seculi celebratum eſt. In eo autem poſt Canones inſitam pro corouide legimus Regulam Fidei, quæ nobis exhibet hæc verba: *Spiritum quoque Paracletum eſſe, qui nec Pater ſit ipſe, neque Filius, ſed a Patre, Filioque procedens*.

82 Concilinm Emeritenſe in Luſitania ſub Papa *Vitaliano* ſic habet in Symbolo; *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre, Filioque procedentem*. Concilium Herfeldenſe in Anglia, *Beda* auctore, collectum, a Patre, Filioque procedere Sanctum Spiritum affirmat. In Gallia Concilinm Gentiliacenſe eandem ex profeſſo controverſiam diſcuſſit, idemque ſtatuit. Cui diſceptationi anſam præbuerant Latini aſſerentes anctorem Iconomachiæ *Conſtantinum Copronimum*. Ipſe verò ut injuriam retunderet, objecit, ipſos Symbolo addidiſſe *ex Patre, Filioque procedit*. Concilium Aquiſgranenſe ſub *Leone* III., & Carolo Magno quæſtiouem reſolvit affirmativè, ſicut Arelatenſe ſub iis Pontifice, & Imperatore. Iu Germania Forolovienſe ſub *Adriano Primo*, & eodem *Carolo Magno* Francfordienſe ſub iiſdem. Vormatienſe ſub *Adriano Secundo*, & *Ludovico Secundo* Imperatore apertè candem proceſſionem a Patre, ac Filio ſanxere. In Gallia Barenſe Concilium ex Græcis, Latiniſque compoſitum juſſu *Urbani Secundi*, Divo Auſelmo præſeute, idem Catholicæ FideI myſterium in confeſſo habuit, cujus Synodi memoria nulla extat alia, præter quam ſuis idem *Anſelmus* ſcriptis edidit. Mediolanenſe Quartum ſub *Gregorio* XIII. auctore S. Carolo Borromæo Symbolum recitavit cum particula *ex Patre, Filioque procedit*. Adde Coucilium Alexandrinum in Oriente ſuperiùs citatum ſub *Cyrillo*, & Conſtantinopolitanum ſub *Joanne Secundo* Cyrilli Epiſtolam approbantia anno 532.

83 Secundnm argumentnm ſumitur ex univerſorum Patrum conſenſioue. Sed amplum hujuſmodi pelagus percurrere laborioſum eſt nimis, ac fermè inutile, cùm apud auctores innumera ubi ubi occurrant id genus teſtimonia. Sufficiat ergo Doctores aliquot ſubdere, qui Sanctorum Patrum catalogos conſcripſerunt. Primo loco ponam Concilium Florentinum, in quo recenſentur Patres citati in diſputationibus contra Græcos a *Rhodio* Archiepiſcopo, & *Joanne* Theologo de Monte uigro ex Illuſtri Prædicatorum Familia, & Longobardiæ Provinciali: *Cocius* in ſuo Theſauro Controverſiarum per Secula diſtribntos Græcos, & Latinos reſcribit: *Bellarminus* lib. 2. de Verbo Dei: *Didacus Ruiz* de Montoya diſp. 67. ſeſſ. 4.: *Leo Allatius* contra Hottingerum: *Veccus* Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui contra Latinos primùm ſenſerat; poſtmodum contra Græcos calamum ſtrinxit oratioue de uuione veteris, & novæ Romæ; & in opnſculo, quod *duodecim capita* appellatur, ex Græco Latinè reddito per Arvedium: Cardinalis *Beſſarion* Nicanus primùm Præſul, deinde Conſtantinopolitanas, qui èt ipſe aliquando in Florentino Concilio Latinis reſpondit; poſtremùm verò ad ſuos prò ineunda coucordia, pulchram orationem habuit, cujus ſcripta ab Arvedio pariter ex Græco in Latinum verſa ſunt: *Macedon.* Schola quarta de proceſſione Spiritus Sancti, & alii plures. Nuuc liceat mihi cum *S. Thoma* lib. 4. coutra Geutes cap. 24. hoc argumentum efformare.

Auctores, qui Sanctorũ Patrum Catalogos ſcripſerunt.

84 In determinatione quinti Concilii dicitur: *Sequimur per omnia Sanctos Patres, & Doctores Eccleſiæ: Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum, Gregorium Nyſſenum, Ambraſium, Auguſtinum, Theophilum, Joannem Conſtantinopolitanum, Cyrillum, Leonem Probum, & ſuſcipimus omnia, quæ de recta fide, & damnatione Hæreticorum expoſuerunt*. Sed certum eſt hos Patres ſuſtinere Spiritum Sanctum ab utroque procedere: ergo nos, & Græci ità credere debemus, cùm & ipſi quintum Concilium admittant. *Minor ſuſiſſimè habetur* apnd citatos Doctores. Sed ad majorem veritatis probationem, unam, vel alteram ſententiam addu: S. Athanaſius in Symbolo ait: *Spiritus Sanctus a Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*. Hanc verò ſententiam eſſe *Athanaſii* meliùs patebit infra, dnm vindicabitur Symbolum Athanaſii. In præſentiarum ſufficiat *Nazianzenus* de Laudibus Athanaſii, inquiens perfectam Fidei methodnm conſtituiſſe toti Occideuti, & Orieuti notam. *Auguſtinus* in Pſal. 120. allegans Athanaſium integram hanc formnlam adduxit. Concilium Tulctanum 18. cap. 1., verbatim recitat fidem

Græci admittentes Quintum Conciliũ credere debent Spiritum Sanctum ab utroque procedere.

ejuſdem

ejuſdem Symboli cum hac additione: *Cui teſtimonio cum non haberent, quid reſponderent Græci, dicebant ebrium fuiſſe* Athanaſium *cum hæc ſcriberet*: ſic refert *Gennadius* lib. pro defenſione Concilii Florentini cap. 1. ſect. 5. Eandem veritatem inculcat idem *Athanaſius* ſermone 4. contra Arianos, & in Epiſtola ad Serapionem. Hylar. lib. 2. de Trin. *Loqui autem ex eo, ſcilicet Spiritu Sancto, non neceſſe eſt, quia de Patre, & Filio auctoribus confitendum eſt, & quidem puto, an ſit, non eſſe tractandum &c.* Baſilius lib. 5. contra Eunomium cap. 11., *ut ſe habet Filius ad Patrem, ſic ſe habet Spiritus ad Filium*. Et in lib. de Spiritu Sancto cap. 17. eandem repetit ſententiam: *Sicut ſe habet Filius ad Patrem, ſic ad Filium ſe habet Spiritus*. Liquet autem Filium ſe habere ad Patrem originativè; ergo & ad Filium Spiritus.

Spiritus Sanctus ſecundū Patres Græcos eſt imago Filii.

85 *Illuſtratur* argumentum ex quibuſdam modis loquendi Græcorum. Apud pleroſque Patres Græcos, Spiritus Sanctus dicitur Imago naturalis Filii: ſic Joannes Damaſcenus lib 1. de Fide cap. 18. *Imago Patris eſt Filius, & Filii Spiritus Sanctus*: Baſil. lib. 5. contra Eunomium cap. 8. *Naturalis Filii imago eſt ſpiramen ejus Spiritus*. Gregorius Neoceſarienſis in Confeſſione Fidei. *Qui per Filium apparuit imago perfecta Filii Perfecti*. S. Athanaſius Epiſt. ad Serapionem: *Quin etiam Filii imago eſt, & dicitur Spiritus*. S. Cyrillus Alexandrinus lib. Theſauri 13. cap. pr. *Quoniam Spiritus Sanctus imago Filii eſt, ſi quis eum ſuſceperit, Filium quoque habet*. Sed nullus poteſt eſſe alterius imago naturalis, niſi ab eo procedat, accipiendo eſſentiam; etenim forma imaginis proveniat oporter a forma ejus, cujus eſt imago; ergo Spiritus Sanctus procedit a Filio. Et quamvis in artefactis exemplar non ſit cauſa activa imaginis, hoc tamen non verificatur in productione naturali, ubi coincidit principium activum cum exemplari, ùt in aliis rebus patet.

Tacita objectio.

Omnia enim, quæ naturaliter agunt, producunt effectus ſuos ad ſimilitudinem propriæ formæ. Cum autem Spiritus Sanctus, non liberè, ſed naturaliter producatur, idem eſt principium activum, & exemplar.

Notandum eſt tamen: propriè Spiritus Sanctus non eſt imago Filii, quia non procedit ex vi ſimilitudinis. *Secundò* S. Baſilius lib. 2. contra Eunomium cap. 18. *Quapropter Verbum Dei eſt Filius; Verbum autem Filii eſt Spiritus Sanctus*. Sed Filius non poteſt eſſe Verbum Patris, niſi quia a Patre procedit; ergo neque Spiritus Sanctus poteſt dici Verbum Filii, niſi a Filio procedat: aliter nulla eſſet comparatio Baſilii. *Tertiò* Spiritus Sanctus ſe habet ad Filium, ſicuti flatus ad os. Idem Baſil. Hom. 29. *Spiritus ex Deo, qui ex Patre procedit, hoc eſt ex ore ipſius*. Anaſtaſius lib. de rectis Dogmatibus *Spiritus Sanctus appellatus eſt Spiritus oris Dei: os enim Patris eſt Filius*. Sed flatus verè eſt ab ore; ergo Spiritus Sanctus verè eſt a Filio. *Quartò* Spiritus Sanctus ſe habet ad Filium, ſicuti aqua ad fontem. *Athanaſius* lib. de humana natura ſuſcepta: *Filius comparatur fonti, Spiritus aquæ*. Sed aqua oritur a fonte; ergo Spiritus Sanctus a Filio. *Quintò* Nazianzenus Trinitatem comparat tribus primis Perſonis generis humani, Patrem nempe Adæ, quia ingenitus: Filium Evæ; quia a Patre; ſicuti Eva ex ſubſtantia Adæ: Spiritum Sanctum Seth; quia ab utroque, ſicut ille ab Adamo, & Eva.

86 *Illuſtratur ſecundò* aliis locutionibus apud Græcos uſitatis. Spirari, eſſe, emanare, provenire, emitti, ab alio eſſe, idem ſignificant, ac ab alio procedere. Sed Græci ponunt Spiritum Sanctum a Filio emitti, eſſe, emanare, provenire; ergo a Filio procedit. *Oſtenditur min.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de recta in Deum Fide ad Theodoſium Imperatorem ait: *non quod alienum his, qui baptizantur, immittat Spiritum ſerviliter, & ut Miniſter, ſed ut Deus, quia ex ipſo, & per ipſum*: lib. 12. Theſauri cap. 2. *Ex Filio autem naturaliter, ac ſubſtantialiter Spiritum Sanctum ſicut ex Patre provenire credimus*. Athanaſius in lib. contra Meletium circa finem, *Impoſſibile eſt, in Trinitatis gloria Spiritum Sanctum numerari, ſi non emanaſſet ex Deo per Filium*. Didymus lib. 2. de Spiritu Sancto: *conſolator manans de conſolatore: Deus de Deo*.

PRIMA DUO GRÆCORUM ARGUMENTA REFELLUNTUR.

87 OBJIC. 1. *Marcus Epheſinus* vir excellenti eruditione in Concilio Florentino Græci dogmatis propugnator acerrimus, nihil eſt, quod preſsiùs doctrinam Trinitatis, & Fidei explicet, quàm Symbolum nobis traditum a primis Conciliis, quæ tanquam Evangelia, teſte *Magno Gregorio*, ſunt recipienda. Sed Symbolum negat Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere; ergo non poteſt, ùt Fidei dogma ſuſtineri. Minorem probat *Epheſinus* fusè, & nervosè; cujus ſtudii acumen in his conſiſtit. Concilium Nicænum primum in Symbolo, ſolam Spiritus Sancti Divinitatem meminit, nihilque ponit de proceſſione a Filio; ergo Patres Concilii non ſentiunt a Filio procedere Spiritum Sanctum. Concilium II. Œcumenicum, Conſtantinopolitanum ſcilicet primum, explicans articulum Symboli Nicæni, *& in Spiritum Sanctum*, addit: *Dominum, & Vivificantem ex Patre procedentem; cum Patre, & Filio ſimul adorandum, & conglorificandum, qui locutus eſt per Prophetas*. Vide, quàm accuratè Divinitatem, & proceſſionem Sancti Spiritus diſtinguat, ac proponat; attamen agens de proceſſione, ſolius Patris mentionem facit; ubi verò agit de Divinitate, adoratione, conglorificatione, quoniam Patri, & Filio communia ſunt, utriuſque nomen ponit. Igitur Filium prætermittere in proceſſione apertè indicat a Filio non procedere. Quomodo enim Doctores de Filio ſilerent, ſi eſſet cum Patre principians?

Prima Concilia, teſte Gregorio Magno, tanquā Evangelia ſunt recipienda.

88 In Concilio Epheſino ſolummodo Nicænum recitatur Symbolum; nihil verò de Conſtantinopolitano, etiam in tertia parte, ubi opuſcula *Cyrilli* adducta fuerunt: quod ſilentium non ſolùm negativè, ſed etiam poſitivè Græcis favere videtur, quatenus actione 6. ad præcavenda additamenta, occaſione confeſſionis a *Chariſio* factæ novam Fidei formam a præmiſſa diverſam fieri poſſe prohibuerunt.

89 In

In Concilio IV. Chalcedonenſi cautū fuit, ne nova formula fieret diverſa a Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano.

89 In Concilio IV. ſeu Chalcedonenſi legitur, & approbatur Symbolum Nicænum, & Conſtantinopolitanum cum additione *ex Patre procedentem*, Patreſque addiderunt, in his perfectè exprimi quidquid pertinet ad *Trinitatem Perſonarum*; prohibuitque Concilium, ne nova formula componeretur.

90 Quinta Synodus approbat utrumque Symbolum, acceptumque aſſerit ab Epheſino: idque *Vigilii* Papæ auctoritate confirmatur: idem facit ſexta Synodus. Omnia demum *Agathonis* Rom. Pontificis Teſtimonio ſtabiliuntur. Septima Synodus accepiat ùt firmam, & inviolatam antecedentium Conciliorum doctrinam, ſtatuitque addendum nihil, nihilque detrahendum.

Plura Concilia Provincialia in favorem Græcorum adducuntur.

91 Ex Provincialibus Conciliis roboratur argumentum. In Concilio Romano ſub *Julio* II., in Alexandrino, in Antiochêno I., & II. ſub *Liberio*, in Illyrico ad Orientales Epiſcopos ſcripto, in Romano II. ſub *Damaſo* recitatur, approbatur, commendatur Symbolum Nicænum, & ſub Damaſo in tertio Romano Concilio paulò magis explicatur, *nec tamen a Filio procedere* ponitur, *ſed a ſolo Patre*. Tandem ut plura miſſa faciam: per quatuor prima ſæcula nullum de bujuſmodi proceſſione factum eſt verbum.

Græci admittunt, quod Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedat.

Argumentum hoc licèt eruditiſſimum, & nervosè per plures ſeſſiones ab Epheſino inculcatum: nihilominus pro Græcis nullam, pro nobis magnam habet vim. Nullam, inquam, pro Græcis; nam ſi argumentum hoc negativum probaret, ipſos oppugnaret Græcos; quia in Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano a tot Conciliis approbato, nihil dicitur de proceſſione Spiritus Sancti a Patre per Filium: quod tamen Græci contra *Theodoretum* apertè propugnant; ergo ex eo, quod nulla ſit expreſſio proceſſionis a Filio, non probatur, quòd a Filio non procedat. Idem igitur argumentum pro nobis telum eſt contra ipſos.

Athanaſius in Concilio Nicæno propugnator fidei.

PRIMO. Quia in Concilio Nicæno [Ath]anaſius adfuit, qui in omnibus diſputationibus ſtrenuiſſimum Sacræ Fidei Defenſorem præſtitit; quamobrem ipſum Ariani ſummis odiis oneravere. Ipſe verò ſuis ſcriptis, & maximè in Symbolo totus eſt in defendendâ Spiritus Sancti proceſſione a Filio. Si autem Nicænum Concilium non ſenſiſſet a Filio procedere, nunquam hujuſmodi doctrinam Sanctus Doctor tradidiſſet; nec opus habuiſſent *Euſebiani* crimina in ipſum confingere. Etenim jam eriuen habuiſſent, doctrinis videlicet ſancitis obſiſtentem. Idem argumentum formatur pro Conſtantinopolitano Symbolo. Namque in ea Synodo adfuit Idem *Nazianzenus*, qui proceſſionem Spiritus Sancti a Filio tutatus eſt, cujus teſtimonia paulò ante exhibuimus, pluraque alia citati auctores afferunt, & in oratione 5. Theologiæ explicat Trinitatem exemplo adducto de Adam, Eva, & Seth &c. Orat. 32. ad centum quinquaginta Epiſcopos, diſtinguens Perſonas in ratione principii, expreſsè ſtatuit Patrem carere principio: Filium habere principium, & eſſe comprincipium Spiritus Sancti: nequit autem Filius comprincipium eſſe Spiritus Sancti, niſi ab illo procedat. *Non principii* (verba ſunt ejuſdem Doctoris) *experti* [a], *Pater: principia, Filius: ei autem, quod cum principio eſt, Spir. Sanctus:* orat. 21. laudans Athanaſium ejus Symbolum commendat, in quo expreſsè proceſſio a Filio legebatur. Quomodo autem Symbolum hoc Nazianzenus commendaret, vir adeò clarus, qui totius Concilii fæſtivo conſenſu (depoſito invaſore Maximo) ad Conſtantinopolitanam Sedem promotus, ſi in ſuo Symbolo ſecùs in illa particula *ex Patre procedentem* teneret Concilium? Nonne in illa ſua graviſſima perſecutione a ſuis hoſtibus de tanto crimine fuiſſet accuſatus? SECUNDO, quia Concilium Conſtantinopolitanum, ex cujus Symbolo totum præſentis argumenti robur deſumit *Epheſius*, a Filio Spiritum Sanctum procedere certò ſupponit. Id autem ſic oſtenditur. Hoc Concilium pro evellendo *Macedonii* errore circa Spiritus Sancti Divinitatem fuit indictum. *Macedonius* volebat Filium a Patre procedere, & Spiritum Sanctum a ſolo Filio creatum, ſicut ex *Baſilio* lib. contra Eunomium apertè liquet; eaque propter negabat Patrem eſſe Spiritus Sancti principium. Hinc Concilium damnans utrumque errorem *Macedonii*, nempe Spiritum Sanctum eſſe creaturam, & a ſolo Filio procedere, poſuit propterea in Symbolo Spiritum Sanctum eſſe æqualem Patri, & Filio, & ex Patre procedentem, ut ſic intelligeretur non eſſe a ſolo Filio, ſed etiam a Patre. Neque erat opus addere particulam *ex Patre, & Filio*; in hoc enim, quod a Filio eſſet, nulla erat quæſtio. Quod ſi mens Concilii fuiſſet, Filium a ratione principii excludere, debuiſſet neceſſariò adjungere ex SOLO *Patre* procedentem, ut deſtrueret *Macedonii* ſententiam a Filio eſſe. Sicuti, quia ſuſtinebat Spiritum Sanctum Patri, & Filio inferiorem; ideò Concilium ſubdidit eſſe cum Patre, & Filio ſimul adorandum, & conglorificandum.

[a] qui eſt principii expers.

Macedonius aſſerebat Spiritum Sanctū eſſe creaturā, & a ſolo Filio.

Quare in Symbolo ſolummodo poſitum fuit a Patre procedentem.

TERTIO ad hominem: ab Concilio Epheſino, ùt fatetur *Marcus*, Symbolum Nicænum, & Conſtantinopolitanum lecta fuere, & approbata; ſed etiam lecta fuit, & approbata Epiſtola *Cyrilli*, in qua fit mentio expreſſa proceſſionis Spiritus Sancti a Filio; ergo mens Concilii Conſtantinopolitani in Symbolo per illam particulam *ex Patre procedentem*, non eſt Filium excludere, ſed ùt incluſum ſupponere. Doctrinam poſtmodum *Cyrilli* approbaverunt ſubſequentia Concilia, ut in probatione concluſionis vidimus; & *Epheſini* diſcurſus oſtendit: ergo eruditio *Marci Epheſii* tanto ſtudio celebrata nobis favet.

92 OBJICIES 2. D. Baſilius Epiſt. 43. ad Gregorium Niſſenum negat Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere: ergo talis proceſſio traditione non conſtat. *Prob. ant.* Baſilius loco citato hæc habet: *Nullam, ſecundùm propriam notionem, communionem habet Filius cum Patre*: ſed ſi Filius Spiritum Sanctum produceret, eſſet falſa hæc propoſitio; communionem enim haberet Filius cum Patre ſecundùm notionem Spiratoris; ergo.

A ſeſſ. 19 uſque ad 24. de mente Baſilii diſputatū eſt.

Auctoritatem *Baſilii* in hac controverſia tanti fecerunt Græci, ut ex hac unâ rem omnem pendere ſint arbitrati; proindeque in Con-

cilio Florentino acriter *Marcus Epheſinus* diſputavit de mente *Baſilii* a decima nona ſeſſione uſque ad vigeſimam quartam. Quare licèt ex ipſis verbis ſolutio pateat, ad eruditionem tamen opere pretium erit clariùs mentem *Baſilii* exponere. Igitur de Spiritu Sancto cap. 18. pag. 317. col. 2. lit. B. *Nativa bonitas, & naturalis ſanctimonia, & regalis dignitas a Patre per Unigenitum ad Spiritum Sanctum permanat*; accipere a Patre per Filium Divinam Naturam, eſt a Filio procedere; lib. 5. contra Eunomium cap. 11. *Sicut Filius ad Patrem ſe habet, ſic Spiritus ad Filium: propterea & Dei quidem Verbum Filius eſt, Filii autem Spiritus.* Quod repetit lib. 5. de Spiritu Sancto cap. 6. *Chriſtus eſt imago inviſibilis Dei, imago verò Filii Spiritus.* Hæc ſanè nullo modo vera ſunt, niſi Spiritus a Filio procedat. Quomodo enim ſe habet ad Filium, ùt Filius ad Patrem, ſi diſparatè ſe habet? Quonam igitur modo eſt ejus imago naturalis, ſicùt Filius eſt imago Patris; ſi ab eo formam non recipit ſimilitudinis? lib. 2. contra Eunomium verſus finem: *Illud verò cui non patet, quod nulla Filii operatio a Patre diviſa eſt, nec eſt aliquid in rebus, quod Filio inſit, & a Patre alienum ſit: omnia, inquit, mea tua ſunt, & tua mea.* Intendebat ſiquidem *Eunomius* Spiritum Sanctum eſſe Creaturam a ſolo Filio cauſatam (apud Græcos cauſa ſumitur pro principio). *Baſilius* verò reſpondit, nec eſſe Creaturam, nec a ſolo Filio eſſe; quia quidquid habet Pater, habet Filius, & econtra; quod ulteriùs explicat ea eo, quod in Scripturis dicitur *Spiritus Dei*, & *Spiritus Filii*.

Apud Græcos cauſa ſumitur pro principio.

93 Idem lib. 5. contra eundem quæſtionem propoſuit, quæ non ipſum tantùm, ſed *Athanaſium*, & alios Patres valde torſit. Cur Spiritus non eſt Filius Filii? & reſpondet: non ideò non dici Filium Filii, quia non ſit ex Deo per Filium; ſed ne ſuſpicemur Trinitatem multiplicari in infinitum; ſic enim ait: *Si quis Filium ex Filio diceret, in ſuſpicionem multitudinis Trinitatem Deitatis hominibus adducebat: Facile namque ſuſpicari erat, quòd ſi Filius ex Filio natus eſt, ex hoc alius utique natus eſſet, ac rurſus alius, & deinceps ad multitudinem.* In qua quæſtione, & reſponſione manifeſtè indicat ſentire a Filio eſſe. Quæſtio enim nec haberet locum, nec ullo modo difficilis eſſet, ſi a Filio non procederet, ſed a ſolo Patre; ſe haberent etenim ſicut duo Fratres ab eodem Patre, de quibus ridicula eſſet quæſtio, cur unus non ſit alterius Filius; & in data reſponſione idem ſupponit ille modus loquendi: non ideò non dici Filium Filii; quia non ſit ex Deo per Filium: nec valet dicere, quod ly *per* idem ſignificat ac *cum*: non, inquam, valet, quia nihil diceret; per hoc enim, quòd a Patre ſit ſimul cum Filio, non eſt ratio ſuſpicandi, quarè non ſit Filius Filii.

Spiritus Sanctus, cur non dicatur Filius Filii.

94 SUBDITUR ULTIMO ejuſdem auctoritas, quæ habetur lib. 3. contra Eunomium circa principium, de qua inter Latinos, & Græcos in Florentino Concilio diſputatum eſt: *Cur*, ait, *neceſſe eſt, ſi dignitate, & ordine tertius eſt Spiritus, naturà quoque ipſum tertium eſſe? Dignitate namque ſecundum a Filio; cum ab ipſo eſſe habeat, & omnino ab illa cauſa dependeat; pietatis ratio tradit; naturà verò tertium, uti neque ex Sanctis Scripturis didicimus, neque ex prædictis colligere, poſſibile eſt.*

His verbis pietatis ratio tradit addiderunt Græci fortaſſe.

Ad hunc textum reſponderunt Græci: locum a Latinis fuiſſe corruptum; ſiquidem in Græcis codicibus non habentur illa verba: *Cum ab ipſo eſſe habeat, & omnino ab illa cauſa dependeat*; & nunc quoque extat Textus Græcus Baſileæ editus anno 1558., in quo citata deſunt; ſed Latini Græcos corruptores aſſerentes; & *Joannes* Theologus antiquum Codicem a ſexcentis annis ante Concilium Florentinum græcè ſcriptum protulit, in quo prædicta referebantur; & *Beſſarion* teſtatur apud Monaſterium Chriſti Salvatoris Pantepopti duos *Baſilii* Codices adinveniſſe antiquitate celebres, a quorum uno dicta verba fuerunt ferro abraſa, & in alio periodus illa attramento tecta, quos Codices ſuis Græcis oſtendit. Sed defecerunt Scrutantes in ſcrutationibus ſuis, quia ſeries, & contextus mentem Doctoris declarat, ſicut idem *Beſſarion* demonſtrat. Proſequitur namque *Baſilius* impugnans conſequentiam *Eunomii*, ſcilicet Spiritum habere naturam diſtinctam a Patre, & Filio, quia eſt tertius ordine, & dignitate, ſic ait: *Nam quemadmodum Filius ordine quidem a Patre ſecundus eſt, quoniam ab illo eſt; & dignitate, quoniam origo, atque cauſa eſſendi Pater ipſi eſt; naturà verò nullo modo ſecundus; quoniam in utroque una eſt Deitas: ita Spiritus Sanctus, etſi dignitate, & ordine ſecundus a Filio eſt, non tamen alienæ ipſum eſſe naturæ inde conſequitur.* Si verò non ponantur, aut ſubintelligantur verba Codicis Latini, diſcurſus *Baſilii* non concludit, nec comparatio tenet. Nam ut concludat, non habere naturam diſtinctam non a Filio, licèt ſit dignitate, & ordine ſecundus ab ipſo, aſſumit medium terminum, quòd Spiritus Sanctus eſt ordine, & dignitate ſecundus a Filio, ſicut Filius eſt ſecundus a Patre; ſi autem non eſt a Filio, ùt Filius eſt a Patre; unde paritas? unde vis illationis?

Græci corruptores auctoritatis Baſilii.

95 Hinc ad auctoritatem objectionis RESPONDEO. S. *Baſilium* optimam doctrinam tradidiſſe; certum eſt enim in nulla propria notione Filium communionem habere cum Patre, quia ſecundum proprias notiones relativè opponuntur; ſpiratio verò non eſt propria notio, ſed communis Patri, & Filio, unde in illa communionem habent.

Spiratio eſt comunis Patri, & Filio.

96 DICES: *Baſilius* quæſt. dicta ſubdit: *notionem Spiritus Sancti eſſe, quòd per Filium, & cum Filio cognoſcatur, & ex Patre ſubſiſtentiam habeat*: ergo negat in Filio notionem Spiratoris.

RESPONDEO oppoſitum inferri; nam ibi loquitur de diſtinctione æterna Perſonarum; diſtinctio verò Spiritus Sancti a Filio, & per Filium non habetur niſi ratione relationis: & ideò ibidem dixerat Spiritum Sanctum pendere a Filio, & non poſſe unum cogitari ſinè alio, quæ eſt proprietas relativorum. Si ergo relatione diſtinguuntur, & cognoſcuntur, neceſſe eſt unum ab alio procedere: deinde ly *cognoſci per Filium* aliquid addit ſupra ly *cognoſci cum Filio*; & hæc non

Relativa ſunt ſimul cognitione.

poteſt

poteſt eſſe niſi cauſalitas. Ultima verba, *& ex Patre ſubſiſtentiam habeat*, ponuntur ad explicandum Patrem eſſe fontale principium, ùt infra clariùs explicabitur.

Reſponſio ad objectionem Nazianzeni.

Ex his patet reſponſio ad ſimilem propoſitionem *Nazianzeni*, ſcilicet: *Omnia, quæ habet Pater, habet etiam Filius, excepta cauſalitate*: ergo inferunt: Filius non cauſat Spiritum Sanctum. Sed Sanctus Doctor intelligit, Filium habere omnia præter actionem generativam Patris, ſeu præter eſſe Patrem, in cujus ſignum idem dicit de Spiritu Sancto; omnia ſcilicet habere, quæ Filius habet excepta Filiatione, ideſt eſſe Filium.

CÆTERA GRÆCORUM ARGUMENTA REFELLUNTUR.

97 OBJIC. 3. *Joannes Damaſcenus* negat apertè Spiritum Sanctum a Filio procedere: ergo per traditionem non habetur proceſſio ab utroque. *Ant. habetur* lib. 1. de Fide cap. 11. *Spiritum Filii, ſeu ùt alii, per Filium dicimus, ex Filio non dicimus.*

Sanctus *Thomas* reverà ſentit Damaſcenum fuiſſe cum Theodoreto; ſed alii negant, probantque non quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad modum loquendi a Latinis diſcrepaſſet. Quod nobiſcum ſentiat, habetur ibidem cap. 18. *Imago Patris eſt Filius, & Filii Spiritus Sanctus*: & infra: *Deus Spiritus Sanctus medius ingeniti, & geniti, & per Filium Patri conjunctus*. Alia ſimilia refert Beſſarion: *Verbi genitor, ideſt Pater, & per Verbum Spirator declarativi Spiritus: Spiritus verò Sanctus declarativa abſconditæ Divinitatis potentia Patris, ex Patre per Filium eſt procedens*. Quæ locutiones abſque dubio ordinem important originis Spiritus Sancti a Filio. Ut tamen intelligatur ratio Græcanicæ locutionis, breviter noto diverſam vim illarum particularum *ex*, & *per*, maximè apud Orientales. Particula *ex*, quando duobus conjungitur, æqualitatem ſignificat; & ſic quando dicimus unum ex duobus eſſe, vel componi, intelligitur utrumque æqualiter concurrere ad illius exiſtentiam, vel eſſentiam componendam. Particula verò *per*, quando duobus conjungitur, ſignificat quidem ordinem ad utrumque, & dependentiam, ſed modo inæquali. Ad illud, quod operatur per alium ordinem, & dependentiam principalitatis ad illud, per quod fit operatio minùs principaliter, ſeu ùt ad id quod ab alio habet virtutem. Græci igitur ſcientes ex Scriptura Filium omnia habere a Patre, nihil autem a ſe, volunt Patrem eſſe fontem primarium Divinitatis; ſicut & Latini admittunt; ſecus verò Filium: hinc libenter admittunt Spiritum Sanctum eſſe a Patre per Filium, quia eſt ſenſus, Filium ſpirari Spiritum Sanctum per virtutem acceptam a Patre. Nolunt verò audire ex Filio, & Patri, quia ſignificari putant æqualitatem in Patre, & Filio, quoad eſſe fontale principium Divinitatis. Unde *Damaſcenus* proceſſionem nobiſcum admittit, in nomine, & modo loquendi diſcrepans. Proceſſionem admittit, dicendo eſſe per Filium: differt voce, negando eſſe ex Filio.

Mens Joannis Damaſceni in hac controverſia.

Diverſitas inter particulam ex, & per ſecundũ Græcos.

98 Hac ſolutione, quæ apud Patres communis eſt, rectam intelligentiam habemus mentis Sancti *Maximi* Conſtantinopolitani Martyris, de cujus ſententia diù dubitatum eſt in Concilio Florentino, & Græci petierunt a Latinis, an vellent ejus auctoritati fidere. Quibus nihil reſponderunt Latini, textui ambiguo controverſiam adeò gravem alligare nolentes. Ad *Marinum* enim ſcribens ex occaſione, quod multa a Latinis Patribus in ſuis Synodalibus conſtituta a Græcis Conſtantinopolitanis teneri dicebantur, ut veritatem aperiret, dixit de duobus tantùm examen fuiſſe factum; de proceſſione ſcilicet Spiritus Sancti a Filio, & de carentia peccati originalis in Chriſto ùt homine. De primo habet: *Quod conſonas Latinorum Patrum attulere ſententias, nec non Cyrilli Alexandrini in Sacris Commentariis in Joannem, per quas demonſtrarunt: Synodales Latinas eſſe, nunquam aſſerere Filium eſſe cauſam Spiritus, unam quippe norunt cauſam Filii, & Spiritus Patrem; illius quidem ſecundùm generationem, hujus autem per proceſſionem; ſed ſignificare, quòd per ipſum etiam procedat, eaque ratione oſtendere ejuſdem eſſentiæ nulla cum variatione communionem*. Quo in modo explicandi noſtras Synodales elucet, abſolutè ſentire cum Latinis, & differre in modo loquendi. Vult ergo Filium non eſſe cauſam, ſed ſolum Patrem, ne duo admittantur principia æqualia in eſſe fontalis principii Divinitatis. Solus ergo Pater in hoc ſenſu eſt principium, quia ſolus eſt a ſe. Vult tamen per Filium procedere, ideſt a Filio produci, non virtute propria, ſed ab alio accepta. Quæ doctrina quoad rem tota eſt conſona Latinorum ſententiæ; eundemque modum loquendi, ſcilicet per Filium Spiritum procedere, legitimum aſſerit S. *Thomas*, & probat 1. *parte q.* 36. *art.* 3.

Recta intelligentia mentis S. Maximi Conſtantinopolitani Martyris, de qua multum dubitatum eſt in Concilio Florentino.

99 DICES. Hæc doctrina non eſt admittenda *primò*, quia ſequitur Spiritum Sanctum immediatè non procedere a Patre, quod eſt falſum. Quiſquis enim operatur per alium, operatur per medium; qui operatur per medium, non operatur immediatè: ergo. *Secundò* ſequitur Filium non attingere æque principaliter Spiritum Sanctum, quod eſt abſurdum: qui enim agit per alium, principaliùs attingit effectum, ac ille, qui operatur virtute ab alio accepta, ùt conſtat exemplo cauſæ primæ, & ſecundæ. *Tertiò* ſequeretur in actu ſpirandi dari prioritatem originis inter Patrem, & Filium, quod item eſt falſum. *Prob. ſequel.* Nam in his, quæ habet Filius a Patre, eſt ordo, & prioritas originis; ſed per D. *Thomam*, & Græcos ideò dicitur Pater ſpirare per Filium; quia Filius a Patre habet vim ſpirativam: ergo in vi ſpirativa eſt ordo prioritatis inter Filium, & Patrem.

SED CONTRA. Prima enim probatio non ſubſiſtit; nam in productione Spiritus Sancti datur ſuppoſitum ſpirans, & virtus, qua ſpirat. Inter Patrem, & Spiritum Sanctum, ſi attendatur virtus ſpirativa, non datur medium, una enim, atque eadem eſt virtus in Patre, ac Filio. Si verò attendatur ſuppoſitum ſpirans; inter Patrem, & Spiritum Sanctum datur quodammodo medium; nam-

Inter Patrẽ, & Spiritum Sanctum, ſi attendatur virtus ſpirativa, non datur medium, ſecus ſi attendatur ſuppoſitum ſpirãs.

que priùs origine prodncit Filium, eique dat, quod ſpiret; & ideò dicitur per Filium A Spiritum Sanctum prodnecre, & non datur quodammodo medium; quia a Patre verè producitur, & immediatè concurrit. Explicat S. *Thomas* exemplo productionis *Seth*, qui quodammodo mediatè eſt ab *Adam*; qoia eſt ab *Eva*, quæ eſt ab *Adam*, & qnodammodo immediatè, quia revera eſt ab Adam. *Non ſecunda*: quia magis, & minùs principaliter agere datur, quando duo agunt per virtutem diſtinctam, & unus agit per alium; ſecus quando agunt per eandem virtutem, licèt unus ab alio habeat, ùt in noſtro caſu. Unde non dicitur nnus magis, alios minùs ſpirare, quia æqualem habet uterqne virtn- B tem, licèt Patri tribuatnr auctoritas in ſpirando; quia hoc ſignificat originem formalem. *Non tertia*; aliud enim eſt dari prioritatem in virtute ſpirativa, ſeu in actu ſpirationis: aliud in habere virtutem ſpirativam. Hoc ſecundum eſt verum, primum eſt falſum; quia una, & eadem omnino eſt virtus ſpirativa in utroque, licèt ab uno alteri communicata; ſicut aliud eſt dari prioritatem in Sapientia Patris, & Filii, aliud in habere Sapientiam.

Quando duo agunt per eãdem virtutẽ æquè principaliter agũt.

Non datur prioritas in actu ſpirationis, benè verò in habere virtutem ſpirativam.

100 DICES *ſecundò*. Si ergo particula *ex* ſignificat æqualitatem, quando duobus conjungitur, & aliunde Pater, & Filius C non ſunt æquale principium in ſpirando, ſed important prioritatem in habendo virtutem ſpirativam, malè loqnuntur Latini, cum dicunt, Spiritum Sanctum ea Patre, Filioque procedere.

RESP. *neg.* quia ly *ex* aſſumitur a Latinis ad explicandam æqualitatem præcisè in eſſe Spiratoris, ſeu in unitate virtutis ſpirativæ, non autem in modo habendi virtutem ſpirativam.

101 OBJIC. 4. *Dionyſius* de Divinis nominibus cap. 2. *Solus fons ſuperſubſtantialis Deitatis eſt Pater*. Ergo.

Verùm hic locus, quem tantopere ex- D tollunt Græci, nihil negotii Latinis faceſſit: immò ab ipſis ultrò admittitur. Fatetur enim *Auguſtinus* Patrem totius Divinitatis principium: fatetur S. *Thomas*: fatentur alii: hæc enim locutio nil aliud importat, quàm quod Pater ſit principium ſine principio, fons ſine fonte, abs quo Filius, & Spiritus Sanctus habent, quidquid habent. Sed per hoc non tollitur, quominus Filius producat Spiritum Sanctum per virtutem ſpirativam acceptam a Patre; unde paſſim a Sanctis Patribus etiam Græcis vocatur Filius fons de fonte, ut *Epiphanius* Hæreſi 69., & *Athanaſius* in ſermone contra Arianos ad illa verba: *Quoniam apud* E *te eſt fons vitæ*, dicit: ſciebat enim Pater, videlicet apud ſe habens Filium fontem Spiritus Sancti: Spiritus Sancti, inquit, non verò donorum non ſubſiſtentium. Siquidem ſecundùm regulam *Baſilii*, quando legimus Spiritum cum illo addito SANCTUM, intelligitur de ſubſiſtenti perſona Spiritus Sancti. *Beſſarion* in ſuo diſcurſu de ſucceſſu Concilii Florentini, & proceſſione Spiritus Sancti ex contextu *Dionyſii* colligit in illa ſententia comparationem facere ad ſolum Filium non verò ad perſonam Spiritus Sancti, & per

Admittitur a Latinis, quòd ſolus fons ſuperſubſtantialis Deitatis ſit Pater.

conſequens nil Græcis opitulari; ideo inquit ſolum Patrem eſſe fontem ſuperſubſtantialis Deitatis reſpectu Filii, nihil loquendo de Patre per ordinem ad Spiritum Sanctum. Alii adducuntur Patres, quibus, èt ipſi Græci modicè fidunt, tum quia nullus habet particulam excluſivam Filii, tum quia ſolummodo affirmant a Patre procedere, nulla facta mentione Filii; tum quia obſcurè loquuntur.

CONTROVERSIA VII.

AN RATIONIBUS THEOLOGICIS OSTENDATUR PROCESSIO SPIRITUS SANCTI A FILIO.

102 NOn eſt meum naturali lumine proceſſionem Spiritus Sancti a Filio oſtendere; nullo enim naturali principio veritas ſupernaturalis eſt demonſtrabilis, & multo minus ea, quæ ad Trinitatis myſterium ſpectant. Sed ſuppoſitis quibuſdam Fidei principiis, in quibus Latini, & Græci conveniunt, Theologicis argumentis evincam, proceſſionem Spiritus Sancti a Filio eſſe admittendam. Quò genere diſputandi ipſimet Orientales contra nos utuntur fundamenta rationis contra proceſſionem ab utroque deducentes. Pleraſque rationes aggerit S. *Thomas* contra Gentes lib. 4. cap. 24., de potentia quæſt. 10. art. 3., & 4. pr. parte quæſt. 26. art. 2. Ne tamen prolixitate moroſior ſim, unam, vel alteram ea illis ſeligam, quæ magis ad intentum conducunt, ſubjiciamque claritatis ergo pluribus paragraphis diſpoſitam rem.

Veritas ſupernaturalis naturali ratione non poteſt oſtendi.

§. PRIMUS.

AN RATIO AMORIS MUTUI PROBET PROCESSIONEM SPIRITUS SANCTI A FILIO.

103 CErtum eſt Spiritum Sanctum a Filio neceſſariò procedere, ſi ad conſtitutionem proceſſionis ipſius duorum amor requiratur; ſeu ſi procedit ùt amor mutuus Patris, & Filii. Si enim amborum eſt amor, non ſufficit ad ejus productionem unus tantùm, ſed uterque requiritur.

104 DICO. Spiritus Sanctus ea vi ſuæ proceſſionis eſt amor mutuus. *Prob.* 1. Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis eſt amor divinæ voluntatis ùt fœcundæ, ſed voluntas eſt fœcunda ùt in Patre, & Filio; ergo Spiritus Sanctus eſt amor Divinæ voluntatis ùt fœcundæ in Patre, & Filio: ergo eſt amor utriuſque. Ergo mutuus. *Major admittitur* a Græcis. *Min. prob.* quoad Filium (de Patre enim nulla eſt difficultas) toties voluntas in Filio manet fœcunda, quoties non habuit actum in Patre; ſed in Patre non habuit actum: ergo manet fœcunda in Filio. *Major declaratur*. Ideo intellectus in Filio non manet fœcundus, quia in Patre exivit in ſuum actum, qui eſt Verbum. Ergo quoties voluntas non habet ſuum actum in Patre, manet fœcunda in Filio; fœcunditas enim per termi-

Spiritus Sanctus eſt amor divinæ voluntatis ut fœcundæ in Patre, & Filio.

termini productionem compleтur . *Min. prob.* Filius non eſt actus volantatis ; ergo in Patre volnntas non habet ſnum actum ; ergo petit in eum prodire, ſcilicet in amorem ; ergo tam Pater , quàm Filius volnntatis fœcunditate Spiritum Sanctum producunt .

105 CLARIUS *exponitur vis hujus rationis* . Pater in eo priori originis , & rationis , quo prodacit Filium , communicat illi volantatem ; ſed non voluntatem ſuo actu completam ; ergo non habentem actam : ergo fœcundam . *Major eſt certa* ; Filius ſiquidem habet eandem omnino volantatem , qaam habet Pater , nt conſtat Joan. 16. v. 13. *Omnia , quæ habet Pater , mea ſunt* , & cap. 17. v. 10. *Tua mea ſunt* ; & omnia , quæ non ſnnt ipſa Paternitas , Filio communicantur ; voluntas aatem nec eſt ipſa Paternitas , nec illam conſtituit : ergo Filio communicatur ; *Explicatur minor* . In illo priori , quo Filium prodacit , non ſupponit voluntatem ſuo actu completam notionaliter : ergo communicat illi voluntatem actu ſno non completam , adeoque fœcundam . *Antecedens probatur* . Idem ordo ſervatnr inter actionem intellectus , & voluntatis , qai eſt inter intellectum , & voluntatem ; ſed intellectus eſt prior voluntate ; ergo etiam operatio intellectus eſt prior operatione voluntatis ; ergo in illo priori , pro quo Filius producitur , voluntas non habet ſuum actum , ùt infra .

Idem ordo ſervatur inter actionem intellectus , & voluntatis , ac inter ipſas potentias .

Explicatur argumentum . Implicat in terminis Patrem perfectiſſimum non amare Filium , & Filium perfectiſſimum non amare Patrem ; ſed Pater non amat Filium , niſi amorem producendo ; erga Filius non amat Patrem , niſi producendo amorem ; ergo voluntas Filio communicata producit amorem : ergo communicatur ùt fœcunda . *Major videtur lumine naturali nota* ; non enim eſt minùs amabilis Filius amore naturali a Patre , quàm Pater a Filio ; uterque enim æqualis eſt in perfectione .

Pater, & Filius ſe amant producendo amorem .

106 PROB. *ſecundò* . Spiritus Sanctus prodncitur a Patre , ùt amor perfectiſſimus , ſicut ùr perfectiſſimam Verbnm producitur Filius . Sed amor perfectiſſimus eſt amor mutuus . Ergo producitur ùt amor mutuus , adeoque Patris , & Filii . *Prob. min.* Amor perfectiſſimus eſt amor benevolentiæ , & amicitiæ , ùt patet . Sed amor amicitiæ , & benevolentiæ eſt mutnus . Ergo amor perfectiſſimus eſt mutuus .

Amor perfectiſſimus eſt amor mutuus .

Ulteriùs . Pater Æternus producit Spiritum Sanctum , vel amando ſcipſum tantùm , vel etiam amando Filinm . Non producit Spiritum Sanctam amando tantùm ſeipſum ; quia eſſet amor ignobilis , imperfectus concupiſcientiæ . Ergo amando ſe , & Filium . *Tunc ſic inſtatur* . Vel Filius redamat Patrem , & tunc etiam ipſe producit amorem ; vel non redamat Patrem , & eſt ingratus , quod eſt abſurdum .

Pater producit Spiritum Sanctum amando ſe, & Filium .

Præterea amor , quo Pater amat Filium , eſt valdè ſuavis , & jucundus : ſed amor mutuus eſt ille , qui eſt valdè ſuavis , & jucundus , reſte *Ricardo a S. Victore* lib. 3. de Trinitate cap. 3. 7. & 11. Ergo amor Patris in Filinm eſt mutuus .

Amor mutuus eſt valde ſuavis, & jucundus .

107 PROBATUR 3. *Patrum auctoritate* : S. Hieronymus in Pſal. 17. ad illud *diligam te* , ait . *Spiritus Sanctus nec eſt Pater , nec eſt Filius , ſed dilectio , quam habet Filius in Patre , & Pater in Filio* . Proſper. lib. Sentent. ſententia 371. *Spiritus Sanctus eſt Patris , & Filii tanquam Charitas ſubſtantialis , & conſubſtantialis amborum* . Joannes Chryſoſt. hom. 2. in Symbolum Apoſtolicum circa finem : *Spiritus Sanctus procedens de Patre , & Filio Charitate conjungitur* . Epiphanius in Ancorato : *Spiritus Sanctus in medio Patris , & Filii , ex Patre , & Filio* . Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 18. *Deus Spiritus Sanctus medius ingeniti , & geniti* . Nec poteſt aliter eſſe medius , niſi ùt nexus , & mutuus amor utrinſque . Nec alii deſunt innumeri , *Auguſtino* principe , qui doctrinam hanc pluribi exaggerat præcipuè *lib. 5. de Trinitate cap. 17. 19. 27. 29. , lib. 6. de Trinitate cap. 5. lib. 15. cap. 7. , lib. de Fide , & Symbolo cap. 9. , tract. 105. in Joann. , & alibi* . Quibus locis noſtra roboratur concluſio . Non poteſt Spiritus Sanctus procedere ùt mutuus amor Patris , & Filii , niſi procedat a Patre , & Filio . Sed ex auctoritate Patrum , & ratione conſtat , quòd procedit ùt amor mutuus ; ergo ab utroque procedit . *Major declaratur explicatione terminorum* , Amor mutuus Patris , & Filii eſt amor , quo Pater amat Filium , & Filius Patrem . Sed amor quo Pater amat Filium , elicitur a Patre , & quo Filius amat Patrem , elicitur a Filio . Ergo .

Patrum auctoritate oſtenditur , quòd Spiritus Sanctus eſt amor mutuus ,

ARGUMENTA ADVERSARIORUM SOLVUNTUR .

108 FOrmalitas mutui non addit aliquam perfectionem ; ergo ex ratione mutui amoris non arguitur Spiritum Sanctum a Patre , & Filio procedere ; quia non arguitur procedere ex amore imperfecto , ſi ex amore mutuo non procedit . *Ant. videtur certum* , vel quia ratio mutui non ſuperaddit niſi relationem rationis , vel relationem realem notionalem : ſed nihil ex his ſuperaddit perfectionem . Ergo .

RESPOND. Quòd licèt formalitas mutui non addat aliquam perfectionem , abſque illa tamen argueretur in Divinis imperfectio . Nam quidquid ſit , an relationes notionales ſuperaddant perfectionem , ratio tamen mutui eſt quædam modificatio amoris eſſentialis , & ejus complementum , ex cujus carentia argueretur defectus in Divinis ; & hoc ſufficit , ut Spiritus Sanctus petat procedere ab utroque , & ex amore mutuo ; quia petit procedere ex amore eſſentiali completo , & explicante totam ſuam perfectionem in ſuis modificationibus . Sicut Filius petit procedere a potentia generativa completa per Paternitatem ; & licèt ipſa Paternitas non diceret perfectionem ; ſinè ipsâ tamen potentia generativa non eſſet completa , nec explicaret ſuam virtutem generativam .

Ex carentia amoris mutui argueretur a poſteriori defectus in Divinis .

109 OBJIC. 2. Quotieſcumque virtus productiva Spiritus Sancti adæquatè reperitur in una Perſona Divina , licèt ſit amor plurium , non petit eſſe a pluribus ; quia illa pluralitas eſſet de materiali , ùt conſtat in

Per-

Perſunis Diviuis reſpectu creaturarum , cùm æquè perfecta ſit in ſingulis , ac iu omnibus : ſed tota vis productiva Spiritus Sancti eſt adæqoata in Patre ; ergo non petit procedere a Patre , & Filio , licèt ſit amor utrinſque . Si enim ab utroque peteret procedere , vel iu Patre non eſſet virtus perfecta , & adæquata, vel penderet a Filiu , ſeo acciperet ſpirare a Filio , quod eſt abſurdum .

Spiritus Sanctus eſt terminus exigit produci a duobus ,

RESP. *diſtin. maj.* non petit eſſe a pluribus , niſi terminus productus id exigeret : *conceda maj.* ſi terminus productus id exigit : *neg. maj.* Licèt in una perſona ſit tota , & adæquata virtus tam quoad rationem agendi , quàm qooad priucipium actionis ; deficit nihilominus conditio requiſita ex parte termini , qui cum ſit duorum nexus , & reciprocus amor , non poteſt eſſe ab uno tantùm , ſed a duobus eſſe debet ; nnde pluralitas nou venit de materiali . Nec inde ſequitur virtutem nou eſſe in uno adæquatam ; quia conditio nun tollit virtutem , qua principium *quod* agit ; nec pendet , aot accipit a Filio ; Filius enim concurrit per virtutem acceptam a Patre , & ad exigentiam termini , qui petit produci a duobus . Non aliter Deus concurrit ſimol cum Creatura ad aliqnem effectum exigentem *eſſe* ab utroqne . Pendetne Deus a Creatura in ſuo concurſu ? accipitne virtutem ab ea ? Caretne virtute adæquata ? Abſit , ut hoc dicam ; Creatura enim concurrit per acceptam virtutem , & ad exigentiam termini . Nec probat exemplum de productioue creaturarum ; nam ideo pluralitas ſoppoſitorum eſt de materiali ; quia ex uno capite virtus adæquata ſtat in omuibus Perſouis ; & ex alio nolla eſt exigentia plurium perſonarom ex parte creaturæ productæ : quod non verificatur in noſtro caſu .

110 OBJIC. 3. Licèt Verbum procedat ex cognitione Patris , & Spiritus Sancti (cognitio enim productiva Filii eſt perfectiſſima, & cognoſcitiva Patris , & Spiritns Sancti) non procedit tamen ex Patre , & Spiritu Sancto : ergo etiam licèt Spiritus Sanctus procedat ex amore Patris , & Filii , nou procedit ex Patre , & Fillo : ergo ratio mutui non infert productionem a duobus .

Cognitio Patris, quo Verbum producit ſolùm terminativè , & quaſi objectivè attingit Spiritū Sanctum ,

RESP. *neganda conſequentiam* ; diſparitas eſt manifeſta . Cognitio ſiquidem perfectiſſima Patris , quâ Verbum producit , ſolùm terminativè attingit Spiritum Sanctum , & ſolùm objectivè , ùt ita dicam , eſt mutua, quatenus Pater per eam cognitionem , qua ſe ipſum cognoſcit , cognoſcit Filinm , & Spiritom Sanctum . Cæterùm Spiritus Sanctus eſt amor mutuus Patris , & Filii ſubjectivè , quatenus per eum Pater amat Filium , & Filius Patrem , ac proinde petit ab utroque exire .

111 OBJIC. 4. Si Spiritus Sanctus peteret ex ſuo conceptu procedere ùt amor mutuus , valeret hæc propoſitio : *Pater , & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto* : hæc propoſitio nun valet : ergo . *Major oſtenditur* . Si enim eſſet amor mutuus , eſſet id , quo Pater amat Filium , & Filius Patrem : ſed hoc ipſo valeret propoſitio , ſicut valet iſta ; *ignis calefactione calefacit* ; *eo quia calefactio eſt id , quo ignis calefacit* ; ergo . Quòd autem non valeat propoſitio , *probatur* . Hæc propoſitiu : Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto , ſimilis eſt huic : Pater eſt ſapieus ſapientiâ genitâ ; ſed hæc eſt falſa : & ideo eam retractavit *Auguſtinus* lib. retractatiunum cap. 26. , & 6. de Trinitate cap. 1. , eamque retractationem omnes Theologi admittunt . Ergo .

In ſolutione hujus objectionis plures plura dicont , & varias in qoæſtiones abeunt : revera tamen nou eſt opus niſi terminorum explicatione . *Concedo igitur majorem* , quam communiter admittunt Sancti Patres , inter quos ſufficiat nobis auctoritas *Ricardi a S. Victore* in declaratiouibus ad Divum Bernardum capite , cui titolus : *Quomodo Spiritus Sanctus eſt amor Patris , & Filii* : ibi enim habet : *Si rectè diceris amare amore , qui a te procedit , cur non Pater , & Filius dicuntur amare amore , qui ab ipſis procedit ?*

Valet propoſitio . Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto ; non autem Pater eſt ſapiens ſapientia genita .

Ratio autem eſt ; quia illa propoſitio : Pater , & Filius diligunt ſe Spirito Sancto , nou habet aliom ſenſum præter hunc : *Pater , & Filius producendo Spiritum Sanctum , diligunt ſe* : qui ſenſos eſt omnino legitimus. Neque iſta propoſitio fuit virtualiter retractata a D. *Auguſtino* in alia ex Patre Sapiente Sapientia genita ; quia poſtquam hanc retractavit lib. 15. de Trinitate cap. 7. aliam tradidit lib. eodem cap. 17. Ad cujus diſparitatis intelligentiam

112 NOTO actiouem , & terminum alicojus agentis duplicem eſſe . Alter eſt pee modum iutermedii , quod tranſit ad aliud , vel tanquam ad ſubjectum , vel tanquam ad objectom , ſicuti calefactio , per quam ignis calefacit lignum , ſicoti amor , quo diligit Filium . Alter per modum termiui , in qoo agens ſiſtit , nec trauſit ad aliud , vel tanquam ad ſubjectum , vel tanqnam ad objectum , ùt ſe habet Filios ad Patrem . Quando termiuus productus eſt primi geueris , optimè , & ſiue abſurdo denominat agens per eum operans . Unde optimæ ſunt iſtæ propoſitiones : *ignis calefactione calefacit . Pater generatione producit Filium . Pater amore diligit Filium* . Quando verò terminus eſt ſecundi generis , uou determinat ageus per eum operans ; uode non ſunt admittendæ iſtæ propoſitioues : *Pater generat Filio ; Petrus ſe ipſum amat ſeipſa* , &c.

NOTO *ſecundò* Spiritum Sanctum notionaliter ſumptum , ſicut diligere , amare notionaliter , eſſe quidem terminum proceſſionis activæ : nihilominus habere vim quaſi intermedii ad aliud tanquam ad ubjectum , ſcilicet ad Patrem , & Filium , qui ſunt objectum dilectum medio amore ab ipſis producto . Dixi , *ſi diligere , & amare ſumantur notionaliter* ; quia ſi ſumantur eſſentialiter , falſa eſt hæc propoſitio : *Pater , & Filius diligunt ſe , aut amant ſe Spiritu Sancto* ; qoia in ordine eſſentiali Pater , & Filius diligunt ſe ſuâ eſſentiâ , ſuoque amore eſſentiali , tanqnam formâ , ſeo qoaſi formâ , non autem tanquam termiuo prodocto ; quia in eſſentiali dilectione non habetur .

His poſitis, aſſignatur diſparitas inter ſupradictas propoſitiones ; quæ conſiſtit in hoc , quod *ſapere* ſumitur eſſentialiter ; in ordine verò eſſentiali Pater ſapit , intelligit ſuâ eſſen-

eſſentiâ tanquam formâ, aut quaſi formâ: non verò per aliud, tanquam per terminum prodoctum; & ideò non valet: *Pater eſt ſapiens ſapientiâ genitâ*. Diligere autem ſumitur notionaliter, in quo ordine dilectin eſt per terminum productum; ideoque valet: *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*: quæ propoſitio correſpondet buic ex parte intellectus, *Pater dicit ſe ipſum Verbo*, quæ vera eſt, quia re ipſa in ſuo Verbo repræſentatur, & completur. Quod verò *ſapere*, *intelligere*, *cognoſcere* ſumantur eſſentialiter, *diligere* & eſſentialiter, & notionaliter; boc ideo eſt, quia, quæ ſpectant ad lineam intellectus, propria habent nomina, cum ſint nobis notiora: ſecus ea, quæ ſpectant ad voluntatem; unde iiſdem nominibus eſſentialia, & notionalia plerumque accipiuntur: ſic docet D. *Thomas* pr. parte q 37. art. 1.

Valet hæc propoſitio Pater dicit ſeipſum Verbo.

113 DICES *primò*. Eodem amore, quo diligunt Pater, & Filius, diligit etiam Spiritus Sanctus. Sed falſa eſt hæc propoſitio: *Spiritus Sanctus diligit ſe Patrem, & Filium*: ergo etiam eſt falſa hæc: *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*.

RESP. In boc argumento variatur appellatio; quia *diligere* io majori ſumitur *eſſentialiter*; & in conſequentia ſumitur *notionaliter* per modum termini producti, & importantis notionem activam, & Perſonam Spiritus Sancti. Unde in majori habet rationem quaſi formæ: in conſequentia rationem termini producti. Quare *diſtinguo majorem*: eodem amore eſſentiali, quo diligit Pater, & Filius, diligit etiam Spiritus Sanctus *conced. maj.*; unus enim eſt amor eſſentialis omnium Divinarum Perſonarum, nempe eſſentia Divina: eodem amore, ùt termino dilectionis notionalis *neg. maj.*, *& diſtinguo minorem*: Spiritus Sanctus non diligit ſe Patrem, & Filium amore eſſentiali, vel termino dilectionis *concod. min.*, ùt principium *quod* dilectionis eſſentialis *neg. min.* Non valet igitur, ſe ipſa diligit Patrem, & Filium notionaliter per modum termini producti; quia non producitur a ſeipſo Spiritus Sanctus: valet tamen, diligit ſe Patrem, & Filium, ùt principium *quod* perſonale operationis eſſentialis.

Diligere aliquando ſumitur notionaliter, aliquãdo eſſentialiter propter defectum terminorum.

114 DICES SECUNDO. Idem eſt dilectio notionalis, ac ſpiratio: ſed non valet Pater, & Filius ſpirant ſe Spiriro Sancto. Ergo neque diligunt ſe Spiritu Sancto.

RESP. *neg. majo.* Dilectin enim notionalis exprimit habitudinem tam ad terminum productum, quam ad objectum attactum medio ipſa. Ideo valet, *diligunt ſe Spiritu Sancto*. Spiratio verò exprimit ſolam habitudinem ad terminum productum; & ideo non ſpirant ſe Spiritu Sancto. Non enim Pater, & Filius ſunt termini producti; ſunt verò termini dilecti.

Dilectio notionalis exprimit habitudinem tum ad terminũ, tum ad objectum; ſpiratio ſolum ad terminum.

115 DICES TERTIO. Dilectio notionalis in voluntate correſpondet generationi in intellectu: at falſa eſt hæc propoſitio: *Pater generat ſe Verbo*; ergo etiam iſta: *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*.

RESP. *negando majorem*, ſi adæquatè nomen generationis accipiatur. Ratio eſt; quia nomen generationis importat habitudinem ad ſolum terminum prodoctum. Sed dilectio importat habitudinem & ad terminum productum, & ab objectum medio ipſo attactum. Quare ut ſit correſpondentia, deberet aſſumi ex parte intellectus id, quod exprimit habitudinem ad terminum, & ad objectum, ùt v. g. *dicere*, & tunc erit paritas: valet enim: *Pater Verbo ſe dicit*.

Quomodo debeat ſervari paritas inter intellectum, & voluntatẽ.

116 OBJIC. 5. Argumentum Theologicum: ſi Spiritus Sanctus ideo petit eſſe amorem mutuum; quia exigit prodoci per amorem perfectiſſimum, ſequitur, quod procedat ex amore Creaturarum. Ergo non procedit per amorem perfectiſſimum. *Major declaratur*. Amor perfectiſſimus extenditur ad quodlibet amabile; eſt enim in ſua linea, ùt ita dicam, comprebenſivus. Sed inter amabilia connumerantur Creaturæ ſaltem exiſteotes; ergo. *Minor videtur certa*; quia productin Spiritus Sancti eſt omninò neceſſaria, amor Creaturarum exiſtentium eſt omninò liber. Sed entitas, vel actio omninò neceſſaria nequit pendére a libero, & contingenti. Ergo.

Huic argumento poſſem uno verbo reſpondere, remittendo ad ea, quæ ſolent docere Thomiſtæ circa objecta, ex quibus Verbum, & Spiritus Sanctus petunt procedere. Nihilominus placet paulò ſuſiùs occurrere objectioni, ut appareat quot modis poſſint hæreticorum argumenta diſſolvi; & ideo ſit digreſſio Theologica.

§. SECUNDUS.

DIGRESSIO THEOLOGICA.

AN SPIRITUS SANCTUS, UT LIBERE AMANS CREATURAS EXISTENTES, PROCEDAT EX EARUM AMORE.

117 DIXI. *An Spiritus Sanctus ùt amans Creaturas exiſtentes*; quia ſuppono Creaturas ùt merè poſſibiles non eſſe a Deo amabiles, cum pro illo ſtatu non dicant ſufficientem bonitatem, qua poſſint divinam terminare dilectionem. Quare circa ipſas non eſt quæſtio. Dixi etiam *ut liberè amans*; quia ùt certum ſuppono Spiritum Sanctum ſecundùm ſuam entitatem neceſſariam non procedere ex amore futurorum: ſicut nec Verbum Divinum non procedit a cognitione eorundem, uti demonſtrant PP. noſtri Salmaticenſes cum aliis Thomiſtis agentibus de proceſſione Spiritus Sancti. Reducitur tota quæſtio ad illam formalitatem liberæ dilectionis, ſob qua reduplicatione non examinatur a noſtris Patribus.

Creaturæ ùt merè poſſibiles non ſunt amabiles.

118 DICO. *Spiritus Sanctus, ùt liberè amans Creaturas exiſtentes procedit ex earum amore, ſicut Verbum ùt liberè eas repræſentans ex earum cognitione procedit*. Hæc concluſio eſt ſine dubio Scripturis, & Patribus conformis, qui abſolutè loquuntur Verbum, & Spiritum Sanctum omnia habere per proceſſionem, nihil verò a ſe. *Probatur*. Spiritus Sanctus, ut liberè amans Creaturas procedit a Patre, & Filio. Sed procedit a Patre, & Filio, ut amantibus Creaturas: ergo procedit ex amore Creaturarum. Oſtenſis præmiſſis concluſio probatione non indiget.

Verbum, & Spiritus Sanctus omnia habent per proceſſionem.

Prob.

Prob. igit. maj. Spiritui Sancto convenit libera futurorum dilectio; ſicut Verbo libera futurorum repræſentatio. Sed non convenit a ſe: ergo convenit ab alio. *Minor habetur* in Scriptura Joan. 16. v. 13. *Non loquetur a ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur; quia de meo accipiet*. Ergo quod habet Spiritus Sanctus, ab alio habet; non enim plus habet in ſua linea Spiritus Sanctus a ſe, quàm Filius habeat in ſua; ſed Filius quidquid habet, ab alio habet, & præcipuè cognitionem, & Sapientiam juxta illud Jo. 7. v. 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me*, & cap. 14. v. 10. *Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipſo non loquor*. Ergo.

De ratione Spiritus impulſus amoris eſt ab alio procedere.

Secundò Spiritus Sanctus, ùt liberè amans futura, eſt propriè Spiritus impulſus, & amor perſonalis; ſicut Verbum eſt propriè Verbum, ùt ea repræſentat. Sed de ratione Spiritus Sancti impulſus, & amoris eſt ab alio procedere: ergo Spiritus Sanctus ùt liberè amans ab alio procedit. *Tertiò*. Spiritus Sanctus ùt liberè amans Creaturas eſt terminus amantis; ergo procedit ab amante; amans eſt Pater, & Filius; ergo procedit a Patre, & Filio.

Spiritus Sanctus ùt liberè amans procedit a Patre, & Filio, ùt liberè amant futura.

Nunc *probanda eſt minor principalis*, ſcilicet Spiritum Sanctum procedere a Patre, & Filio reduplicativè, ùt liberè amantem futura. Spiritus Sanctus, ùt liberè amans procedit a Patre, & Filio, ùt liberè amantibus; ſed non amantibus præcisè alia a futuris distincta; ergo procedit a Patre, & Filio, ùt liberè amantibus creaturas. *Prob. min.* Spiritus Sanctus ùt amans Patrem, & Filium non procedit a Patre, & Filio, ùt amantibus præcisè Divinam naturam; ſicut Verbum ùt repræſentans poſſibilia non procedit a cognitione Patris ſolùm terminata ad Divina, ſed terminata etiam ad ipſa poſſibilia; ita Spiritus Sanctus ùt liberè amans, non procedit ab amore ſolùm terminato ad Divina, ſed ùt liberè terminato ad Creaturas. Ita enim ſe habet amor neceſſarius Divinorum in Patre, & Filio ad productionem Spiritus Sancti, ùt neceſſariò amantis Divina; ſicut ſe habet amor liber Creaturarum in Patre, & Filio ad productionem Spiritus Sancti, ùt liberè amantis Creaturas.

119 DICES. Amor liber Creaturarum communicatur ſolùm identicè, non verò formaliter; eſſet autem neceſſe communicari formaliter, ut verè dici poſſet procedens ex amore futurorum.

Amor attributorum communicatur in radice in amore eſſentiæ, & tamen communicatur formaliter in ſe.

SED CONTRA. Spiritui Sancto, in ſententia communiori Thomiſtarum, natura Divina ſolùm concomitanter, & identicè communicatur; & tamen procedit formaliter ex amore ipſius. Ergo licèt amor liber futurorum communicetur concomitanter; haud tamen infertur non procedere ab eo formaliter. Sicuti licèt amor attributorum communicetur in radice in amore eſſentiæ; nihilominus etiam communicatur formalitee in ſe, & procedit formaliter ex eorum amore: ſic utcumque radicaliter in amore Divinorum, neceſſariò communicetur liber amor Creaturarum: nihiloſecius debet in ſeipſo communicari, & ab eo procedere formaliter. *Idipſum denuò explicatur*. Quod ſecundariò communicatur Spiritui Sancto, *puta*, amor attributorum, de ſecundario debet contineri in amore, a quo procedit; ergo quod communicatur liberè, debet liberè contineri in amore, a quo procedit.

Spiritus Sanctus quoad ſuam entitatem ab eo procedit, quo ablato, non eſſet ejuſdem rationis, ac modò eſt.

120 CONFIRMATUR CONCLUSIO. Spiritus Sanctus quoad ſuam entitatem ab eo procedit, quo ablato, non eſſet ejuſdem rationis, qualis nunc eſt. Ergo etiam ùt liberè amans ab eo eſt, quo ablato, non eſſet ejuſdem rationis in eſſe liberè amantis. Sed ſi Pater, & Filius in priori ad productionem Spiritus non amarent liberè Creaturas, Spiritus Sanctus ùt liberè amans non eſſet ejuſdem rationis, ùt patet; quia careret hac terminatione. Ergo. Hinc rectè concludit S. *Thomas* pr. par. qu. 37. art. 2. ad 3. Patrem diligere Spiritu Sancto Creaturas, ac per conſequens non foret ejuſdem rationis, ùt liberè amans, ſi careret hujuſmodi terminatione. Accipe verba S. Doctoris: *Unde ſicut Pater dicit ſe, & omnem Creaturam Verbo, quod genuit, in quantum Verbum genitum ſufficienter repræſentat Patrem, & omnem Creaturam; ita diligit ſe, & omnem Creaturam Spiritu Sancto, in quantum Spiritus Sanctus procedit ùt amor bonitatis primæ, ſecundùm quam Pater amat ſe, & omnem creaturam*.

Pater diligit Spiritu Sancto creaturas.

ADVERSARIORUM ARGUMENTIS RESPONDETUR.

121 OBJIC. Productio Spiritus Sancti eſt adæquatè neceſſaria. Ergo ſub nulla ratione terminatur ad liberum Creaturarum amorem. *Ant. prob.* Productio terminatur ad eſſe; ſed eſſe in Spiritu Sancto eſt adæquatè neceſſarium; ergo. Præterea omnis productio in Divinis terminatur ad ſubſiſtens; ſed in Spiritu Sancto nulla datur ſubſiſtentia libera; ergo ad nullum liberum terminatur.

Productio nō terminatur præcisè ad eſſe, ſed etiam ad omnem formalitatē, quæ imbibitur in eſſe.

RESP. *neg. ant.*, & ad primam probationem DICO: productio non terminatur ad eſſe præcisè, ſed etiam ad omnem formalitatem, quæ imbibitur in eſſe; & quia libera dilectio Creaturarum eſt formalitas, quæ imbibitur in eſſe; ideo ad illam etiam terminatur. Eſſe entitativum Spiritus Sancti eſt neceſſarium: non tamen omnis ejus formalitas; quapropter non ſolùm ad eſſe entitativum, ſed etiam ad illam formalitatem dari debet proceſſio. Quia talis formalitas non eſt a ſe, ſed Spiritus Sanctus ab alio illam habet. Hinc patet ad ſecundum.

122 OBJIC. 2. Productio Spiritus Sancti eſt intrinſeca, & poſitiva; quia Spiritus Sanctus eſt ens poſitivum, & intrinſecum Dei. Sed nulla ratio terminata ad Creaturas exiſtentes eſt poſitiva, & intrinſeca: ergo. *Prob. min.* Nulla ratio Deo intrinſeca, & poſitiva potuit in Deo non eſſe. Sed omnis ratio terminata ad Creaturas exiſtentes potuit in Deo non eſſe, cum ſit libera. Ergo.

Argumento huic nulla ineſt peculiaris difficultas diſtincta ab ea, quod decreta libera poſſint non eſſe; unde ſicut nullum exiſtimatur inconveniens, quod liberum decretum quoad terminationem intrinſecam, vel extrinſecam poſſit a Deo abeſſe: ita in noſtro caſu.

caſu. Nullum ergo eſt abſurdum, quòd proceſſio ùt terminans Spiritum Sanctum, quà liberè amantem potuit abeſſe: ſicut potuit abeſſe hæc libera dilectio.

123 OBJIC. 3. Dilectio libera Creaturarum ſupponit Spiritum Sanctum productum. Ergo non procedit ex amore Creaturarum. *Ant. prob.* Directio libera ſupponit decretum volitivum Creaturarum. Sed decretum volitivum Creaturarum ſupponit Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; quia naturalia ſunt priora liberis. Ergo.

Decretum volitivum creaturarum ſupponit Divinas Perſonas productas quoad formalitates neceſſarias.

RESP. *diſt. ant.* Supponit Spiritum Sanctum quoad entitatem productam *conc.*: quoad liberam terminationem *nego*. Decretum igitur volitivum creaturarum ſupponit tres Divinas Perſonas, quoad formalitates neceſſarias, non verò liberas. Et ſemper inſtatur: licèt Spiritus Sanctus ùt amans attributa, ſupponat ſe ipſum, ùt amantem eſſentiam; nihilominus formaliter procedit ex amore attributorum.

124 OBJIC. 4. Si Spiritus Sanctus ùt diligens liberè Creaturas eſſet ab illarum amore, dilectio libera Creaturarum in priori originis eſſet in Patre. Sed hoc eſt falſum: ergo. *Prob. min.* Decretum ex quo ſequitur libera dilectio, non eſt priùs in Patre, quàm in Spiritu Sancto: ſicut enim omnia ad extra ſunt communia toti Trinitati: ita decreta eorum. *Corroboratur argumentum*. Si decretum eſt in Patre, & Filio priuſquam in Spiritu Sancto, fit, ut non æquè liberum ſit Patri, & Filio, ac Spiritui Sancto; quia Patre, & Filio decernente, neceſſariò decernere debet Spiritus Sanctus, nec aliter fieri poteſt.

Dilectio libera, & decretū priùs origine ſunt in Patre, & Filio, quàm in Spiritu Sancto.

Tota hæc objectio laborat æquivoco; tranſit enim a prioritate originis ad prioritatem durationis, ſive *in quo*. Certum eſt dilectionem liberam, & decretum priùs origine eſſe in Patre, & Filio, quàm in Spiritu Sancto; quia Pater, & Filius ſunt principium cujuſcumque perfectionis, quæ eſt in Spiritu Sancto. Non enim ſequitur non eſſe in eodem priori durationis, & perfectionis; nec ſequitur minùs liberè convenire Spiritui Sancto. Nam ad æqualitatem exercitii liberi, & perfectionis attenditur diverſa prioritas a prioritate originis, quæ eſt ſolùm prioritas procedentis a procedente. *Inſtatur clarè*. Divina eſſentia, Sapientia, Omnipotentia, & alia attributa in priori originis conveniunt Patri prius, quàm Filio, & Spiritui Sancto; neque propterea fit, ut æqualiter non conveniant tribus Perſonis. Rurſus in priori originis ad Filium cognitio Filii eſt in Patre; nec ideo ſequitur minùs Filium cognoſcere ſe ipſum, quàm Patrem. Ratio a priori eſt; quia Pater eundem intellectum, & eandem voluntatem, quibus cognoſcit, & amat, Filio communicat, & Spiritui Sancto; & aliundè hæc ſimul ſunt prioritate *in quo*.

125 OBJIC. 5. Si Spiritus Sanctus ùt liberè amans procederet ex amore exiſtentium, procederet priùs Verbo, & Verbum eſſet ab ipſo. Hoc eſt abſurdum: ergo. *Prob. ſequela*. In liberis prior eſt voluntas decernens, quàm intellectus cognoſcens. Ergo priùs produceretur Spiritus Sanctus, ùt liberè amans, quàm Verbum, ùt liberè cognoſcens. A *Ant. patet*; quia libertas a voluntate ad intellectum deſcendit, & prius eſt decretum, quam ſcientia libera. Ergo prior eſt voluntas decernens, quàm intellectus liberè cognoſcens. Ergo priùs producitur Spiritus Sanctus, ùt liberè amans, quàm Verbum, ùt liberè cognoſcens. Ergo Verbum ùt liberè cognoſcens procedit a Spiritu Sancto, ùt liberè amante. *Prob. conſeq.* Spiritus Sanctus, ùt liberè amans diſtinguitur realiter a Verbo ùt liberè cognoſcens. Sed in Divinis omnis diſtinctio realis habetur ex vi proceſſionis unius ab alio. Ergo cùm Verbum liberè cognoſcens ſit poſterius Spiritu Sancto, ab eodem B debet procedere: quæ videntur non admittenda; quia Spiritus Sanctus ex natura ſua eſt procedens, ùt amor mutuus, quo Pater, & Filius diligunt ſe in liberis.

EXPLICATUR. Verbum ùt liberè procedens, ſeu ùt liberè repræſentans producitur, quando communicatur notitia futurorum. Sed hæc communicatur, quando communicatur decretum. Ergo ſcientia futurorum in Filio ſupponit decretum in Filio. Sed ex decreto, quod eſt in Patre, & Filio producitur Spiritus Sanctus, ùt liberè amans. Ergo communicatio ſcientiæ liberorum Filio, ſupponit productionem Spiritus Sancti liberè C amantis.

Hæc ſolutio non affert majorem difficultatem, quàm quæ continetur in explicatione productionis ejuſdem Filii, & Spiritus Sancti; ad cujus enodationem ſuppono decretum accipi dupliciter in ordine ad ſcientiam liberam, & ùt motivum, ſeu medium cognitionis, & ùt terminativè, ſeù ùt objectum cognitum. Sicuti Pater ſumi poteſt, tanquam principium amans, & tanquam objectum amatum. Decretum ùt motivum eſt dumtaxat in Patre; eſt enim fontalis origo Divinitatis, & proceſſionum Divinarum: terminativè, ſeu ùt objectum eſt in Filio, D ſed non velut medium cognitionis; quia in Filio non eſt fontalis origo cognitionis, ſed a Patre illi communicatur notitia, qua libera cognoſcit. Hinc fit, ut decretum in ſolo Patre præſupponatur ad ſcientiam liberam, & Pater in priori originis habens illam ſcientiam, Filium producat, eique illam communicet unà cum virtute ſpirativa; ac proinde productio Filii eſt in priori ad productionem Spiritus Sancti.

Decretum in ſolo Patre præſupponitur ad ſcientiam liberā.

RESPONDEO jam ad argumentum in forma negando majorem. *Ad probat. diſt.* priùs eſt voluntas decernens, quàm intellectus cognoſcens motivè, *concedo*: terminati- E vè, *nego*. Ad probationem ſecundam, quòd poteſt eſſe contra diſtinctionem *reſpondes*: prius eſt decretum, quàm ſcientia in Patre, *concedo*: in Filio, *nego*. Hoc enim ipſo, quòd in priori originis intelligitur ſcientia libera innitens decreto in Patre, producitur Verbum, ùt repræſentans futura; unde in Filio, ùt in Filio, decretum non ſe habet motivè, ſed ſolùm terminativè. Et quia ſignum originis Patris ad Filium eſt priùs ſigno originis ad Spiritum Sanctum, qui ab utroque procedit; ideo in priori producitur Verbum ùt liberè repræſentans, quàm Spiri-

tus ùt liberè amans.

AD EXPLICATIONEM *concedo majorem, & diſtinguo minorem*. Quando communicatur decretum liberum ùt motivum, tunc communicatur notitia futurorum, *nego*: quando communicatur terminativè, *concedo*, & *nego conſequentiam*. Ad ſubſomptam minorem *diſtinguo*: ex decreto, quod eſt in Patre motivè, & in Filio terminativè producitur Spiritus Sanctus, ùt liberè amans *concedo*: in utruque motivè *nego*. Unde haud ſequitur ſpirationem liberam præcedere liberam productionem Verbi, quia decretum eſſe debebat motivè anterius ad ſcientiam liberorum in utroque, non verò in ſolo Patre.

126 Nec juvat dicere: Patris ſcientia innititur decreto, ùt in tribus. Ergo ſupponit decretum ùt in tribus, præcedens ſcientiam: non juvat, inquam; ſicut enim cognitio Patris eſt intuitiva Filii, & Spiritus Sancti in priori ad Filium; neque tamen ſupponit Verbum, & Spiritum Sanctum productum: haud aliter ſcientia innititur decreto, ùt in tribus; quamvis minimè ſupponat Verbum, & Spiritum Sanctum productum ſecundùm ſcientiam liberam. Et ratio eſt ſimilis in utroque caſu; ſiquidem in primo Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tantummodo objectum terminativum, quod ſufficit, ut ſit in eodem ſigno *in quo*. Atque hæc eadem eſt ratio, cur non dicatur Filius procedere a ſe ipſo, & Spiritu Sancto, ex quo procedit ex cognitione ſui, & Spiritus Sancti, quia ſe habet ſolùm terminativè, & non motivè in cognitione Patris: ſic quoniam decretum in Filio, & Spiritu Sancto in priori originis ad productionem Verbi ſe habet dumtaxat terminativè in cognitione Patris, non præſupponitur Verbum, ùt liberè cognoſcens.

Decretum in Filio, & Spiritu Sancto in priori originis ad productionẽ Verbi ſe habet ſolum terminative.

§. TERTIUS.

AN RELATIVA OPPOSITIO PROBET PROCESSIONEM SPIRITUS SANCTI A FILIO.

127 UBicumque S. *Thomas* contra Græcos argumentatur de Spiritus Sancti proceſſione a Filio, præter auctoritatem Scripturarum, & Patrum, teli inſtar potentiſſimi adhibet rationem realis diſtinctionis unius Perſonæ ab alia, ortam a relativa oppoſitione. Hanc ego expendendam aſſumo, quanti valeat. Quæ res, ut illuſtrior fiat, præmitto, ac ſuppono, quòd Græcis æquè, ac Latinis comperitiſſimum eſt, videlicet in Divinis nullam haberi diſtinctionem realem, niſi in ordine relativo; nam unitati unius Deitatis obſtat diſtinctio realis inter abſoluta. Suppono etiam contra *Sabellium*, Divinas Perſonas, Patrem videlicet, Filium, & Spiritum Sanctum diſtingui realiter inter ſe, ſervata unitate naturæ, ùt habetur pr. Jo. 5. v. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt*. Jactis hiſce fundamentis, expendere jam oportet, an ratio diſtinctionis realis oriatur a relatione formaliter oppoſita, ideſt ab eo, quod una Perſona ab alia procedat. Quod ſi evincitur, Græco erit fatendum, aut Spiritum Sanctum a Filio neutiquam diſtingui realiter, aut ab illo procedere.

Latini; & Græci conveniunt, quod in Divinis nullo datur realis diſtinctio, niſi in ordine relative.

128 DICO: *Oppoſitio relativa formaliter eſt unica ratio eſſentialiter diſtinctiva Patris a Filio, & Spiritus Sancti ab utroque*. Probatur concluſio ex doctrina D. *Thomæ* a Patribus accepta, ac penè evidenter Catholicam hanc veritatem commonſtrante. In Divinis ubi non adſit formalis proceſſio unius ab alio, ineſt ſumma identitas. Sed proceſſus unius ab alio eſt formalis oppoſitio relativa. Ergo ubi non adſit formalis oppoſitio relativa, ineſt identitas realis. Ergo oppoſitio formalis relativa eſt ratio unica, & eſſentialis diſtinctionis realis Perſonarum. *Major*, quæ ſola indiget probatione, *oſtenditur* primò ex Patribus. *Gregorius Niſſenus* lib. ad Ablavium de Divinis Perſonis hæc habet: *Eam, quæ circa cauſam, & cauſatum conſideratur, differentiam non negamus, per quod diſcerni unum ab alio deprehendimus nimirum eo quod credimus, aliud quidem cauſam eſſe* (cauſa apud Græcos ſumitur pro principio) *aliud verò ex cauſa*. Dionyſius lib. de Divinis nominibus cap. 2. *Diſcretiones benigniſſimas Perſonarum Deitatis proceſſus appellat*. Idem docuerunt ex Græcis *Athanaſius* lib. 1. de unica Deitate Trinitatis; *Baſilius* lib. 3. contra Eunomium in principio; *Cyrillus Alexandrinus* lib. 7. Theſauri cap. 1.; *Nazianzenus* orat. 37., & 39.; *Auguſtinus* ſæpe citatus a S. Thoma, & præcipuè de potentia, & contra gentes hoc fundamentum elucidans: *Iſidorus* lib. 2. de differentia Spiritus cap. 2.; *Bernardus* Epiſtola 190. ad Innocentium, & alii, ex quibus *Anſelmus* lib. de proceſſione Spiritus Sancti omnia in Divinis probat eſſe unum, niſi obviet relationis oppoſitio; & *Boetius* lib. de Trinitate circa finem aſſerit, quòd ſola relatio multiplicat Trinitatem. Quibus addo Patres Concilii Toletani undecimi in confeſſione Fidei ſic loquentes: *Hoc ſolum numerum inſinuat, quod ad invicem ſunt, & in hoc numero carent, quod ad ſe ſunt*. Et ne textus detorqueatur in pravum ſenſum, ſubdunt: *Quod enim Pater eſt, non ad ſe, ſed ad Filium eſt, & quod Filius eſt non ad ſe, ſed ad Patrem eſt: ſimiliter Spiritus Sanctus non ad ſe, ſed a Patrem relativè refertur*. Concilium Florentinum ſeſſ. 18. habet præter alia, quibus idem probat, & explicat: *Nulla alia ratio diſtinctionis, aut diſcriminis eſt in Divinis niſi per hoc, quòd Perſona aliqua eſt ab altera*.

Ubi non datur formalis proceſſio unius ab alio datur ſumma identitas.

Latini, & Græci Patres admittũt hoc principium.

129 PROB. 2. Ibi datur ſumma identitas realis, ubi non datur incompoſſibilitas. Sed in Divinis non datur incompoſſibilitas, ubi non datur proceſſio unius ab alio. Ergo in Divinis datur ſumma identitas, ubi non datur proceſſio unius ab alio. *Minor probatur*. In Divinis non datur incompoſſibilitas, niſi ubi datur incommunicabilitas. Sed incommunicabilitas non datur, niſi ubi eſt proceſſio unius ab alio. Ergo. *Prob. min.* In Divinis incommunicabilitas non poteſt dari niſi penes principium, & terminum; penes enim ſubjectum, & eſſe in Divinis omnia identificantur etiam Divinæ Perſonæ. Sed incommunicabilitas penes principium, & terminum

In Divinis ubi non datur incompoſſibilitas, datur ſumma identitas.

non

In Divinis ea ſolùm repugnant eſſe ſimul, quæ ſe habent ut relatio, & terminus.

non eſt, niſi penes proceſſionem unius ab alio . Ergo . *Explicatur* . A Ea in Divinis ſunt formaliter oppoſita , quæ repugnant realiter eſſe ſimul . Sed ea ſolùm repugnant eſſe ſimul , quæ ſo habent ùt relario , & terminus . Ergn ea ſunt formaliter oppoſita , quæ ſnut formaliter correlativa ; formalis antem correlatio non intervenit , niſi ubi intervenit proceſſio unius ab alio . *Prob. min.* Nulla relario repogoat eſſe cum illo , cum quo non exercet ſuam formalem oppoſitionem . Hanc non eaercet niſi cnm termino formali ; ergo ſolùm ea , qnæ ſe habent ùt relatio , & terminus , ſimul eſſe repugnant . *Major declaratur* . Duæ relationes non correlativè poſſunt eſſe ſimul etiam in creatis , nbi datur maxi- B ma limitatio , ùt paret in homine Parre , qui habet relationem Paternitaria ad Filium , & relationem ſimilitudinis ad eundem ; quia tamen relatio Parernitaris exercet formalem oppoſitionem cum Filiatione , non poteſt reſpectu ejuſdem idem eſſe Pater , & Filius .

Repugnat Deo oppoſitio contraria, aut privativa.

130 *Explicatur ſecundò* . Omuis diſtinctio realis relationum non orta ex formali oppoſitione fundari debet vel in contraria , quatenus extrema habent differentias ſpecificas diverſas , vel in privativa , quatenua inrercedit diverſitas ſubjecti , quorum uuum habet privationem relationia exiſtentia in C alio . Sed hæc repugnat Deo . Ergo non eſt alia diſtinctio realis penes formaliter correlativa . Verò enim verius quæque diſtinctio realis abhorret ab abſolutis . *Min. prob.* Uterque modus diſtinctionis realis includit eſſentialiter imperfectionem limitationis : primus modus, quateuus forma in ſua differeutia ſpecifica non includit tantam perfectionem , ni pertingat ad eſſe realiter aliam differeutiam : ſecundus , qnatenus diſtinctionem ſubjecti exigit .

Oppoſitio diſparata non ponit diſtinctionem realem in Deo.

131 *Confirmatur argumentum* . Si aliqua diſtinguuntur realiter in divinia abſque proceſſione unius ab alio , ea maximè quæ diſpa- D ratè opponuutur . Sed hoc eſt falſum : ergo nulla realis diſtinctio eſt admittenda , niſi peues ptoceſſionem unius ab alio. *Minor oſtenditur inductione* . Inter abſoluta in Divuis aliqua opponuntur diſparatè , ùt Miſericordia , & Juſtitia , quæ tamen non diſtinguuntur realiter . Inter abſoluta , & relativa datur oppoſitio diſparaia , ùt in Patre innaſcibilitas , Parernitas , & ſpiratio activa , quæ tamen non diſtinguuntur realiter . Ergo maniſeſtè liquet oppoſitionem dumtaxat diſparatam non inferre diſtinctionem realem . Ergo ſolùm oppoſitio formaliter relativa , ſeù proceſſionis inducit realem diſtinctionem . Sed Spi- E ritus Sanctus a Filio diſtinguitur . Ergo ab illo procedit , eique relativè formaliter oppouitor .

132 DICES . Ideo ſpiratio activa ſubſiſtit ſimul cum Paternitate , quia non implicat idem agens plurea terminos producere , & diverſa actione totali ; implicat tamen idem prodire , & prodnci duplici actioue adæquata ; cùm verò ſpiratio paſſiva , & Filiatio ſint termini producti per oppoſitionem diſparatam ſufficienter diſtingunntur realiter ; aliter idem duplici actione prodneeretur .

Hæc inſtantia infrà diſſolvetur ; interim ſufficiat advertere , quòd reſponſio hæc non inſtingit vim adductæ rationia , uec verò innititur . *Primum oſtenditur* ; quia vis argumenti non conſiſtit in eo , quòd ſpiratio activa , & Paternitas ad agens ſpectent , nec ne, ſed in hoc , quod vià inductionis oſtenditur nullam dari diſtinctionem realem in Divinis inter ea , quæ præcisè ſunt oppoſita diſparatè : ea quo concluditur oppoſitionem diſparatam in Divinis nou eſſe principium realis diſtinctionis . *Secundum declaratur* . Quia non implicat idem realiter duplici emauatione virtuali procedere , ùt de facto patet . Intellectus enim , & voluntas in Deo ſunt entitas realis , quæ duplici virtuali emanatione ſunt a natura Divina , & tamen nou diſtinguuntur realiter , licèt ex ſuo conceptu formali ſint duo termiui diſparatè diverſi . Ergo a pari , ſi ſolùm diſparatè ſe babent , ſpiratio paſſiva, & Filiatio erunt nna realis entitas duplici virtuali emauatione prodiens a Parre . Siquidem haud majorem dicit oppoſitionem diſparatam actus voluntatis , ſeù terminus , cum actu intellectus , quàm volnntas ipſa cum intellectu adhuc in Patre . Si ergo diſparata oppoſitio non ponit diſtinctionem realem inter intellectum , & voluntatem prout in Parre , neque ponet inter termiuoa ipſius intellectus , & voluntatis .

Non implicat idem realiter duplici emanatione virtuali procedere.

133 *Elucidatur ampliùs argumentum aliâ viâ negationis* . Non eſt admittenda realis diſtinctio in Divinis orta ex principio inferente poſitivam imperfectionem . Sed omnis diſtinctio realia , quæ non oritur ex proceſſione unius ab alio infert Imperfectionem poſitivam . Ergo . *Min. prob. hoc diſcurſu* . Omnis diſtinctio realis dnorum vel eſt marerialis , hoc eſt individuorum ; atque hæc ſine dubio non habet locum in Divinis Inter Filium , & Spiritnm Sanctum , quæ ſunt Perſouæ pluſquam uumero differentes . Differentia enim putè numerica non ſtat , ubi uatura tota participatur ab uno extremo , cum dicar partitionem , & inadæquatam participatiouem ejuſdem naturæ . Vel eſt formalis peues differeutiam ſpecificam , & eſſentialem ; & hæc niſi fit per oppoſitionem formaliter relativam, includit poſitivam imperfectionem : *quod ſic declaratur* . Hæc realis diſtinctio formalis , vel eſt per affirmationem, & negationem , aut ptivationem , & habitum , ſeu contradictionem ; & hæc manifeſtè dividit eſſe in eatremis , quateuus hoc haber aliquid , quod non habet aliud ; In illo verò eſſe , in quo datur iufinitas , nequit dari diviſio in eſſe . Iufinitas namque in eo geuere , in quo eſt , totum occupat , & comprehendit . Vel per contrarietatem datur hæc formalis diſtinctio ; & hoc multò miuus ; nam contrariè oppoſita ab eodem ſubjecto ſe expeliunt ; unde uuam includit privationem eſſe alterius ; in Divinis verò omnia communicant in eodem eſſe , & omnia in eodem quaſi ſubjecto recipiuntur .

Non eſt admittenda in Deo realis diſtinctio orta ex principio inferente imperfectionem.

134 DICES . Idem inconveniens ſequitur in relativis formaliter oppoſitis , quia , qoando duo iuter ſe eaerceut relativam oppoſitiouem , unum relativum non eſt aliod . Ergo babet eſſe limitatum in genere relativi , quia uon habet totum eſſe ſui genetis . Ergo etſi oppoſitio diſparata non afferar totum eſſe

E 2 rela-

relativi in uno extremo realiter diſtincto, nullum erit inconveniens.

SED CONTRA. Oppoſitin formaliter relativa, nullo modo obeſt infinitati, nec dividit eſſe; quia non exercetur in actualitate, in perſectione, in eſſe: in his enim cunveniunt formaliter relativa, non opponuntur; unde in his relativis unum remanet æquè perſectum, ac aliud; ſed ſolùm multiplicant oppoſitionem terminativam unius ad aliud. Cæterùm oppoſitio diſparata penes affirmationem, & negationem, &c. exercetur in ipſa actualitate perſectiunis, ac ſe teoct ex parte ipſius eſſe, ibique importat incommunicationem, & incompoſſibilitatem, adeoque eſſentialiter dividit actualitatem, & perſectionem, ac per conſequens non relinquitur locus infinitati perfectionis.

Oppoſitio relativa, nec obeſt infinitati, nec dividit eſſe, ſed ſolum multiplicat oppoſitionem terminativam.

SOLVUNTUR OBJECTA AB ADVERSARIIS.

135 OBJIC. 1. Tota ratio diſtinctionis realis inter Filinm, & Spiritum Sanctum eſt diverſitas proceſſionum. Ergo non eſt oppoſitio formaliter relativa. *Ant. prob.* Primù in Scriptura ubicunque Filius dicitur Verbum, imago Patris, Genitus, ſignificatur ùt realiter diſtinctus a Spiritu Sancto; hæc enim non conveniunt Spiritui Sancto. Sed ratio Filit, Verbi, Geniti, & imaginis habetur ex natura proceſſionis. Ergo diverſitas proceſſionis eſt tota ratin realis diſtinctionis. *Min prob.* In Scripturis patet non aliter dici Filium genitum, niſi quia generatur; Pſalm. 2. verſ. 7 *Filius meus es tu, quia hodie genui te*: qua ratione eſt etiam Patris imago, nec aliter dicitur Verbum, niſi quia procedit per intellectum. Econtra Spiritus Sanctus non eſt Filius, ac imago Patris; quia non generatur: non eſt Verbum, ſed amor; quia non per intellectum, ſed per voluntatem habet eſſe. Huc accedit univerſalis Patrum Græcorum, & Latinorum conſenſus, aſſerentium Spiritum Sanctum non eſſe natum, genitum, quia per voluntatem, ſecus Filium, quia per intellectum. Abſtineo a locis referendis; hæc enim conſtant in controverſia, an Spiritus Sanctus ſit genitus; & etiam, quia non habent alium ſenſum, niſi quem explicuimus.

136 PROBATUR 2. Ubi adeſt duplex proceſſio totalis, ibi debet dari duplex terminus realiter ad invicem diſtinctus abſque alio; idem enim nequit habere eſſe duplici proceſſione totali. Sed in productione Filii, & Spiritus Sancti datur duplex proceſſio totalis. Ergo inter Filium, & Spiritum Sanctum datur realis diſtinctio independenter ab alio. *Min. oſtenditur*. In productione Filii datur generatio, quæ eſt totalis, cum ſit unius lineæ, & ſpiratio Spiritus Sancti, quæ eſt alterius lineæ, ſcilicet voluntatis, Ergo intercedit duplex proceſſio totalis.

137 PROB. 3. Toties diverſitas proceſſionum infert realem diſtinctionem terminorum, quoties producit relationes diverſas ſubſiſtentes, & incommunicabiles. Sed hæc duplex proceſſio producit relationes diverſas ſubſiſtentes, & Incommunicabiles. Ergo. A *Prob. min.* Generatio producit Filiationem, ſpiratio impulſum; ſed Filiatio, & impulſus ſunt relationes diverſæ ſubſiſtentes, & incommunicabiles. Ergo.

RESP. *in primis nego antecedens*. Nam diverſitas productionis, ſeu diverſitas viæ præciſè non arguit diſtinctionem realem terminorum, niſi in eis ſupponatur; patet enim, eundem omninò terminum pluribus viis attingi. Idem homo Adam ex luto creatus potuit, vel per generationem, vel per converſionem alterius rei in ipſum poni in rerum natura; neque præterea fuiſſet realiter diverſus a ſe ipſo. Sed quidquid ſit de hac ſolutione: *reſpondeo cum D. Th. quæſt.* 10. *de* B *potentia art.* 4. *ad* 1., ſi proceſſiones ſint realiter diſtinctæ, *concedo antecedens*; nego autem ſi ſint realiter indiſtinctæ. Et quia revera origines ſunt realiter diſtinctæ; ideo etiam termini ſunt realiter diſtincti; non enim ex eo præciſè realiter diſtinguuntur, quod una ſit nativitas, alia non; una intellectus; alia voluntatis. Haud enim habent majorem oppoſitionem actio intellectus, & voluntatis adinvicem ex ſuo conceptu, & lineâ, quàm ipſa voluntas, & intellectus; ſed voluntas, & intellectus licèt diverſæ lineæ, & rationis formalis non diſtinguuntur realiter. Ergo neque actio intellectus, & voluntatis; C & ſicut ſine abſurdo eadem entitas realis cum diſtinctione virtuali dicitur Juſtitia, & Miſericordia, Intellectus, & Voluntas: ita eadem actio realis cum diſtinctione virtuali poterit dici generatio, & ſpiratio; & idem terminus realis cum diſtinctione virtuali genitus, & ſpiratus. Aliunde igitur petenda eſt radix diſtinctionis; ſcilicet ex radice originis inter unam, & aliam proceſſionem; quatenus una Perſona ab alia procedit: & quia Scriptura alibi tradit hunc ordinem originis inter generationem, & ſpirationem; & ſimiliter Sancti Patres; ideo abſolutè nulla facta mentione proceſſionis ab adverſariis citatæ, Fi- D lium ait eſſe genitum, eſſe Verbum, eſſe imaginem; Spiritum Sanctum eſſe ſpiratum, amorem, impulſum, &c.

Diverſitas productionis non arguit diſtinctionem terminorum.

Eadem entitas dicitur Juſtitia, & Miſericordia, intellectus, & voluntas.

Ex ordine originis petenda eſt radix diſtinctionis.

Ad ſecundam probationem. Ubi adeſt duplex proceſſio totalis totalitate reali, ibi datur duplex terminus realiter ad invicem diſtinctus *conced. maj.* totalitate virtuali *neg. maj.* Sed hic datur duplex proceſſio totalis; & hoc ideo eſt, quia una dicit ordinem originis ad alteram *concedo*: & hoc ex vi ſolius proprii conceptus proceſſionis, & lineæ *nego*. Cujus probatio eodem modo diſtinguenda eſt: datur generatio, quæ eſt totalis, & ſpiratio, & hoc, quia diverſæ lineæ *neg. ant.*, & hoc, E quia inter ipſas datur ordo originis: *conc. ant.*, & *neg. conſeq.*. Si enim præſcindamus ordinem originis, non habent illæ duæ proceſſiones aliam totalitatem, diverſitatem, & diſtinctionem, præterquam habent ex proprio conceptu, & linea: hæc autem non eſt niſi diſtinctio virtualis.

Præciſo ordine originis duæ proceſſiones non habent niſi diſtinctionem virtualem.

Ad tertium. Toties diverſitas proceſſionum infert diſtinctionem realem terminorum, quoties producit relationes incompoſſibiles realiter *concedo*: virtualiter *nego*. Duplex autem hæc proceſſio conſiderata ex vi ſui formalis

Diverſitas proceſſionum infert diſtinctionem realem, ſi producit relationes realiter incompoſſibiles.

malis conceptus, non producit relatinnes realiter incompoſſibilea; ſed tantùm virtualiter; quia producir ſolùm terminos diſparatos. Diſparati verò termini non dicunt incompoſſibilitatem, quemadmodum in omnibus lineis Divinis conſtat.

138 OBJIC. 2. In ſolo Parre ſtat ratio diſtinctiva Perſonarum. Ergu non ſola ratio oppoſitionis relativæ diſtinguit. *Prob. ant.* 1. iu Divinis ſpirare, & generare diſtinguunt Perſonas. Sed ſpirare, & generare ſunt in Patre in priori ad Filium: ergo in Patre ſtat omnis ratio diſtinctiva realiter abſque Filio. *Secunda*, Pater abſque Filio eſt principium perfectum Spiritus Sancti. Sed principium perfectum alicujns non Indiget alio ad perfectè producendum: ergo Pater abſque Filio producit Spiritum Sanctum: ſed Spiritus Sanctus diſtinguitur realiter a Filio; ergo Spiritus Sanctus a Filio diſtinguitur abſque illo. *Tertiò* Paternitas in Divinis analogatur cum Paternitate in creatis: juxta illud ad Ephesios 3. v. 15. *ex quo omnis Paternitas in Cœlis, & in Terra nominatur*. Sed Pater in creatis per ſolam diverſitatem actionum diſtinguit ſuppoſita ab eo pruducta: ergo etiam in Divinis.

Pater habet totū id, quod requiritur, ut Perſonas ab ipſo realiter diſtinguat.

RESP. *diſt. ant.* In ſolo Patre ſtat omnis ratio diſtinctionis Perſonarum cum Patre *conceda*: ad invicem *nega ant.*: Pater enim babet totum id, quod requiritur, ut Perſonas a ſe realiter diſtinguat, qnia cum illis habet oppoſitionem formaliter relativam; non habet tamen id, quo diſtinguat eas ad invicem, niſi quatenua babet vim ſpirativam Filio communicabilem, & cum eo actu ſpiret. Ablata namque proceſſione Perſonæ ad invicem ſunt diſparatæ; diſparata verò in Divinis communionem admittunt. Hinc ad primam probationem *diſt. maj:* ſpirare, & generare diſtinguunt Perſonas a ſpiratore, & generatore *conced. maj.* ab aliis *neg. maj.*, & *conceſſa min.*, *neg. conſeq.* Et inſtatur contra adverſarios: ſpirare, & generare in Patre identificantur realiter; quia ſe habet diſparatè, & diſtinguunt ſolum Patrem a ſpirato, & genito; quibus relativè opponitur. Ergo ablata proceſſione unius ab alio ſpiratum, & genitum realiter identificabuntur, cùm diſparatè ſe habeant. *Ad ſecundam* concedo totum ſyllogiſmum: a Filiu enim nihil accipit Pater neceſſarium ad proceſſiones. Et *diſtingua ſubſumptum*; Spiritus Sanctua a Filio diſtinguitur, & ea eo quod a Patre procedit *nego*: ea eo quod a Filio procedit, *concedo*, & *nego conſequentiam*, propter rationem multoties repetitam. *Ad tertiam* concedo maj. Ita quòd Paternitas Divina ſit primum analogum demptis imperfectionibus: & *conceſſa minore*, *nego conſeq.* In creatis diſtinctio provenit non ea pura proceſſione unius ab alio; ſed ea limitatione, & imperfectione, in cujus ſignum ab eodem Patre ſunt plures Filii: quod repugnat in Divinis; ubi tota natura habetur ad unica generatione.

Spirare, & generare in Patre identificantur realiter.

139 Præter hæc S. *Thomas* contra Gentes, & de potentia locis citatis ab hoc argumento vim ſumit ad veritatem Catholicam impigrè tuendam ſic. Prima radia diſtinctionis realis, & incompoſſibilitatis procertò eſt illa, qua Pater diſtinguitur ab utraque Perſona procedente per differentiam, quæ dicitur *qui ab alio*, *qui a nullo*. Si ergo facienda ſit ſubdiviſio hujus extremi *qui ab alio*, ita ut ponat diſtinctionem in extremis per ea, quæ ſunt intrinſeca, & per ſe, debet ita dividi, ut alterum eorum ab altero procedat. Aliter inepta erit ſubdiviſio ad probandam diſtinctionem unius ab alio; quippe quòd recta diviſio facienda eſt per intranea, & non per ea, quæ ſe babent per accidens. Exemplo rem clareſacit Doctor Angelicus. Si quis dividat animal in rationale, & irrationale, & poſtea ſubdivideret irrationale in album, & nigrum, handquaquam rectè procederet, ueque profectò aſſignaret veram diſtinctionem ſpecierum Irrationabilium: baud ſecus prima diſtinctio, & differentia incompoſſibilitatem ponens, cùm ſit ratio eſſendi ab alio, & eſſendi a nullo in communi, ſi per ea, quæ ſunt per ſe, dividendum eſt illud, *qui ab alio*, debet dividi per oppoſitionem relativam, ita ut Spiritus Sanctus a Filio procedat. Breviter *ab alio*, & *a nullo* primò diſtinguit Divinas Perſonaa: ergo boc *ab alio* diſtinguitur ab altero per hoc, quod eſſe ab altero procedat ab illo, quod habet eſſe ab alio. Sicuti agens aliud eſt creans, aliud creatum; & hoc idem aliud eſt generans, aliud genitum, in qua diviſione ſemper importatur ordo dependentiæ unius ab alio: ita in noſtro caſu ex Perſonis, quæ ſunt ab alio, una a qua altera, alia verò eſt, quæ ab alia.

Differentiæ, quæ dicuntur, qui ab alio, qui a nullo.

In Perſonis, quæ ſunt ab alio, una a qua altera, alia verò eſt, quæ ab alia.

140 OBJIC. 3. Quodcumque aliquid conſtituitur in ſuo eſſe formaliter, diſtinguitur ab omni alio babente tale eſſe. Sed Filiatio, qua Filiatio conſtituit in ſuo eſſe Filium. Ergo illum diſtinguit ab omni alio non habente Filiationem. Sed Spiritus Sanctus non habet Filiationem. Ergo ab eo diſtinguit. Ergo non eſt neceſſaria oppoſitio relativa. *Major prob.* Omne conſtitutivum eſt diſtinctivum. Ergo per hoc, quod aliquid conſtituitur in eſſe, ab omni alio diſtinguitur non habente tale eſſe. *Secundò* omne conſtitutivum facit tale ens, & tale unum. Sed ens unum eſt indiviſum in ſe, & diviſum a quolibet alio: ergo. *Tertiò*. In illo priori, quo Pater generat Filium, conſtituit Filiatione Filium Perſonam alteri incommunicabilem: ergo diſtinctam a qualibet alia. Sed in illo priori Pater non intelligitur exercere vim ſpirativam. Ergo in priori ad exercitium ſpirationis Filius eſt, & non ſpirat; ergo a Spiritu Sancto diſtinguitur.

Quodcumque aliquid conſtituitur in ſuo eſſe formaliter, debet ab omni alio diſtingui, vel realiter, vel virtualiter.

RESPONDEO *diſtingua majorem*, diſtinguitur ab omni alio diſtinctione reali, vel virtuali ſecundùm naturam rerum conſtitutarum *conc. maj.*, ſemper diſtinctione reali, & ſupra naturam rerum conſtitutarum *neg. maj.* *diſting. min.* Filiatio, quà Filiatio conſtituit Filium in eſſe Filii per ordinem ad Patrem *conced. min.*, aliter *nega min. & conſeq.*. Unumquodque igitur diſtinguitur ſecundùm quod habet eſſe; relativa, quà talia non habent eſſe, niſi in ordine ad ſuum correlativum, & ab alio diſtinguuntur. Filiatio conſtitutiva *qua talis* eſt relativa. Ergo conſtituit Filium in ordine ad unum correlativum, &

ab

ab illo diſtinguit ; correlativum Filii eſt Pater . Ergo a Patre diſtinguit . Ergo ut ab aliis diſtinguatur, aliunde quæri debet . Similiter ens eſt unum tale juxta naturam talis conſtituti ; tale conſtitutum eſt ens unum relativum ; ergo eſt ens unum in ſe , & diviſum a quolibet alio ſibi correlativo , ne magis latè pateat unitas , quam entitas ; ex quibus patet reſponſio ad primam , & ad ſecundam probationem . Ad tertiam autem *conced. ant.* , & *diſtinguo conſequens* , ſecernit ab alio correlativo , *concedo* ; a quolibet alio diſparato , *nego conſeq.* . Ad ſubſumptum , conceſſis præmiſſis, *negatur conſequentia* ; & inſtatur in Patre ſic . In illo priori , quo Pater generat , eſt perſona conſtituta incommunicabilis . Sed in illo priori non intelligitur exercere vim ſpirativam . Ergo diſtinguitur realiter a vi ſpirativa : negabitur conſequentia ; quia vis ſpirativa eſt proprietas ſequens ad Perſonam Patris diſparatè relativè , adeoque ob infinitatem identificatur : non aliter ſpiratio paſſiva , ſi præſcindatur proceſſio a Filio , diſparatè ſe habet ad Filium ; & ideo identificari debet ; non enim minùs eſt infinitus Deus in paſſivis relationibus , quàm in activis ; ſed contra hanc doctrinam ſtant aliquæ inſtantiæ .

Correlativū Filii eſt Pater.

Vis ſpirativa eſt proprietas ſequens ad perſonamPatris diſparatè relativè.

§. QUARTUS.

SOLVUNTUR OBJECTA CONTRA PRÆCEDENTEM SOLUTIONEM.

POſita hac eruditione , quæ procul dubio eſt optima , & Scripturæ , Eccleſiæque conſona : in Divinis , cum repugnet realis diſtinctio ex limitatione , & imperfectione , debet a relativa oppoſitione deſumi . Plura tamen objiciuntur ; quæ utcunque ex prædictis facilè diſſlentur , tamen lubet diſtinctè omnia afferre , ut Thomiſtica doctrina magis , magiſque reſplendeat .

541 OBJIC. 1. Licèt in creatis relatio conſtituatur per oppoſitionem formalem adinvicem correlativam ; tamen diſtinguit non ſolùm a correlativo , ſed etiam ab alio . Hinc Pater per relationem ad Filium diſtinguitur non ſolùm a Filio , ſed etiam a ſimili , & a quocumque alio , qui non eſt ipſe Pater . Ergo etiam in Divinis licèt relatio conſtituatur per oppoſitionem ad ſuum correlativum ; tamen non diſtinguet ſolùm ab eo , ſed etiam a quocumque alio ; quia ùt docent noſtri PP. Complutenſes in Logica , relatio creata , & Divina non habet diſparitatem reſpectu ad ſuum correlativum . *Roboratur* . De facto Filiatio conſtitutiva Verbi Divini, non modo diſtinguit a Patre , ſed etiam a Creaturis . Ergo relatio non diſtinguit a ſolo correlativo , ſed a quocumque alio .

Ad præſentis objectionis , & ſequentium enodationem adverto id , quod ſuperiùs ſuppoſui ; ſcilicet realem diſtinctionem duplicem eſſe nempè formalem , & diſparatam : formalis oritur ab oppoſitione formali , diſparata ab oppoſitione diſparata . In relativis formalis oppoſitio ſolùm adinvenitur inter correlativa ; diſparata , ſive in abſolutis , ſive in A relativis habetur inter quæcumque ſpecifica eandem differentiam non habentia , quidquid ſit de numerica , in qua nihil laboro .

Diſtinctio eſt duplex formalis, & diſparata.

NOTA *ſecundò* . Oppoſitionem realiter diſparatam oriri ex imperfectione limitationis ; & quia differentia unius non habet tantam perfectionem , ut poſſit pervenire ad identificationem cum altera ; undè videmus manifeſtè abſoluta creata diſparata realiter diſtingui ùt Miſericordia , & Juſtitia , quamvis in Divinis ſecundum fidem identificentur realiter ; immò in ipſo ordine relativo Paternitas , & ſpiratio activa identificantur realiter ; quia ſunt formalitates præcisè diſparatæ .

Abſoluta creata diſparata realiter diſtinguitur, non autem Divina.

B Hinc ad argumentum *concedo antec.* , & *nego conſeq.* quia Filiatio creata (idem dic de aliis relationibus) duplicem admittit oppoſitionem formalem , & diſparatam . Ratione primæ diſtinguitur a ſuo correlativo : ratione ſecundæ diſtinguitur ab aliis . In Divinis verò relatio unicam importat realem oppoſitionem ad ſuum correlativum , & ab eo ſolùm diſtinguit . Oppoſitio verò diſparata non infert realem diſtinctionem , ùt videmus in Paternitate tum conſiderata in ordine ad eſſentiam , tum in ordine ad ſpirationem activam , quæ oppoſitionem diſparatam importat , & tamen realiter non diſtinguit . Ad C id , quod additur de Filio , ùt a Creaturis diſtincto , *dico* , ideo ab ipſis diſtingui , quia in ipſis datur diſparata oppoſitio fundata in limitatione , quæ non ſtat cum identitate Filiationis Divinæ ; nec eſt neceſſe , ut in utroque extremo detur diſtinctiva limitatio , ſed ſufficit ex parte unius ; ſicuti ut Filius Patris dicatur Filius Beatæ Virginis non eſt neceſſe , ut ex parte utriuſque extremi detur relatio realis , ſed ſufficit ex parte Matris .

542 OBJIC. 2. Ratio hujuſmodi ſolùm probat relationem non diſtinguere ab aliis per ordinem ad ipſa , non verò per ordinem ad ſuum correlativum ; hoc autem ſufficit , D ut Filiatio diſtinguat a Spiritu Sancto . Ergo. *Major oſtenditur* . Per illud diſtinguitur ab aliis relatio , per quod habet eſſe , & unitatem . Sed habet per ordinem ad ſuum correlativum eſſe , & unitatem . Ergo per ordinem ad illud diſtinguitur ab aliis . *Declaratur* . Potentiæ formaliter ſpecificantur a ſuis objectis ; & tamen non diſtinguuntur tantùm ab ipſis , ſed etiam ab aliis , cum hoc diſcrimine , quod ab objectis diſtinguuntur per ordinem formalem ad ipſa : ab aliis verò per objecta .

RESP. *negando majorem* ; niſi intercedat oppoſitio diſparata inferens ratione limitatio- E nis realem diſtinctionem ; reſpectus enim ad correlativum diſtinguit præcisè ab ipſo , cum quo oppoſitionem exercet ; & a quo habet ſuum eſſe , & unitatem ſibi tamen convenientem . Eſſe verò , & unitas conveniens relationi *qua tali* , eſt ad ſuum oppoſitum formale ; quapropter , ut ab aliis diſtinguar , neceſſe eſt , ut admittat oppoſitionem diſparatam . Filiatio autem in Divinis cùm non admittat oppoſitionem diſparatam limitationis , nequit ponere diſtinctionem realem . Ad id , quod additur de potentiis , dico , hoc ideo eſſe propter admixtam oppoſitionem diſpa-

Reſpectus ad correlativum diſtinguit præcisè ab ipſo, cum quo oppoſitionem exercet.

Potentię ſpecificantur ab objectis, ab aliis verò per admixtum limitationis.

diſparatam limitationis: cujus ſignum evidens eſt in actibus Divinis, v. g. Intellectus, & intellectio Divina ſpecificantur ab ente Divino eſſentiæ, & tamen non diſtinguuntur ab eo realiter, nec a volitione, & ab aliis.

143 OBJIC. 3. Diſtinctio Filii a Spiritu Sancto eſt perſonalis. Sed diſtinctio perſonalis formaliter debet eſſe per aliquid intrinſecè pertinens ad conceptum Perſonæ. Ergo cùm pertinens ad conceptum intrinſecum Filii ſit Filiatio, debet per eam a Spiritu Sancto diſtingui. *Inſtatur*: nam diſtinctio, quæ eſt in Filio, a Spiritu Sancto eſt diſtincta diſtinctione, quæ eſt in Patre ab eodem Spiritu Sancto: ergo non debet provenire ab eadem ratione. Ergo non ab aliquo communi utrique. Sed virtus ſpirativa eſt communis, ſi ſemel Spiritus a Filio procedit. Ergo ab eo non diſtinguitur ſpiratione activa.

RESPONDEO argumentum præſeferre manifeſtam inſtantiam contra adverſarios. Diſtinctio realis Patris a Spiritu Sancto, eſt perſonalis: ergo debet haberi per aliquid pertinens ad conceptum intrinſecum Paternitatis. Sed ſpiratio activa non eſt de conceptu intrinſeco Paternitatis. Ergo per ſpirationem activam non diſtinguitur a Spiritu Sancto; quod tamen nec Latini, nec Græci admittunt. Igitur in Perſonalitate Filii duo ſunt conſideranda; id quo intelligitur conſtitui in ſuo conceptu formali, & id quo intelligitur diſtingui a Spiritu Sancto. Ad primum requiritur neceſſariò formalitas propria, & intrinſeca; ad ſecundum exigitur aliqua proprietas, quæ ſit extra conſtitutivum perſonalitatis. Ratio autem eſt, quia ùt ſæpè dixi, ad diſtinctionem realem requiritur oppoſitio formalis, cum diſparata non ſufficiat. Paternitas autem, & Filiatio ſecundùm proprietatem perſonalem formaliter non opponuntur Spiritui Sancto; ſed ſolùm diſparatè, ſicut omnes concedunt: ergo debet addi aliquid extra tale conceptum, quod fundet oppoſitionem formalem, quod non eſt, niſi ſpiratio activa. Ad id, quod additur, reſpondeo nullum eſſe inconveniens per eandem omninò rationem, & actionem, Patrem, & Filium diſtingui a Spiritu Sancto, quando illa ratio eſt Spiritui Sancto incommunicabilis; dummodo diſtinctio Patris exerceatur in Patre, & diſtinctio Filii in Filio, nec alia diſtinctio eſt inter diſtinctionem Patris a Spiritu Sancto, & diſtinctionem Filii ab eodem, quàm quòd eadem virtus, & actio, ùt in utroque diſtinguat utrumque a Spiritu Sancto.

Ad diſtinguendum Filium a Spiritu Sancto non ſufficit ratio intrinſeca Filiationis.

Per eandem rationem, & actionem Pater, & Filius a Spiritu Sancto diſtinguuntur.

144 OBJIC. 4. Filiatio ratione ſui eſt incommunicabilis Spiritui Sancto. Ergo ratione ſui diſtinguitur a Spiritu Sancto. *Ant. prob.* Filiatio ratione ſui eſt Perſonalitas. Sed Perſonalitas ex ſuo intrinſeco conceptu eſt incommunicabilis alteri Perſonæ. Ergo ratione ſui eſt incommunicabilis Spiritui Sancto.

RESP. *diſt. maj.* ſi opponeretur relativè *concedo*; quia opponitur diſparatè: *nego*. Filiatio non eſt realiter incommunicabilis niſi ei, cui opponitur. Filiatio quà talis non opponitur formaliter Spiritui Sancto, ſed ſolùm diſparatè; & oppoſitione diſparata minùs opponitur Spiritui Sancto, quàm opponatur Divinæ Juſtitiæ, quia minùs opponuntur diſparatè, quæ ſunt ejuſdem generis, & tamen a Divina Juſtitia non diſtinguitur realiter, nec eſt illi realiter incompoſſibilis. Ad *probationem concedo majorem, & diſtinguo min.* Perſonalitas eſt incommunicabilis alteri Perſonæ, cui opponitur formaliter *concedo*, cui non opponitur *nego*. Eſt enim ſolùm incommunicabilis alteri, cui dicit oppoſitionem relativam; ſpiratio autem paſſiva non habet majorem incommunicabilitatem cum Filiatione, quàm ſpiratio activa cum Paternitate, & Paternitas non eſt minùs Perſonalitas incommunicabilis, quam Filiatio; & tamen ſtat cum ſpiratione activa.

Minus diſparatè opponuntur, quæ ſunt ejuſdem generis, quam quæ ſunt diverſi.

145 DICES Spiratio activa non eſt Perſonalitas, ſed proprietas Patris: ideo benè ſtat cum Paternitate; ſpiratio autem paſſiva eſt Perſonalitas, adeoque incommunicabilis, & ideo nequit ſtare cum identitate Filiationis.

RESPONDEO *negando conſeq.* quia ſpiratio paſſiva eſt quidem perſonalitas, ſed diſparata ad Filium, ſi præſcindatur proceſſio; adeoq; non aliam affert incommunicabilitatem cum Filio, quàm illam, quæ ſequitur in Divinis ad oppoſitionem diſparatam, quæ eſt tantùm virtualis.

Spiratio paſſiva præciſa proceſſione eſt perſonalitas diſparata ad Filium.

146 OBJIC. 5. Oppoſitio diſparata Perſonalis infert diſtinctionem realem: ergo nulla doctrina data in ſuperiori argumento. *Prob. ant.* Si oppoſitio diſparata Perſonalis in Divinis diſtinctionem realem non poneret, Perſonalitas Divina poſſet per unionem communicari Perſonalitati creatæ. Sed hoc implicat. Ergo. *Prob. ſequela.* Quod non impedit inter Perſonas Divinas identitatem realem, non impedit inter Divinam, & creatam Perſonam unionem realem. Sed oppoſitio diſparata Perſonarum non impedit in Divinis identitatem realem. Ergo nec inter Divinam, & creatam impedit realem unionem. *Probatur min., & declaratur totum argumentum.* Tota ratio, cur Perſona creata non ſit a Verbo aſſumptibilis eſt; quia Perſona ex ſuo conceptu dicit incommunicabilitatem alteri ſuppoſito; & ideò deffinitur a Boetio *rationalis naturæ individua ſubſtantia*. Ratio a priori eſt; quia eſſentiale eſt Perſonæ, ut ſit completa in linea entis nominalis, ſive ſuppoſiti; hoc ipſo autem, quòd eſt ultimò completa, eſt etiam alteri incommunicabilis: ùt enim ex duobus fiat unum per ſe, aliquod ex illis debet eſſe incompletum, & imperfectum. Sed etiam Perſona Divina eſt ultimò completa, & incommunicabilis. Ergo inidentificabilis cum altera. Ergo ſi non obſtante, quòd una Perſona diſparatè ſe habet ad aliam, adhuc poteſt cum illa identificari; etiam Divina poterit per unionem aſſumere creatam, cùm inter Divinam, & creatam detur ſola oppoſitio diſparata; vel ſi hæc impedit, impediet è illa.

Perſona deffinitur, quod ſit rationalis naturæ individua ſubſtantia.

RESPONDEO *neganda ant.*, & ejuſdem probationem. Ratio, cur Perſona humana, ſeu creata non ſit aſſumptibilis a Verbo, non eſt oppoſitio diſparata; quia iſta datur etiam cum natura creata; & tamen Verbum poteſt naturam creatam aſſumere; ſed aliunde provenit

venit

venit implicantia, ea eo ſcilicet, quòd non poteſt aſſumi Perſona creata, niſi aſſumatur natura, quia perſonalitas creata eſt modus: natura verò creata terminata per propriam ſubſiſtentiam non eſt aſſumptibilis; quia Perſona divina non aliter poteſt aſſumere naturam creatam, niſi per ſuam eminentiam volendo vicea ſubſiſtentiæ creatæ; ut verò ſuppleat vices, debet illius abſentiam ſupponere. Tum etiam, quia natura terminata per propriam ſubſiſtentiam eſt adæquatè intenſivè, & extenſivè completa; & ideo nequit facere unum per ſe cum altero complente in linea Perſonæ. Alias rationes omitto, quia a Scholaſticis traduntur de Incarnatione.

Non poteſt aſſumi perſona creata, niſi aſſumatur natura.

147 DICES: Filius ſecundùm formam hypoſtaticam, ſeu ſecundùm *in* relativum diſtinguitur a Patre. Sed ſecundùm formam hypoſtaticam non opponitur relativè formaliter Patri, ſed præcisè diſparatè. Ergo diſparata oppoſitio in Divinis Perſonis facit realem diſtinctionem.

RESP. *conced. maj.*, *& nego min.* Licèt enim explicitè forma hypoſtatica Filii non dicat oppoſitionem formalem cum Patre; illam tamen eſſentialiter exigit, & cum ea connexionem habet; ac proinde realiter a Patre diſtinguitur. Ad hoc ergo ut Filius etiam realiter diſtinguatur a Spiritu Sancto, pernecceſſariò exigit oppoſitionem formalem cum eo.

Licèt forma hypoſtatica Filii non dicat oppoſitionem formalē cum Patre, illam tamen exigit.

148 DICES iterum. S. Thomas *quolib.* 4 *art.* 7. inquirens, an Filius diſtinguatur Filiatione a Spiritu Sancto, reſolvit dicendo in Divinis eſſe duplicem modum diſtinguendi perſonas, ſicut in creatis eſt duplex modus diſtinguendi formas. In naturalibus uno modo ſecundùm directam oppoſitionem formæ ad formam, & hoc modo diſtinguitur res ab omnibus ſpeciebus ſui generis, quæ habent differentias oppoſitas: ſicut Sapphirus diſtinguitur ab omnibus ſpeciebus lapidum. Alio modo diſtinguitur res naturalis per ſuam formam per habere, & non habere; & hoc modo, quod habet unam formam naturalem, diſtinguitur a non habentibus talem formam naturalem, quomodo Sapphirus diſtinguitur ab omnibus non ſolum differentiis lapidum, ſed etiam animalium, & plantarum: *Sic ergo dicendum*, ſunt verba S. Doctoris, *quòd Filius ſua filiatione diſtinguitur quidem a Patre ſecundum oppoſitionem relativam Filiationis ad Paternitatem, ſed a Spiritu Sancto diſtinguitur Filiatione, per hoc quòd Spiritus Sanctus non habet Filiationem, quam Filius habet*. Ergo per S. Thomam Filiatione diſparatè oppoſitâ diſtinguitur Filius a Spiritu Sancto.

RESP. *conc. antec.*, *& nego conſeq.* loquendo de diſtinctione reali; quia in doctrina D. Thomæ illa diſtinctio per habere, & non habere in Divinis, non eſt realis, ùt docet *prima parte quæſt.* 26. *art.* 2., *de potentia quæſt.* 10. *art.* 5., & ſupra declaravimus inductione; & in hoc articulo ſub initio cautelam præmittit his verbis: *Sic tamen, quòd a creaturis exempla ad Deum aſſumpta non omnino ſimilia ſunt.*

Diſtinctio per habere, & non habere in Divinis non eſt realis, ſed virtualis.

§. QUINTUS.

149 OBJIC. 4. Verbum creatum, abſque ullo influxu in amorem creatum ab illo diſtinguitur. Ergo Verbum increatum ab amore increato diſtinguitur abſque ullo influxu. Conſequentia videtur legitima; quia analogicè ſe habet Verbum increatum ad amorem increatum, ſicut Verbum creatum ad amorem creatum: & ſicut in creatis nihil volitum, quin præcognitum; ita in Divinis. *Ant. oſtenditur*. In amorem creatum ſolùm bonitas objecti propoſiti influit allicitivè, & finalisativè; cognitio enim ſe habet ſolùm, ùt conditio applicans bonitatem amabilem; Verbum verò vel non eſt neceſſarium, ùt patet in Viſione beatifica, vel ad ſummum concurrit ſimul cum cognitione applicativè, & repræſentativè: ergo abſque influxu effectivo diſtinguitur. Ergo etiam Verbum Divinum ad amorem notionalem non concurrit niſi repræſentando Divinam bonitatem; immò neque hoc modo eſt neceſſarium Verbum notionale, quia res volenda a Verbo eſſentiali ſufficienter repræſentatur: ergo effectivè Verbum Divinum, hoc eſt Filius, non concurrit ad Spiritum Sanctum. Ergo ab eo non procedit.

RESP. *tranſeat antecedens*. Quamvis *Cajetanus*, & alii velint in creatis poſitivum influxum in amorem ab objecto cognito, ac per conſequens cùm in Divinis objectum cognitum, cognitio, conceptus ſit una, & eadem res, ſit Verbum influere effectivè in amorem; ſed *nego conſequentiam*, quæ non ſolùm eſt falſa; verùm S. *Thomas* prima parte quæſt. 36. art. 2., hoc argumento utitur ad concludendam proceſſionem Spiritus Sancti a Filio: *Quia Filius*, dicit S. Doctor, *procedit per modum intellectus ùt Verbum; Spiritus autem per modum voluntatis, ùt amor. Neceſſe eſt autem, quòd amor a Verbo procedat: non enim aliquid amamus, niſi ſecundùm quod conceptione mentis apprehendimus; unde & ſecundum hoc manifeſtum eſt, quòd Spiritus Sanctus procedit a Filio*: qui diſcurſus eſt formaliſſimus, ſi rectè intelligatur ſecundùm rerum qualitatem, quibus applicatur. Ex quo enim eſſentialiter amor dependeat a cognitione, tanquam a conditione, talis amor debet dependére a tali cognitione effectivè. Si Verbum ſit accidentale, & ſolùm ſe habeat ùt *quo* repræſentativum, allicit voluntatem. Si verò ita creſcat, quòd ſit ſubſiſtens perſonaliter, & ſit ipſum objectum exiſtens ſubſtantialiter habens intellectum, & voluntatem, tunc non ſolùm objectivè, ſed etiam elicitivè concurrit ad amorem. Sed Verbum Divinum ea ſuo conceptu, ita petit creſcere, & ut ſic dicam, depurari, ut pertingat ad eſſe perſonale, & ſic ſubſtantialiter ipſum objectum, habeatque intellectum, & voluntatem. Ergo non ſolùm objectivè, ſed etiam elicitivè concurrit ad amorem. Quemadmodum Verbum Divinum ſi conſideretur, ùt eſt ipſum intelligi, & principium *quo* manifeſtativum creaturarum, ad productionem earum ſolùm concurrit directivè, & intentionaliter. Si verò conſideretur, ùt pertingit ad eſſe perſonale ſubſiſtens, habens Divinam Omnipotent-

Verbum accidentale ſolum objectivè concurrit ad amorem, ſubſtantiale etiā elicitivè.

potentiam, concurrit neceſſariò effectivè, nec in re poteſt unam formalitatem excreſcere, & non aliam. Per quod patet ſolutio; Verbum enim Divinum debet influere effectivè in amorem, quia eſt quid ſubſtantiale :- ſecus Verbum creatum. Ad id, quod dicitur de amore eſſentiali, *reſpondeo*: ſicut in Deo datur amor eſſentialis, & notionalis: ita datur Verbum eſſentiale, & notionale. Ergo ſicut Verbum eſſentiale dirigit amorem eſſentialem; ita neceſſe eſt, ut Verbum notionale dirigat amorem notionalem.

150 OBJIC. 5. Fingamus Spiritum Sanctum a Patre non procedere, & ſic arguatur: Spiritus Sanctus non procedens a Patre, ſed ſolùm a Filio diſtinguitur realiter a Patre. Ergo oppoſitio formaliter relativa non eſt ſola ratio diſtinctionis realis. *Conſeq. eſt certa*; nam nulla daretur in dicta hypotheſi proceſſio inter Patrem, & Spiritum Sanctum. *Antec. oſtenditur*. Pater ex ſuo conceptu eſt innaſcibilis: Spiritus Sanctus non eſt innaſcibilis. Sed innaſcibile, & non innaſcibile non poſſunt identificari. Ergo Pater, & Spiritus Sanctus non identificantur. Præterea daretur mutua proceſſio inter idem, & idem, ſi ſemel non diſtinguerentur; nam Spiritus Sanctus eſt idem cum Patre, & procederet a Filio, qui a Patre procedit, & per conſequens Filius produceret Spiritum Sanctum, & etiam Patrem, qui eſſet idem cum Spiritu Sancto. Hoc admitti nequit; ergo dicendum eſt realiter diſtingui, etiamſi nulla intercedat proceſſio. Ergo hoc etiam verificaretur, ſi Spiritus Sanctus a Filio non procederet.

RESPONDEO: in dicta hypotheſi Spiritus Sanctus, & Pater identificarentur realiter, quia diſparatè ſe haberent. Nec oppoſitum evincunt probationes inductæ. Non prima, quia licèt Spiritus non ſit innaſcibilis, Pater innaſcibilis via communicationis poſſet Pater Spiritui Sancto communicari, eique identificari: ſicut Divina eſſentia eſt innaſcibilis, eſt ingenita, eſt principium cujuslibet naſcibilitatis; & tamen viâ communicationis identificatur cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu Sancto; nec ob aliud, niſi quia non opponuntur relativè formaliter. Neque ſecunda probatio concludit. Non enim eſſet mutua proceſſio; quia Filius non produceret Patrem, ſed Patrem improductum communicaret Spiritui Sancto: ſicut Filius eſſentiam improductam, quæ eſt principium *quo* radicale Filii, communicat Spiritui Sancto; & tamen non datur mutua cauſalitas, & proceſſio, non ob aliud, niſi quia non producit naturam, ſed improductam communicat.

RESPONDEO *ſecundò* communi ſolutione *concedendo anteced.*, *& negando conſequent.* Pater in dicto caſu non ſe habet præcisè diſparatè, ſed revera formaliter mediatè Spiritui Sancto opponitur, quatenus mediante Filio Spiritum Sanctum producit. Siquidem Filius non producit Spiritum Sanctum, niſi prout accipit virtutem a Patre. Inter Filium autem, & Spiritum Sanctum nulla daretur diſtinctio; quia nec mediata, nec immediata daretur oppoſitio.

151 DICES: iſta mediata oppoſitio per accidens ſe habet. Ergo tota diſtinctio procedit a Perſonalitatibus. *Prob. ant.* Pater ſe habet in caſu ſicut Avus ad Nepotem. Sed Avus ad Nepotem ſe habet per accidens. Ergo.

Per ſe Filius accipit virtutem ſpirativam ab hoc Patre.

RESP. *nego ant.*, *& ejus probationem*. Quia Filius in Divinis, ſeu Filius Divinus neceſſariò ab hoc Patre accipit virtutem ſpirativam, ùt determinatam ad hunc terminum, adeoque neceſſariò per ſe mediatè opponitur Pater Spiritui Sancto. In creatis verò nec Filius neceſſariò dependet ab hoc Patre, nec ab hoc Patre hanc virtutem ùt determinatam ad hunc Filium recipit, ac proindè ſecundùm aliquid Avus ſe habet per accidens ad Nepotem. Cæterùm, ſi hic numero Petrus filius Pauli non poſſet procedere (ùt probabiliter ſuſtinetur in Phyſicis) niſi a Paulo, & Paulus non poſſet habere eſſe, niſi a Franciſco ejus Avo; tunc per ſe, licèt mediatè, procederet Petrus ab eodem Franciſco, & per ſe eſſet ejus nepos.

152 DICES *ſecundo*. Divina eſſentia dat Patri paternitatem; quia ab eſſentia immediatè reſultat; & Pater producit Filium, adeoque inter eſſentiam, & Filium datur mediata oppoſitio: & tamen non diſtinguitur eſſentia a Filio. Ergo neque mediata oppoſitio diſtinguet Patrem a Spiritu Sancto.

Eſſentia non dat Paternitatem media proceſſione, ſed media virtuali emanatione.

RESP. *neganda antec.* Eſſentia enim non dat Paternitatem media proceſſione, ſed ſolùm media virtuali emanatione; quare non intercedit oppoſitio inter Patrem, & eſſentiam, ac proinde neque inter eſſentiam, & Filium. Secùs in caſu noſtro: Pater verè producit Filium, eaque productione formalem ſortitur oppoſitionem cum Filio. Hinc dans Filio, quod verè ſpiret, & per ſpirationem ſortiatur veram oppoſitionem cum Spiritu Sancto, neceſſe eſt, ut verè inter Patrem, & Spiritum Sanctum detur oppoſitio mediata.

Quoties plura, quæ differunt ſpecie, ab uno procedunt, debent ſervare aliquem ordinē.

153 Hæc ſufficiant ad explicationem duplicis rationis S. *Thomæ*, cui placet breviter aliam ſubnectere, quam aſſert locis citatis. Juxta præſentem providentiam, & connaturalem rerum exigentiam, quoties ab uno principio plura emanant inter ſe differentia non ſolo numero, ſed ſpecie, procedunt aliquo ordine vel cauſalitatis, vel perfectionis, vel alterius rationis; qui ordo perfectionem tribuit Univerſo. Ratio eſt; quia, quæ differunt formaliter, diſcriminantur ſecundùm differentiam ſpecificam. Species verò ſe habent ſicut numeri ex Philoſopho 8. *Metaph.*, in quibus variatur differentia per unitatis ſubtractionem, aut additionem; & ita in naturalibus differentiæ formales conſiſtunt in quodam perfectionis ordine: hinc Planta, prout differt a Lapide, ſuperaddit vivens. Animal brutum ùt diſtinguitur a Planta, addit ſenſum. Animal homo, ùt a bruto differt, dicit rationale. Haud aliter in Creaturis immaterialibus, ſcilicet Angelis, quæ immediatè habent eſſe a Deo, ſervatur ordo perfectionis; quæ ratio procedit de differentiis formalibus ſubſtantiarum. Sed in Divinis Perſonis datur diſtinctio formalis; quia non differunt ſolo numero, & ſunt ab uno Deo:

In Divinis Perſonis datur diſtinctio formalis.

ergo ſervant inter ſe ordinem. Sed nequit eſſe ordo perfectionis, quem Arriani intendebant; ergo ordo originis; nullus enim alius ordo excogitari poteſt ad intra, cui non involvatur aliqua imperfectio. Sed Græci admittunt ordinem inter Filium, & Spiritum Sanctum, faſſi eundem eſſe Spiritum Filii, & per Filium a Patre procedere; ergo etiam fateantur neceſſe eſt a Patre, & Filio procedere.

Græci admittunt aliquem ordinem inter Filium, & Spiritum Sanctum.

CONTROVERSIA VIII.

UTRUM PATER, ET FILIUS SINT UNUM PRINCIPIUM SPIRITUS SANCTI.

154 CONtroverſia hujuſmodi Latinos inter & Græcos ſumma vi agitur, maximèque angit Orientales, utpote qui nolint intelligere, quomodo Spiritus Sanctus ſit a Patre, & Filio, neque propterea ſint admittenda vel duo principia ſpirantia, & multiplicantia eſſe divinum quoad abſolutum, vel alia Perſona a tribus diſtincta, quæ Trinitatis myſterium prorſus evertat.

155 DICO Igitur: PATER, ET FILIUS SUNT UNUM PRINCIPIUM SPIRITUS SANCTI. *Probatur 1. concluſio* ex Patribus: Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 14. *Si ergo & quod datur, principium habet eum, a quo datur, quia non aliunde accepit illud, quod ab alio procedit, fatendum eſt Patrem, & Filium principium eſſe Spiritus Sancti, non duo principia; ſed ſicut Pater, & Filius unus Deus, & ad Creaturam relativè unus Creator, & unus Dominus: ſic relativè ad Spiritum Sanctum unum principium*: idem lib. 3. contra Maxim. cap. 17. circa finem: *Pater principium non de principio. Filius principium de principio; ſed utrumque ſimul non duo, ſed unum principium*: Iſidorus lib. 1. Sentent. de ſummo bono c. 15. ſub initium. *Inde unum ſunt Pater, & Filius, quia nihil habet Pater, quod non habet Filius; non enim res una, & duorum conſubſtantialis poterit ſimul ab eis procedere, & ſimul ineſſe, niſi unum fuerit, a quibus procedit*. Anſelmus in Monologio cap 52. *Quia non ex eo procedit, in quo plures ſunt Pater, & Filius, ſed ex eo, in quo unum ſunt*.

156 Ex Græcis Patribus: *Niſſenus* Orat. 1. ad cap. 1. Geneſis, agens de Trinitate, poſtquam locutus eſt de Spiritu Sancto, redit ad Patrem dicens: *Una in utroque forma, & principium a Patre in Filio idem eſt*. Nazianzenus in ſermone Concilii Conſtantinopolitani apud S. Th. opuſc. 1. cap. 32. *Neceſſarium eſt credere Sanctam Trinitatem, Patrem ſcilicet ſine principio, Filium verò principium a Patre principio, Spiritum Sanctum autem cum principio Filio unum Deum eſſe*: Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos: *Non enim tria principia, aut tres Patres introducimus, ſicut Marcioniſtæ, cùm non tres ſoles ad comparationem adducamus, ſed unicum Solem, ejuſque ſplendorem, & ex utroque lucem procedentem*.

157 PROB. 2. *Conciliorum authoritate*. Poſt Concilium Chalcedonenſe refertur profeſſio Fidei Romanorum, ubi in articulo Spiritus Sancti dicitur: *Spiritum Sanctum, credimus, Patris, & Filii eſſe unum Deum, qui ex uno*. Ubi fatetur Spiritum Sanctum eſſe ab utroque, & tanquam ex uno principio. Lugdunenſe Concil. relatum in cap. Fidei, de ſumma Trinitate, & Fide Catholica in 6. *Damnamus omnes, qui negare præſumpſerint æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedere, ſive etiam temerario auſu aſſerere, quod Spiritus Sanctus a Patre, & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedat*: Concil. Florent. ſeſſ. ultima in Litteris Latinorum ſuam profeſſionem Fidei continentibus, & in litteris unionis: *Hoc ſacro approbante Concilio Florentino* (Eugenius IV. ſic loquitur) *definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur, quia Spiritus Sanctus a Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul, & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ex uno principio, & unica ſpiratione procedit*.

158 DICES: Concilium non tenet abſolutè Patrem, & Filium eſſe unum principium, ſed solùm per quandam ſimilitudinem; & ideo ſignanter adhibuit particulam *tanquam*, quæ eſt particula diminuens.

Sed contra. Hæc interpretatio eſt omnino violenta; quia illa particula *tanquam* veram, & propriam principii unitatem egregiè ſignificat, atque optimè unitatem explicat duorum concurrentium per modum unius. Illa enim particula *tanquam* æquivalet huic *quaſi* apud Joannem cap. 1. v. 14. in illa propoſitione *Gloriam quaſi Unigeniti a Patre*; ubi veritatem aſſerit, & non analogiam, & ſimilitudinem exprimit. Et revera Concilium, & Pontifex cum Patribus Latinis intendunt Græcorum querimoniis ſatisfacere, credebant enim ipſi, nos tenere Patrem, & Filium eſſe duo principia, & propter hoc proceſſioni Spiritus Sancti ſubſcribere nolebant. Si autem illa particula *tanquam* ſubdolè intelligeret ſimilitudinis unitatem, Græci decepti fuiſſent, nec eorum animus quieviſſet, immo in errore confirmati eſſent. Quare hac interpretatione Catholicæ doctrinæ non favent *Durandus*, & *Gregorius*, maximè quòd ſeſſ. 25. repetitur ſimile decretum ſine illa particula *tanquam*.

Particula tanquam æquivalet huic quaſi.

Græci ſubſcribere nolebant proceſſioni Spiritus Sancti exiſtimantes a Latinis teneri Patrem, & Filium eſſe duo principia.

159 PROB. 3. *ratione*. Toties Pater, & Filius ſunt unum principium Spiritus Sancti, quoties ad ejuſdem productionem non concurrunt prout relativè opponuntur, ſed prout in una, & eadem virtute ſpirativa concurrunt. Sed ita concurrunt; ergo ſunt unum principium. *Major videtur certa*; unitas enim cauſalitatis attenditur penes virtutem cauſativam; & ubi virtus ſit una, etſi plura fuerint ſuppoſita agentia, per eam indiviſim non conſtituuntur plura principia. Hinc eſt, ùt quamvis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſint tria ſuppoſita, cum tamen per eandem Omnipotentiam producunt creaturas, ſunt, & dicuntur unus Creator. *Minor prob.* Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum per eandem omnino voluntatem indiviſim in utroque exiſtentem: ergo.

Unitas cauſalitatis attenditur penes unitatè virtutis cauſativæ.

Ex-

Pater, & Filius producũt Spiritum Sãctum per eãdem omnino voluntatem.

Explicatur argumentum. Quando conſtitutivum formale eſt unum, conſtitutum eſt unum eadem unitate conſtitutivi. Sed conſtitutivum formale principii Spiritus Sancti eſt unum unitate numerica ejuſdem virtutis ſpirativæ; ergo conſtitutum debet eſſe unum unitate principii. Non enim eſt alia virtus ſpirativa in Patre, alia in Filio, ſed unica: ſicut una, & eadem voluntas, eadem Sapientia eſt in utroque. Omnia namque ſunt Patri communia, & Filio, niſi ubi obviat relativa oppoſitio; virtus autem ſpirativa non conſtituit oppoſitionem relativam, cùm non ſit Paternitas, nec Filiatio.

Quando conſtitutivum formale eſt unum, conſtitutum debet eſſe unum.

160 DICES: in productione Spiritus Sancti ſicut per modum formæ concurrit virtus ſpirativa; ita concurrit ſuppoſitum ùt principium *quod*. Ergo ſi principium *quo*, quia unum, dat denominationem unitatis, principium *quod*, quia duplex, dabit denominationem pluralitatis. Nec valet exemplum Creaturis; quia & principium *quo* eſt unum, ſcilicet Omnipotentia, & principium *quod* eſt unum, ſcilicet ſubſiſtens abſolutum: in noſtro caſu principium *quod* eſt verè duplex ſubſiſtens relativum.

Ut multiplicetur ſubſtãtivum neceſſe eſt multiplicari tũ principium, tum formam.

RESP. *neganda conſeq.* Ratio eſt; quia principium eſt nomen ſubſtantivum; nulli enim adjacendo ſignificat. Nomen autem ſubſtantivum, ut multiplicetur, neceſſe eſt multiplicari tum principium, tum formam. Alterutro autem præcisè multiplicato, non multiplicatur ſubſtantivum. Et hìc fundatur doctrina in tract. de Incarnatione, ubi dicitur: ſi una humanitas aſſumeretur a tribus Perſonis Divinis, foret unus homo, non multiplex. Quare licèt Pater, & Filius ſint duo ſuppoſita, cùm tamen forma, a qua deſumitur ratio originationis, ſit una, unicum conſtituunt, ſunt, & dicuntur unicum principium. Quæ doctrina univerſalis minimè pendet ab illo exemplo particulari Creatoris. Ratio a priori eſt, quia ſubſtantivum ex modo ſignificandi importat formam, non ùt alteri adjacentem, ſed per modum ſtantis, & inſtar dantis eſſe; unde, quando una eſt forma, dat unitatem, & ùt dans unitatem ſignificatur.

Subſtantivũ ex modo ſignificãdi importat formam non ut adjacentem, ſed per modum ſtantis.

OBJECTIONES CONTRARIÆ DISSOLVUNTUR.

161 OBJICIES 1. Vel Spiritus Sanctus procedit a Patre, & Filio prout ſunt unum in natura, vel ùt ſunt unum in aliqua proprietate. Neutrum dici poteſt. Ergo. *Minor prob.* Non primum; quia jam Spiritus Sanctus procederet a ſeipſo; eſt enim in natura unum cum illis. Non ſecundum; quia una, & eadem proprietas nequit eſſe duorum; aliter jam non eſſent duo conſtituta.

Una, & eadẽ proprietas characteriſtica non poteſt eſſe duorum, ſecus ſi non ſit characteriſtica, & natura duorum ſit una.

RESP. Una, & eadem proprietas non poteſt eſſe duorum, ſi ſit characteriſtica *concedo*; aliter *nego*. Dico Spiritum Sanctum procedere a Patre, & Filio prout ſunt unum in proprietate voluntatis, & virtutis ſpirativæ; neque implicat unam, eandemque proprietatem eſſe duorum, quando utriuſque una eſt natura; dummodo non ſit proprietas characteriſtica conſtitutiva unius, ùt ab altero diſtincti; hæc enim uni ſoli competit.

162 OBJICIES 2. Vel unitas, quæ conſtituit unum principium, eſt Perſonalis: & hoc non; quia Pater, & Filius eſſent una Perſona: vel eſt unitas proprietatis, & hoc etiam repugnat; aliter Pater eſſet duplex principium; cum duplicem habeat proprietatem, generativam ſcilicet, & ſpirativam. Ergo.

Principium non multiplicatur ex ſola virtute, & proprietate.

RESP. Si principium multiplicaretur ex ſola virtute, & proprietate *conceda*, Patrem eſſe duplex principium. Igitur virtus conſtituens unum principium eſt unitas proprietatis: cujus oppoſitum non evincitur inducta probatione. Nam, ut Pater diceretur multiplex principium, deberet eſſe multiplex ſuppoſitum. A ſola enim multiplicatione virtutis, & proprietatis non multiplicatur agens *quod*. Unde homo, qui habet plures artes, eſt unus artifex; & ratio eſt, quia ſubſtantiva ad ſui multiplicationem, & ſubjecti, & formæ multiplicationem expoſtulant.

163 OBJICIES 3. & eſt argumentum *Maximi Planudis* Monachi: vel proceſſio Spiritus Sancti a Patre, & Filio una, & eadem eſt, vel alia, & alia: ſi alia, & alia, duplex erit proceſſio, & Spiritus duplex, quod eſt abſurdum: ſi verò una, & eadem, quî fieri poteſt, ut ea immateriali dualitate unum exiſtat? quippe unitas eſt principium, & cauſa non ſolùm dualitatis, ſed etiam aliorum cunctorum numerorum. Dualitas autem, ut ſit unitatis principium, & cauſa, fieri non poteſt: non enim ſecundùm reverſionem, ſed ſecundùm progreſſum oriuntur numeri; etenim unitas movetur ad dualitatem, indeque ad trinitatem, ac deinceps: dicere enim ex trinitate adempta Monade fieri dualitatem, & ſimiliter ex dualitate unitatem: at hìc quoque cauſa eſt horum unitas, quæ auſertur; non autem alius quiſpiam numerus; reſtat ergo, quod duo non ſint cauſa unius, ſed unus cauſa duorum. — Hactenus ille Pſeudomonachus.

In numeris procedẽdo ad additionem non devenitur ad unitatem, ſed per regreſſionem.

Arithmeticum hoc argumentum arithmetica reſponſione ſolvitur. Verum igitur eſt, in numeris per additionem procedendo non deveniri ad unitatem; licèt ad eam deveniatur per regreſſionem ſubtrahendo pluralitatem. Si unitati ſuperaddo aliam unitatem, & aliam, nunquam deveniam ad unum. Cæterùm unitas aliis unitatibus addita per modum ultimæ formæ unum conſtituit in eſſe numeri: v. g. Tertia unitas addita duabus per modum ultimæ conſtituit numerum in tali unitate numeri ternarii. Ita proportione ſervata duobus ſuppoſitis virtus operativa addita per modum formæ conſtituentis operantem determinat, & conſtituit unum agens, & principium; quia verè in eſſe operantis non habet, niſi talem unam formam operantem. Ita in noſtro caſu Pater, & Filius unicâ, & eâdem virtute operantur; ac propterea ſint utlibet duo in eſſe ſuppoſiti, unum ſunt tamen in eſſe principii.

Pater, & Filius unica, & eadem virtute operantur.

164 OBJICIES 4. Pergit argutari idem *Maximus* „ At verò in materialibus fit qui„ dem ex duobus unum, vel ſecundùm

 „ con-

„ congreſſum, ùt ex viro, & fœmina proles: & ex ferro, & lapide ignis: vel ſecundùm compoſitionem, ùt ex terra, & aqua lutum. Cæterùm hoc quoque dicendum eſt; primò quidem, quòd in divinis hypoſtaſibus, neque congreſſus quiſpiam talis intelligitur, neque compoſitio. Secundò, quòd hic quoque uni duo præcedunt tempore, cùm Perſonæ Trinitatis ſint coæternæ. Tertiò, quòd in pleriſque alterum non tantùm a duobus differt ſpecie, ſed etiam illa duo adinvicem differunt ſpecie: cùm hypoſtaſes Trinitatis ſint ejuſdem naturæ; quare non ſecundùm materialia, ſed immaterialia: non ergo ex Patre, & Filio Spiritus — Hæc ille.

Præter unitatem congreſſus, & compoſitionis datur & unitas.

RESP. Argumentum concluderet, ſi præter unitatem congreſſus, & compoſitionis, aſſignari haud poſſet alia unitas. Igitur aſſigno aliam unitatem nempe cauſalitatis. Quando concurrunt duo ad eundem effectum producendum, vel per modum duplicis cauſæ partialis: vel ita, ut una ſit per modum cauſæ principalis, altera inſtrumentalis; cùm tamen hic modus cauſalitatis importet imperfectionem virtutis, aut in utroque extremo, quod ſe ſolo non ſit ſufficiens principium, aut in alterutro; ideò in divinis longè meliori modo evenit unitas cauſalitatis; quatenus & proprietas, & actus notionalis eſt unus numero in Patre, Filioque; & ideo ſine ulla imperfectione compoſitionis habetur unitas principii. Quemadmodum enim in una eſſentia, & triplici Perſona ſtat quammaxima perfectio ſimplicitatis in eſſe unius Dei: ita ex proprietate operativa, & duabus Perſonis ſtat unitas operantis; atque ideo ſalvatur cum coæternitate Perſonarum etiam naturæ identitas.

In Divinis datur unitas principii abſque ulla imperfectione.

165 OBJIC. 5. Aut principium ſumitur pro agente; & hoc duplex eſt, ſicuti duplex eſt Perſona agens. Aut pro forma agendi, quæ licèt una ſit, non facit, nec denominat unum agens; quia non dat illis unitatem (eſt enim in utroque); adeoque non facit ex duobus unum. Hinc Hilarius *lib. 1. de Trinitate* circa finem dixit: Spiritus Sanctus a Patre, & Filio auctoribus confitendus eſt.

Principium Spiritus Sancti eſt Pater, & Filius prout conveniunt in una forma agendi.

RESP. Principium ſumi pro Patre, & Filio agente prout conveniunt in una forma agendi, quæ denominat, facit unum agens hoc ipſo, quòd eſt una, & eadem in utroque; & in hoc ſenſu facit ex duobus unum; licèt hic modus loquendi abſolutè non ſit admittendus; quia ex vi ſignificationis importat unum unitate compoſitionis. Facit ergo unum unitate cauſæ, eo modo proportionali, quo natura cum tribus conſtitutivè facit, & denominat unum Deum entitativè. Græcis nil ſuffragatur *Hilarius*, cùm palam fateatur proceſſionem Spiritus ab utroque. Loquitur in plurali, ſumens Patrem, & Filium adjectivè, ut notat D. Thomas *pr. part. quæſt.* 36. Sed de hac forma loquendi redibit ſermo.

Hilarius Græcis non favet.

CONTROVERSIA IX.

AN RELATIO SPIRATORIS SIT SUBSISTENS INDIVIDUUM.

166 GRæci impugnantes Spiritus Sancti proceſſionem ab utroque, nos ùt Hæreticos incuſant, quòd vel Divinitatem in abſolutis, virtutem in duobus principiis multiplicando, dividere cogimur, vel Perſonarum quaternitatem admittere, adſtruendo individuum quoddam ſubſiſtens a Patre, & Filio diſtinctum, quod ſit principium ſpirativum Spiritus Sancti: aliter rueret unitas principii. Hoc crimine coarguit *Palama Verum apud Arvidum*; itidem Græci in Concilio Florentino inſurrexere adverſus Latinos. Ut igitur eluceſcat unitas principii quo Spiritus Sanctus producitur. Hanc theſim inſtituo ad inquirendum, an ſpiratio activa ſit ex propria linea ſubſiſtens, & conſtituens unum tertium individuum a Patre, & Filio diſtinctum. *Gabrielem*, & *Okam* ita ſentientes ſubſecuti ſunt *Canarienſis* ad art. 4. S. Thomæ quæſt. 63. pr. partis, *Nazarius* ibidem, & *Becanus* de Trinitate cap. 6. Qui tamen quartam Perſonam expungunt; quia illa ſubſiſtentia cum ſit Patri, & Filio communicabilis, non conſtituit Perſonam. Hujus ſententiæ medullam viderint alii.

Græci nos de hæreſis labe infectos incuſant.

Gabriel, & Okam *ſenſerunt, quod ſpiratio activa eſſet in ſua linea ſubſiſtens.*

167 DICO: *RELATIO SPIRATORIS NON EST INDIVIDUUM SUBSISTENS IN PROPRIA LINEA*. *Prob.* 1. Hæreticum eſt in Divinis Perſonarum quaternitatem admittere. Sed relatio Spiratoris ſi individuum eſſet in propria linea ſubſiſtens, quaternitatem inferret Perſonarum. Ergo. *Prob. min* Subſiſtentia, quæ affert in propria linea incommunicabilitatem, conſtituit Perſonam. Sed hæc affert incommunicabilitatem. Ergo Perſonam conſtituit. *Min. oſtenditur*. Hoc ſubſiſtens eſt notionale Spiritui Sancto incommunicabile, illique oppoſitum, non minùs quàm ſubſiſtens hoc notionale Pater eſt Filio incommunicabile, illique oppoſitum. Ergo Perſonam conſtituit.

Hæreticū eſt adſtruere Perſonarum quaternitatē.

Subſiſtentia, quæ affert in ſua linea incommunicabilitatem cōſtituit Perſonam.

168 DICES: non eſt Perſona; cùm ſit Patri, & Filio communicabile. SED CONTRA; in hoc enim ſtat implicantia: cùm ex uno capite ſit Perſona, eò quòd eſt ſubſiſtens Spiritui Sancto incommunicabile: ex altero non ſit; quia ſubſiſtens Patri, & Filio communicabile. Cæterùm, ſi dicimus eſſe incommunicabile Spiritui Sancto, dicendum eſt etiam Patri, & Filio; quia advenit Patri, & Filio, ùt ultimo in ſua Perſonalitate conſtitutis, & aliàs advenit, ùt quid Spiritui incommunicabile. Ergo etiam Patri, & Filio eſt incommunicabile. *Prob. conſeq.* Subſiſtentia relativa, quò ultimior eſt, eò eſt aptior ad tribuendum effectum proprium ſubſiſtentiæ relativæ, qui eſt reddere incommunicabilem. Sed hæc ſubſiſtentia, & relativa, & ultimior ſubſiſtentia Patris, & Filii; ergo eſſet illis aptior ad tribuendam incommunicabilitatem; ergo conſtitueret Perſonam.

Si eſſet ſubſiſtens individuum deberet eſſe Perſona, quæ eſſet Patri, & Filio incommunicabilis.

Subſiſtentia, quò ultimior, eò aptior ad tribuendam incommunicabilitatem.

169 DICES iterum: ùt Perſonam conſtituat reddatque incommunicabilem non ſufficit,

ficit, qnod adveniat tanquam ultimus terminus, ſicut pater de exiſtentia, quæ advenit ultimo Divinis Perſonis; neque tamen conſtituit Perſonalitatem. Ratio a priori eſt; quia deberet eſſe ultimus terminus ejuſdem rationis, & non diverſæ: hæc autem relàtio Spiratoris eſt ultima quidem, ſed diverſæ rationis a relatione Paternitatis, & Filiationis.

Exiſtentia eſt prædicatum abſolutū incapax conſtituendi Perſonam.

SED CONTRA. Jam enim dixi advenire in ordine relativo, & Spiritui Sancto ùt qoid incommunicabile; ergo advenit tanquam ultimus terminus ejuſdem rationis. Secus accidit in exemplo exiſtentiæ; hæc enim eſt prædicatum omnino abſolutum, & advenit tanquam nulli incommunicabilis, unde eſt ratio. Et ulteriùs inſto: ſubſiſtentiæ ſolùm duplex munus convenire poteſt, vel perſeitas incommunicabilis, vel perſeitas independentiæ tanquam a ſuſtentante. Sed relationi Spiratoris non convenit perſeitas independentiæ tanquam a ſuſtentaote; nam hæc eſt abſoluta, & nna omnibus Divinis Perſonis; ergo convenit perſeitas incommunicabilitatis; ergo vel eſt admittenda quarta Perſuoa contra Fidem, vel rejiciendum ſubſiſtens ſpirativum in propria linea.

Perſeitas independentiæ tanquam a ſuſtentante eſt abſoluta, & omnibus Perſonis divinis conveniens.

570 PROB. 2. Si relatio Spiratoris eſſet ſubſiſtens individuum ſeorſum a Patre, & Filio, eſſet principium operativum *ùt quod* Spiritus Sancti. Sed hoc eſt falſum; ergo. *Minor patet*; quia natura eſt principium *quo* operationis præciſivè ſumpta; ùt verò determinata per ſubſiſtentiam eſt operativa *ùt quod*. Si ergo illa relatio Spiratoris eſſet ſubſiſtens, deberet afficere immediatè naturam vel tanquam terminus perſeitatis independentiæ, vel tanquam terminus perſeitatis incommunicabilitatis: ſicuti liquet inductione in omni ſubſiſtentia. *Minor probatur*. Principium *quod* productivum Spiritus Sancti debet eſſe principium *quod* amoris mutui. Sed ſubſiſtens ſpirans ſeorſum a Patre, & Filio non eſt productivum amoris mutui. Ergo. *Minor explicatur*. Amor mutuos amicitiæ verſatur eſſentialiter inter doo; noo enim amor amicitiæ mutuus eſt in Divinis ratione diverſi actus amoris, ſed ratione diverſarum Perſonarum ſe invicem diligentium; ergo ſeorſum a Patre, & Filio hoc ſubſiſtens non eſt principium mutui amoris, qui eſt de eſſentia Spiritus Sancti; ergo debet immediatè afficere utrumque; ergo non eſt ſubſiſtens individuum &c.

Si relatio Spiratoris eſſet ſubſiſtēs individuum ſeorſum a Patre, & Filio eſſe principiū quod Spiritus Sancti.

Amor mutuus amicitiæ eſſentialiter verſatur inter duo.

Confirmatur. Illud idem, quod eſt principium *quod* amaodi, debet eſſe principium *quod* intelligendi; qoia a cognitione oritur amor. Sed Pater per ſe ipſum immediatè eſt principium *quod* intelligendi; ergo etiam amandi. Sed ſi daretur individuum ſpirans *ùt quod* Patri, & Filio commune ſubſiſtens, Pater non eſſet immediatum principium *quod* amandi (& idem diceretur de Filio); ergo nun datur hoc principium *quod* operativum ſeorſum a Patre, & Filio. *Minor explicatur*. Pater non intelligit notionaliter medio illo principio Spiratore; quia illud nequit eſſe immediatè intelligens, ſiquidem Pater notionaliter intelligit, quia dicit, & generat Filium; intelligere namque notionale nihil aliud eſt, quàm generare, ſicut intelligi notionaliter eſt generari. Sed Pater non generat quà Spirator; ergo illud iodividuum ſubſiſtens *ùt quod* non eſt immediatè intelligens; ergo neque illo mediante Pater intelligit, ſed per ſe ipſum immediatè eſt principium *quod* intelligeodi. *Elucidatur totum argumentum*. Intelligens *ùt quod* intellectioοe eſſentiali, eſt immediatè amans amore eſſentiali per excluſionem amantis *ùt quod*, etiam ùt medii ſolùm virtualiter diſtincti; ergo intelligens *ùt quod* notioοaliter debet eſſe immediatè notionaliter amans per excluſionem uniuſcujuſque medii amantis *ùt quod* etiam virtualiter diſtincti: ſed Pater eſt principium *quod* intelligendi notionaliter; ergu etiam amandi abſque ullo intermedio *ùt quod*.

Illud idem, quod eſt principium quod amandi, debet eſſe principium quod intelligendi.

Intelligere notionale eſt generare, intelligi notionaliter eſt generari.

Pater eſt principium quod intelligendi notionaliter, & amandi abſque ullo intermedio ùt quod.

571 PROB. 3. Pater Æternus ſecundùm communem Patrum ſententiam eſt primum principiom formale totius Divinitatis: & ideo *Dionyſius* de divinis nominibus cap. 2., & poſt ipſum *Auguſt.* lib. 4. de Trin. cap. 20. ait totius Divinitatis, vel ſi melius dicitur, Deitatis principium Pater eſt: quà nomenclaturà pariter inſignitur a Coocilio Toletano 6. in cooſeſſione Fidei, & in Florentiuo Decreto Unioois ſeſſ. ultima; & ideo ſolus dicitur ingenitus, & innaſcibilis: ſed ſi daretur individuum *quod* ſubſiſtens ſpirativum, ſolus Pater non eſſet fontale principium Deitatis: ergo non datur tale principium *quod* ſubſiſtens ſpirativum. *Prob. min.* Pater eſſet primum principium Deitatis; quia ex ſuo formali conceptu eſſet proprium principium *quod* productivum Filii; ergo illud individuum eſſet aliud principium primum, quod illi ex ſuo conceptu conveniret *ut quod* producere Spiritum Sanctum. Nec hanc vim haberet ab alio, hoc eſt a Patre, & Filio; nam ſecus accideret; Pater enim, & Filius haberent ab hoc Spiratore ipſum ſpirare; ergo quia, ùt docet S. Thomas ex Hilario *pr. par. quæſt.* 33. *art.* 4. *ad* 4. pluralitas primorum principiorum, & ingenitorum multiplicat naturam, ſequeretur plures eſſe Deos.

Pater eſt principium formale totius Divinitatis.

Si daretur ſubſiſtens quod individuum ſpirativum, ſolus Pater non eſſet fontale principium Deitatis.

Tacita objectio.

572 DICES: non ſequitur plura dari realiter prima principia, nec plures ingenitos; quia communis iſte ſpirator ſola ratiooe diſtinguitur a Patre; adeoque non tollit a Patre rationem primi principii realis, primique ingeniti, & ſolius.

Sed contra evidenter. Notio propria alicujus Perſonæ non convenit ei ex vi eorum, quæ ſolùm identicè debentur, at ex propriis ſuæ lineæ. Sed ratio principii, ratio ingeniti, ratio innaſcibilis ſunt notiones propriæ Patris; ergo non conveniunt ei ex iis, quæ identicè debentur, ſed ex propriis. At in tali caſu Pater non eſſet primum principium, & ingenitus, & innaſcibilis ex ſuo formali conceptu, & ex propria linea, ſed identicè ex eo quod identificaretur cum communi Spiratore, a quo haberet ſpirare *ùt quod*; ergo non eſſet primum principium in ſenſu Patrum.

Primitas principii, ingeniti, & innaſcibilis ſunt notiones propriæ Patris.

Secundò: implicat multiplicatio, ſeu plurificatio etiam virtualis divinæ eſſentiæ. Sed in data reſponſione plurificaretur virtualiter divina eſſentia: ergo. *Prob. min.* Si daretur duplex prima proprietas realis, natura plurificaretur realiter; quia unius naturæ unica eſt

Ubi datur duplex primo proprietas, datur duplex natura.

eſt prima proprietas : ergo ubi datur duplex prima proprietas virtualis , natura plurificatur virtualiter.

173 DICES 3. Non ſequitur illum Spiratorem eſſe ingenitum , quamvis a Patre improductum ; quia a Patre eſſet Filio communicabilis : ſicut divina eſſentia quamvis ſit improducta ; tamen non dicitur ingenita ; quia Filio a Patre communicatur.

SED CONTRA. Ratio ingeniti ex uno capite convenit rigoroſè loquendo ſoli relationi , & non abſoluto ; quia ingenitum eſt Perſona ab alia non habens exiſtentiam , & quæ aliis tribuit eſſe ; quæ rationes inter abſoluta non dantur . Ex alio capite ille Spirator communis non habet eſſe a Patre , nec a Patre Filio communicatur ; quandoquidem immediatè non afficit Patrem , ſed divinam eſſentiam , ex quâ & ſubſiſtentiâ Spiratoris reſultat ille Spirator *ùt quod* , a quo Pater , & Filius ex æquo habent ipſum ſpirare . Quamobrem in nullo priori originis intelligitur in Patre , & Filio communicandus : ſecus accidit in natura , quæ in aliquo priori originis intelligitur in Patre , & Filio communicanda ; neque intelligitur advenire Patri , & Filio jam conſtitutis , ſicut illa ſubſiſtentia Spiratoris ; ac per conſequens ille Spirator eſſet propriè ingenitus .

Ratio ingeniti rigoroſè loquendo convenit ſoli relationi , & non abſoluta.

ADVERSARIORUM OBJECTIONES DILUUNTUR .

174 OBJICIES 1. Omnis relatio ſubſiſtens in natura divina conſtituit individuum ſubſiſtens , quod correſpondet qualitati relationis . Sed ſpiratio activa eſt relatio ſubſiſtens in natura divina . Ergo conſtituit individuum ſubſiſtens ſpirans *ùt quod* . *Minor declaratur* . Spiratio activa eſt relatio ; quia non eſt quid abſolutum tribus commune : non eſt Paternitas , & Filiatio ; quia Pater , & Filius producunt Spiritum Sanctum ſecundùm ea , in quibus conveniunt , & non ſecundùm ea , in quibus opponuntur : ſicut opponuntur in Paternitate , & Filiatione ; ergo eſt relatio diverſa a Paternitate , & Filiatione . Sed non eſt accidens ; ergo eſt ſubſiſtens .

RESP. *concedo maj.* Si tamen intelligatur de relatione ſubſiſtente ex vi ſuæ lineæ , & conceptu formali : ſecus ſi ſubſiſtat ſolùm identicè . *Et diſtinguo min.* Spiratio activa eſt relatio ſubſiſtens in natura divina formaliter , & ex ſuo conceptu *nego* : identicè *concedo min.* & *nego conſeq.* . Verum eſt ſpirationem activam eſſe relationem diverſam a Paternitate , & Filiatione , & non eſſe accidens . Cæterùm non ſequitur in propria linea ſubſiſtere , ſed ſolùm ſubſiſtere ad ſubſiſtentiam Patris , & Filii , quorum eſt proprietas . Sicut Immenſitas , Sapientia non ſunt in Deo accidens , & ſubſiſtunt , ſubſiſtentiâ tamen naturæ , cujus ſunt proprietates : ita ſpiratio , cum ſit in Patre , & Filio tanquam proprietas , ſubſiſtit ſubſiſtentiâ Patris , & Filii ; adeoque non datur commune individuum Spiratoris *ùt quod* .

Spiratio activa eſt relatio diverſa a Paternitate , & Filiatione .

175 OBJICIES 2. Spiratio activa eſt indiviſa in Patre , & Filio abſque ulla diſtin-

A ctione etiam rationis ; ergo eſt ſubſiſtens *ùt quod* . *Prob. conſeq.* Illud , quod communicatur pluribus ſubjectis tanquam principium *quo* , ſeu quaſi forma , multiplicatur ad multiplicationem ſuppoſitorum , & quidem realiter , ſi ſuppoſita ſint diſtincta realiter , & forma realiter ab illis diſtinguatur ; virtualiter verò , ſi forma a ſuppoſitis ſolùm per rationem diſtinguatur ; & hoc ideo , quia intelligitur quadam virtuali receptione recipi in ſuppoſito , ſeu ſubjecto : atque ideo multiplicato ſubjecto , neceſſe eſt multiplicari formam , quæ coaptat ſe principio *quod* . Ergo ad hoc ut virtus hujuſmodi ſpirativa non multiplicetur , debet eſſe ſubſiſtens *ùt quod* : & maxi-
B mè , quia hæc virtus ſpirativa eſt proprietas diſtinctiva Patris , & Filii a Spiritu Sancto . Ergo debet habere unum ex prædicatis , quæ conveniunt proprietati Perſonali conſtitutivè ſimul , & diſtinctivè , ideſt vel quòd ſit ſubſiſtens , vel incommunicabilis : hoc ſecundum non competit ; quia eſt duobus communis . Ergo primum .

RESP. *concedo antec.* , & *nego conſeq.* Etenim hæc proprietas eo modo communicatur Patri , & Filio , quo communicantur divina attributa , quæ non multiplicantur ad multiplicationem ſuppoſitorum , non ob aliud niſi , quia licèt non habeant in ſua linea exiſten-
C tiam , & ſubſiſtentiam , ſubſiſtunt tamen ſubſiſtentia eſſentiæ , & naturæ . Atque hoc ſufficit ad impediendam multiplicationem virtualem . Sic illa proprietas identicè ſubſiſtit ſubſiſtentiâ abſolutâ ; quia nihil aliud eſt , niſi divina eſſentia ùt fœcunda in voluntate , ac proinde per ſubſiſtentiam ejuſdem naturæ ſubſiſtit divina voluntas ùt fœcunda , ac per conſequens per hanc impeditur partibilitas communicationis . Ad illud , quod additur , dico , ſufficere , ut diſtinguat a Spiritu Sancto oppoſitionem relativam inter ipſam proprietatem , & Spiritum Sanctum , nec eſt neceſſaria vel incommunicabilitas , vel ſubſi-
D ſtentia in propria linea . Nam præter ſubſiſtentiam , & incommunicabilitatem , quæ convenire poſſunt Perſonæ , & etiam oppoſitio , quam Perſona dicit cum alia Perſona , a qua realiter diſtinguitur ; & in hac convenit proprietas non Perſonalis cum proprietate Perſonali .

Attributa ſubſiſtit ſubſiſtentia eſſentiæ , & naturæ .

In quo conveniat proprietas Perſonalis cum proprietate non Perſonali .

176 OBJICIES 3. Relatio ſpirationis activæ , ùt præintelligitur ad actualem ſpirationem , eſt ſubſiſtens ; ergo conſtituit Spiratorem *ùt quod* . *Antec. declaratur* . Relatio ſpirationis in abſtracto conſiderata *ùt quo* , debet pertingere ad hoc , ut ſit ſuum concretum . Sed concretum ſubſiſtit *ùt quod* . Ergo
E illa relatio ea propria linea ſubſiſtit *ùt quod* . *Maj. explicatur* . In divinis abſtractum , & concretum ſunt idem . Ratio autem eſt ; quia forma , quæ non pertingit ad hoc , ut ſit ſuus effectus , aut quaſi effectus formalis (ideſt , ut non ſit ſolum , *quo tale* , ſed etiam *quod tale*) admittit potentialitatem in ſua linea . Hoc conſtat in formis creatis , quæ , quia ſolummodo ſunt id *quo tale* , finitæ ſunt , & limitatæ . Cauſa pariter efficiens eſt finita , & limitata , ſi non pertingat ad hoc , ut ſit ſua operatio . Ergo etiam forma , ſeu cauſa formalis erit in ſuo genere limitata ;

In Divinis abſtractum , & concretum ſunt idem .

ſi non

ſi non pertingat ad hoc, ut ſit ſuus effectus formalis, ſeu eſſe *quo tale*, & *quod tale*.

RESP. *negando antecedens*. Ad probationem *diſtinguo maj.* Relatio ſpirationis in abſtracto conſiderata, & ex vi ſuæ lineæ debet pertingere ad hoc, ut ſit ſuum concretum *nego*: & ſufficit, quòd ſuum concretum ſupponat *concedo*. Ut autem intelligatur doctrina in argumento adducta, adverto, formæ attriboi duplicem effectum: alius quidem vocatur formalis: alios totalis, ſeu totalitatis. Effectus formalis eſt, qui tribuitur a forma ſecundùm conditionem formæ, ùt in albedine dealbare. Effectus totalitatis eſt ipſum toinm reſultans ea forma, & ſubjecto; ùt cum ex materia, & forma hominis reſultat homo. *Adverto ſecundò*: forma ea ſua linea, ſeeluſa imperfectione limitationis, petit eſſe abſque diſtinctione virtuali, ſuus effectus formalis, & ſibi intrinſecus, non verò effectus totalitatis. Ratio eſt; quia unumquodque ſolùm petit perfectionem, complementum, & ultimitatem ſuæ lineæ, non verò alterius; & ideo voluntas v. g. divina ex vi ſuæ lineæ infinitatis ſolùm petit, ut ſit ſua volitio abſque diſtinctione virtuali, non autem ut ſit Deus volens, prout ly *Deus volens* incIodit divinam eſſentiam volentem; ſufficit enim, ut aliunde identificetur.

Hinc ad argomentum, nego relationem ſpirationis aaigere, ut pertingat ad hoc, quod ſit ſuum eſſe tale *quo*, & *quod*. Sufficit, ut in ſua linea pertingat ad hoc, ut ſit ſua ſpiratio actualis *ut quo*, & ut actu ſpirans *ut quo* communicetur ſuo ſubjecto, aut quaſi ſubjecto. Etenim hoc ſolùm illi convenit ea ſua linea; eſſe verò *tale quod*, eſt effectus totalitatis reſultans ea ſubjecto, & forma, adeoque eatra lineam adæquatam ſolius formæ. Identicè tamen identificatur realiter cum ſuo ſuppoſito; in quo præter alia ſtat diſparitas a formis creatis, quæ non identificantur realiter cum ſuis ſubjectis. Atque inde patet reſponſio ad primum exemplum. Alterum verò item eaemplum favet nobis. Nam virtus proxima volendi in Deo pertingit quidem, ut ſit ſua volitio, non tamen ut ſit ſuum principium radicale, hoc eſt eſſentia, quamvis cum ea aliunde identificetur. Axioma illud, *in divinis abſtractum, & concretum ſunt idem*, procedit in ordine ad ea, quæ ſunt propria unius lineæ accepta abſtractè, & concretivè, non verò abſolutè, accipiendo quaſi compoſitum ex duabus lineis reſultans.

177 OB. 4. Pater, & Filius ſunt unus numero Spirator, ſicut unus numero Deus. Sed hic Deus communis Patri, & Filio eſt unum individuum in natura ſubſiſtens. Ergo etiam hic Spirator eſt unum individuum in divina natura ſubſiſtens. *Major eſt clara*. Nam Pater, & Filius non ſunt plures Spiratores; ergo ſunt unos Spirator. *Conſequentia conſtat a paritate*. Hic Deus eſt unum individuum ſubſiſtens prævié ad relationes; quia eſt una natura exiſtens per modum ſubſtantiæ. Ergo hic Spirator erit unum individuum ſubſiſtens; quia eſt una virtus ſubſiſtens, & una relatio per modum ſubſtantiæ. Præterea ita ſe habet natura divina ad ſpirandum, ſicut ad generandum. Sed natura divina ſe ipſa ſubſiſtens quà intelligens, petit relationem Paternitatis *ùt quod* ad exprimendum Verbum. Ergo eadem eſſentia ùt amans, ſe ipſa ſubſiſtens petit relationem ſpirationis *ùt quod* ad ſpirandum Spiritum Sanctum; licèt hæc relatio ſit Patri, & Filio communicabilis.

RESP. *Major* vera eſt, ſi ly *ſicut* faciat ſenſum proportionalitatis: ſecus ſi faciat ſenſum æqualitatis; & *conceſſa minore*, *nego conſeq.* Sunt ergo Pater, & Filius unus Spirator, & una ſpiratio activa unitate proprietatis ſignificatæ per hoc nomen principium Spiritus Sancti, non autem unitate ſubſiſtentiæ importatæ formaliter nomine ſpirationis activæ. Unde Pater, & Filius non ſunt unum ſubſiſtens ea vi ſpirationis formaliter, ſeu vis Spiratoris formaliter non eſt unum individuum ſubſiſtens. Neque oppoſitum evincunt probationes ea paritate. Non prima; quia hic Deus ex ſuo conceptu formali explicat divinam eſſentiam, ùt actum puriſſimum; ac independentem in ſe, & non in alio, ac propterea ea ſua linea importat perſeitatem ſubſiſtentia independentis ab alio tanquam a ſuſtentante. Hic verò Spirator non explicat ea ſuo conceptu eſſentiam, ſed ſolùm proprietatem puram, & non Perſonalem, voluntatem nempe ùt fœcundam. Atque ideo ea ſua linea non importat, nec ſubſiſtentiam perſeitatis independentiæ, nec ſubſiſtentiam incommunicabilitatis: non primam; quia convenit ſoli naturæ ea ſua linea, aliis identicè: non ſecondam; quia convenit ſolis proprietatibus Perſonalibus. Nec altera inventum probat ratio. Natura enim ſub conceptu naturæ eſt per ſe ſubſiſtens, & exiſtens: ùt verò fœcunda ad producendum Verbum exigit Paternitatem ùt principium *quod*, ſed non ſolùm ad generandum, verum etiam ad ſpirandum; nam ſpirare ad intelligentem pertinet. Quare dum ùt amans intelligitur fœconda ad ſpirandum, ſolùm importat virtutem ſpirativam *ut qua* advenientem principio *quod*; ac per conſequens non includit in ſua linea ſubſiſtentiam, ſed illam ſuppunit in ſuo principio *quo*, & *quod* radicali, ſcilicet in Patre, & eſſentia.

Pater, & Filius ſunt unus Spirator unitate proprietatis, non autem unitate ſubſiſtentiæ formaliter importatæ.

Nomen Spiratoris ex ſuo conceptu importat voluntatem ùt fœcundam.

178 OBJIC. 5. & inſtaiur contra allatam ſolutionem. S. *Thomas* eodem modo loquitur de hoc Spiratore, ac de hoc Deo. Sed hic Deus eſt verum individuum ſubſiſtens *ut quod*; ergo etiam hic Spirator. *Major oſtenditur* 1. ad Annibald. diſt. 29. quæſt. 1. art. 4. ad 2. ſibi ſecundo loco objicit hoc argumentum. *In Divinis relationes ſunt ſubſiſtentes. Sed notio, ſecundum quam Pater, & Filius dicuntur principium Spiritus Sancti, eſt quædam relatio; ergo eſt Perſona ſubſiſtens. Si ergo eſt una relatio, qua Pater, & Filius ad Spiritum Sanctum referuntur, erit una Perſona ſubſiſtens utrique, quod eſt Hæreticum*. Et reſpondet. *Ad ſecundum dicendum, quod ſicuti Divinitas in Divinis non eſt niſi ſubſiſtens, & tamen una Deitas eſt Patris, & Filii, quia ſunt duo ſubſiſtentes ex alia ratione diſtincti; ſimiliter & de omni ſpiratione poteſt intelligi*. Hoc modo loquendi comparat relationem ſpirationis cum Deitate in hoc, quod ſicut Dei-

Deitas ſubſiſtit in propria linea ; & tamen ùt ſic ſubſiſtens eſt una Patris , & Filii ; quia in ea non diſtinguuntur , & ipſa non affert omnimodam incompoſſibilitatem . Ita relatio Spiratoria habet ſuam propriam ſubſiſtentiam , & ùt ſic ſubſiſtens eſt una Patris , & Filii ; non enim importat omnimodam incommunicabilitatem alteri , ùt ſuppoſito , & Perſonæ .

RESP. *neg. maj.* Senſus D. *Thomæ* non eſt , quòd relatio Spiratoris habeat ſuam propriam ſubſiſtentiam , ſicut habet Deitas ; ſed quòd eadem virtus ſpirativa , abſque ulla virtuali pluralitate , perinde deſcendat ad Patrem , & Filium , ſicuti ad utrumque deſcendit Deitas , abſque ulla virtuali plurificatione . Ad hoc oſtendendum aſſumit ſubſiſtentiam abſolutam naturæ , per quam ſubſiſtit ipſa in propria linea : reliqua verò , inter quæ eſt relatio Spiratoria , identicè ; quæ identica ſubſiſtentia ſufficit ad impediendam plurificationem : & ideo poſuit illa verba *Divinitas in Divinis non eſt , niſi ſubſiſtens* : nempe ſola Divinitas ſubſiſtens ſubſiſtentiâ abſolutâ . Aliter concluderet tertium ſubſiſtens a Patre , & Filio , quòd ipſum intendit objectio .

Identica ſubſiſtentia impedit plurificationem .

PONUNTUR TRIA COROLLARIA , UT PRÆCEDENTIA MAGIS , MAGISQUE ILLUSTRENTUR .

179 EX dictis colligitur primò , unitatem principii duo importare , ſcilicet rationem *quæ* , & rationem *qua* . Ratio *quæ* eſt Pater , & Filius concurrentes tanquam principium *quod* . Ratio *quo* radicalis eſt divina eſſentia . Ratio *qua* proxima eſt divina voluntas fœcunda , ſeu amans notionaliter . Et quia divina eſſentia , & divina voluntas eadem omnino , & indiviſa reperitur in Patre , & Filio ; propterea Pater , & Filius ſunt unum principium ſpirativum . Haud enim aliter ſpirant , niſi quatenus conveniunt in omnimoda unitate virtutis ſpirativæ , ſeu principii *quo* . An verò ad conſtruendam virtutem ſpirativam *ùt quo* , ſufficiat divina eſſentia , & divina voluntas connotando Paternitatem , & Filiationem , an etiam ſaltem in obliquo requiratur relatio ſpirationis activè , variant Theologi . Negant plures extra Scholam Thomiſticam requiri relationem . Concedunt unanimes Angelici Doctoris aſſeclæ *primo Sentent. diſt.* 29. *art.* 3. *diſtinct.* 11. *artic.* 2. , & 3. , & in ſolutione *ad* 3. *art.* 3. *quæſtioni unicæ ad Annibaldum* . Quæ ſententia hac baſi innititur . Non minùs principium *quod* adæquatum , quàm principium *quo* adæquatum , debet realiter diſtingui a termino producto , ſed ſecluſa relatione activa principium *quo* adæquatum Spiritus Sancti non diſtingueretur realiter a Spiritu Sancto ; quia divina voluntas , & eſſentia præcisè acceptæ non opponuntur Spiritui Sancto . Ergo debet relatio connotari , per quam fiat oppoſitio . *Major videtur certa a pari* . Sicut principium *quod* realiter influit *ùt quod* in terminum productum : ita principium *quo* realiter influit *ùt quo* . Sed quia illud realiter influit *ùt quod* , diſtinguitur realiter a termino . Ergo quia hoc influit realiter *ùt quo* , debet realiter ab eodem diſtingui .

Pater , & Filius ſpirant , quatenus conveniunt in omnimoda unitate ſpirativa .

Divina eſſentia , & voluntas ſecundùm ſe non opponuntur Spiritui Sancto .

180 DICES . Principium *quo* diſtinguitur realiter connotando Paternitatem , & Filiationem , quæ diſtinguuntur *ùt quod* a Spiritu Sancto . SED CONTRA . Paternitas , & Filiatio ſecundùm ea , quæ formaliter exprimunt , non opponuntur Spiritui Sancto , ſed diſparatè ſe habent . Etſi enim radicaliter præhabeant virtutem ſpirativam ; tamen ob hoc , non diſtinguuntur proximè , & actualiter , ſed radicaliter duntaxat ; quia radicalis præhabitio radicalem ſolummodò oppoſitionem infert .

Radicalis præhabitio virtutis ſpirativæ radicalem infert oppoſitionē .

181 DICES 2. Principium antecedit actionem a tali principio ortam , & quæcunque ipſam comitantia . Sed relatio ſpirationis non antecedit actionem ſpirativam ; ſupponit enim Perſonam ſpirantem , & eſt ſimul cum ſpiratione paſſiva ; adeoque advenit Patri , & Filio jam conſtitutis in eſſe . Ergo non antecedit proceſſionem ; ergo non requiritur ùt complementum principii ſpirativi . Præterea ; ipſa relatio non eſt principium *quod* ; quia non eſt ſuppoſitum : neque eſt principium *quo* ; id enim eſt illud , in quo productum aſſimilatur producenti . Sed productum non aſſimilatur virtuti ſpirativæ , ſeu amori , non autem relationi ; ergo relatio non eſt principium *quo* . Adde , proceſſionem eſſe immediatè ab amante , & ſpirante . Sed Pater , & Filiua immediatè ſpirant , & amant . Ergo relatio non mediat .

Hiſce objectis occurrunt Thomiſtæ diſtinguendo in relatione ſpirationis duo munera , alterum ſe tenens ex parte principii *quo* , & præſuppoſitum ad actionem ſpirativam : alterum , quod ſubſequitur . Haud ſecus ac Paternitatis relatio plura importat munera , quorum aliqua præſupponuntur ad generationem , alia ſubſequuntur . In primo munere quaſi activè accipitur , quatenus conſtituit principium ſpirativum ùt diſtinctum a termino , & intelligitur præcedere actionem ; prout verò exprimit explicitum conceptum *ad* , ſubſequi intelligitur . His ita intellectis reſpondeo ad argumentum *conc. maj.* & *diſt. min.* Relatio ſpirationis non antecedit actionem ſecundùm munus diſtinguentis , & in obliquo *nego min.* ſecundùm munus explicitum reſpectivum , & ſecundùm conceptum *ad concedo min.* , & *nego conſequentiam* . Utere eadem diſtinctione , ubi dicitur , *ſupponit ſpirantem , advenit Perſonis jam conſtitutis* ; advenit enim ſecundùm unum munus : ſecundùm aliud conſtituit , non quidem in recto , ſed in obliquo ùt diſtinguens .

In relatione ſpirationis duo ſunt munera : unum , quod præſupponitur ad actionem : aliud , quod ſubſequitur .

Ad ſecundum dico pertinere ad principium *quo* , non tanquam virtus , ſed tanquam complementum in obliquo neceſſarium ad diſtinguendum principium a ſuo termino ; adeoque ipſi non debet aſſimilari productum , ſed principio *quo* , in recto , & per modum virtutis .

Relatio ſpirationis ſpectat ad principium quo , non tanquam virtus , ſed tanquam complementum .

Ad tertium concedo Spiritum Sanctum immediatè prodire a Patre , & Filio amante , ly *immediatè* excludente principium *quod* , non verò principium *quo* . Pater enim , & Filius producunt Spiritum Sanctum media virtute

ſpira-

ſpirativa, quæ in obliquo ad ſui complementum exigit relationem ſpirationis activæ; quæ in eſſentia, & voluntate intelligitur quodammodo recipi, tanquam in ſubjecto *quo*, in Patre, & Filio tanquam in ſubjecto *quod*. Dixi in relatione ſpirationis activæ plura munera eſſe diſtinguenda proportionaliter, ut intelligatur recta mens D. Thomæ *prima parte quæſt.* 40. *art.* 4. *in corpore*, ubi videtur aſſerere proprietatem Perſonalem quodammodo præcedere actum, quodammodo non; ſecùs proprietas non Perſonalis, ùt eſt relatio ſpirationis activæ, quam aſſeris actui ſuccedere.

Explicatur, quomodo proprietas Perſonalis præcedat actum, quomodo non præcedat.

Dupliciter proprietas Perſonalis, ſeu relatio Perſonalis actum præcedit, nempe velut forma hypoſtatica conſtituens Perſonam in eſſe Perſonæ, & ùt conſtituit principium in eſſe principii, a quo origo actionis. Proprietas verò non Perſonalis non antecedit actum ùt conſtituens Perſonam, ſed ùt conſtituens principium non quidem in recto per modum virtutis; verùm potiùs in obliquo per modum diſtinguentis. Quantùm ad primum munus, negat proprietati non Perſonali præcedere actum, & ſolùm quoad illud S. Doctor facit comparationem cum relatione Perſonali; ſed hoc ſufficiat innuiſſe.

Hoc nomen unum principium Spiritus Sancti nõ ſupponit pro aliqua Perſona determinata, ſed confuſè.

182 Colligitur ſecundò, quid ſupponat hoc nomen *unum principium Spiritus Sancti*, neque enim ſupponit pro aliqua Perſona determinatè, ſed, ùt loquitur S. Thom. 1. *p. quæſt.* 36. *art.* 4. *ad* 4., confuſè: nempe indiviſim pro utraque Perſona ſimul, quatenus affecta virtute ſpirativa. Ratio eſt; quia hoc nomen unum principium Spiritus Sancti importat, quidquid requiritur ad producendum Spiritum Sanctum, tam *ut quod*, quam *ut quo*. Sed principium *quod* non eſt una, vel altera Perſona determinata, verùm eſt utraque ſimul; nam Spiritus Sanctus petit procedere tanquam mutuus amor. Ergo non ſupponit pro una, vel altera determinata Perſona, ſed pro utraque non præcisè accepta: ſic enim non ſunt unum, ſed duo oppoſita; ad ſecundum, quòd afficiuntur eadem virtute ſpirativa. Itaque Pater, & Filius non ſunt unum principium unitate collectionis; aliter eſſent ſimpliciter plura; ſicuti apparet in unitate collectionis unius Populi; ſed unitate indiviſibilis virtutis, ac proinde ſunt unum principium in proprietate locutionis.

Pater, & Filius ſunt unũ principium Spiritus Sancti unitate indiviſibilis virtutis.

183 Colligitur tertiò reliquarum ſolutio objectionum, quibus Græci Spiritus Sancti proceſſionem ab utroque fruſtrà concutiunt; eò enim tendunt ut vel confuſionem, vel pluralitatem adſtruant perſonarum. Semel enim oſtenſo, in quo conſiſtat, & quomodò fiat unitas Spiratoris, omnia ſimul evaneſcunt. Cum *dicunt*; ſi ex ambobus Spiritus procedit, neceſſe eſt, vel Patrem, & Filium ita commiſceri, ut ex duobus fiat una Perſona: vel ut concurrant tanquam duo oppoſita, & diſtincta principia: *reſpondetur* negando utrumque. Neque enim fit commiatio; nam actio, & virtus productiva Spiritus Sancti non eſt conſtitutivum Patris, ſed proprietas Patri conſtituto adveniens. Si Patrem conſtitueret, tunc ſequeretur abſurdum commixtionis; quia dum Pater communicat Filio eſſe ſpirativum, communicaret ſe ipſum, ſuumque conſtitutivum. Nec concurrunt ùt duo oppoſita; utpote quod Spiritum Sanctum producant, quatenus communionem habent in unica, eademque proprietate virtutis ſpirativæ. Haud diſſimili ratione non multiplicantur principia Mundi creativa, utut tres Perſonæ ſimul concurrant ad Mundi productionem; ſiquidem unica indiviſibili potentia tribus communicata creaturas creant.

Pater, & Filius non ſunt principium Spiritus Sancti per unitatem commixtionis, neque ut duo oppoſita.

184 Inane eſt quorundam Græcorum convitium, cum dictitant per nos Occidentales Spiritum Sanctum Creaturam fieri; quia ex creaturis argumentamur. Aliud eſt ex creaturis habentibus umbram aliquam ſimilitudinis cum divinis myſteriis, ea explicare ſub analogica proportione: aliud eſt ſi ita ſentias ſe habere divina, ſicuti ſe habent creata. Certum eſt Sanctos Patres Trinitatem nobis exponere vulgaribus exemplis, Solis radii, & luminis, memoriæ, intellectus, & voluntatis. Neque proinde ſentiunt tres Perſonas Divinas eſſe quid creatum, vel ſe habere uti ſe habent creata, in quibus divina exemplificant.

185 Solvitur altera objectio, quæ ſic procedit. Vel eſt perfecta productio Patris; & erit inutilis productio ex Filio. Vel eſt imperfecta; & erit neceſſaria productio ex Filio. Veruntamen non abſque maximo abſurdo imperfectionem admiſeris in operatione perfectiſſimi Patris. Solvitur, inquam, retorquendo argumentum. Vel eſt perfecta actio Patris creativa Mundi; ecquid prodeſt creatio a Filio, & Spiritu Sancto? Vel eſt imperfecta; & jam habemus abſurdiſſimum imperfectæ operationis in Patre perfectiſſimo. Porrò ex ſumma, & infinita perfectione oritur, ut omnes tres Perſonæ concurrant ad unam, & eandem operationem Mundi productivam; quatenus divina eſſentia exigit indiviſibiliter ſe ipſam cum omnibus ſuis attributis communicare tribus Perſonis; eademque ſumma Deitatis perfectio petit ſummam communionem inter divinas Perſonas, præter eſſe conſtitutivum earundem. Haud ſecùs ex ſumma perfectione fit, ut Pater, & Filius unica ſpiratione producant Spiritum Sanctum; quatenus infinitas deificæ bonitatis, perfectiſſimam poſcit æqualitatem inter Patrem, & Filium in omni proprietate præter eſſe Patris, & Filii. Spiratio autem activa, neque conſtituit eſſe Patris, neque eſſe Filii, ſed utrique advenit. Quare non eſt dividenda in productione Spiritus operatio Patris ab operatione Filii, ſicut dividimus in humanis, quando duo homines ad eundem effectum concurrunt diverſis operationibus, quorum una indiget altera, ſed unica indiviſibilis in Patre, & Filio admittenda propter omnimodam in divinis proprietatibus communionem.

Divina eſſentia exigit cõmunicare ſe ipſã cum ſuis attributis tribus Divinis Perſonis.

Spiratio activa nec conſtituit eſſe Patris, nec eſſe Filii, ſed utrique advenit.

186 Contra hactenus dicta inſtatur. Ergo Spiritus Sanctus vel eſt minor Filio, & impar, vel ſe ipſum debet producere, aut alterum, vel ad generationem Filii concurrere. Siquidem Pater generat Filium, & producit Spiritum Sanctum. Filius cum Patre producit Spiritum Sanctum. Spiritus Sanctus nec Filium, nec ſe ipſum, nec alterum producit; ergo impar eſt Filio; vel ſi impar non eſt, debet vel ad productionem ſui, vel

Filii, aut alterius concurrere. Ut ergo hæc inconvenientia tollantur, dic, a ſolo Patre utpote Perſona prima, & improducta Filium generari, & Spiritum produci: Filium verò nihil producere, ſicuti Spiritum Sanctum: & ſic ſtabit omnimoda æqualitas.

Ex eo, quod Spiritus Sanctus nullum producat non ſequitur inæqualitas reſpectu aliarū Perſonarum.

Sed hæc inſtantia ſimiliter in Adverſarios redit. Ex eo quod Pater ſecundùm Græcos, generet Filium, & producat Spiritum Sanctum, & Filius non generet alium Filium, nec per ipſos producat Spiritum Sanctum, non ſequitur majoritas in Patre ſupra Filium, ſed dumtaxat primitas originis, quæ nullam ponit diminutionem in Trinitate Perſonarum. Ergo ex eo, quòd Filius producat cum Patre Spiritum Sanctum, & Spiritus nullum alium producat, non ſequitur majoritas in Filio ad Spiritum Sanctum, aut aliqua Perſonalitatum inæqualitas.

Deinde retorquetur ex alio capite. Per Græcos datur ordo in Divinis Perſonis, ùt videre eſt apud *Baſilium* contra *Eunomium*, ubi frequenter concedit Spiritum Sanctum eſſe ordine, & dignitate ſecundum a Filio, ſicut Filius ſecundus ordine, & dignitate a Patre: & Magnus *Athanaſius* in epiſtola ad *Serapionem* circa medium ait. *Ejuſmodi ordinem, & naturam habet Spiritus ad Filium, qualem ordinem, & naturam Filius habet ad Patrem*; attamen haud ſequitur Patrem eſſe Filio majorem, & Filium Spiritu Sancto. Ratio autem eſt; quia ad Perſonarum æqualitatem ſufficit communicatio ejuſdem naturæ indiviſibilis cum ſuis attributis; hoc enim ipſo ſtat pleniſſimus conſenſus in omni perfectionis genere, nec alia datur diverſitas, niſi penes oppoſitionem relativam: unde *Auguſtinus* contra Maximin. lib. 3. cap. 4. *Non enim Genitorem ab eo, quem gennit, ſed genitum a Genitore mitti opportebat: Verum hoc non eſt inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ: non quod alter prior eſſet altero* (ſcilicet prioritate temporis, & perfectionis) *ſed quod alter eſſet ex altero*.

In Divinis nō datur alia diverſitas, niſi relativæ oppoſitionis.

187 Replicabis iterum. Si Spiritus Sanctus non poſſet aliquid creare, quod poteſt Filius, eſſet Filio inferior. Ergo ſi Spiritus Sanctus nullam poteſt producere Perſonam Divinam, multo magis eſt Filio inferior. *Prob. conſeq.* Perfectior eſt potentia productiva Perſonæ divinæ, utpote habens terminum nobiliorem, quàm producere creaturam. Deinde productio Perſonæ ad intra pertinet ad Omnipotentiam, ùt teſtatur *Auguſtinus* in laudato libro contra Maximin. cap. 7. *An forte dare non potuit, ubi eſt Omnipotentia Dei Patris? Prorſus ad hunc articulum res colligitur, ut Deus Pater æqualem ſibi gigneret Filium, aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, infirmus: ſi noluit, invidus invenitur*. Ergo Spiritus Sanctus carens productione Perſonæ Divinæ, caret perfecta communicatione Omnipotentiæ.

Hæc objectio prout a Græcis nullius eſt roboris. Ipſis enim eſt ſolvendus idem nodus; ſiquidem apud ipſos Pater eſt productivus duplicis Perſonæ ad intra, Filius nullius; attamen Filius non eſt Patre imperfectior, nec Filio deeſt adæquata communicatio Omnipotentiæ. Ita utlibet Spiritus Sanctus nullius Perſonæ ſit productivus ad intra, & Filius ſit ſpirativus, non eſt dicendus aliqua carere perfectione, & adæquata Omnipotentiæ communicatione non gaudere. Quanquam verò Græcis non faveat objectio: in ſe tamen graviſſima eſt, quæpotè difficultatem involvat humanum intellectum ſupergreſſam æqualitatis ſcilicet inter divinas Perſonas. Cui ut ſatisfaciant Scholaſtici, mirum eſt, quot modos excogitaverint ejuſdem explicandæ: queis omnibus abſtinendum duxi, ne videar nimius in diſcutiendis Catholicorum doctrinis. Veſtigiis itaque inhærens Scripturæ obiter difficultatem attingam quantum ſat eſt, ut elucidetur propoſita objectio; nam cæteroqui proprium in Tract. de Trinitate habet locum.

Igitur *conceſſo ant. nego conſequentiam*. Qui caret productione alicujus Perſonæ Divinæ ad intra, non caret virtute aliqua, ſeu divina Omnipotentia in recto, proinde aliqua perfectione: ſecus qui careat creatione alicujus effectus ad extra. Quod ut clarè intelligatur, noto potentiam generativam, & ſpirativam in recto radicaliter importare divinam eſſentiam fœcundam, proximè quidem intellectum, voluntatem verò in obliquo, & pro connotato Paternitatem, & Filiationem. Quamobrem potentia generativa, & generatio adæquatè accepta eſt divina eſſentia intelligens ùt in Patre, ſeu ùt relatione Paternitatis modificata; potentia ſpirativa, & ſpiratio adæquatè ſumpta eſt divina eſſentia volens ùt in Patre, & Filio, ſeu ùt relatione Spiratoris modificata; eſſentia verò cum ſuo intellectu, & voluntate æquè indiviſibiliter in tribus, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd in Patre modificatur una relatione, altera in Filio, & Spiritu Sancto, ac proinde quidquid virtus generativa, & ſpirativa includit in recto, invenitur in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Non poteſt tamen in quacunque Perſona ſortiri denominationem, & realitatem genitoris, & ſpiratoris propter defectum connotati eſſentialiter requiſiti. Econtra, ſi aliqua Perſona divina careret creatione ad extra vel omnium, vel aliquorum effectuum, careret non ſolùm aliquo connotato, verùm etiam careret eo, quod in recto requiritur. Nam creatio eſt propria attributi abſoluti qua abſoluti; unde virtus creativa ad realitatem, & denominationem Creatoris non eſſentialiter exigit modificationem connotati, hoc eſt relationis, ac per conſequens carere creatione ad extra, eſt reverà carere attributo divino. Vide S. *Thomam* prima parte quæſt. 41. art. 5. per totum, ſed præcipuè ad 3. quæſt. 42. art. 1. art. 4., & 6. & præcipuè ad 3.

Potentia generativa, & generatio adæquatè ſumpta eſt divina eſſentia intelligēs, ut in Patre.

Potentia ſpirativa, & ſpiratio adæquatè accepta eſt divina eſſentia volēs ut in Patre, & Filio.

188 URGEBIS. Virtus productiva Perſonæ ad intra in producente eſt per modum dantis, ſeu activè: in producto eſt per modum accipientis, & paſſivè. Sed melius, & nobilius eſt habere virtutem per modum dantis, quam per modum accipientis. Ergo carentia productionis ad intra includit imperfectionem. Ergo cum Spiritus Sanctus nihil producat ad intra, erit Filio ignobilior, imperfectior, vel ſaltem inæqualis.

RESP. Si ly per modum dantis cadat ſupra rectum abſolutè, & ſecundùm ſe acceptam

ceptum *negatur major* ; ſi cadat ſupra rectum ùt modificatum relatione *concedo maj.* , & *diſtinguo min.* Nobilius eſt habere per modum dantis , ſi ly dantis cadat ſupra rectum ſecundùm ſe acceptum *concedo min.* : ſi cadat ſupra rectum ùt modificatum relatione *negatur min.* , *& conſeq.* ; quia æquè perfectum eſt rectum divinæ eſſentiæ ùt modificatum relatione Paternitatis , ac modificatum relatione Filiationis , & Spirationis paſſivæ . Sicuti imperfectio non eſt in Filio carere Paternitatis relatione : ita non eſt imperfectio in Spiritu Sancto carere relatione productoris ad extra

189 URGEBIS *iterum* . Producere ad intra importat præſtantiam , & dignitatem . Ergo Perſona carens productione ad intra non eſt æqualis Perſonæ producenti . *Prob. ant.* Chryſoſtomus in cap. 1. ad Hebræos dicit , Filium eſſe quidem æqualem Patri ; non tamen Patrem Filio . Id ipſum docet *Auguſtinus* lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 2. , & lib. 6. de Trinit. cap. 6. . Sed non alia ratione dicitur Filius Patri æqualis , niſi quia producitur ad imitationem Patris , ſeu ùt ejus imago ; Pater verò non eſt æqualis Filio , quia producit eum : ergo ratio productoris ad intra importat præſtantiam , & dignitatem . Quare cùm Spiritus Sanctus nec ſit productor , nec imago Patris , aut Filii , omnino erit inæqualis Patri , & Filio .

Dignitas, & præſtantia in divinis pertinet ad abſolutum .

RESP. *neganda ant.* Dignitas , & præſtantia in divinis pertinet ad abſolutum : dignitas enim , ac præſtantia magnitudinem ſonat virtutis : magnitudo autem virtutis eſt ipſa divina eſſentia , quæ in Patre eſt paternitas , in Filio eſt filiatio , in Spiritu Sancto ſpiratio paſſiva ; atque eadem propterea eſt dignitas Patris , & Filii , & Spiritus Sancti . *Ad prob. dico* , Sancti Patres nolunt Patrem eſſe inæqualem Filio magnitudine virtutis , ſed ordine originis , quatenus Pater non producitur , ut ſit alteri æqualis , ſed producit : Filius dicitur æqualis Patri , quippe qui producitur ad æqualitatem Patris . Loquuntur Patres citati , quomodo in creatis pannum vocamus æqualem ulnæ , quia menſuratur , non verò ulnam panno , quia menſurat , quamvis revera pannus , & ulna in ratione menſuræ , & menſurabilis ſint æqualis longitudinis , vel latitudinis .

190 REPLICABIS . Ideo ex dictis Spiritus Sanctus non eſt Filio diſpar , quia ex parte recti habet , quidquid habet Filius, nec eſt alia diverſitas , niſi penes connotatum diſtinctæ relationis . Sed hoc non ſalvat æqualitatem , immo potiùs minuit . Ergo debet aſſignari aliquid aliud , per quod æquivaleat Filio in perfectione . *Minor declaratur* . Relatio ſpirationis paſſivæ differt ſpecie a relatione Filiationis . Sed quæ differunt ſpecie , ſunt inæqualia in perfectione ; quia ſpecies ſe habent ſicut numeri , qui ſunt omnino inæquales in magnitudine quantitatis diſcretæ . Ergo relatio ſpirationis paſſivæ eſt inæqualis perfectionis in magnitudine virtutis a Filiatione . Ergo recurrendum eſt ad aliquid aliud , ut ſalvetur æqualitas Perſonarum .

Species ſe habent ſicut numeri .

Antequam directè reſpondeam ad argumentum , adverto obiter , Deum certò revelaſſe nobis myſterium Trinitatis , & Perſonarum æqualitatem , quantum ad *an eſt* , ùt habemus in Symbulo Athanaſii . *Sed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt , & coæquales* : & ad Philippenſes 2. v. 6. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo* : Pſal. 109. v. 1. Filius ponitur ſedens a dextris Patris : *Dixit Dominus Domino meo , ſede a dextris meis* , & verſ. 6. ponitur Pater a dextris Filii : *Dominus a dextris tuis confregit in die iræ ſuæ Reges* : & ideo veritatem hanc definitam nobis propoſuit Eccleſia per Concilium Lateranenſe cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate , & alibi . Non tamen revelatum eſt apertè , quomodo ſubſiſtat admirabilis hæc æqualitas cum triplicis Perſonæ diſcrimine . Itaque non eſt quærenda evidens ratio demonſtrativa ſuperexcedentis veritatis ; at gravi aliquo motivo ſcripturis innixo eam explicare ſufficiat .

Deus revelavit myſterium Trinitatis, & Perſonarũ æqualitatem quãtum ad an eſt .

191 Duplex autem apud Doctores eſt via , quâ ſalvatur æqualitas Perſonarum , quoad eſſe relativum , prout virtualiter diſtinguitur ab abſoluto . Prima negat ordinem relativum ſecundùm ea , quæ ſunt proprii conceptus formalis diſtincti ab abſolutis , & a tranſcendentia divinæ eſſentiæ includere perfectionem ; ſed vult nec perfectionem , nec imperfectionem abſolutis ſuperaddere , ac proinde haud arguas unam Perſonam eſſe alterâ meliorem ; & benè quadrat effatum illud *Auguſtini* ſerm. 38. de tempore : *Tantus eſt ſolus Pater , vel ſolus Filius , vel ſolus Spiritus Sanctus ; quantus eſt ſimul Pater , & Filius , & Spiritus Sanctus* . Cujus ſententiæ fundamentum mox attigimus in argumento ; ſi enim Paternitas v. g. diceret in ſuo conceptu perfectionem ab abſolutis diſtinctam, corrueret æqualitas cum Filiatione ; nam Filiatio ipſa præſeferret aliam perfectionem diſtinctam ſpecie a perfectione Patris . Perfectio autem ſpecificè differens ab alia eſt omnino inæqualis ; cùm ſpecies adinſtar ſint numerorum .

Ordo relativus ſecundùm ea , quæ ſunt proprii cõceptus formalis , præſcindit a perfectione , & imperfectione .

URGETUR . Vel perfectio Paternitatis eſſet ſimpliciter ſimplex , vel non : ſecundum dici non poteſt , nam perfectio , quæ non eſt ſimpliciter ſimplex , eſt perfectio *ſecundum quid* ; hæc autem involvit imperfectionem Deo repugnantem . Neque primum poteſt ſuſtineri ; ſecùs Pater includeret formaliter perfectionem formalem Filii , quia perfectio ſimpliciter ſimplex eſt , quæ in unoquoque melior eſt ipſa , quàm non ipſa , adeoque melius eſt Patri eſſe Filium , quàm non eſſe ; & Filio eſſe Patrem , quàm non eſſe . *Aliud fundamentum eſt* . Perfectio attenditur penes ordinem ad naturam , & exiſtentiam ; perfectum enim , & bonum coincidunt , bonum verò convenit enti exiſtentiali : unumquodque enim bonum eſt , & perfectum ſecundùm quod eſt in actu exiſtentiæ . Quia ens mathematicale ùt tale ab exiſtentia præſcindit , non dicitur bonum . Sed relatio , quâ talis præſcindit ab exiſtentia , & reſpectu ad ſubjectum , vel naturam , cùm ejus eſſe totum ſit in ordine ad aliud . Ergo non includit perfectionem .

Perfectio , quæ non eſt ſimpliciter ſimplex , non poteſt eſſe in divinis .

Ens mathematicale quà tale præſcindit ab exiſtentia .

192 Altera quoque ratio ad tuendam in Perſonis æqualitatem eſt , ut conceptui relativo quà tali concedatur propria perfectio . Veruntamen non unus eſt , idemque explicandi

 mo-

modus. Primus eſt, ut Paternitas v.g. perfectionem importet ſimpliciter ſimplicem, non abſolutè, ſed reſpectivè, ideſt in tali linea, hoc eſt in genere Paternitatis, excludendo formaliter perfectionem Filiationis, non ob imperfectionem, ſed ob oppoſitionem relativam, quæ eſſentialiter exigit unum correlativum, alterum excludere. Sicut Paternitas qua talis eſt realitas quædam infinita; attamen non eſt omnis entitas abſolutè, & abſolutè infinita, ſed reſpectivè, ideſt in linea Paternitatis; & hoc non propter imperfectionem, ſed propter relativam oppoſitionem. Salvatur deinde æqualitas, dum aſſerit unam Perſonam alteri additam ſolùm incrementum extenſivum ſuperaddere, non verò intenſivum; nam intenſivè tam valet eſſe in divinis Patrem, quàm eſſe Filium, vel Spiritum Sanctum, & omnes ſimul, ſic exigente rerum natura: ſicut æqualiter Pater opponitur Filio, & econtra; & Pater, & Filius Spiritui Sancto opponuntur, & econtra. DECLARATUR. Paternitas qua talis in linea relationis Paternæ eſt infinita, & Filiatio in linea relationis Filialis: intenſivè tamen, & formaliter una relatio non eſt magis infinita, quàm alia, at materialiter ſolùm, & extenſivè juxta doctrinam Philoſophorum adſerentium unum infinitum, majus alio materialiter, & non formaliter.

In divinis tantū valet eſſe Patrē, quantum eſſe Filium, vel Spiritum Sanctum, & omnes ſimul.

193 DICES: implicat exceſſus extenſivus ſine intenſivo, ſi ſemel relationes dicunt perfectionem; quia differunt ſpecie; differentia autem ſpecifica in ſuo conceptu perfecta importat perfectionem formalem, & inæqualem; ſunt enim ſpecies, ſicut numeri.

RESP. concedendo relationes divinas importare perfectionem formalem, & ſpecificam; ſed negatur exceſſus formalis; quia formalis perfectio unius Perſonæ formaliter tanti valet, quanti penditur altera, & omnes ſimul æſtimantur. Quemadmodum infinitas unius relationis eſt formalis utpote ſpecifica, & ſpecie differens ab altera; nihilotamenminus infinitate formali non magis infinitæ omnes tres ſimul ſunt, quàm una tantùm, ſecus materialiter. Nec oppoſitum evincit axioma, *ſpecies ſunt, ſicut numeri*. Primò, quia adhuc in creatis non eſt certum unam ſpeciem eſſe alteri inæqualem in perfectione: plures enim defendunt poſſe componi differentiam ſpecificam cum æqualitate perfectionis formalis. Sanè haud credo ſpeciem repræſentantem album A ſolo numero diverſum ab albo B, eſſe inæqualem in perfectione formali cum ſpecie repræſentante album B; ùtùt apud Salmaticenſes noſtros duplex illa ſpecies diſtinguatur eſſentialiter, & ſpecificè. Sed quidquid ſit in creatis, & finitis rebus; axioma illud in divinis, & infinitis neceſſariò non ingredi ſic oſtendimus. Si daretur (ùt loquitur Sanctus Thomas 3. *parte quæſt* 10. *art*. 3. *ad* 3.) infinitas numerorum imparium, & alia numerorum parium, ſpecie differret; ſed hoc non obſtante, una infinitas in eſſe formali non eſſet alteri inæqualis, ſed ſolùm materialiter. Ergo in infinito differentia ſpecifica qua talis non infert neceſſariò inæqualitatem formalem. Præterea in numeris non ſolùm qui differunt ſpecie, ſunt inæquales in quantitate diſcreta, verùm etiam diſtinguuntur natura, & eſſe: & hoc non verificatur de differentia ſpecifica tranſlata in divinis, quæ non ponit diſtinctionem in natura, & eſſe: ac proindè ejuſdem naturæ, & eſſe ſunt tres Divinæ Perſonæ. Illud igitur axioma, accedente infinitate, non militat; ſicuti nec militat, ubi adſit finitas: neque propterea erat efficax ad concludendam inæqualitatem intenſivam. Dixi non concludere neceſſariò in infinito, & divino eſſe ex vi ſua præciſè; quandoquidem poſſit aliunde haberi infinitum in una linea, quæ ſit perfectior alterâ, & infinitum in altera linea, quæ ſit imperfectior; ſicuti a pluribus ſalvatur infinitas attributorum cum inæqualitate in perfectione.

In divinis Perſonis non datur exceſſus formalis.

Stat differentia ſpecifica cum æqualitate formalis perfectionis.

194 Si quis autem ſciretur, cur ſpecifica differentia ſalvet inæqualitatem inter divina attributa, ſecus inter relationes, ſciat naturam relationum hoc exigere. Tanta eſt perfectio unius Perſonæ alteri comparatæ, quanta eſt oppoſitio formalis unius cum altera. Sed non eſt major oppoſitio formalis unius Perſonæ ad alteram; ergo neque eſt major perfectio formalis. *Min. eſt clara*; quia non minùs opponitur Pater Filio, quàm Filius Patri; nec magis opponitur Pater Filio, quàm Pater, & Filius Spiritui Sancto; & econtra. *Major etiam eſt ſatis clara*; quia divinæ relationes non multiplicant perfectionem in conceptu perfectionis ùt ſic; in eo enim non opponuntur; ſed in conceptu perfectionis talis, qua conſtituitur in eſſe Perſonæ oppoſitæ oppoſitione formali relativè. Nam perfectum idem eſt ac ens conveniens, debitum, & conſonum rei, quæ dicitur perfecta. Ens autem debitum, & conveniens, & conſonum relationi Perſonali qua tali, ſtat in eo, ut una Perſona conſtituatur alteri oppoſita; relativorum eſt eſſe ad aliud: ac per conſequens perfectio relativi attenditur penes qualitatem oppoſitionis realis.

Divinæ relationes non multiplicant perfectionem in conceptu perfectionis ùt ſic.

195 DICES. Ut ens conveniens conſtituat perfectum, debet eſſe ens in actu. Sed relatio divina quà talis non eſt ens in actu, quia non exprimit ordinem ad naturam, & exiſtentiam, ſed ad terminum. Ergo in eſſe relativo, & oppoſito non dicit perfectionem.

RESP. in primis ſecundùm aliquos: relatio in ſuo conceptu habet propriam exiſtentiam virtualiter diſtinctam ab exiſtentia naturæ divinæ. Deinde dico, relationem qua talem exigere exiſtentiam ex quocunque capite illi adveniat; quia ex ſuo ultimo expreſſo conceptu *ad* eſt realitas vera, & propriè dicta extra cauſas. Ad hoc autem ut aliqua res ſit in ſuo conceptu formali perfecta, ſufficit, ut connotet exiſtentiam; ex quoquo tandem capite proveniat; ſicut ad hoc, ut aliqua res in ſua formali linea exerceat cauſalitatem, ſufficit, quòd connotet exiſtentiam, ſive illam habeat identificatam, ſive non, ſive propriam, ſive alterius, ùt docent noſtri PP. Complutenſes in Phyſica de materia prima. Certè eſſentia creata dicit perfectionem, licèt non ſit ſibi ſua exiſtentia; ut ergo dicat perfectionem, ſufficit, quod connotet exiſtentiam ex quocunque capite illi obveniat.

196 Se-

196 Secundus modus ſalvandi in divinis relationibus formalem perfectionem cum æqualitate, recurrit ad mutuam continentiam unius relationis in alia; & dicit Patrem non eſſe Filio perfectiorem, & econtra; quia perfectio, quæ eſt in Patre ſub modo oppoſito relationis, eſt etiam in Filio propter circuminſeſſionem, quà Pater eſt in Filio, & perfectio, quæ eſt in Filio ſub modo oppoſito relationis, eſt etiam in Patre ratione circuminſeſſionis, qua Filius eſt in Patre, juxta illud Chriſti Domini Joan. 14. v. 10. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt*. Triplici autem capite ſæpiùs laudatus Doctor Angelicus *quæſt. 42. primæ partis art. 5.* docet unam Perſonam ineſſe alteri ratione eſſentiæ, ratione correlationis, ratione originis.

Tripliciter una Perſona ineſt alteri: ratione eſſentiæ, correlationis, & originis.

197 RATIONE ESSENTIÆ: quia eſſentia ùt communis utriſque extremis realiter diſtinctis eſt ratio communicationis adinvicem, quatenus facit, ut retenta diſtinctione ſit unum conſubſtantialiter. Ubi adverte dupliciter accipi eſſentiam, & ùt tertium, cum quo identificantur relationes, & hoc modo non fundat inexiſtentiam unius Perſonæ in alia, ſed unitatem dumtaxat in tertio, & ùt ratio conjunctionis extremorum, quatenus eſt id, quo Perſonæ coexiſtunt inter ſe conſubſtantialiter, quaſi trahendo diſtinctionem ad unitatem eſſendi; & hoc fundat inexiſtentiam unius in altera; ut enim ſit in alio, ſolùm exigitur ex parte extremorum diſtinctio, & ex parte rationis eſſendi conjunctio.

198 RATIONE RELATIONIS; quia relatio ipſa eſt ratio formalis, cur una Perſona in alia inexiſtat. Quod ut fiat illuſtrius ad intelligendum, nota duplex munus relationi ineſſe: reſpectus ad aliud, ſeu munus *ad*; & hoc non eſt ratio eſſendi unius in alio, ſed ad aliud; & ſimultas correlationis, quatenus relativa ſunt ſimul naturâ, & cognitione; & hoc modo fundat inexiſtentiam, quia unum cadit in definitione, & cognitione alterius. Ubi advertendum eſt, Patrem, & Filium non eſſe in Spiritu Sancto, & econtra formaliter ſecundùm conceptum formalem Paternitatis, & Filiationis, ſed ſecundùm conceptum Spiratoris. Sunt tamen etiam ſecundùm primum conceptum radicaliter, cùm exigant vim ſpirativam, & *ùt quod*; quia ſunt Perſonæ ſpirantes. Advertendum ſecundò, etiam relationes creatas ſimul cognitione eſſe; nec tamen fundare circuminſeſſionem, tum propter defectum identitatis ſubjecti: tum propter defectum eſſe Perſonalis; adeoque propria eſt divinarum Perſonarum.

199 RATIONE ORIGINIS: quia actio, per quam Perſonæ divinæ producuntur, eſt immanens; de ratione autem actionis immanentis eſt, quòd terminum producat adæquatè intra principium productivum, & non extra. Quare Pater producendo Filium, hunc quidem producit diſtinctum realiter, ſed non extra ipſum.

200 *Dices*: hactenus dicta probant quidem Filium eſſe in Patre, & Spiritum Sanctum in utroque; quia ſunt termini producti: non autem Patrem eſſe in Filio, & utrumque in Spiritu Sancto; cùm Pater producat, & non producatur.

RESP. Patrem eſſe in Filio non per inhæſionem (eſt enim per ſe ſubſiſtens), ſed ùt principium ſubſiſtens in ſuo termino, in quo habet ſuam terminationem. Utrumque igitur eſt in alio; ſed diverſo ordine, unum per modum dantis, aliud per modum recipientis. In creatis principium immanens non eſt in ſuo termino; quia terminus eſt accidens principio ſuo inhæſivè exiſtens; unde principium immanens non poteſt eſſe in ſuo termino: ſecus in divinis. Terminus enim eſt ſubſiſtens, & ſolùm per proceſſionem inexiſtens principio; quare principium poteſt in ſuo termino ſubſiſtentialiter ineſſe; juxta illud *Cognitum eſt in cognoſcente, & cognoſcens in Verbo producto; amans in amato, & amatum in amante*: ex quo fit Perſonas divinas mutuò ineſſe ſecundùm ſe totas, & non præcisè ratione alicujus ſui; quia non ſolùm inſunt ratione eſſentiæ, verùm etiam ratione originis, & relationis, quæ ſunt formalitates propriæ Perſonarum; atque ideo non ſolùm dixit Chriſtus: *Ego, & Pater unum ſumus*, ſed etiam: *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Ego, & Pater exprimunt Perſonalitatum inexiſtentiam adinvicem, & non præcisè in eſſentia, ùt ſignificatur in primo textu; unde dicitur in Hymno Feriæ ſecundæ ad Laudes: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater*. Sana igitur eſt locutio *Cyrilli* lib. primo Theſauri cap. 6. de Patre loquentis ſic. *Non ſolum perfectus eſt, quia Deus, ſed etiam, quia Pater*: nam quia Pater habet in ſua linea integritatem ſibi debitam, & convenientem, quatenus in Patre ineſt Filius non conſtitutivè, ſed perfectivè, ùt terminus actionis immanentis. Conveniens autem, & debitum, & perfectio eſt principii immanentis habere intra ſe ſuum terminum.

In creatis principium immanens nō eſt in ſuo termino: ſecus in divinis.

Pater habet in ſua linea integritatem ſibi debitam, quatenus in Patre ineſt Filius.

201 OBJICIES *ultimò*. Pater ſe ſolo generat Filium. Ergo ſe ſolo producit Spiritum Sanctum. *Probatur*; quia Pater ſe ſolo non minùs eſt perfectè intelligens, quàm perfectè volens.

RESP. *negando conſequentiam* Spiritus Sanctus eſſentialiter producitur ùt amor mutuus; qui eſſentialiter eſt a duobus. Unde notionaliter Pater ſe ſolo non eſt volens; aliter Spiritus Sanctus eſſet unius tantùm, & non duorum nexus.

Pater ſe ſolo notionaliter non eſt volēs.

202 DICES: virtus ſpirativa eſt prior origine in Patre, quàm in Filio; ergo ſe ſolo Pater eſt ſpirans. *Prob. ant.* Quidquid Filius habet, per generationem obtinet; non enim aliquid habet innaſcibiliter, ſeu ut Perſona innaſcibilis. Ergo a Patre accipit; ſed quod a Patre accipit, eſt in priori originis a Patre. Ergo virtus ſpirativa eſt prior origine in Patre. *Conſequentia principalis declaratur*. Non poteſt potentia ſpirativa eſſe in Patre in priori originis ad Filium, niſi ipſe actus ſit etiam in priori originis in Patre; nam virtus illa non eſt in actu primo, ſed in actu ſecundo. Ergo in Patre in priori originis eſt exercitium ſpirandi; ergo ſe ſolo ſpirat.

RESPONDEO argumentum concludere ſupra inceptum Græcorum; intendit enim Spiritum Sanctum eſſe primò productum ad

Filium: nam in priori originis ad Filium exercitium ſpirandi eſt *in* Patre: quod non admittunt Græci, tertium in ordine ipſum Spiritum confitentes, & ſecundum a Filio. Quamobrem ipſis etiam ſolvendus eſt ejuſdem controverſiæ nodus. *Concedo* igitur *ant.* quod eſt frequens in Scriptura clarè aſſerente, nihil habere Filium, quod a Patre non acceperit; & ideo *Joan.* 5. dicitur Filius nihil poteſt facere a ſemetipſo; & Concilium Florentinum in Decretis Unionis definit omnia, quæ Pater habet, Filio dediſſe præter eſſe Patris. Sed *nego conſeq.* propter dicta; etenim Spiritus Sanctus procedit per amorem mutuum, non ratione diverſi actus, vel virtutis ſpirativæ; ergo ratione diverſarum Perſonarum; ergo non poteſt intelligi in priori eſſe ab una Perſona tantùm, & non ab altera. Nec evincit probatio, quæ laborat æquivoco. Notandum enim eſt, poſſe dupliciter intelligi, quòd virtus ſpirativa ſit in actu ſecundo. Primò, quia eſt actus purus, ſumma actualitas potentialitatis defectum excludens. Secundò, quia eſt terminata per ſuum terminum relativè: primò modo eſt in priori originis in Patre, & per generationem Filio communicatur: altero modo non eſt prius origine in Patre, ſed in utroque ſimul. Habes exemplum proportionale in Omnipotentia, quæ *in* priori originis ad Filium eſt in Patre, non *in* actu potentiali, ſed in actu ſecundo actualitatis; & tamen Pater non creat in priori originis ad Filium.

Quæ habet Pater dedit Filio præter eſſe Patris.

Concil. Nicæno A. 325 ſub Silveſtro I. contra Arii, Quartodecimanos, & Melitæ ſchiſma aſſuere Epiſcopi 318

CONTROVERSIA X.

AN LICITE SYMBOLO ADDITUM SIT FILIOQUE.

203 HÆc additio *ex Patre, Filioque procedit* ad Nicænum Symbolum, altè Græcorum animos exagitavit. De hac in Florentino Concilio prima diſputatio fuit, contranitente *Beſſarione* tunc Nicææ Præſule, qui validis argumentis conatus eſt oſtendere, congruum non eſſe primo loco de hac Controverſia diſputare, ſed a principaliori incipiendum, an ſcilicet Spiritus Sanctus revera procederet a Filio. Vel enim falſum eſt, Spiritum Sanctum a Filio procedere; & hoc probato evidenter conſtat illicitam eſſe additionem; vel eſt verum, & hinc manifeſtum erat, nihil falſi Symbolo Latinos addidiſſe. Nicæno Præſuli aſſentiebatur Imperator; quia tamen potior pars ab additamento incipiendum eſſe contendebat; Imperator, & *Beſſarion*, ne Patribus libertatem adimere viderentur, in hanc inclinavere ſententiam. Inita eſt igitur diſputatio, pugnante pro Græcis contra Latinos *Beſſarione*. Dei gloriæ cupido, & de ſuæ gentis honore nimiùm ſollicito. Quæ validiora videbantur, proponebat ipſe impediens ſuos, ne ea proferrent, quæ victoriam infirmare poterant. Cohibuit propterea *Marcum Epheſinum*, qui textum S. *Pauli*, & *Dionyſii* (hunc ego in prima Adverſariorum objectione referam) inſipienti prurigine avebat in medium proferre ad demonſtrandum Patres Concilii omnes,

De hac additione Filioque prima fuit in Florentino Concilio diſputatio.

Pro Græcis contra Latinos Beſſario.

A & Conſtantinopolitani primi ictos eſſe anathematate. Sub concertationis initium victoria ad Græcos vergebat, nutantibus interim Latinis: ſed aſſtante Divino Spiritu, cujus potiſſima agebatur cauſa exſurrexit ille vir egregius, & illuſtris *Julianus* Cardinalis, tantâque argumentorum *vi* confixit, ut Græci diu multumque meditati, quid reſponderent, tumultantes vociferarentur: *Abeamus hinc, diſcedamus*; vixque Imperatoris auctoritas, & *Beſſarionis* ſtudium detinuerit, quin repentina diſceſſione Græcanicæ nationi æternum dedecus inferrent. His poſitis, quæ ad eruditionem ſpectant, jam venio ad rem.

Julianus Cardinalis pro Latinis contra Græcos.

204 DICO: *licitè factum eſt Symbolo additamentum* FILIOQUE. B Aliqua, nec ea prolixitate recenſeam, quæ Orientalibus a noſtris objecta fuere. Ideo non licèt Symbolo aliquid addere, quia in tertio Concilio, ſcilicet Epheſino: *Decrevit Sancta Synodus alteram Fidem nemini licere proferre, aut ſcribere, aut exponere præter eam, quæ definita fuit a Sanctis Patribus apud Nicænam Urbem in Spiritu Sancto congregatis. Eos autem, qui fuerint auſi alienam fidem componere, ſive porrigere, aut proferre his, qui volunt ad veritatis cognitionem converti ex gentibus, vel ex Judæis, vel etiam ex qualibet hæreſi, iſtos, ſiquidem Epiſcopi fuerint, aut Clerici, alienos Epiſcopos quidem ab Epiſcopatu, Clericos verò a Clericatu,* C *ſi verò Laici fuerint, anathematizatos*: ſed hoc non obſtat: ergo. *Minor demonſtratur*. Vel hoc Decretum prohibet novam Fidem componere novitate contrariæ doctrinæ, vel novitate verborum. Si primum. Ergo veritatem licèt addere, nec ibi prohibetur. Si ſecundum: ergo omnes Sancti Patres ſunt ſub anathemate; quia diverſis verbis, veritati utcunque conſonis, fidem Symboli docuerunt, & profeſſi ſunt; quandoquidem ibi æquè prohibemur, & componere novam formam Fidei, ac docere. Quamvis enim in dicto Decreto cautum ſit ſub anathemate D aliam Fidem ſcribere; nihilominus Patres Synodi Chalcedonenſis loco verbi in Nicæno poſiti, *natum ex Patre*, contra hæreſim Euthychetis appoſuere *Conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundùm humanitatem*; nec eapropter cenſentur Patres eſſe ſub anathemate.

Decretum Concil. Epheſini de non immutando Symbolo.

Symbolo Nicæno veritatē licet addere.

205 II. Illud Decretum non modò vetat aliam Fidem componere, ſed aliam quoque præter eam, quam Concilium Nicænum edidit, nulla facta mentione Symboli a Concilio Conſtantinopolitano primo compoſiti. Quamobrem ſic urgeo. Vel Patres Epheſini Concilii ſub ſilentio prætererunt Symbo- E lum Conſtantinopolitanum, quia illud conſonum ducerent Symbolo Nicæno, vel quia diſſonum. Si primum: ergo Symbolo licèt aliquid addere ad majorem explicationem eorum, quæ implicitè continentur, cùm Concilium aliquid de facto addiderit. Si ſecundum: ergo a Conſtantinopolitano uſque ad hanc horam tam Græca, quam Latina Eccleſia fuit ſub anathemate; quandoquidem tali Symbolo cum tali explicatione publicè uſa eſt. Probo jam ſupradictum Concilium aliquam addidiſſe explicationem. In Nicæno Symbolo ſecundùm *P. Natalem Alexandrum*

non

Natalis Alexan. in Hiſt. Eccleſiaſt. Sæcul. IX., & X. Diſſert. XVIII. Aſſert. II.

non legebatur *Viſibilium omnium , & inviſibilium* , nec illud *Deum verum de Deo vero* : nec *Spiritum Sanctum Dominum , & vivificantem* ; ſed reapſe in laudato Symbolo , quod habetur tom. 1. Conciliorum omnium , legere eſt ſupra dicta verba , ſcilicet *viſibilium omnium , & inviſibilium , & Deum verum de Deo vero* . Deſunt utique *Cæli , & Terræ* : *natum ante omnia ſæcula* ; *de Spiritu Sancto natum ex Maria Virgine* : *Spiritum Sanctum Dominum , & vivificantem , ex Patre procedentem* . Additum eſt Symbolo *Cœli , & Terræ* contra Marcionitas , & Manichæos : *Natum ante omnia ſæcula* contra Photini hæreſim : *de Spiritu Sancto natum ex Maria Virgine* contra Apolliuarem : *Crucifixus eſt pro nobis ſub Pontio Pilato* &c. *ſepultus eſt* : *ſedet ad dextram Patris* : *venturus eſt cum gloria* &c. *cujus Regni non erit finis* contra Millenarios . *Dominum & vivificantem* &c. contra Macedonium , & alia , quæ vidit laudatus Auctor Sæculo IV. diſert. 37 art. 11. atque id probando ſufficiat, Patres ſecundæ Synodi aliquid addidiſſe ad majorem explicationem eorum , quæ continebantur implicitè . Non eſt igitur vetita omnis mutatio circa Symbolum .

206 Sed contra primam rationem dices: Concilium Chalcedonenſe non compoſuit Symbolum , quod frequentari deberet in Eccleſia , ſed aliam Fidei confeſſionem edidit . Contra ſecundam : Patres Epheſini mentionem non fecere de Symbolo Conſtantinopolitano , ſed de Nicæno ſolùm ; quia pro eodem utrumque conſiderabatur . Sed contra ; quia Epheſinum Decretum non ſolùm prohibuit aliud Symbolum componere , ſed aliam Fidem ſcribere , & porrigere . Si ergo nihilominus approbatur talis Fidei confeſſio , nec laudati Patres fuerunt ſub anathemate , idem dic de aliis , qui particulam *Filioque* addiderunt . Ad ſecundam inſtantiam reſpondeo . Patres Epheſini Symbolum Nicænum , & Conſtantinopolitanum , quamvis in ſecundo facta fuerit aliqua explicatio , tanquam unum idemque habere ; quia erat explicatio conſona doctrinæ traditæ in Symbolo Nicæno ; ergo idem dicendum de quacunque additione eidem Symbolo conſentanea .

207. III. PROBATUR . Prohibitio tertii Concilii conſimilibus verbis , & pœnis priùs edita fuit a Concilio Nicæno , ùt apertè conſtat ex epiſtula *Liberii* Papæ ad S. *Athanaſium* , & Epiſcopos Ægyptiorum apud Cabrè , quæ incipit : *Jam a principio tantum accepimus a Beatiſſimo Petro Principe Apoſtolorum* ; quam epiſtolam in membranis ſcriptam protulere Patres Florentini . Sed ſtante hac prohibitione Græci admittunt licitè factas plures additiones Symbolo Nicæno ; ergo pariter ſtante prohibitione Concilii Epheſini licitè fieri potuit additio *Filioque* .

208 IV. Hæ prohibitiones ſolùm ordinantur ad additamentum falſæ doctrinæ ; ergo juſtis de cauſis licitum eſt addere veram doctrinam . *Conſequentia eſt legitima* . Ideo enim non liceret ; quia eſſet contra Conciliorum Decreta , ſi ergo Concilia prohibent ſolùm falſi dogmatis appendicem , jam additamentum veri non eſt contra Decreta . *Antec. probatur* . Sextum Concilium eadem ſtatuit ,

Decreta Conciliorum ſolùm prohibēt additamentū falſæ doctrinæ .

quæ tertium , & quartum , & inſuper inhibet , *ne quam vocem inanem , aut vanam alicujus dictionis inventionem quis introducat ad pervertendum , quæ a ſe determinata ſunt* : quibus verbis diſtrictè vetantur additamenta quævis Fidei contraria , non verò conſona .

209 Euticheti cum propoſitum fuiſſet , ut in Chriſto , poſt carnem a Verbo ſumptam , naturam divinam crederet abſque confuſione cum humana permanſiſſe ; Hæreticus in ſua ſententia pervicax exclamabat , id minimè contineri in Nicæno Symbolo , & tertii Concilii ſancita implorabat , ne ei quicquam adderetur . Quo audito *Euſebius* Doryleņſis Epiſcopus evibrata ipſum voce concuſſit dicens : *Mentitus eſt , nullus eſt Canon , qui hoc præcipiat* : cui Dioſcorus : *Quomodo nullus eſt Canon ? Apud nos duo ſunt Codices , & in omnibus legitur , non licere quidquam addi Nicæno Symbolo* . Cùmque huic innixus fundamento contra Flavianum ſententiam tuliſſet , non ſolùm , quia duas naturas in Chriſto profitebatur , ſed quia dicebatur reus violati Decreti Epheſini . Patres Chalcedonenſes , dum hæc legerentur , dixerunt *Anathema Dioſcoro , qui malè judicavit : hac hora damnetur Dioſcorus* . Sed ſi Decretum Epheſinum prohiberet quamcumque additionem Symbolo , Dioſcorus non malè , immo bene judicaſſet . Quis ergo non videt tale Decretum loqui de additione Symbolo contraria , non de conſona , & explicativa ?

Euſebius Doryleņſis Epiſcopus negavit eſſe Decretum prohibēs additionem explicativam Symboli .

Concilium in Trullo celebratum in primo Canone habet : *Statuimus Fidem a Verbi miniſtris , quippe ipſum ſuis oculis viderunt , & a Deo electi ſunt , Apoſtolis traditam , citra ullam innovationem , immutabiliter , ac inviolabiliter eſſe ſervandam . Præterea autem & 318. Sanctorum Patrum divinitus inſpiratorum , qui Nicææ convenerunt* &c. Deinde enumeratis reliquis Conciliis , poſtmodum ſubjungit : *Quod ſi quis prædicta pietatis decreta non tenet , & amplectitur , ſicque opinatur , & prædicat , ſed iis contra adverſari conatur , ſit anathema* &c. Sanè Decretum hoc propalam facit , Canonem tertii Concilii , aliorumque fore de additamento contrarietatis , non explicationis intelligendum .

Concil. Conſtantinopolit. tertium vocatur Trullanum, quia in Palatii Secretario , cui Trulla nomē erat, celebratum .

210 V. Juxta Apoſtoli doctrinam corde credimus ad juſtitiam , ore autem confeſſio fit ad ſalutem . Ergo debemus non ſolùm credere dogmata Fidei ; ſed etiam confiteri . Cùm verò ſit Fidei dogma Spiritum Sanctum a Filio procedere, id debemus & credere , & confiteri . Sed id Symbolo addentes , confitemur ; ergo licitè facta fuit huiuſmodi additio .

Credere oportet dogma Fidei, & etiā confiteri .

211 DICES ; alia pleraque myſteria tenemur omnino confiteri , exempli causâ Beatam Virginem eſſe Dei parentem : Chriſti Corpus verè eſſe in Euchariſtia : neque tamen ea fas eſſet adjicere Symbolo . Ergo quantumvis debeamus confiteri proceſſionem Spiritus a Filio ; nequaquam tamen ea additio licuit .

RESP. Non omnia eſſe myſteria in Symbolo exprimenda , quando ſit opus aliquâ notabili mutatione : dummodo abſit gravis cauſa : quam tamen dignoſcere , & approbare debet Summus Pontifex, vel Concilium Generale

nerale

nerale Pontificis auctoritate congregatum. Cæterùm mutatio, de qua agitur, nec fuit notabilis, & ex graviſſima cauſa, conſentiente Pontifice facta eſt, ut tolleretur occaſio errandi.

212 VI. Vel ideo non licuit talis additio, quia doctrina ſit falſa: quod dici non poteſt, cùm ſatis hujus doctrinæ veritas conſtet ex dictis: vel quia facta fuit ſine Græcorum conſenſu. Hoc autem nihil obſtat. *Primò*, quia (ùt in Concilio Florentino dicitur) incertum eſt, adfuerit, nec ne illorum conſenſus; qui tamen præſumitur, cùm pluries coram ipſis diſputatum ſit, plurieſque ad Concilia Generalia, & Provincialia vocati interfuerint. *Secundò*: aut tenent Rom. Pontificem eſſe Paſtorem Eccleſiæ univerſalem, & legitimum Petri Succeſſorem, quod confeſſi ſunt in Florentino, & per tot ſæcula agnoverunt: aut ipſum eſſe volunt primum quidem dignitate Patriarcham, ſed aliis poteſtate æqualem. Si Papa, ùt certum eſt, in materia Fidei errare non poteſt, abſque Græcorum conſenſu potuit hujuſmodi veritatem definire, & Symbolo adnectere. Sin minus, ſaltem ùt Summus Patriarcha, abſque injuria Græcorum, potuit ſuorum Epiſcoporum Concilio definire, & addere Symbolo: ſicuti pluries contigit in Eccleſia Dei per Concilia Provincialia auctoritate longè minora. Hæreſim *Pauli Samoſateni* Concilium Antiochenum: Concilium Milevitanum *Pelagii* hæreſim condemnarunt: nullus ex Latinis unquam, aut Græcis queſtus eſt. Quid plura? ipſi Græci hæreſim *Macedonii* damnavere, nullo Latinorum præſente, licèt Concilium Romano Pontifice conſentiente, congregatum fuerit, & approbatum. Non enim, ùt dicit Auguſtinus *lib. 4. ad Bonifacium c. 12.*, omnis hæreſis eſt talis, ut propter eam debeant vexari omnes Provinciæ. Nos quidem juſtè de Græcis conquerimur; quòd marte ſuo addiderint *ex ſolo Patre* procedere; id enim falſiſſimum eſt, & apud Scripturas inauditum.

Poteſt Pontifex abſque conſenſu Græcorum addere Symbolo, & definire.

Concil. Antiochenum damnavit hæreſim Pauli Samoſateni, & Milevitanum Hæreſim Pelagii.

Græci propria auctoritate addidere Symbolo ex ſolo Patre.

213 Atque hinc ſatis ſuperque liquet additamentum illud non licitum modò fuiſſe, verùm etiam quammaximè neceſſarium. Nam neceſſarium eſt ad ſalutem credere Spiritum Sanctum ab utroque procedere; ergo, orta jam hæreſi talem proceſſionem inficiante, neceſſe fuit tale additamentum. *Antec.* eſt definitum in Lugdunenſi, Florentino, & aliis Conciliis ſuperiùs citatis; & conſtat ex Symbolo *Athanaſii*, in quo poſtquam declaratur Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere, ſubditur: *Hæc eſt Fides Catholica, quam niſi quiſque integram, inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit*. Conſeq. eſt legitima; quia cùm adhibenda ſint remedia ad præcavendos lapſus, opus omnino ſuit obvia, & facilis explicatio. Cùm ergo Symbolum ſit omnibus obvium, & hæc veritas intrinſecè pertineat ad articulum de Spiritu Sancto, facilis explicatio debuit apponi. Nec aliter Symbolum Conſtantinopolitanum orta hæreſi Macedonii contra Divinitatem, addidit Symbolo, Spiritum Sanctum eſſe Patri, & Filio æqualem, & ſimul adorandum, & conglorificandum, quod tamen Nicæno deerat.

Concil. Conſtantinopolit. plura addidit Symbolo Nicæno.

GRÆCORUM ARGUMENTA ENODANTUR.

214 OBJICIES 1. ex *Marco Epheſino*. S. Paulus ad Galatas 1. v. 9. habet, *ſi quis vobis evangelizaverit aliud præter id, quòd accepiſtis, anathema ſit*. Similiter S. *Dionyſius* de Divinis nominibus cap. 1. *Univerſaliter non eſt audendum dicere aliquid, nec etiam cogitare de ſuperſubſtantiali occulta Divinitate præter ea, quæ divinitus nobis ex ſacris eloquiis ſunt expreſſa*. Ergo non licèt quidquam Symbolo addere. Hoc argumentum *Epheſius* non protulit in Concilio repugnate *Beſſarione*: haud tamen erubuit poſt Concilium proferre, ut incautos deciperet; quemadmodum habetur in profeſſione Fidei ab ipſo edita.

RESP. *Paulum* nihil opitulari Epheſio, nil aliud prohibentem præter doctrinam Fidei a ſe prædicatæ contrariam. Hinc eſt, ut poſtmodum ipſemet Apoſtolus plura alia docuerit, & ſcripſerit. Immo *Joannes* Evangeliſta poſt evulgatam *Pauli* ſententiam, ſuum edidit Evangelium, in quo plura legimus in *Paulo* minimè deſcripta. Deinde *Paulus*, & *Dionyſius* ſcripſerunt ante primam, & ſecundam Synodum; attamen ſecunda Synodus aliqua addidit primæ; & prima non omnino Symbolum tradidit eo modo, quo antea a Fidelibus recitabatur. Ergone pariter prima, & ſecunda Synodus fuerint ſub anathemate, quod ne Græci quidem admittunt? Præterquamquod *Dionyſius* ſolùm dixit, non eſſe aliquid dicendum, non docendum, non cogitandum, quod ſacra non revelant eloquia. Sed Spiritum ab utroque procedere, ſacra eloquia revelant. Ergo.

215 OBJICIES 2. Tertia Synodus Generalis prohibet omnem mutationem circa Symbolum: ergo —: verba Concilii jam ſuprà retulimus.

RESP. Prohiberi doctrinam contrariam, & falſam, non conſonam, ùt ſatis oſtendimus. Poteſt etiam reſponderi, decretum cadere dumtaxat ſupra particulares Perſonas Clericorum, & Secularium, quorum ſolummodo fit mentio, non autem ſupra Pontificem, & Generalia Concilia. Ratio eſt; quia ideo Patres ſanxere illum Canonem; quia plurimi etiam ex Laicis ſuas ſcribebant formulas Fidei, & Symbola contexebant, ùt advertit *Bellarminus*.

INSTABIS. Prohibetur quæcunque additio; quia cùm in Concilio Chalcedonenſi Act. II. Judices expoſitionem Fidei a Patribus expoſtulaſſent, & quidem expoſitionem conſonam, non jam contrariam Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano, reſponderunt unanimiter Patres. *Expoſitionem alteram nullus facit; neque tentamus, neque audemus*, & infra: *Iſta omnes dicimus: ſufficiunt, quæ expoſita ſunt, alteram expoſitionem non licet fieri*. Ergo.

Sed contra. Ut enim jam ſupra oſtendimus, Concilium quoque Chalcedonenſe explicavit Symbolum; non eſt ergo vetita quæcunque additio, ſed expoſitio dumtaxat, quæ rationem habeat novi Symboli, quod tentare nemo auſit. Neque negotium faceſſant ea verba

In Concilio Chalcedonenſi prohibita eſt expoſitio habens rationem novi Symboli.

ba *ſufficiunt , quæ expoſita ſunt* . Nam cùm nulla tunc adeſſet additionis , ſeu explicationis neceſſitas , ſufficiebant utique jam expoſita .

216 OBJICIES 3. Non licet , quod eſt contra decreta Pontificum . Sed additamentum Symbolo eſt contra decreta Pontificum . Ergo . *Prob. minor* . LEO III. juſſit recitari Symbolum Conſtantinopolitanum abſque particula *Filioque* ; & ne oblivioni traderetur , voluit duabus argenteis inciſum tabulis Symbolum illud abſque additamento in Baſilica S. Petri collocari , & aſſervari . Præterea JOANNES VIII. In litteris pro reſtituendo *Photio* Concilio Generali ſcriptis , jubet a Symbolo abradi particulam *Filioque* , aſſeritque talem blaſphemiam in poſterum ſe non laturum impune : ergo .

Leo III. vixit circa an. DCCXCV.

RESPONDEO . Pontifex juſſit recitari Symbolum Conſtantinopolitanum , ut oſtenderet a Latinis non contemni , ſicut objiciebant Græci , & prudenti Concilio duxit in ſua puritate aſſervandum , ne ejus memoria excideret venerabilis Symboli ab antiquis Patribus traditi , & ut conſtaret Latinos nequaquam opinari , id eſſe contrarium noſtro , in quo additur particula *Filioque* . Sicuti Conſtantinopolitanum non adverſatur Nicæno , quamvis in eo legatur *Spiritum Sanctum conſubſtantialem Patri , & Filio* ; utrobique enim additamentum eſt dumtaxat per modum majoris explicationis .

Juſſit aſſervari Symbolum Conſtantinopolit.

Altera probatio plura mendacia continet , quàm verba a *Photio* viro nequam conficta . Pro rei intelligentia ſcias *Joannem* Pontificem hujus nominis VIII. , ob Eccleſiæ pacem , Imperatori *Baſilio* annuiſſe , ut *Photius* a cenſuris abſolveretur , eaque propter Concilium congregaretur , cui ſuos miſit Legatos . Ei Concilio pluſquam trecenti Epiſcopi interſuere . Occaſionem arripuit *Photius* venenum jamdiu conceptum in Romanum Pontificem , cæteroſque Patres Dei cauſam tuentes evomendi . Hinc per ſummum ſcelus epiſtolas *Joannes* ſibi , & Imperatori datas corrupit , illiſque addidit : *Joannem* abrogare Synodum VIII. , in qua juſtè fuerat damnatus ; abradere a Symbolo particulam *Filioque* , atque declarare Spiritum Sanctum a Filio non procedere . Coacta poſtmodum Synodo , lectiſque hujuſmodi ſpuriis epiſtolis ; decreta , ſubſcriptiones , atque Concilii acclamationes extorſit . Aſt defecit ſcrutans in ſcrutationibus ſuis . *Photii* namque Concilium ne a ſuis quidem acceptum fuit ; ſiquidem Græci nullam ejus mentionem faciunt ; immo ùt illegitimum in Florentino ſeſſ. 6. rejecerunt . Et reapſe quænam auctoritas nephario illi conciliabulo inſit , cui Apoſtolici Legati minimè præfuerunt ? & idem *Photius* monitorium a *Joanne* per Legatos tranſmiſſum contempſit . Nam Pontifex in eo dumtaxat conſentiebat , ut fas eſſet , infulam Cæſareæ eidem *Photio* deferri ; & in hac parte ſolummodo diſpenſabat decretis legitimæ octavæ Synodi . Dei numine perfectum eſt , ut utraque Papæ epiſtola ſcilicet 199. , & 201. integra aſſervetur in Vaticano , quibus litteris ejus Patriarchæ nequitia coarguitur . Etenim Pontifex per eas litteras manifeſtè admonet , & diſtrictè præcipit , ne cætera octavæ Synodi acta reſcindantur , ſed integra , & illibata permaneant . Et in epiſtola 251. ad *Baſilium* fatetur ea tantùm approbare , quæ circa *Photii* electionem peracta fuere : ſi quid aliud per ſuos Legatos factum fuerit , non admittere . Cognitam poſtremò Photianam fraudem damnavit , teſte epiſtola *Formoſi* Papæ ad *Hylianum* , ubi poſt recitatas aliorum Pontificum , & Conciliorum ſententias in *Photium* damnatio quoque ſubnectitur *Joannis* VIII.

Photii fraudes .

Epiſtola Joannis extant in Vaticano , queis arguitur dolus Photii .

217 OBJICIES 4. Non minùs ſunt neceſſaria ad ſalutem myſterium Euchariſtiæ , adoratio Imaginum , quòd Beata Virgo ſit Deipara &c. , quàm Spiritus Sancti proceſſio a Filio . Sed ea non licèt addere propter reverentiam Symboli . Ergo .

RESP. *negando min.* Falſum eſt non licere prædictas veritates Symbolo adjungere ; quandocunque Univerſali Eccleſiæ id expediret ; ſicut expedit in noſtro caſu ; ubi ex eodem Symbolo abſque tali adjunctione , occaſionem erroris capiebant adverſarii negantes proceſſionem a Filio ; quòd in Symbolo expreſsè non haberetur . Cæterùm , ùt ſupra animadvertimus, facilis erat additio, quin notabiliter variaretur Symbolum . Quemadmodum verò Symboli Apoſtolici veneratio neutiquam imminuta eſt , licèt eidem de novo acceſſerint ea verba propter Manichæos *viſibilium omnium , & inviſibilium* , & propter Arianos *conſubſtantialem Patri* , neque Nicæno quicquam pretii abſtulit additamentum ſecundæ Synodi : ita dicendum eſt idem de Conſtantinopolitano , cui advenit particula *Filioque* .

Exigente neceſſitate poteſt Symbolum augeri .

§. PRIMUS.

COROLLARIUM I.

QUANDONAM SYMBOLO FACTUM FUIT ADDITAMENTUM .

218 QUonam tempore , quonam auctore Symbolum Nicænum eâ particulâ FILIOQUE auctum fuerit , diſputant Doctores ; quorum aliqui id factum opinantur fuiſſe in Concilio Bizantino ſub *Damaſo* Papa An. 381. : alii in Lugdunenſi ſecundo ſub *Gregorio* X. An. 1274. , dum Græci unà , Latinique Symbolum cum ea appendice , ritu quàmſolemniſſimo cecinerunt . Nonnulli in Concilio Nicæno ſecundo An. 789. ſub *Adriano* I. . Plures demum autumant *Damaſum* non quidem in Generali , ſed in Romano peculiari Concilio ejus particulæ Symbolo adjectæ fuiſſe auctorem : quæ opinio faciliùs fidem capit .

Quandonam, & a quo addita ſit particula Filioque *non ſatis liquet .*

219 PROBATUR PRIMO *Græcorum auctoritate* . Andreas Ariſtenus Patriarchalis Conſtantinopolitanæ Diaconus apud *Joſephum Methonenſem* in reſponſis ad *Marcum Epheſium* : *Joſeph Methonenſis* in diſput. habita cum *Epheſio* in Concilio Florentino reſcripta : *Simon* Conſtantinopolitanus epiſtola ad *Joannem* Nomophilacem : *Leo* Allatius contra Hottingerum : *Genebrardus* de Trinitate , qui ſcripſit fuiſſe apud ſe fragmentum operis *Alexii* Ariſteni

 cele-

celebris auctoris, in qoo illod de Concilii Romani decreto, & *Damaſi* Symbolo legebatur. Tot, tantorumque bominom auctoritas magnum adſtruit aſſertæ veritati pondus.

220 DICES. In actis Concilii Romani nec in Hiſtoria Bipartita, neque in epiſtola ad *Paulinum* reperire eſt additamentum hujuſmodi. Ergo perperam *Damaſo* adſcribitur.

Additio non fuit a Damaſo; quia deeſt actis Concilii Romani.

RESPONDEO per hoc minimè infringi veritatem concluſionis. Sufficit in aliquot probatis exemplaribus repertum eſſe ſupradictum additamentum, & Scriptoribus, atque Hiſtoricis innotuiſſe. Potuit enim abradi ab actis Concilii, & litteris ad *Paulinum*; quemadmodum Schiſmatici, & Hæretici ſacras Traditiones, & Eccleſiaſtica monumenta non ſemel corruperunt. Nonne Græci ſecundùm *Natalem Alexandrum* diſſert. 18. Sæculi IX., & X. ſuppreſſerunt in libris *Baſilii* de Spiritu Sancto agentes contra *Eunomium* hæc verba: *ut qui ab eo* (ſupple a Filio) *eſſe habeat, & ab ipſo accipiat, & annunciet vobis*? Cur ergo non potuerint ſimilia ſuſpicari de particula *Filioque*? Haud ignorem, evidenter non probari: at neque oppoſita probabilitatem deſtruunt.

221 DICES 2. Plures ea prædictis auctoribos, & ex Latinis aſſerunt *Damaſum* hanc addidiſſe particulam in Conſtantinopolitano Concilio, ſeu in Romano, & Patres Symbolo univerſali inſeruiſſe. Sed certum eſt in ſecunda Synodo ſactum non fuiſſe tale additamentum: ergo neque a *Damaſo* factum: *Major conſtat* apud *Joſephum Methonenſem* Epiſcopum in Orat. citata: apud *Joan. Gerard.* tom. 1. locorum Commun. Controv. de Spiritu Sancto: *Durandum* infra citandum: *Garciam Loayſam* in notis ad 3. Concilium Toletanum. *Minor probatur* 1. In nullo exemplari reperitur Conſtantinopolitanum Symbulum cum tali additione. 2. Quia *Theodoretus* illius Concilii Scriptor non ignoraſſet rem adeo gravem: tam turpiter, & obſtinatè non negaſſet proceſſionem Spiritus Sancti a Filio. 3. Patres Concilii Florentini tale Symbolom allegaſſent contra Græcos. 4. *Leo* III. jubens tranſcribi Symbolum Conſtantinopolitanum in argenteis tabulis non abſtuliſſet additamentum.

RESPONDEO. Propter allegata Scriptorum hujuſmodi teſtimonia, aliqui id additamentum referont ad Patres ſecundæ Synodi. Veruntamen ſententia oppoſita mordicùs eſt tenenda, tum propter ea, quæ proponuntur in argumento, tum propter communem Doctorum ſenſum, tum etiam, quia ſtatim Romæ fuiſſet in uſu, qood eſt falſum. Romæ enim Symbolum cum ejuſmodi additamento cani cœptum eſt tempore *Benedicti* VIII. ad petitionem Henrici Imperatoris, ùt infra n. 226. Nec indè ſequitur a *Damaſo* factum non fuiſſe; nàm licèt videantur aliqui ex ſupradictis auctoribus diſcrepare circa Conciliom, in quo fuit factum: tamen conciliantur in eo, qoòd *Damaſus* formulam, & inſtructionem Fidei Patribus tranſmiſerit, ne errarent in Fide. Veruntamen, quia nondum oborta fuerat hæreſis, optimum duxit, nihil explicitè ſuperaddi. Jam enim notum ſatis, compertumqoe erat veritatem catholicam implicitè contineri hoc ipſo, quòd diceretur ex Patre procedere contra Eunomianos aſſerentes procedere ex ſolo Filio. Quare Patres doctrinam *Damaſi* acceptaverunt; tametſi particulam Symbolo non addiderint.

Symbolum cū additione Romæ cantari cæpit ſub Benedicto VIII. inſtante Henrico imperatore.

222 PROBATUR SECUNDO *Latinorum auctoritate*. Apod *Garciam Loayſam* in notis ad Conciliom 3. Toletanum: apud *Durandum* de ritibus Eccleſiæ Catholicæ lib. 2. cap. 24.: & aliis ommiſſis, in ſcriptis S. *Hieronymi* tom 9. reperitur Symbolum *Damaſi* cum additamento. Ergo.

Probatur Latinorum auctoritate.

223 DICES. Illud Symbolum, de quo in Hieronymianis operibus, eſt ſuppoſititium; nam *Marius Victorius*, quæ in illo tomo deſcripſit, majori ex parte ſunt incerti auctoris: & *Bellarminus* de Scriptoribos Eccleſiaſticis, affirmat ex *Damaſo* ſolùm paucas epiſtolas remanſiſſe.

Sed prima ratio, ſi quid probat, ſolùm evincit opera illa non eſſe *Hieronymi*, non autem Symbolom non fuiſſe *Damaſi*. Eorum operum antiquus auctor, & boni nominis (non enim conſtat oppoſitum) potuit *Damaſi* Symbolum ex aliquo legitimo Codice tranſcriptum inſerere. Nec ratio ſecunda ſatis ſubſiſtit. Præter epiſtolas a *Bellarmino* citatas plurima extant carmina. Neque ea ratione quicquam concluditur. Quod enim non extent, haudquaquam probat, non extitiſſe. Vel S. *Hieronymus*, vel quiſquis alius fuerit auctor ejus operis, potuit ex aliquo exemplari Symbolum illud ſumpſiſſe.

Marius fortè inſeruit Symbolum al. aliquo legitimo Codice tranſcriptum.

224 Probatur 3. ex Conciliis Hiſpanis. Plurima Toletana a primo ſcilicet, uſque ad decimum tertium expreſsè in formulis Fidei, vel in Symbolo habent *ex Patre, Filioque procedit*. Hiſce formulis Judæos, Gothos, Viſighotos, Arianos, aliaſque barbaras nationes Hiſpaniam occupantes accepere in communionem Fidelium, neqoe alia Fidei confeſſione recipiendos ſanxére. Notandum tamen pro rei veritate, eam Symbolo appendicem factam eſſe in tertia, vel, ùt alii ſentiunt, in octava Synodo.

Plura Concilia Toletana habent vel in Symbolo, vel in Fidei confeſſione additionem.

His poſitis ſic arguo. Doctrinam hanc a Summo Pontifice Hiſpani accepere. Sed non ab aliu Pontifice, quàm *Damaſo*; ergo *Damaſus* fuit illius auctor additionis. *Probatur major* 1. *Andreas Rhodienſis* Epiſcopus act. 7. Concilii Florentini Occidentalium nomine aſſeruit a Romana Eccleſia additionem factam. 2. In eodem Concilio ſtatutum eſt id ad Romanom Pontificem ſpectare ob ſummam ejus auctoritatem. Et ſanè vel ipſe Pontifex, vel Generale Concilium poteſt Symbolo per Œcumenicum Concilium compoſito aliquid addere. 3. Hiſpani ſemper, & ea præcipoè tempeſtate Romanæ Sedi addictiſſimi, regulas Fidei, ritus, ceremonias, modos celebrandi, ac recitandi Divina Officia ab Apoſtolica Sede venerabundi acceperunt: Legatos ſæpè ſæpiùs Romam mittere convenerunt ad oracula Pontificum capeſſenda in his, quæ ad divinam rem ſpectant. Id ipſum patet legenti eorundem Concilia Toletana, & Bracharenſe primum., ac tertium: quod ipſum liquet ex litteris *Innocentii* I. ad Decentium, & *Gregorii* VII. ad Reges Hiſpa-

Factum ex conſenſu Pontificis.

Concilium Bracharenſe I. & III.

Epiſtola Gregorii VII. ad Reges Alphonſum, & Sancium.

Hiſpanos *Alphonſum* , & *Sancium* . Ægrè dixerim inconſulta Romana Sede auſos eſſe in re tam gravi aliquid innovare . Quòd autem ab *Damaſo* ea fluxerit doctrina, palam fit ex eo, quòd ante illum Pontificem talis formula nuſquam reperitur . *Damaſum* præterea in Concilio Romano eam tradidiſſe habetur etiam In *Creſconio* Collectore Conciliorum .

Creſconius Collector Conciliorū aſſerit Damaſum auctorem.

Spiritus Sanctus non eſt Patris tantummodo , aut Filii tantummodo Spiritus : ſcriptum eſt enim 1. Joan. 2. Si quis dilexerit mundum , non eſt Spiritus Patris in illo : & Rom. 8. Qui autem Spiritum Chriſti non habet , hic non eſt ejus . Nominata itaque Patre , & Filio intelligitur Spiritus Sanctus , de quo Filius in Evangelio dicit Joan. 15. Qui Spiritus Sanctus a Patre procedit , & de meo accipiet , annuntiabit vobis . Hæc in Concilio Romano ſub *Damaſo* apud laudatum Collectorem perhibentur .

225 DICES . *Leo* primus eam Hiſpanis formulam tradidit in epiſtola ad *Turibium* pro convocandis Concilio Toletano , & Celenſi : qood tertium fuit , ſeu (apud alios) primum ex tribus coaleſcens . Ergo ex facto Hiſpanorum non probatur auctor *Damaſus* . Sed *nego ant.* Damaſus *Leonem* præceſſit , qui ùt vidimus in ſuo Coucilio Romano , de hac formula rem habuit . Nou igitur fuit *Leo* primus auctor ; quem tamen poſtea ſcimus ad *Turibium* miſiſſe formulam cum additione .

226 Quarta probatio deſumitur ab excluſione aliarum opinionum : exceptâ eorum ſententiâ , qui rem trahunt ad ſecundum Generale Concilium . Triphariam dirimontur Doctores : alii initium rei deducunt a Concilio Francoſordienſi ſub Carolo Magno : alii a *Nicolao* I. : alii a ſeptima Synodo . Sed jamdudum antea invenitur in Concilio Toletano VIII. ne dum in formulis Fidei , ipſo etiam in Symbolo . Ergo ad priorem quocunquam auctorem eſt referenda . Sic tamen diſſidium facilè componas , ſi dixeris *Damaſum* rem primò ſtatuiſſe , ac tradidiſſe Hiſpanis, aliiſque non præceptivè , ſed permiſſivè : ebullientibus poſtmodum erroribus cœpiſſe in Eccleſiis frequentari , & tandam invaluiſſe ſub præcepto . Quamvis tamen apud Eccleſias ferè omnes eſſet in uſu ; Romana omnium poſtrema fuit , quæ Symbolum Conſtantinopolitanum cum additione adhibuit ſub *Benedicto* VIII , ad preces *Henrici* Imperatoris , ne videretur reſpuere dogmata , quæ aliæ Eccleſiæ Symboli recitatione profitebantur . Ita *Berno Augienſis* lib. de rebus ad Miſſam ſpectantibus . *Cùm Romanorum Presbyteri* , ſic ait cap. 2. , *ab Henrico Imperatore interrogarentur , cur poſt Evangelium , ut in aliis Eccleſiis fiebat , Symbolum non canerent ; me aſſiſtente audivi eos ejuſmodi reſponſum reddere , videlicet , quòd Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando ulla Hæreſeos fæce infecta , ſed ſecundum Sancti Petri doctrinam in ſoliditate Catholicæ Fidei permaneret inconcuſſa ; & ideo magis ipſis neceſſarium eſſe illud Symbolum ſæpius cantando frequentare , qui aliquando hæreſi potuerant maculari ; at Imperator non antea deſiit , quàm omnium conſenſu id Domino Benedicto Apoſtolico perſuaſit , ut ad publicam Miſſam illud decantarent .* Illud ſcilicet Symbolum , quod alibi in Eccleſiis canebatur . Cùm autem jam fuiſſet addita particula *Filioque* ; ſequitur ex laudato auctore , Symbolum Conſtantinopolitanum cum additione Romæ cantari cœptum eſſe ſub *Benedicto* .

Tres in hac materia opiniones.

Conciliari poſſunt ſic.

Eccleſia Romana ultima fuit in uſu talis additionis.

Cæterùm Romana Eccleſia , quanquam in Symbolo , quo utebatur , articulos iſte expreſſè non contineretur , ſemper tenuit Spiritum Sanctum a Patre , & Filio procedere , ſicut Spiritum Sanctum eſſe Deum utrique æqualem . Antiquitatis ſiquidem tenaciſſima , & erga Apoſtolorum doctrinam , & verba obſervantiſſima Apoſtolorum Symbolo utebatur , addens inſuper (ſicut Imperatori *Henrico* reſponderunt Romani Presbyteri) ab aliis alia Symbola frequentanda, quæ ab Hæreſibus maculata fuerunt , & non ab ipſa, quæ nunquam in Fide paſſa eſt detrimentum .

227 INSTABIS . Si a *Damaſo* in laudato Coucilio Romano facta fuiſſet additio , *Theodoretus* in Eccleſiaſtica Hiſtoria , Synodicam *Damaſi* referens , talis additionis meminiſſet . Sed non meminit ; ergo malè ab *Damaſo* initium rei deducitur . At nil mirum , quòd *Theodoretus* illam additionem omiſerit ; cùm enim acerrimè negaret proceſſionem Spiritus Sancti a Filio , ſe ipſum condemnaſſet , referendo talem additionem factam a Pontifice . Ne igitur ſuo ſe gladio feriret , illam omiſit . Deinde , ùt ſupra commonſtratum eſt , plures alii additionis ejus a *Damaſo* factæ meminerunt .

Quare Theodoretus non meminit additionis.

228 INSTABIS 2. Si talis additio a *Damaſo* facta fuiſſet , *Leo* III. conſultus a Legatis *Caroli Magni* Imperatoris anno 809. illam additionem non improbaſſet .

RESPONDEO ex *Pagi* an. 809. n. VII. Pontifex non abſolutè reprobavit additionem hanc , ſed moleſtè illam ferebat . *Finis diſputationis* , verba laudati auctoris , *hic fuit . Symbolum cum additamento FILIOQUE , quod ei Romana Eccleſia nondum inſeruerat , a Francis decantari moleſtè ferebat Leo ; tamen id deinceps fieri non prohibuit abſolutè , ſed rogavit hanc in Palatio , ſive in Regia Capella conſuetudinem intermitti , ratus fore , ut morem Palatii lubenter omnis ſequeretur Francia .* Ratio eſt ; quia ſicut Pontifex antiquitatis tenaciſſimus , & ne Græcos alienaret , voluit tranſcribi Symbolum abſque additione : ita & eâdem causâ aliqualiter repugnaverit circa additionem recitandam a Francis in Symbolo ; quamvis illam permiſerit .

Pontifex non abſolutè reprobavit talē additionem.

DICES . Supradicta non ſubſiſtunt ; nam Pontifex Legatis adducentibus conſuetudinem canendi Symbolum cum illa additione , talem additionem vocavit illicitam : *tamen illicita cantandi conſuetudo ſine cujuſque Fidei læſione tollatur* . Si permiſiſſet , porrò non dixiſſet illicitam .

RESPONDEO . Illam dixit illicitam , non quia illicitè factam ; ſed quia recedebant Franci a conſuetudine Eccleſiæ Romanæ . Etenim ipſa non erat in uſu , ut in Symbolo caneretur : quod paolò antè explicuit Pontifex per ea verba ; *quia in noſtra Sancta Eccleſia non cantatur* , apud *Baronium* ann. 809. n. LXXVI . En quomodo dicebatur illicita illa conſuetudo ?

229 Reſtat unum , ut expendamus , an In ſeptima Synodo nempe in Nicæno ſecondo

An fortè ea additio facta in ſeptima Synodo?

contigerit hæc additio. Communiter affirmant Doctores, ſed difficulter probant. Non enim aliter probatur, niſi quia in Florentino ſeſſ. 5. Latini Codicem protulerunt vetuſtiſſimum, ubi definitum a Nicæno Concilio legebatur, Spiritum Sanctum a Filio procedere. Ejus Codicis meminere *Julianus* Cardinalis, *Andreas Rhodienſis*, *Leo Allatius*, *Martinus Polonus* in Chronico. At Græci negantes eum Codicem inter legitimos haberi, ad fabulas rejiciebant, Latinoſque falſimonii auctores criminabantur. Aliqui ex noſtris dubitabundi ajunt in Symbolo Nicæno minimè reperiri; quamvis ea additio lecta ſit in epiſtola *Tharaſii*. Sed hæc diſtinctio eſt evanida; nam Patres Florentini Nicænam definitionem afferebant, ut quoquam Græcos certo monumento impugnarent. Ex epiſtola *Tharaſii* nil eruitur certi; in ea quippe non adhibetur particola *ex*, ſed particula *per*: quod licèt idem ſignificet, a Græcis tamen non admittebatur; ac propterea illius epiſtolæ doctrina Latinis non favebat, immo potiùs erat noxia. Verebantur enim, ne ſi particolam *per* admitterent, ſub ea fraus lateret, quaſi verò Spiritus Sanctus per canalem, & inſtrumentum procederet. Quomodo illa igitur epiſtola ſtabilire poterat dogma proceſſionis Spiritus Sancti a Filio? Deinde ſeſs. 5. Florentini Patres aſſerunt in profeſſione Fidei, & definitione ſeptimæ Synodi doctrinam proceſſionis reperiri non in epiſtola *Tharaſii*. Quare vel dicendum cum Græcis Nicænum circa hoc nihil ſtatuiſſe, vel Codicem illum propriam Nicænorum Patrum mentem continere: quod probabilius videtur. Non enim credibile eſt Patres in Florentino afferre voluiſſe vel dubium aliquid, vel falſum in noſtræ veritatis oſtenſionem.

Photius approbat ſeptimam Synodū fraudolenter.

230 DICES. Si Nicænum proceſſionem Spiritus Sancti a Filio definivit; quomodo igitur *Photius* ſeptimam Synodum approbat?

RESPONDETUR: eodem modo approbavit ſeptimam Synodum, quo in Pſeudoſynodo octava Romani Pontificis doctrinam protulit, textibus videlicet per ſummam fraudem corruptis.

Damaſcenus vixit ante VII. Synodum.

231 DICES 2. Quomodo ergo potuit *Joannes Damaſcenus* lib. primo de Fide cap. 11. negare proceſſionem a Filio, ſi tempore Nicænæ Synodi inter vivos agebat? RESP. 1. Proceſſio a Filio ſaltem clarè non negatur a *Damaſceno*. 2. Incertum eſt, an tempore Concilii viveret; floruit ſiquidem ſub *Leone* III., ùt conſtat orat. 2. de cultu Imaginum; ſeptima autem Synodus celebrata fuit poſt 48. annos. 3. Libros de Fide ſcripſit ante Nicænum: quod colligitur ex act. 6. ejuſdem ſeptimæ Synodi, & in ejus ſcriptis non habetur citatio, niſi uſque ad ſextam Synodum.

§. SECUNDUS.

COROLLARIUM II.

VINDICATUR SYMBOLUM ATHANASII.

232 V*Alentinus Gentilis* Neapolitanus, *Michael Servetus* Hiſpanus Trinitariorum duces negant Symbolum, quod *Athanaſii* vocamus, quodque toties in his Controverſiis citatum eſt, cujus ea doctrina tot errores contra Trinitatem, & Incarnationem exortos condemnaverunt Concilia. Objiciuntur itaque plura ad infringendam ejus Symboli auctoritatem, quibus occorrere jubet hoc loco, ſtatuens pro coronide theſium contra primum Græcorum errorem, & neotericos etiam pleroſque, id eſſe genuinum opus S. *Athanaſii*.

Decretum Eugenii IV. pro Symbolo Athanaſii.

233 Atque in primis omitto auctoritatem Eccleſiæ, quæ ſemper tale Symbolum *Athanaſio* attribuit, nec ſine gravi fundamento hactenus conſtantiſſimè retinuiſſet, & approbaſſet. Satis ſit auctoritas Decreti, ſive Concilii Florentini, ſive *Eugenii* IV., in quo traditur inſtructio pro Armenis, etiam ab Orientalibus approbata, in qua ſexto loco traditur hoc Symbolum tanquam Athanaſii: *Sexto compendioſam Fidei regulam per Beatiſſimum Athanaſium editam, ipſi prebemus Oratoribus, cujus tenor talis eſt: Quicunque vult ſalvus eſſe* &c. Et nota verbis æquè abſolutis dici *Athanaſii* Symbolum, ſicut antea dixerat Symbolum Conſtantinopolitanum. Porrò auſi neutiquam fuiſſent Patres, ſive Pontifex tam aſſeveranter illud *Athanaſio* tribuere, niſi ſolidiſſimè conſtitiſſet de ipſius auctore; & eò maximè, quòd *Athanaſii* nomine, mens erat confirmare antiquitatem, ac venerationem myſteriorum Fidei, quæ ibi continentur, & a Græcis ſchiſmaticis, Armenis, & Jacobitis impetita fuerant, & controverſa. Contendebatur laudatâ auctoris Græci doctrinâ, animos demulcere, ac conciliare: quem ad finem parùm conduceret traditio Symboli auctoris maximè Latini.

Concil. Auguſtodonenſe anno 670.

234 Accedit auctoritas Concilii Auguſtodunenſis in Gallia coacti ſub annum 670.: ubi præſcribitur ab Epiſcopo damnandum eſſe Presbyterum, Diaconum &c., qui *Symbolum, quod Sancto inſpirante Spiritu Apoſtoli tradiderunt, & fidem S. Athanaſii Præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit*. Fides autem *Athanaſii* profectò nequit eſſe alia, quàm quæ expreſſa eſt in Symbolo.

235 Item auctoritas Concilii Toletani IV. anno 633. In expoſitione Fidei, ubi propoſitiones aliquot ab hoc Symbolo decerptæ ſatis apparent.

Apocryſiarii, ſeu Legati Gregorii IX. pro Symbolo Athanaſii.

236 Itidem auctoritas Apocryſiariorum *Gregorii* IX., qui Conſtantinopolim, ut Spiritus Sancti ab utroque proceſſionem ſtabilirent, acceſsére. Hi namque eundem articulum probaturi, adduxerunt *Athanaſii* Symbolum, inſtar validiſſimi argumenti. Quonam modo Symbolum, ùt *Athanaſii*, allegaſſent, ſi incertus apud eos fuiſſet auctor? Nonne potuiſſent Adverſarii in Græcorum Patrum lectione apprimè verſati, allegata rejicere

tanquam

tanquam commentitia? Neque ego facilè exiſtimem fuiſſe futurum, ut viri doctiſſimi, qui tum eò miſſi ſunt, *Rodulphus* ſcilicet, & *Aymus* Minoritæ, *Petrus*, & *Hugo* Dominicani, coram Græcis eruditiſſimia nomen Athanaſii adducerent; niſi eundem certò ſciviſſent auctorem Symboli.

Schiſmatici admittunt Symbolum, ſed dicunt in ebrietate compoſitum.

237 Additur etiam auctoritas Græcorum Schiſmaticorum, qui ultro fatentur laudatum Symbolum, Athanaſii marte fuiſſe compactum, ſed ipſo auctore temulento, & in ebrietate demerſo. Quam ob blaſphemiam *Gennadius* Conſtantinopolitanus Patriarcha, vulgò *Scholarius* lib. defenſ. quinque Capitulorum Concilii Florentini in defenſione primi ſect. 6., quæ eſt de proceſſione Spiritus Sancti, poſtquam citavit Athanaſii Symbolum, exclamat: *O tuam patientiam Chriſte Rex! Quomodo blaſphemantium ora non comburuntur! Athanaſium dicere non verentur ebrium fuiſſe, & vino oppletum, quando hæc ſcripſit: verè erat plenus ſpiritualis poculi ſapientiæ, & gratiæ ex Spiritus Sancti fonte ſcaturientis, non ùt hi miſerabiles dicunt.*

238 *Genebrardus* lib. 3. de Trinit. Symbolum hoc ab Athanaſio elucubratum, & proceſſionem Spiritus Sancti ab utroque evincit, allegans *Belbetium* Pariſienſem virum Theologum, qui librum edidit de Symbolis, & ſecundo loco innectit Symbolum Athanaſianum. Narrat *Lazara Bauſſio* Franciſci I. Galliarum Regi apud Venetos Legato delatum fuiſſe libellum, quem eleganter ſcripſerat *Nicolaus Sophienus* vir doctiſſimus; quo in libello Spiritus Sancti proceſſionem ex Athanaſiano Symbolo, quod ejuſdem eſſe affirmat, oſtendit.

Ex manuſcriptis roboratur traditio.

239 Traditioni robur accedit ex perveuſta manu exaratis Codicibus, qui ſub Athanaſii nomine exhibent idem Symbolom: uti Codex Bibliothecæ Vaticanæ, Codex Sfortianæ græcè ſcriptus, & a *Voſſio Ortodoxo* interprete latinitati donatus. Codex Germanenſis Cœnobii Lutetiæ Pariſiorum. Codex iſte agens de Synodis refert hoc Symbolom eſſe Athanaſii, & ab eo compoſitum, cùm Treviris exolaret. Hoc idem aſſerit *Nauclerus* nona ætate ſuæ Cronologiæ.

240 *Gullielmus Durandus* lib. 5. cap. 5. de Divinis Officiis ait, *ex primoria Eccleſia conſtitutum fieri, ut ad primum Symbolum Athanaſianum aliquando cantetur, nempe Dominicis, aliquando minime, hoc eſt reliquis diebus.*

Oſtenditur veritas ex Nazianzeno

241 Probatur aſſerta veritas ea *Gregorii Nazianzeni* teſtimonio, qui orat. 21., quæ eſt de laudibus ipſius Athanaſii, fatetur Sanctom Antiſtitem edidiſſe Fidei confeſſionem, quam Oriens, & Occidens venerantur. *Imperatori*, ſcilicet Joviniano, *donum verè regium, & magnificum obtuliſſe, ſcriptam nimirum Fidei confeſſionem.* Hæc confeſſio non eſt epiſtola Synodica, quam eidem Imperatori tranſmiſit; ſcripta enim erat nomine Epiſcoporum Ægypti, Thebaidos, ac Lytiarum, & propterea non eſt propria ipſius Athanaſii, ſed plurium Epiſcoporum. Multò minus Fides ibi recitata; ſiquidem eſt Symbolum idem Nicænum, quod nullo modo dici poteſt Athanaſii.

Quòd autem *Nazianzenus* loquatur de Symbolo Athanaſii, liquidò conſtat ex *Demetrio Cydon* Conſtantinopolitano lib. de proceſſione Spiritus Sancti cap. 6. *Athanaſius in confeſſione Fidei ad Julium Papam, cujus etiam Gregorius Theologus in encomiaſtica oratione mentionem facit, inquiens. Audet fiducia accepta veritatem in ſcriptis fateri unam trium eſſe ſubſtantiam, ait, Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, Deus, & homo eſt; Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, & homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus.*

Idem aſſerit *Genebrardus* Theologus Pariſienſis vir probatæ eruditionis. Ejuſdem ſententiæ eſt *Jacobus Billius* Abbas S. Michaelis, vir linguarum, & Sanctorum Patrum lectione egregius.

Auctoritas Athanaſii apud Auguſtinum.

242 In *Auguſtino* verſati varias animadvertunt propoſitiones ex hoc Symbolo. Prima habetur lib. 5. de Trinitate cap. 8. *Itaque Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus; & tamen non tres Omnipotentes, ſed unus Omnipotens.* Secunda in Enchiridion cap. 36. *Quemadmodum quilibet homo eſt una Perſona, veluti anima rationalis, & caro: ita & Chriſtus eſt una Perſona, Deus, & homo*: & alibi.

243 Probatur ultimò ex D. *Thoma* 2. 2. p. 1. art. 10. ad 3. *Athanaſius non compoſuit manifeſtationem Fidei per modum Symboli, ſed per modum cujuſdam doctrinæ. Sed quia integram Fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate Summi Pontificis eſt recepta, ut quaſi Fidei regula habeatur*: & alibi.

244 OBJICIES 1. Diſcrepant Auctores, qui Symbolum Athanaſio adjudicant, quonam loco, quove fuerit tempore editum. Siquidem nonnulli dictitant in puteo Trevirenſi poſitum; ſed fabolæ proximius eſt, quàm hiſtoriæ, ibi in puteo exulem latitaſſet; eò enim non tam in exilium miſſus, qoam in locum refugii fuerat Athanaſius, propter Arianorum furorem; ibique perbenignè a *Maximino* illius Urbis Epiſcopo exceptus eſt. Aliis ſtat ſententia, Romæ dum apud *Julium* accuſaretur, compoſuiſſe, & obtuliſſe eam propriæ manifeſtationem Fidei. Sed hæc quoque opinio non arridet; quoniam Sanctus Epiſcopus non Fidei crimine fuit accerſitus, immò calumniatores communionem in Fide, ſimulantes enormia Athanaſio flagitia apud Papam affinxere.

Argumentum hoc, cui multum fidit *Natalis Alexander*, ſolvo ex ejuſdem doctrina *diſſert. XI. ſæculi primi*, ubi Symbolum tutatur Apoſtolorum ab ipſis fuiſſe compoſitum, ſibimet qoartum obtrudit Hæreticorum argumentum, ſcilicet diſſenſionem inter Auctores Catholicos de tempore, quo Symbolum fuerit ab Apoſtolis editom: mox refellit objectam inaniſſimam rationem ſic. *Quid refert ad rei veritatem, quo tempore facta ſit? Retorqueatur argumentum contra Hæreticos; ipſi enim non conveniunt de tempore, quo ab Eccleſia Romana editum eſt, ùt ipſi contendunt. Alii enim quarto ſæculo: alii quinto conditum volunt: alii ab iis ipſis, qui Canones Apoſtolorum conſcripſere.* Haud aliter idem telum reddit contra negantes Athanaſianum Symbolum; inter quos agitator ejus concinnator.

Adverſarii non conveniunt de auctore Symboli.

Alii rem dant *Euſebio* Vercellenſi, plerique *Anaſtaſio Sinaita*: nonnulli *Gallo* cuidam anonymo

nymo ætate *Pipini*, vel *Caroli* proceſſio Spiritus Sancti in ſummam diſputationem venit. Non deſunt, qui *Vigilio Japſenſi* in Africa Epiſcopo tribuant eum Quenelio *diſſert.* 14. *in opera Leonis*; ea ducti ratione, quòd alios item libros ediderit ſub nomine antiquorum Patrum, & ſignanter *Athanaſii*, ut apud Hæreticos doctrinæ auctoritatem conciliaret. Veruntamen hæc conjectura facilè diſflatur. Vir emunctæ naris, & veritatis zelator ab omni mendacio abſtinet. Neque hoc erat opportuuum firmandæ, ſed potiùs infringendæ veritati; hæreticis enim perfacilè erat mendacium detegere circa auctorem, & doctrinam rejicere, ſicut in Hetruria paucis ab hinc annis evenit. Oblatus cuidam Magnati Lutherano fuit liber contra Lutheri errores: is cùm pauca delibaſſet, aliquid falſum deprehendit in materia facti, rejectoque libro, credere, inquit, minimè poſſum vera proferri circa doctrinam, ſi mentitur circa facta. Sive ergo Treviris, ſive Romæ, ſive alibi editum fuerit Symbolum, nullo modo infirmatur opinio de Athanaſiano Symbolo. Treviris ſcribere potuit, aut delitescens, aut honorificè habitus, aut contemptus. Potuit Romæ, non ut depelleret hæreſis crimen, ſed ut instructionem fortè conderet pro ſua Diœceſi, & Ægyptiis Monachis.

245 OBJIC. 2. Neque Patres Concilii Chalcedonenſis, neque S. *Leo* allegat illud Symbolum; utvis in eo contineatur clara impugnatio hæreſis Eutichianæ de una in Chriſto natura.

RESPONDEO ex doctrina *Natalis Alexandri* contra eundem. Tuetur ipſe ut legitimos *Dionyſii* libros de divinis nominibus. Quibuſdam enim negantibus eos libros nuſquam citari a Patribus primorum quatuor ſeculorum, quando optimus fuiſſet uſus contra eorum temporum hæreſes, quas *Dionyſius* fortiter evertit, reſpondet *Alexander* non in manus omnium deveniſſe eos Codices, nec ea tempeſtate invaluiſſe morem citandi Patres, ſed Scripturas. Hæc ſunt Natalis verba ſeculo I. diſſert. 22. *Vix allat in medium proferebant auctores ad ſacrorum dogmatum confirmationem, niſi id Hæreticorum pertinacia ab ipſis extorqueret, immo adverſus Fidei hoſtes ex ſolis divinarum ſcripturarum teſtimoniis certamen inſtruebant.* Deinde egregiè defendit idem Doctor *Alexander* S. PETRUM Romæ fuiſſe, ibique commoratum circiter viginti quinque annos. Objiciunt Sectarii *Lucam* in actis nullam de hoc injeciſſe mentionem; attamen tranſcribere debuiſſet, quando Acta Apoſtolorum enarrat, cùm aliàs adventus S. Petri Romam, ejuſque Epiſcopatus ſint Summi momenti. Præterea *Paulus* ſcribens ad Romanos ipſum ſalutare Petrum debuiſſet, dum alios ſalutet. *Reſpondet Natalis* argumentum eſſe negativum: *Lucam* haud omnia Apoſtolorum Acta ad ſcribendum ſumpſiſſe. Nec aliter in noſtro caſu argumentum negativum quid concludit? Patres Concilii Chalcedonenſis ſilent de Athanaſii Symbolo. Non omnia *Lucas* omnium Acta Apoſtolorum evulgavit. Longè minùs intererat allegare Symbolum Athanaſii, quàm adventum *Petri* Romam innuere; quod èt faciliùs poterat *Lucas*, dum eundem carcere exſolutum ediſſerat. Inſtatur ulterius contra eundem *Natalem*. Sentit ipſe auctorem Symboli fuiſſe *Vigilium* Japſenſem, qui ſub *Athanaſii* nomine, quarto exeunte ſeculo, illud concinnaverit. Ecur igitur ſilentio ante *Gregorium* IX. premitur, cùm tuendæ Sancti Spiritus proceſſioni tantopere profuiſſet? Argumentum idem urget eos fortiùs, qui rem ad *Euſebium* Vercellenſem Athanaſio coævum trahunt. Silentium ergo Patrum nihil negotii faceſſit. Dicendum igitur cum laudato Auctore diſſert. 22. *hæc argumenta, quæ ex Auctorum ſilentio repetuntur, nec niſi negativa probatione conſtant, ad veritatis fidem faciendam infirma vulgo ab eruditis exiſtimari.* Quòd autem nec Patres in Concilio, nec S. *Leo* de tali Symbolo nihil meminerint, plura afferri poſſent in cauſam. *Primò*, quòd etiamſi illa Fidei confeſſio eſſet celebris ſecundùm *Nazianzeni* teſtimonium; potuerint tamen abſcondi exemplaria, & dolo Hæreticorum, & temporum turbulentiſſimorum vitio. Neque miraculo vertas opera peculiaris cujuſquam Doctoris aliquandiu latitaſſe, *Auguſtino* epiſt. 110. de ſe ipſo teſtante, quòd factus Epiſcopus Nicæni Concilii Canones needum ſciret. *Secundò*. Etiamſi ad manus forent exemplaria, prudenter ſuppreſſa fuerint, ne rixæ moverentur propter ſpeciem Symboli, quod a privato homine componi tunc erat minùs conveniens. *Tertiò*. Alia loca ſuppetebant æquè clara ex *Athanaſio* præter Symbolum. Sic neque Chriſtus, neque Apoſtoli protulere textum Geneſ. cap. 49. verſ. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt*: non quòd prophetia hæc apprime non probaret contra Judæos, ſed quòd in promptu eſſent argumenta ad intentum ex eadem Scriptura. *Quartò*. In Conciliis mos erat ea loca proferendi, in quibus Patres aliquam interpretabantur Scripturam, cui potiſſimè innitebantur in diſputationibus, ùt ſupra vidimus ex P. Natali Alex. *Quintò*. In Conciliis paſſim reticentur alii Patres, quorum opera ſunt indubitata, immò èt idem *Athanaſius* ſilentio præteritur. Ubinam mentio epiſtolæ contra *Epictetum*, quæ genuina eſt etiam apud Adverſarios, licèt in illa expreſsè rejiciatur Hæreſis Eutichiana de una in Chriſto natura?

Argumentũ negativum, quanti ſit.

Auguſtinus factus Epiſcopus Canones Nicæni Concilii ignorabat.

246 OBJICIES 3. & eſt inſtantia contra dicta. Si verè opus *Athanaſii* fuiſſet genuinum, & tempore Concilii Chalcedonenſis extitiſſet, quamvis in Concilio nulla facta fuerit mentio, aliquis tamen ex Patribus illius operis meminiſſet. Sed nullus meminit; ergo Patres Concilii illud non protulerunt, quia de facto non extabat.

RESPONDEO. Jam vidimus ex P. *Natali* opera Dionyſii propugnantis ex Auctorum ſilentio nihil concludi. Item didicimus eos etiam, qui ſedulò incubuerunt ad colligendos Scriptores, ſicut *Euſebius*, & *Hieronymus*, non potuiſſe omnium collectionem facere. Neque urget *Hieronymus* in Cathalogo de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſilens de hoc opere *Athanaſii*, quandoquidem referat alia, nec referat omnia, ùt ex eodem ibidem patet. Poſtquam enim plura ejus opera memoraſſet, ſubdit,

Hieronymi *ſilentium non nocet.*

ſubdit, *& multa alia, quæ enumerare longum eſt*. Quamvis autem videatur debuiſſe iſtius Symboli, utpotè egregium foret documentum Fidei: meminiſſe, tamen in hoc imitatus eſt *Lucam*, qui in Apoſtolorum Acta nullam Symboli mentionem intulit, quamvis id eſſet Fidei regula. Præterea ibi S. *Hieronymus* neutiquam recenſet opera *Dionyſii Areopagitæ*; nihiloſeciùs ſi *Morinum* excipias, & *Launojum* ex Catholicis, ferè omnes illa *Dionyſio* adjudicant.

247 OBJICIES 4. Symbolnm ſi verè eſſet *Athanaſii*; cùm per id tempus orta via eſſet Eccleſia, ejus doctrina immatura videretur, & intempeſtiva.

RESPONDEO. Veritas, ùt dixi, non dependet a tempore: Sacra Scriptura antiquior eſt Athanaſiano Symbolo; attamen Athanaſii ibidem doctrina continetur, neque intempeſtivè primis Chriſtianæ Religionis germinibus fuit expoſita.

248 OBJICIES 5. Symbolum illud continet hæreſes poſt Athanaſium damnatas. Ergo ab illo non fuit compoſitum, ſed potiùs ab alio earumdem hæreſeum impugnatore. *Ant. oſtenditur* per ea verba. *Ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*; queis error *Apollinaris* impngnatur aſſerentis Verbum carnem aſſumpſiſſe ſine anima. Item per alia verba: *Non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus*, Neſtorius damnatur adſtruens duas in Chriſto Perſonas humanam, videlicet, & divinam. *Non converſione Divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate Perſonæ*. Hæc Eutichem feriunt aſſerentem unius converſionem naturæ in aliam. *Patris, & Filii una eſt Divinitas* &c. *Spiritus Sanctus a Patre, & Filio non factus* &c. Macedonii hæreſim infringunt. Planè hæc omnia videntur ſtudiosè eidem Symbolo inſita poſt Athanaſii deceſſum.

RESPONDEO iterum recurrendo ad *Natalis* doctrinam in ſolutione ſecundi argumenti, quod ſibi objicit ex Hæreticis diſſert. XI. de Symbolo Apoſtolorum. Inquiunt Sectarii ab Apoſtolis minimè conditum illud Symbolum, quodpotè non eſſet neceſſarium, cùm nullæ tunc inſurrexiſſent hæreſes. Cui egregiè reponit aliquos tunc extitiſſe Hæreticos, puta Ebionitas, Simoniacos, & Cherintianos; deinde, *quamvis nulli fuiſſent Hæretici Apoſtolicis temporibus, non ſequitur Apoſtolos non edidiſſe Symbolum, quia Fidei, & Eccleſiæ in futurum conſulere debebant*. Haud aliter D. *Athanaſii* ætas aliquos Hæreticos tulit, puta Samoſatenos, Apollinariſtas, Arianos, a quibus jacta ſunt fundamenta Neſtorianiſmi, Macedonianiſmi, aliorumque id genus. At licèt nulli extitiſſent, cavendum erat in poſterum. Sicuti per Apoſtolos proviſum eſt Eccleſiæ in futurum: ita per SS. Patres inſurrecturis hæreſibus occurſum eſt: *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii*, explicat Auguſtinus: *Pro Apoſtolis dati ſunt Epiſcopi*: & Apoſtolus docet, quòd *dedit Deus quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ne circumferamur omni vento doctrinæ*: ad Epheſios 4. Quonam modò ex antiquis Patribus, ad quos paſſim confugiunt

Doctrina Patrum ordinatur ad evertendas futuras Hæreſes.

Hæretici, confutabimus errores de novo gliſcentes, ſi dumtaxat ſcribunt contra Hæreſes jam exortas? In hoc ergo elucet divina providentia circa Eccleſiam, quam ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ſtatuit. Primis Eccleſiæ Magiſtris Deus Scripturæ intelligentiam indidit, doctrinam inſpiravit, quæ hæreticam luem in ſemine præſocaret.

Divina providentia circa Eccleſiam.

Sed ut ad rem propriùs accedam, dico: S. *Athanaſius* non ſolùm futuris hæreſibus occurrere voluit in Symbolo, verùm etiam pluribus aliis in locis v. g. Schiſmaticorum doctrinam de Spiritus Sancti proceſſione a ſolo Patre evertit Orat. 4. contra Arianos; oratione in Concilium Nicænum; epiſtola ad Serapionem, & alibi. Hæreſim Macedonii vexat epiſt. 2. ad eundem Serapionem. Eutichen retundit in epiſt. ad Epictetum, cujus auctoritas allegatur in Concilio Hiſpalenſi. Neſtorium in tract. de Chriſti nativitate, in expoſitione Fidei, & in Orat. de Incarnatione Verbi Dei contra Paulum Samoſatenum, atque utrumque iiſdem ferè verbis, ac in Symbolo refutat. *Homo verò unа Perſona, & unum animal eſt a Spiritu, & carne, ad cujus ſimilitudinem intelligendum eſt Chriſtum unum, non duas Perſonas eſſe*; & infra: *Nos igitur Dominum noſtrum ſpiritu quidem Deum, carne verò hominem eſſe confitemur*; ſed licèt pro una Chriſti Perſona contra Neſtorium, & pro duabus in Chriſto naturis contra Eutichen in laudata oratione agat, ab Adverſariis admittitur, tanquam genuinum D. Athanaſii opus, utut Hæreſes ejuſmodi needum exortæ fuiſſent. Ergo etiam perperam neges id Symbolum ex Athanaſii penu depromptum; quamvis per ipſum elidantur plures needum exortæ hæreſes. Præterea *Hilarius* lib. 8. de Trinit. Berengarium exagitat negantem corpus Chriſti præſens in Euchariſtia; *de veritate carnis, & ſanguinis Chriſti non eſt relictus ambigendi locus*. Annon propterea Hilarius Berengarium præceſſit? *Ambroſius* lib. 4. de Sacramentis cap. 4. eundem errorem obruit, quamvis èt ipſe fuerit tempore anterior: *Panis eſt ante verba Sacramentorum: ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti*. Nullus autem ex Catholicis inficias ire auſit veros eſſe *Hilarii*, & *Ambroſii* Codices. *Secundò*, quidquid eſt in illo Symbolo totum eſt in Scripturis. Cur igitur non potuit Athanaſius, quæ ſupra didicerat in ſacris Codicibus, in unum compingere. *Tertiò*. Mens Athanaſii in ejus Symboli elucubratione non fuit hæreſes refellere, *ſed magis*, ùt loquitur D. Thomas, *per modum cujuſdam doctrinæ*. Cæterùm, quod Hæretici ſomniare potuerunt ad dubitandum, potuit divinare Athanaſius ad præcavendum.

Quæ ſunt in Symbolo reperiuntur in Scriptura.

249 INSTABIS. Plura in Symbolo reperire eſt, de quibus multa poſt ſecula dubitatum fuit, uti de corporum reſurrectione in propriis corporibus, de Chriſti deſcenſu ad Inferos, & de aliis dubiæ veritatis: ſi verò præceſſiſſet ea Athanaſii doctrina, omnis diſputationi aditus jamdudum fuiſſet præcluſus.

Reſpondeo: nihil ibi dubiæ Fidei continetur apud Catholicos; neque Eccleſia unquam de illis veritatibus anceps fuit. Hæreticos

Hæretici dubitant de Scripturis, & Patribus.

ticos fateor dubitaſſe; ſed quid inde? Scripturam, Patres, & integerrima quæque ipſi in dubium revocant, & ad pravum ſenſum detorquent. Nec adducta exempla aliquid evincunt; deſcenſus enim ad Inferos manifeſtatur in Apoſtolorum Symbolo, & carnis reſurrectio in propriis corporibus eſt Fidei dogma clarè in Scripturis, & Patribus declaratum; tametſi poſtmodum reducta in controverſiam audacter fuerint.

250 OBJIC. 6. Non eſt credibile *Athanaſium* aliquid docuiſſe Fidei contrarium. Sed in Symbolo laudato Fidei contraria habentur; ergo non eſt Athanaſii. *Minor declaratur*. Innocentius III. cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate concedit tres Perſonas Divinas eſſe tres conſubſtantiales, æternos, & omnipotentes: ſed hoc negatur in Symbolo: ergo. Secundò. Illa ſententia: *Sicut anima rationalis, & caro unus eſt homo: ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus*, eſt falſa; ex Deo ſiquidem, & homine non fit Chriſtus; aliter aſſumpſiſſet humanam ſubſiſtentiam. Homo namque eſt ſubſiſtens; Chriſtus ergo fit ex Divinitate, & humanitate. Tertiò. Illa verba: *aſſumptione humanitatis in Deum*, manifeſtum errorem involvunt. Nam unio facta eſt in ſubſiſtentia divina; quare dici nequit humanitas aſſumpta in Deum; nam ſignificat unionem factam immediatè in divina natura.

RESPONDEO *nego min.* Ad probationem dico, modum loquendi *Athanaſii* reperiri apud alios Sanctos Patres, ùt apud S. *Ignatium* ad Philadelphios, ubi negat dicendos tres increatos, apud *Auguſtinum* lib. 5. de Trinitate cap. 8. *Non tamen tres Omnipotentes, ſed unus Omnipotens*. Locutiones *Innocentii* in plurali extant quoque apud Patres, ut apud D. *Hilarium* lib. 2. de Trinitate, qui Patrem, & Filium vocat Auctores Spiritus Sancti; ſed neuter modus dicendi Fidei repugnat, quia in aliquo verò ſenſu ſubſiſtit verbum *procedit*. Ad cujus intelligentiam noto doctrinam D. *Thomæ* 1. p. q. 36. art. 4. dupliciter prædicatum poſſe dici de ſubjecto, adjectivè, & ſubſtantivè: primo modo fit prædicatio, cum res affirmatur de ſubjecto per modum adjacentis, unde, ſi ſubjecta ſint plura, pluraliter dicitur. Subſtantivè fit prædicatio, cum res affirmatur per modum per ſe ſtantis: ſi res una ſit, licèt ſubjecta ſint plura, in ſingulari dicitur. *Ad objectionem igitur*: Innocentius adjectivè loquitur, *Athanaſius* ſubſtantivè, & iſte modus eſt congruentior, & tutior: alter verò malæ etiam obnoxius eſt interpretationi. Una eſt Dei eſſentia: una eſt indiviſibilis Omnipotentia, quâ Perſonæ operantur ad extra; & ideo ſubſtantiva locutio eſt melior. *Ad ſecundam probationem dico*, Athanaſium eo velle exemplo demonſtrare veram, & phyſicam unionem inter divinam naturam, & humanam; quemadmodum vera unio eſt inter corpus, & animam; propterea loquitur in concreto; nam in abſtracto non datur unio. Eundem ſenſum habet illud, *aſſumptione humanitatis in Deum*. Non enim unio facta fuit immediatè in divina natura, ſed ita loquitur, ut exprimat unionem cum Perſona Verbi, quod eſt Deus.

Locutiones Symboli reperiuntur etiã apud alios Patres.

251 OBJIC. 7. D. *Athanaſius* in epiſtola ad Antiochenſes alienum ſe fuiſſe profitetur a condenda nova Fidei formula, cùm abſolutiſſimum eſſet Nicænum Symbolum. Ergo ipſe non condidit illud Symbolum, quod ſub *Athanaſii* nomine circumfertur.

RESPONDEO ùt ſupra ex D. Thoma. *Athanaſius non compoſuit manifeſtationem Fidei per modum Symboli, ſed magis per modum cujuſdam doctrinæ, ùt ex ipſo loquendi modo apparet; ſed quia integram Fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate Summi Pontificis eſt recepta, ut quaſi Fidei regula habeatur*. Non igitur novam Fidei normam edidit *Athanaſius*, ut auſi ſunt Ariani, ſed Scripturæ doctrinam in unum recollegit.

Symbolum Athanaſii eſt per modum doctrinæ.

252 OBJIC. 8. Doctorem Latinum redolet ſtylus, quem haud facilè didicerit *Athanaſius* ætate gravis, & curis diſtractus graviſſimis; nec erat neceſſitas ediſcendi latini idiomatis, cùm iret agens in Occidente, in promptu haberet interpretes viros latinos; qui ſcirent græcè. Deinde latinè ſcribenti aliquis Græciſmus irrepſiſſet, cùm tamen nullus appareat.

RESPONDEO. Apud omnes in confeſſo eſt, eundem poſſe auctorem duo callere idiomata, & argumento ſtylum coaptare. Fortè etiam Athanaſius Symbolum ſcripſerit græcè, quod poſtmodum latinè quiſquam reddiderit. Præterquamquod virum acri ingenio præditum facilè credo latinas litteras didiciſſe ab ungue tenero, eaſque excoluiſſe frequenti lectione, & uſu, cùm biennium Treveris, Romæ triennium, ac deinde apud nos Mediolani fuerit, & Aquileæ; verſatuſque ſit inter Græcorum frequentiſſimos, ac Latinorum conventus in cauſa Fidei, ubi non omnia fidere interpreti debuiſſet. Demùm inſtatur adverſariis, qui argumento *Natalis Alexandri* quicquam deferunt. In Gallia, Treveris, Romæ aderant viri Latini græcè loquentes, qui *Athanaſio* neceſſaria explicarent. Cur non èt Antiochiæ, Alexandriæ, Seleuciæ &c. Græci extiterint, qui latinitatem apprimè noſſent? Cur ex iis unus aliquis eſſe non potuit *Athanaſio*? Immo ipſum fuiſſe *Marcellinus*, & *Fauſtinus* Presbyteri antiquiſſimi in ſuo libello precum apertè teſtantur, atq; ab ipſo in græcam linguam translatos *Luciferi* Calaritani Epiſcopi libros affirmant. Cùmque concordes Latini Codices, Græci reperiantur diſcordes, inferendum videtur Symbolum latinè fuiſſe conſcriptum. Ne verò græciſmus irreperet, obſtitit ejus diligentia, qui vel ex græco latinum effecerit, vel ipſum *Athanaſium* in ſcribendo adjuverit; ſi tamen adjutore opus habuiſſe dicendus eſt *Athanaſius* in tantilla elucubratione, quæ ipſum Doctorem non admodum diſtraheret a ſuo munere.

253 Stet igitur Symbolum hoc genuinum S. *Athanaſii* opus eſſe. Cùm per tot ſecula poſſeſſio obtineat pro *Athanaſio*; abſque evidenti ratione, quæ necdum ab adverſariis adducitur, a poſſeſſione amoveri non eſt fas. Quinimmo juxta regulam juris, poſſeſſio ipſa eſt quoddam jus legitimum poſſidendi; neque propter rationem dubiam a poſſeſſione certa quiſquam debet everti. Eſt enim contra naturæ lumen; & omnia rerum dominia ſuſdeque jactarentur.

Jus poſſeſſorum non debet tolli abſque evidenti ratione.

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS.

DE PURGATORIO.

PROŒMIUM.

QUamvis Græca Eccleſia Purgatorii exiſtentiam non negaverit abſolutè ; **A** gravis tamen contra ipſam urget ſuſpicio. In Concilio ſiquidem Florentino, in quo contra Græcos actum eſt, hæc hæreſis damnata fuit, & D. *Thomas* in Opuſculo contra eoſdem de hoc errore agit : expreſsè tamen plures Schiſmatici veritatem hanc infringere ſunt adnixi, inter quos *Marcus Epheſius*, *Barlaamas Monachus*, *Nilus Theſſalonicenſis*, *Joſeph Breſennius*, *Meletius Alexandrinus*, *Pachomius Monachus*, *Gabriel Severus Philadelphienſis*, & alii. **B** Inter Orientales Schiſmaticis adhæſerunt Armeniorum Pſeudomagiſtri, præſertim *Vaonarbaous* tract. de loco animarum, ubi docet, Purgatorium aſſerentea, Platonicam de corpore in corpus tranſmigrationem admittere. *Vartaaus* in confutatione Epiſt. Rom. Pontif. num. 14. in monitis ad Armenios cap. 5.. *Gregorius Battavienſis* libro, cui titulus *Interrogatio*. Verùm non omnes idem ſentiunt ; **C** plures Purgatorium abſolutè inficiati, credunt ante ultimum Judicii diem, nullam quantumvis peſſimum ad Inferos detrudi, nullum ulibet ſanctiſſimum in æternam gloriam aſſumi. Sed de hac hæreſi in ſequenti diſputatione. Alii denique Purgatorium abſolutè confitentes, negant animas Juſtorum per ignem torqueri ; & hæc inter Pſeudocatholicos Orientales frequentior eſt opinio.

Auctores Græci, qui negant Purgatorium.

Armeni adhæſerunt Græcis.

Nec in Occidentali Eccleſia Eterodoxi defuerunt, qui Purgatorii veritatem laceſſerent. **D** *VValdenſes* apud D. Antoninum 4. p. tit. 10. cap. 7. §. 2. *Summæ Theolog.* propalam Purgatorium deſtruunt. *Apoſtolici* apud D. Bernardum Serm. 66. in Cant. *Henricus*, & *Petrus Bruis* apud eundem epiſt. 240. *Albigenſes* apud ipſum Antoninum citato loco §. 2. *Lutherus* in diſputatione Lipſica admittit quidem Purgatorium, ſed pluribus infartam mendaciis doctrinam perhibet, de quibus infra. Libro tamen de abroganda Miſſa privata, & libro de Euchariſtia ad Waldenſes Purgatorium de medio tollit : **A** cujus erronea veſtigia ponè leguntur *Lutherani rigidi*, ut Centuriatores cent. 1. lib. 2. cap 4. col. 460. & alibi. *Lutherani molles*, ut *Philippus* in locis cap. de Satisfactione. *Brentius* in Confeſs. Wirtembergʼ. cap. de Purgatorio. *Calvinus* lib. 3. Inſtit. cap. 5. §. 6. & 10. blaſphematur : *Purgatorium exitiale Satanæ eſſe commentum, quod Chriſti Crucem evacuat, quod contumeliam Dei Miſericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem noſtram labefacit, & evertit . . . . . Cum mihi*, ſubdit, *objiciunt Adverſarii, ante mille, &* **B** *trecentos annos, uſu receptum fuiſſe, ut precationes fierent pro defunctis, eos viciſſim interrogo, qua revelatione, quo exemplo factum ? . . . . Atque ipſi etiam Veteres, qui preces fundebant pro mortuis ex mandato Dei, & legitimo hi ſe deſtitutè videbant. Cur ergo audebant : in eo dico aliquid humani paſſos eſſe, ideoque ad imitationem trahendum non eſſe contendo, quod fecerunt. Certè quiſquis mediocri prudentia pollet, facilè agnoſcit, quidquid de hoc re legitur apud Veteres, publico mori, & imperitia vulgi fuiſſe datum. Abrepti* **C** *etiam ipſi, fateor, in errorem fuerunt ; namque ut inconſiderata credulitas privare judicio ſolet hominum mentes.* Hæc Blaſphemus ; cui accedunt *Petrus Martyr* in cap. 3. primæ ad Cor. negans Purgatorium eſſe Fidei dogma, *Anabaptiſtæ*, denique Trinitarii lib. 2. cap. 1. ex iis, quæ ediderunt anno 1567., *Luthero* conſentiunt.

Lutherus cū Lutheranis rigidis, & mollibus negat Purgatorium.

Hujus hæreſis nuncupatur Princeps *Aërius*, qui teſte *Auguſtino* hær. 50. *Cùm eſſet Presbyter doluiſſe fertur, quòd Epiſcopus non potuit ordinari, &* **D** *in Arrianorum hæreſim lapſus, propria quoque dogmata addidiſſe nonnulla, dicens orare, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere.* Contra omnes ſtat Catholica veritas ſupra firmam petram poſita, quæ ut dilucidè examinetur, in plures dividenda eſt Partes. Prima aget de exiſtentia Purgatorii : altera de pœnis, quibus torquentur Animæ : tertia de ſtatu purgantium : quarta de remedio pœnarum, ubi etiam de Indulgentiis : quinta, & ultima de Corporum Sepultura.

Aërius primus contra Purgatorium inſurgit.

I PARS

PARS PRIMA.

DE EXISTENTIA PURGATORII.

CONTROVERSIA I.

AN EX REATU POENÆ ARGUATUR PURGATORIUM.

Nomen Purgatorii non reperitur in Scripturis.

Quid intelligatur nomine Purgatorii.

1 Acatholici, qui contra Purgatorium ultimis temporibus inſurrexerunt, in diſputationis exordio de Purgatorii nomine in diſpares ſententias abripiuntur exclamantes, doctrinam de Purgatorio ab Eccleſia eliminandam; quia nullibi in Scripturis hujuſmodi vocabulum occurrat. Sed non vacat circa nomen tempus cum ipſis terere; neque enim propterea exſufflentur Trinitatis, atque Incarnationis myſteria, quòd ea vocabula in Scripturis deſiderentur. Quoniam verò ad eludendam argumentorum vim Hæretici nominibus abutuntur; ideo explicem oportet, quid Purgatorii nomine intelligendum ſit. Igitur nomine Purgatorii locus ſubterraneus intelligitur, quo Juſtorum animæ detinentur, donec pœnam peccatis debitam exolvant, quibus dimiſsâ culpâ, plenè non ſatisfecerunt, quâ perſolutâ æternam poſſident felicitatem. Inquiritur ergo, an hujuſmodi locus habeatur.

Poſt peccatū remanet macula, reatus pœnæ, & ipſa pœna.

Dimiſſâ culpâ, tollitur reatus pœnæ æternæ.

Calvinus admittit obligationem pœnæ temporalis poſt peccatū ad emēdationem, & cautelam.

2 Inter potiſſima argumenta, quibus Purgatorii exiſtentiam probant Catholici, ex obligatione pœnæ illud deducitur, quæ ſæpè dimiſsâ culpâ, remanet, & hoc in prima Controverſia proponitur. Quæ ut fiat illuſtrior ad intelligendum, tria obiter cum Hæreticis ſuppono. *Primò* poſt patratum peccatum, & non dimiſſum, maculam, ſeu habitualem culpam remanere, in quacumque formalitate conſtituatur, reatum pœnæ, & ipſam pœnam. *Secundò* peccato lethali pœnam æternam deberi contra *Origenem*, qui omnes pœnas alterius vitæ poſuit purgatorias. Pœna verò æterna duplex eſt: altera damni, quæ conſiſtit in perpetua carentia beatificæ viſionis, de qua Paulus 1 ad Cor. 6. v. 9. *Iniqui Regnum Dei non poſſidebunt*: altera ſenſus, quæ principaliter infligitur per ignem, de qua Matth. 25. v. 41. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum*. Suppono tertiò, dimiſsâ culpâ, tolli reatum pœnæ æternæ; culpa enim mortalis aufertur per gratiam ſanctificantem: gratia ſiquidem ſanctificans eſt aqua ſaliens in vitam æternam, adeoque dignum reddens æternâ gloriâ; repugnat enim condignitas vitæ æternæ cum reatu æternæ pœnæ. Quæſtio igitur in hoc vertitur, an dimiſſo reatu pœnæ æternæ, remaneat obligatio pœnæ temporalis, non quidem ad emendationem, & cautelam, quod libenter admittit Calvinus *lib. 3. Inſtit. cap. 4. §. 31.*, ſed ad punitionem, & vindictam commiſſi peccati, quod Hæretici negant.

3 DICO igitur. Dimiſsâ culpâ aliquando remanet reatus pœnæ temporalis ad vindictam. Dixi *aliquando*; certum enim eſt in A ferventiſſimia, & extraordinariis converſionibus nullum pœnæ reatum remanere. Probatur *primò* Catholica veritas ex Scripturis. Mors, & plures hujus ſæculi calamitates ſunt pœna peccati originalis; ſed iſtæ remanent adhuc dimiſſo originali per Baptiſmum; ergo dimiſsâ culpâ remanet reatus pœnæ temporalis. *Minor habetur* Gen. 3. v. 17. *Quia comediſti de ligno, ex quo, præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo* &c. v. 16. *in dolore paries filios*: ad Rom. 5. verſ. 10. *Per unum hominem peccatum in Mundum intravit, & per peccatum mors*: circa Textum Geneſis B advertenda eſt illa cauſalis, *quia comediſti de ligno*; ſignificat enim hæc omnia infligi propter peccatum, adeoque in punitionem, maximè quod mors, aliique dolores quamplurimi ante rationis uſum pueris infliguntur, quibus nequeunt prodeſſe ad cautelam, & virtutis exercitium.

Mors, & calamitates ſunt pœna peccati originalis.

4 *Secundò*. David propter peccatum adulterii, & Uriæ homicidium punitus eſt tum morte filii ex Berſabea nati, tum crudeli Abſalonis perſecutione, & publicâ in uxoribus ignominiâ. Sed hæc paſſus eſt dimiſsâ jam C culpâ: ergo. Totus Sylogiſmus patet ex 2. Reg. 12. v. 13. *Dixit David ad Nathan: peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris. Veruntamen, quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, Filius, qui natus eſt tibi, morte morietur*: & infra: *Ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas* &c. quæ omnia evenerunt, ut conſtat 2. Reg. 16. Hic quoque notanda eſt cauſalis, *quoniam blaſphemare feciſti*, quæ cadit ſupra præteritum peccatum, adeoque in punitionem, D & non in puram cautelam pro futuro. Peccavit inſuper David ex ſuperbia, populum ſuum numerans. De peccato pœnitentiam egit: *Peccavi valde in hoc facto*. 2. Reg. 24. v. 10. remiſſionem peccati obtinuit; attamen per Prophetam Gad Dominus pœnam comminatus eſt, vel ſeptem annorum famem, vel trium menſium cædem, vel trium dierum peſtilentiam: quâ præoptatâ, ſeptuaginta virorum millia perierunt.

5 *Tertiò*. In Deſerto Sinai ob peccatum Idololatriæ Deus univerſæ gentis internecio- E nem intendebat. Exod. 32. v. 10. *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos*. Sed illis, adprecante Moyſe, Dominus pepercit: v. 14. *placatuſque eſt Dominus* cæſis triginta tribus millibus; pro reliquis, qui ſupererant, oravit iterum Moyſes v. 31. *aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*. Dimiſit Deus peccatum, ſed non ſine punitione poſt culpæ remiſſionem inflicta; ideoque ſubditur: *Tu autem vade, & duc Populum iſtum quò locutus ſum tibi; Angelus meus præcedet te. Ego autem in die*

ultio-

ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum. In die ultionis, inquit, ut intelligatur, quod remiſſâ culpâ remaneat pœna peccati, ratione cujus Deus ulciſcatur. Inſuper ex Populo Iſraelitico nullus præter Caleb, & Joſue, terram promiſſionis ingreſſus eſt in pœnam murmurationis contra Dominum. Num. 14. v. 28. *Vivo ego, ait Dominus . . . In ſolitudine hac jacebunt cadavera veſtra. Omnes, qui numerati eſtis a viginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram* &c. Sed incredibile eſt, omnes mortuos fuiſſe in peccato mortali; ergo credibile eſt, aliquos fuiſſe remiſſionem conſecutos. Sed hac etiam poſita remiſſione, in pœnam paſſi ſunt mortem temporalem; ergo dimiſsâ culpâ, remanet pœnæ temporalis obligatio.

6 *Quartò*. 3. Reg. 13. ver. 21. Propter inobedientiam contra Dei mandatum de non comedendo pane in terra Bethel, vir Propheta occiditur a Leone in via: *Quia non obediens fuiſti ori Domini*. Sed occiditur dimiſsâ culpâ (nam & priùs admonitus fuerat de crimine ab alio Propheta, & Leo ſtetit apud cadaver quaſi cuſtos; quòd & ſenex Propheta cum veneratione ſepelivit, voluitque cum eo, in eodem tumulo ſepeliri). Ergo.

7 *Quintò*. Moyſes in pœnam incredulitatis ad aquas contradictionis, morte præreptus, terram promiſſæ felicitatis aſſequi non potuit: Num. 20. v. 12. *Dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron: quia non credidiſtis mihi . . . . non introducetis hos Populos in terram, quam dabo eis*; Deut. 32. v. 48. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: aſcende in Montem iſtum . . . . & morere . . . . ſicut mortuus eſt Aaron Frater tuus . . . . quia prævaricati eſtis contra me, in medio Filiorum Iſrael*. Sed Moyſi dimiſſa fuerat culpa, & mortuus eſt in oſculo Domini. Ergo.

8 *Sextò*. Prov. 16. v. 6. habetur. *Miſericordiâ, & veritate redimitur iniquitas*. Sed Miſericordiâ redimitur iniquitas, cùm Deus elargiatur gratis donum juſtificationis. Ergo veritate redimitur mediâ pœnâ, qua ordinem juſtitiæ læſæ reparamus. Hinc Auguſt. in illo Pſal. 50. v. 8. *Veritatem dilexiſti*, habet: *Veritatem dilexiſti, ideſt impunita peccata eorum, etiam quibus ignoſcis, non dimiſiſti, ſic prærogaſti miſericordiam, ut ſervaret, & veritatem, ignoſcis confitenti, ignoſcis, ſed ſe ipſum punienti, ſic ſervatur miſericordia, & veritas*. Miſericordia, quâ homo liberatur: veritas, quia peccatum punitur; in quo *Auguſtini* diſcurſu D. *Thomæ* ratio continetur poſita 3. *parte quæſt.* 86. *art.* 4., & *prima ſecundæ quæſt.* 87 *art.* 4., quæ eſt hujuſmodi. In peccato mortali datur averſio a Deo tanquam bono incommutabili, & converſio ad bonum commutabile. Primum ſe habet per modum formalis in peccato, ſecundum per modum materialis. Ratio eſt; quia converſio ad bonum commutabile non eſt mortaliter peccaminoſa, ſed ſolùm quatenus eſt averſiva a Deo. Ratione primæ averſionis debetur pœna æterna; quia bonum incommutabile eſt infinitum. Ratione converſionis debetur pœna temporalis; quia bonum commutabile eſt finitum; inordinatio enim culpæ non tollitur, niſi reducatur ad æqualitatem juſtitiæ mediâ pœnâ. Æqualitas autem conſiſtit in eo, ut quantum homo ſibi indulſit, tantum ſibi ſubtrahat per afflictionem juxta illud Apoc. 18. v. 7. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum*. Contingit autem frequenter, ut in converſione, in qua homo per gratiam revertitur ad Deum, non tantum ſibi ſubtrahat, quantum indulſit; & tunc remanet reatus pœnæ temporalis. Aliis item verbis explicat Angelicus *prima ſecundæ quæſt.* 85. *art.* 6. Per peccatum deordinatur non ſolùm voluntas, ſed etiam aliæ vires animæ, quatenus delectationem capiant in illicito. Per gratiam ſanatur voluntas; ſed non perfectè ſanantur aliæ vires animæ, cùm non ſit facta compenſatio voluptatis ex peccato perceptæ; ideo neceſſaria eſt pœna, per quam conſtituatur æquale.

In peccato mortali eſt averſio a Deo, & converſio ad bonum commutabile.

9 *Septimò*. In Evangelio, & Scripturis comparatur Eccleſia Regi, & Regno, & corpori myſtico humanæ Reipublicæ. Sed in qualibet Republica, & Regno, & apud quemlibet Regem ordinatè gubernantem diſcriminatur circa delinquentes remiſſio criminis a reatu pœnæ: unde paſſim dimittitur crimen, & injuria, quamvis exigatur ſatisfactio, & pœna. Ergo etiam in ſpirituali gubernatione admittendum eſt diſcrimen inter remiſſionem culpæ, & pœnæ ita, ut quemadmodum in humanis datur aliquando condemnatio totalis ſine indulgentia, aliquando totalis abſolutio abſque punitione, aliquando remiſſio criminis cum obligatione luendi pœnam: ita in Divinis; quandoquidem Chriſtus Eccleſiam condiderit cum anologia ad humanam gubernationem.

Eccleſia comparatur Regi, & Regno.

10 *Octavò* exemplis tum in Scriptura, tum in Eccleſiaſticis Hiſtoriis, ex quibus conſtat homines ſanctitate inſignes pro peccatis dimiſſis pœnitentiam egiſſe, ut Deo ſatisfacerent. Indumentum ſuum ponebat cilicinum David, panem ſicut cinerem manducabat, potum cum fletu miſcebat, lacrymis ſtratum rigabat. Cur iſthæc? Certè propter peccatum jam dimiſſum, quod deflens ajebat: *Peccatum meum contra me eſt ſemper*: Job quoque cap. 47. v. 3. & 6. *Inſipienter locutus ſum, idcirco me ipſum reprehendo, & ago pœnitentiam in cinere, & favilla*. Divus Petrus ad cantum Galli qualibet nocte flebat peccatum negationis. Miſſa facio innumera Sanctorum primitivæ Eccleſiæ exempla, qui peccatis jam abſoluti, voluntarias paſſi ſunt caſtigationes, certè non perpeſſuri, quando nullum ipſi noviſſent pœnæ reatum ſupereſſe. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu* Spiritus Sanctus ingeminat. Sed quare de propitiato peccato timendum, ſi deletum omnino foret tam quoad culpam, quam ad pœnam?

11 *Nonò*. Uſus fuit perpetuus in Eccleſia graviſſimas irrogandi pœnitentias peccatoribus jam contritis, ut habetur in Conciliis Nicæno I. can. 13., vel apud alios 12.; Arauſicano primo can. 3., Mogontino ſub Rabano can. 26. &c. Tametſi regulariter injungerentur pœnitentiæ ante abſolutionem; nihilominus per annos imponebantur illis, qui ut plurimum crimen ſuum contritione deleverant. Abſolutio impendebatur infirmis cum onere, ut ſi convaleſcerent, pœnitentiam infirmitate interruptam implerent. Inſuper

Uſus infligendi pœnitentias jam contritis.

mos antiquitatis eſt in Latina, & Græca Eccleſia ſacramentaliter abſolutis pœnale aliquod opus pro ſatisfactione injungere. Hinc S. *Leo* epiſt. 9. ad Theodorum ait: *Mediator Dei, & hominum hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, & ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & ut eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*: & D. Gregorius lib. 3. in primum Regum cap. 7. *Afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata idonea eſt, cùm Sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus diſcuſſis pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis*.

12 DICES cum *Kemnitio* illam veterem diſciplinam pertinuiſſe ad ſolam externam Eccleſiæ politiam iis temporibus utilem ad probandos, qui recipi ab Eccleſia poſtulabant, & etiam ad aliorum exemplum: Scholaſticos verò commentos eſſe id non ad politiam coram Eccleſia, ſed ad placandum Deum valere: ſic ille.

Sed hæc reſponſio Patrum verbis vim infert, ùt in eorum ſcriptis videre eſt. Origenes lib. 15. in Levit. vocat opera illa pœnalia: *Pretium, quo peccata redimuntur*, & hom. 6. in Exod. *Pœnitendo, flendo, ſatisfaciendo deleat, quod admiſſum eſt*: Cypr. lib. 1. Epiſt. 3. *Satisfactionibus delicta redimi*: Epiſt. 8. *Peccata, & ſordes poſt Baptiſmum contractas eleemoſynis ablui*: lib. de lapſis circa finem: *Si quis plus eum ſuis ſatisfactionibus moverit, ſi ejus iram, ſi indignantis offenſam juſta deprecatione placaverit*: Tertullianus lib. de pœnit. cap. 8., & 9., poſt enumeratas pœnalitates pœnitentibus ſubeundas, ſic habet: *Pœnitentiâ Deus mitigatur . . . , ut de periculi timore Deum honoret, ut in peccatorem ipſa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione, æterna ſupplicia non dicam fruſtetur, ſed expunget . . . in quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet*: & alibi. S. Ambroſius ad Virginem lapſam: *Grande ſcelus, grandem neceſſariam habet ſatisfactionem*: Auguſt. in Enchirid. cap. 70. probat: *Deum propitiandum eſſe per eleemoſynas*: Hom. 50. cap. 5. *Non ſufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per cordis contriti ſacrificium*. S. Cæſarius homil. 1. *Dum culpæ auctor humiliatur, culpa conſumitur, dumque exterior afflictio voluntaria diſtrictionis infertur, tremendi Judicii offenſa ſedatur, & ingentia debita labor ſolvit exiguus, quæ vix conſumpturus erat labor æternus*. Eidem ſententiæ omnes Sancti Patres calculum apponunt ſuum.

Secundùm Patrum ſententiam per opera pœnalia redimuntur peccata cōtra Kemnitiū.

Addo praxim Eccleſiæ antiquiſſimam, ut pro peccatis occultis ſecreta pœnitentia injungatur perſonis ab Eccleſia non ſeparatis. Inſtar omnium ſit auctoritas D. *Baſilii* Epiſt. 3. ad Amphilochium, ubi affirmat adulteris fœminis ſecretò, ſecretam adjunctam fuiſſe pœnitentiam ſecretò implendam. S. *Leonis Magni* Epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum: *Unde hujuſmodi lapſis ad promerendam Miſericordiam Dei, privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa*. Idem docet Concil. Ilerden. can. 1. Presbyt. diſt. 82.

Occultis peccatis occulta jungebatur pœnitentia.

A 13 DICES *ſecundò*: ex factis Scripturæ non deducitur ſtatuta a Deo certa lex ordinaria pro peccato; ſunt enim in illis pœnæ extraordinariæ, quas non cuique peccatori legimus inflictas; & alicui dumtaxat: ſic *Kemnitius*.

Sed contra. Supradicti caſus adducuntur ad ſignificandam executionem legis a Deo factæ, ùt clarè cognoſcamus a nobis Deum exigere hujuſmodi ſatisfactionem pro reliquo reatu. Cæterùm regula generalis habetur, ubicunque peccatores ad pœnitentiam invitantur; ùt Joelis 2. verſ. 2 *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, ac in fletu, & in planctu*. Primis verbis innuitur cordis con-

Peccatores adventum invitantur.

B verſio: in ſecundis executio pœnalitatum. Oſeæ 6. v. 1., ubi peccatores excitantur ad pœnitentiam: *Venite, & revertamur ad Dominum, quia ipſe cepit, & ſanabit nos, ipſe percutiet, & curabit nos*. Eo quomodo Deus ad ſanitatem immittit pœnas, & afflictiones: Job 9. v. 28 *Verebar omnia opera mea, ſciens, quòd non parceret delinquenti*: ad Hebræos 12. v. 6. *Quem diligit Dominus caſtigat, flagellat autem omnem Filium, quem recipit*. Filios peccatores, dum recipit Deus, caſtigat. Item extat eadem generalis regula in ea lege ſtatutæ providentiæ, qua Deus tum in retributione, tum in punitione attendit ad merita, &

C demerita cujuſcumque: Job 34. v. 10. *Abſit a Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas, opus enim hominis reddet ei, & juxta vias ſingulorum reſtituet*: Pſal. 60. v. 13. *Quia tu reddes unicuique juxta opera ſua*: ad Rom. 2. v. 6. *Qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus*. Hæc non verificarentur, ſi Deus aliquos propter eadem peccata, & etiam leviora, pœnâ temporali plecteret dimiſsâ culpâ, alios verò abſolveret. Hoc idem habetur tandem ex motivis adductis a Patribus, quæ univerſalia ſunt ad quoslibet peccatores, converſis videlicet ad creaturas, quæ in quolibet peccato eſt, ut ex pœna exigenda in vindictam,

D etiam poſtquam dimiſſa eſt culpa, oculi peccatorum aperiantur, criminis malitiam cognoſcant, eamque diſcant fugere. Unde bene concludit Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 8. *Sanè & Divinæ Juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter verò, qui ſemel a peccati, & Dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint. Et Divinam Clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione dimittantur, & occaſione acceptâ, pec-*

Secundùm Divinam Clementiam eſt ne peccata abſque ſatisfactione dimittantur.

E *cata leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ*. Auguſtinus Tract. in Joan. 124. *Productior eſt pœna, quam culpa, ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna, ac per hoc vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ pœnitentiæ temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem ſempiternam non detinet culpa*.

14 DICES 3. Ita gratis ſumus per Chriſtum juſtificati, ut nullus ſit gloriandi locus ſecundùm Apoſtolum ad Rom 3. v. 24 *Juſtificati gratis per gratiam ipſius* &c. & poſt

pauca,

panca, *ubi eſt ergo gloriatio tua*. Sed ſi opera noſtra etiam ex gratia forent ſatisfactoria, eſſet gloriandi locus; nam inflari quiſquam poſſet, quòd ſuis operibos ſatisfecerit, alter non. Eo pari ſenſo, quo contra auctores ſcientiæ mediæ agunt diſſenſores gratiæ efficacis ex 1. Cor. 4. v. 7. *Quis te diſcernit?* licèt illi admittant conſenſum ante decretum medio auxilio.

Nulla eſt nobis occaſio gloriandi, cùm omnia ſint ex Deo.

SED CONTRA. Nullos patet jactantiæ locos, nbi totom booum ex Deo eſt. Hinc Apoſtolus: *Quid habes, quod non accepiſti?* nos admonet nollam eſſe nobis occaſionem vanæ gloriæ, cùm omnia ea Deo ſint. Nam ſi vocationem ad fidem, emendationem a culpa, jus ad gloriam, auxilium ad bene operandum, rectum arbitrii uſom, vim ſatisfactivam, ejuſque acceptationem a Deo miſericordi recognoſcimus, ntquid inflari, ac ſuperbire quiſqoam poſſit? Ea gloria, quam Apoſtolus exſufflat, eſt Judæorum glotia, qui propter legem, cui tantopere fidebant, ſe Gentilibos præferrent. Nullam verò eſſe doeet prælationis oecaſionem, cum juſtificatio non eſt ea illa lege, ſed ea lege Chriſti, & ex fide, quæ per dilectionem operatur. Egregiè quidem argount gratiæ efficacis deſenſores, cum probant devenienđom eſſe ad aliquid, quod non ſit gratia, & adverſarios cogunt fateri, in conſenſu aliquid adeſſe, quod ſit ea ſolis viribus naturæ: qua ratione *Auguſtinus* perſtringebat Pelagium. Nos autem totum in Dei gratiam refuodimus.

15 DICES 4. Omnia facta ex Scripturis recenſita, in quibos aſſignatur pœna temporalis dimiſsâ culpâ, ſunt de publicis peccatis, ùt patet de homieidio *David*, de populi murmuratione contra Dominum, & aliis: eſt autem ſpecialis ratio in peecato poblico propter ſcandalum.

Non ſolùm publicis peccatis, ſed etiã occultis debetur ſatisfactio.

SED CONTRA. Noo omnia, quæ adduximos, caempla verſantur in pnblicis peccatis. Nonne oceulta fuerat *Davidis* ſuperbia in ejuſdem eorde enata, dum eenſum populi inſtituit? Annoo latebat in mente *Moyſis* incredulitas promiſſæ populo ejus beatiſſimæ regionis? Quiſnam exploraverat inſipientiam *Job* clanculom locuti? Non igitur merum ſcandalum exigit pœoam. Id verò etiam elariùs patet ex Symbolis Evangelii, quibus neceſſitatem ſatisfactionis Chriſtus declaravit. Paralitieom juſſit tollete grabatnm. In ſanato Paralitico iotelligitur peccator, cui culpa dimittitur: in grabato ferendo pœua propter peccatum ſuſtinenda. A mortuis Lazarum ſuſcitavit, ſed ligatas reliquit manos, & pedes. In Lazaro redivivo habemus imaginem peccatoris culpâ exſoloti: manus, pedeſqoe vincti indieant, & ſignificant vinculum debitæ ſatisfactioois. Leproſum miſit ad Sacerdotem, cui munos offerret? Sanitas leproſi indicat depulſum peeeati motbum: juſſio adeundi Saeerdotis, eiqoe moneris offerendi ſignificat neceſſitatem exhibendi cujnſqnam piacali.

Obligatio Sacramentalis confeſſionis etiam de occultis oſtendit debitum ſatisfactionis.

Neque minos efficax ad id probandom eſt obligatio Saeramentalis confeſſionis etiam de occultis peccatis. Origenes hom. 3. in Levit. *Si quid in occulto gerimus, ſi quid in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationum ſecreto commiſimus peccato, neceſſe eſt publicari, cuncta*

A *profiteri*. Et hom. 2. in Pſalm. 37. oſtendit paritatem ægroti habentis volnos internum, quod debet medico patefacere, ut ſanetur; ita occolta peccata debet homo confiteri, nt convaleſcat. S. *Pacianus* Barcinonenſis Epiſcopus in *Phorenſi*, ſeu exhortatione ad pœnitentiam. S. *Hieronymus* in cap. 10. Eccleſ., cæterique Patres idem docent. Sed in confeſſione ſactamentali de peccatis occultis ſemper imponitur onus ſatisfactionis. Ergo ratio publicitatis noo eſt ſola, quæ exigat ſatisfactiooem, ſed eſt ratio culpæ, & offenſæ Dei, quæ omnibus peecatis communis eſt. Ergo, ùt diximos, generalis regula ſatisfa-

B ctionis colligitur ea Scripturis, & Patribus.

16 His poſitis efformatur ratiocinatio, qoæ id totum explanet. Contingit, nt remiſsâ culpâ, remaneat in foro Dei reatos pœnæ temporalis. Id aotem ſæpiſſimè, dum peecatis, & delictis ooerati, non ea eootritionis inteoſione ad Deum revertuntur, qoâ per delectationem receſſerunt. Contingit etiam, & quidem freqoentiùs, nt ex hac vita decedant noo exſoloto penitus reatu pœnæ Deo debitæ pro peccatis cæteroqui jam dimiſſis. Sunt enim graviſſimi peceatores, qoi in mortis articulo contritione Deo reconeiliantur, nec tempos habent ad dignos fructus pœniteotiæ

C faciendos. Sunt, qui poſt cooſeſſionem, antequam debitum penſum exolvant, violenter oceiſi, vel caſu interempti, vel apoplexiâ ſoffocati moriuntur. Ergo neceſſe eſt, nt io altero ſeculo pœnam luant; nam Divinæ Juſtitiæ ſatisfaciendum eſt vel in hoc ſæculo, vel in foturo. Civitas ſiquidem Sancta non habet neque maculam, neque rugam: nihil coinquinatum in eam inttabit. Debent igitur juſti morieotes alicubi detioeti quoad debitum ſolvant. Iſte locus, nbi ad præſtitutum tempus detinentur, a Catholicis PURGATORIUM appellatur: ſicuti locus, in qoo Patres veteris Teſtamenti uſque ad Chri-

D ſti aſcenſionem deteoti ſunt, vocabatur *Sinus Abraha*.

SOLVITUR PRIMUM HÆRETICORUM ARGUMENTUM.

17 OBJICIUNT 1. hæretici. Scriptura docet, Deum ita remittere peccatum, ut amplius non recordetur. Ezech. 18. verſ. 25. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Sed recordaretur Deus dimiſſæ iniquitatis, ſi puniret poſt remiſſionem. Ergo dimiſsâ culpâ, non remanet reatos pœoæ temporalis;

E ergo nollum eſt PURGATORIUM.

RESPONDEO retorqnendo argumentum. Deus peccati dimiſſi non recordatur amplins. Sed nihilominus dimiſſo peccato, ponivit *David* tot malis, & *Mariam* Moyſis Sororem propter crimen murmurationis jam dimiſſum ſeptem diebns lepræ: ergo licèt peccati dimiſſi non recordetor Deus, poteſt tamen remanere reatus pœnæ temporalis.

Deus dimiſsâ culpâ non recordatur amplius in ordine ad æternã pœnam.

Directè igitur reſpondetur. Deus non recordatur amplios peccati dimiſſi in ordine ad æternam pœoam; quia ùt inquit Apoſtolus ad Rom. 8. verſ. 1. *Nihil damnationis eſt iis, qui*

ſunt

ſunt in Chriſto Jeſu . Cæterùm quoad pœnam temporalem recordatur iterum. Exod 32. v. 32. loquens de dimiſſo peccato Idololatriæ populi Hebræorum . *Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum* . Quòd autem laudatus reatus intelligi debeat de recordatione quoad mortem ſpiritualem , & pœnam æternam , patet ex contextu , qui tam antecedenter , quàm ſubſequenter effectum converſionis explicat illis verbis , *vitá vivet , & non morietur* ; undè non rectè applicatur ad remiſſionem pœnæ temporalis . Hinc *Auguſtinus* de vera , & falſa pœnitentia cap. 18. *Sed ſi etiam ſit converſus , vitá vivet, & non morietur, non tamen promittimus , quòd evadat omnem pœnam* .

18 DICES . Omnes pœnæ , quarum fit mentio in Scripturis , ſunt temporales hujus ſeculi , ùt patet in adductis exemplis . Ergo non arguitur debitum pœnæ in alio ſeculo ſuſtinendæ : ſicut parvuli habentes originariam culpam puniuntur pœnis hujus ſeculi , & tamen non benè infertur pœna ſenſus alterius ſeculi .

Reatus pœnæ tēporalis eſt debitum in foro Dei .

RESPONDEO *negando conſequentiam* , ſi Deo ſatisfactum non ſit ante mortem . Atque hic adverto reatum pœnæ temporalis eſſe debitum in foro Dei : ſicut in foro Dei eſt debitus reatus pœnæ æternæ ; ac proinde quandiu Deo non eſt ſatisfactum remanet obligatio ſatisfaciendi . Quamobrem niſi ſatisfiat in hoc ſeculo , ſatisfaciendum eſt in futuro . Forum itaque Dei eſt indifferens pro hoc , vel illo ſeculo , proindeque ſi debitum non ſolvitur in præſenti , ſolvi debet in futuro . Hinc fit , ut ex debito pœnæ temporalis hic non ſolutæ , benè inferatur ſolvendum eſſe in futuro . Quòd autem reatus pœnæ temporalis obliget in foro Dei , clarè conſtat , ſi quæ diximus , rectè applicentur . Dimiſſo peccato Idololatriæ dixit Dominus ad Moyſen : *Ego autem in die ultionis viſitabo et hoc peccatum eorum* . Dies ultionis eſt dies Judicii privati , & tunc viſitatio non eſt ad pœnas hujus ſeculi , ſed alterius , cùm anima ſit extra corpus . Ergo ſi non ſolvitur in præſenti vita , reſtat debitum pœnæ in altera exolvendum . David poſtquam deletà culpâ , adulterii , & homicidii ſuſtinuerat pœnam mortis in puero , & ignominiam in uxoribus, & pro peccato ſuperbiæ peſtem in populo , ſtratum ſuum per ſingulas noctes lavabat , & potum cum fletu miſcebat ad ſatisfaciendum Deo . Pſalm. 10. v. 10. *Et potum meum cum fletu miſcebam a facie iræ , & indignationis tuæ, quia elevans alliſiſti me* . Ecce obligatio ſatisfaciendi in foro Dei , etiam dimiſsâ culpâ . Hinc illa Eccleſiaſtici generalis regula *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu* fundatur in rigore debiti in foro Dei obligantis , & ideò eſt veluti corollarium antecedentis . *Ne dixeris, peccavi, & quid mihi accidit triſte : Altiſſimus enim eſt patiens redditor* , ideſt expectat, ſi reddatur in hoc ſeculo : quod niſi fiat poſt mortem , ſeverè exigit ſatisfactionem .

Analogia de debito ſpirituali cum temporali .

Huc redit generalis regula ſuperiùs elucidata ex Scripturis , Patribus , & ex natura offenſæ . Huc paritas de vulnere , in quo regulariter remanet cicatrix paulatim curanda . Hinc analogia debiti ſpiritualis cum temporali pecuniario , pro quo ſi debitor non ſatisfacit , quandiu liber eſt , & lucrari poteſt , mittitur in carcerem , ut in corpore luat . Si quis igitur non redimit reatum , dum poteſt , quandiu ſcilicet eſt in via , mittitur in carcerem , ut ſolvat ſatispatiendo . Quæ omnia Divinæ Providentiæ de hominis ſtatu correſpondent . Homo a nativitate uſque ad mortem habet animam cum corpore conjunctam : a morte uſque ad judicium in ſola anima ſubſiſtit : a Judicio per totam æternitatem iterum conjungitur corpori . Reatus pœnæ contrahitur principaliter per defectum animæ peccantis , ac proinde per opus animæ debet extingui . Porrò flagella , quæ immittit Deus in hoc ſeculo , principaliter feriunt corpus , atque ideo non ſunt ſufficientia ad extinguendum debitum , niſi accedat opus animæ vel mediâ meritoriâ actione ſatisfaciendo , vel mediâ tolerantiâ non meritoriâ ſatispatiendo, quòd ſolùm evenire poteſt in altero ſeculo ; non enim animæ in tali ſtatu repugnat aliqua mutatio tranſitoria uſque ad diem Judicii ; cùm adhuc non ſit in termino ſimpliciter . Paritas de pœnis parvulorum non urget ; quia pœnæ , quas illi patiuntur , eſſentialiter conſequuntur ad naturam deſtitutam illo vigore, quem a gratia originali habebant ; unde neceſſariò agentia naturalia lædunt inimpedibiliter ; in alio autem ſeculo ceſſat actio agentium naturalium lædentium , & ſic non datur pœna ſenſus : nec pœnæ temporales arguunt debitum pœnæ in alio ſeculo . Cæterùm reſpectu adultorum pœnæ temporales a Deo inflictæ non conſequuntur eſſentialiter ad naturam , ſed ſolùm ex ſuppoſitione reatus pœnæ ; unde ex reatu pœnæ temporalis benè arguitur obligatio ſatisfaciendi in alio ſeculo , niſi in præſenti ſatisfactum planè fuerit .

Pœnæ in pueris eſſentialiter conſequuntur ad naturam deſtitutam gratiâ originali .

19 INSTABIS . Sicuti Deus dimiſsâ culpâ , juſtos per temporalem peccatorum pœnam affligit : ita remuneratur temporaliter peccatores in mercedem bonorum operum : quod patet de Obſtetricibus Ægyptiorum temporalium bonorum abundantiâ ditatis propter affectum ſalvandi Hebræorum pueros . Sed hoc non obſtante , ſi peccatores non recipiant in hac vita præmium , Deus temporaliter non remuneratur in futuro ; ergo ſi Deus per temporalem pœnam juſtos non punit in præſenti , neque puniet in futuro .

20 RESPONDEO diſparem eſſe rationem . Peccatum ſecundùm ſe meretur quamlibet pœnam , ſed ex divina diſpoſitione punitur juxta proportionem adhæſionis ad objectum illicitum ; *quantum in deliciis fuit , tantum date illi tormentum , & luctum* . Ex quo fit , ut ſupradicta taxatione ſuppoſita , ſemper remaneat locus Juſtitiæ vindicativæ , quandiù illi plenè ſatisfactum non fuerit ; unde ſi in præſenti vita debitum non ſolvitur , ſolvi debet in alia . Cæterùm bona moralia peccatoris ex natura ſua non ſunt meritoria præmii etiam temporalis ; ſed ſolùm ex pura liberalitate Dei ; quapropter nihil mirum, ſi Deus , quando vult , & quomodo vult , remuneratur talia bona . Cùm autem poſt mortem peccatoris ſit tempus vindictæ , ſi aliquando opera illius moraliter bona remanent abſque præmio in hac vita , nequaquam de-

betur

betur præmium in alia. Quòd opera bona moralia peccatoris non ſint meritoria præmii etiam temporalis ex eo patet, quod non ſit præmio dignum opus factum a perſona non grata, ut eſt opus moraliter bonum peccatoris. Aliundè non ſunt meritoria præmii temporalis ex lege Dei; nulla enim lex de hoc in Scripturis, & Patribus habetur, ſed potiùs oppoſitum; quia peccatores omni bono merentur ſpoliari. Concedit quandoque Dominus alicui bona temporalia propter virtutes morales ex pura liberalitate, ùt dixi, non ex mercede, niſi in ſenſu omnino improprio, ùt loquitur D. Thom. *de potent. q. 6. art. 9.* Auguſtinus quoque, & *Hieronymus*, cùm dicunt, Deum Romanis totius orbis imperium propter virtutes eorundem morales fuiſſe impertitum.

Impropriè dicitur, quòd ex mercede Deus præmiat bona opera peccatoris.

21 URGEBIS. Sicut peccator, qui convertitur, mala opera commiſerat: ita Juſtus, qui labitur, bona opera fecerat. Sed factus ex juſto impius de bonis operibus, quæ fecerat, nihil lucratur in alio ſeculo. Ergo juſtus ex impio factus nihil debet pati extra hoc ſeculum propter mala, quæ fecerat. Ergo ſicut impius ab inſtanti mortis illico detruditur in inferos: ita Juſtus moriens illico ad gloriam deducitur.

RESPONDEO *negando paritatem*. Peccatum ſuperveniens bonis operibus, illa mortificat, ac proinde impedit omnem vim exigitivam præmii: ſicut opacum corpus impedit vim illuminativam lucis. Juſtitia verò ſuperveniens operibus malis non mortificat omnino talia opera ſecundùm omnes effectus in animam productos, ſed componitur cum aliquo eorum, nempè cum reatu pœnæ temporalis, niſi ſit juſtitia valdè perfecta. Juſtitia enim ſecundùm ſe eſt juſtitia ſanativa, ac proinde compoſſibilis cum cicatricibus. Oſtenditur diverſitas a ſigno. Peccator etſi plura bona operetur ùt eleemoſynam, preces, &c., nullum meritum acquirit; ſunt enim opera mortua undequaque; econtra verò Juſtus, ſi peccata venialia committat, verè facit opus demeritorium, & dignum pœnâ. Non eſt ergo eadem vis in charitate mortificandi demeritum, ac in peccato meritum. Deſcendit itaque impius ſtatim ad inferos; quia malum ex quocunque defectu: non ſic juſtus ſtatim ad Cœlum aſcendit; quia bonum ex integra cauſa. Aſſecutio gloriæ eſt bonum optimum, & perfectum; unde quolibet defectu, ùt eſt reatus pœnæ temporalis, retardatur. Secus non quodlibet bonum impedit conſummationem mali, ideoque peccatum mortale ſtatim trahit ad geennam: ita S. Thomas 4. *Sent. diſt. 21. art. 1. quæſt. 1. ad 1. & 2.*

Non eſt eadẽ vis in charitate, ac in peccato.

22 REPLICABIS. Sicuti peccatum opponitur charitati: ita charitas peccato. Sicut in malo opere eſt reatus culpæ, & reatus pœnæ: ita in bono opere juſti eſt condignitas amicitiæ, & meriti. Ergo ſicuti per peccatum mortificatur omnis condignitas amicitiæ, & meriti; ita per ſupervenientem charitatem mortificatur omnis reatus culpæ, & pœnæ. Unde Exech. 18. v. 21. dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam . . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*; & ſimiliter v. 24. *Si juſtus peccaverit, omnes*
A *juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*. Adverte: ubicunque eſt particula negativa, quæ eſt malignantis naturæ, deſtruit quidquid invenit poſt ſe.

Ulterius explicatur. Sicut charitas opponitur culpæ: ita jus ad gloriam opponitur juri ad pœnam. Ergo ſicut charitas adveniens omnem culpam tollit: ita jus ad gloriam tollit omne jus ad pœnam.

RESPONDEO. Sicut & adæquatè *nego*; ſicut & inadæquatè *concedo*. Charitas ſuperveniens deſtruit omne ſibi contrarium. Reatus pœnæ temporalis non eſt cuilibet charitati contrarius. Ut dictum eſt, charitas componitur cum reatu temporali, non verò
B cum peccato mortali; peccatum autem non meretur ullum bonum, eaque propter non componitur cum ullo merito. Rurſus charitas opponitur reatui culpæ per modum formæ incompoſſibilis; quia culpa conſiſtit in privatione gratiæ, & charitas importat formam huic privationi contrariam. At reatui pœnæ opponitur per viam ſatisfactionis; unde niſi ſit tanta in linea ſatisfactionis, quantum eſt debitum pœnæ, non poteſt totum reatum extinguere. Peccatum autem eodem modo opponitur condignitati amicitiæ, & meriti; quia auferendo amicitiam, evacuat totam radicem meriti ſubſtantialis, & accidentalis.
C Tota namque radix cujuslibet meriti eſt perſona grata; quapropter charitati peccatum opponitur deſtruendo, vel mortificando omnem rationem boni. Charitas verò opponitur peccato illud deſtruendo, relinquens tamen ex ſe reatum pœnæ temporalis.

Diverſo modo Charitas opponitur peccato, ac peccatum Charitati.

Luculentiùs explico. Charitas ſuperveniens non eſt omnis virtus formaliter; eaque propter non omne implet debitum aliarum virtutum. Porrò jus ſatisfactionis pertinet ad virtutem Juſtitiæ; & ideò charitas extinguit jus inimicitiæ, non autem jus ſatisfactionis, & compenſationis, niſi ea intenſione, & fervore creſcat, ut æquivaleat debito totali. Pec-
D catum autem hoc ipſo, quòd amicitiam tollit, impedit valorem meriti; nam præmium operis ſupernaturalis promiſſum eſt dumtaxat diligentibus in ſenſu compoſito. Quamobrem utrobique in laudato textu particula negativa, *non recordabor*, *non recordabuntur*, debet intelligi juxta exigentiam ſubjecti, & prædicati, ac proindè non eodem modo utrobique diſtributivè: ergo dum arguitur a pari, *ſicut charitas opponitur culpæ: ita jus ad gloriam opponitur juri ad pœnam*, negamus in ſenſu de oppoſitione juri ad pœnam temporalem; cum hac enim poteſt componi: ſicut in filio hærede componitur jus ad hæreditatem cum ali-
E quo deffectu, & levi culpa.

Charitas non eſt omnis virtus formaliter.

Jus ad gloriã opponitur juri ad pœnam æternã, ſecus ad temporalem.

23 SUBSUMES. Sicut per opera peccaminoſa violatur jus amicitiæ, & fundatur jus odii, & ſatisfactionis: ita per opera Juſti fundatur jus amicitiæ, & juſtitiæ in ordine ad præmium, quod eſt corona juſtitiæ. Ergo ſicut adveniente gratiâ in impio aufertur jus odii, & remanet jus ſatisfactionis: ita adveniente peccato in juſto, aufertur jus amicitiæ, & remanebit jus meriti ad præmium temporale. Utique in humanis hæc jura ſunt diviſibilia. Nam & inimico per reconci-

conciliationem dimittitur jus odii, & exigitur jus compenſationis. Exempli causâ, ſi *Petrus* amicus laboravit in vinea *Pauli*, & eum graviter offendat, etſi Paulus in Petrum retineat odium, debet Paulus ſolvere pretium laboris: hoc idem valet in Divinis. Ergo ſi Deus non remuneratur temporaliter bona opera ejus, qui exinde factus eſt peccator, neque puniet temporaliter opera ejus mala, qui poſtmodum fiat juſtus. Ergo nullus manet reatus alio in ſeculo, piaculari quoquam dolore extinguendus.

Peccatū meretur omne malum, & indignum eſt omni bono.

RESPONDEO *negando conſequent.* Diſparitas elucet ex dictis. Diximus enim peccatum ex natura ſua promereri omne malum, & demereri omne bonum, & omnino opponi per incompoſſibilitatem ſtatui gratiæ, & merito, cùm deſtruat radicem meriti. Secus verò charitas non dicit incompoſſibilitatem (niſi perquam fuerit intenſa) cum reatu pœnæ temporalis. Præterea poteſt aliqua forma ſortiri primarium effectum, quin ſortiatur ſecundarium, ſi impediatur, ut Philoſophi, & Theologi unanimes conſitentur. Stat ergo, quòd in Juſto charitas tribuat primarium effectum, qui eſt jus ad æternam vitam, quin conferat ſecundarium, nempè omnimodam extinctionem debiti temporalis. Minimè verò fieri poteſt, ut forma tribuat effectum ſecundarium abſque primario. Quamobrem repugnat, quòd opera præcedentia charitatis non dent peccatori jus ad effectum primarium, qualis eſt amicitia; & præſeferant ſecundarium, quale eſt præmium temporale alterius vitæ. EXPLICATUR. Peccatum inducit privationem gratiæ, & omnium virtutum ſupernaturalium, ac propterea cùm deſtruat jus amicitiæ fundatum in gratia, delet etiam jura fundata in aliis virtutibus, ac proinde etiam extinguit jus meriti, quod erat Juſtitiæ. Econtra charitas cùm det eſſe ſupernaturale, infert omnes alias virtutes in eſſe formali, proindeque ipſorum jura, & unà ſimul jus juſtitiæ vindicativæ, quod exigit ſatisfactionem. Ad illud exemplum DICO: in humanis poteſt quidem dimitti jus odii, retento jure compenſationis. Sed falſum eſt, jus odii retineri poſſe adverſus inimicum. Cæterùm *reſpondetur*, jus juſtitiæ in humanis propter laborem præſtitum non exigere, nec in ſuo eſſe, nec in conſervari perſonam gratam, ſed radicari in opere utili in favorem alterius ſivè amici, ſivè inimici: ſecus autem jus meriti apud Deum, ùt ſatis probatum eſt. Quarè poteſt verificari in humanis, quòd ſtante etiam inimicitia ſtet jus exigendi compenſationem, non autem in divinis.

Charitas infert omnes virtutes ſupernaturales.

24 SUBDES. Ratio apud Catholicos, cur peccata dimiſſa non reviviſcant, ſicut reviviſcunt merita, probat etiam nullum remanere reatum pœnæ temporalis, vel remanere etiam in peccatoribus condignitatem meriti ad temporale præmium: id autem ſic oſtenditur. *Primùm*. Deus eſt pronior ad miſerendum, quàm ad puniendum. Si ita eſt, cur dum miſeretur impio, qui convertitur, exigit ab eo ſatisfactionem, & Juſto, qui pervertitur, negat quolibet præmium in nullo miſerens, & in omnibus puniens? *Secundum*. Favores ſunt ampliandi, odioſa reſtringenda. Si ita eſt, cur a peccatore converſo, cui viſcera miſericordiæ oſtendit, expoſcit ſatisfactionem præteritorum criminum, quod eſt odioſum, & Juſto poſt perverſionem præteritorum operum denegat præmium, quod eſt ſavorabile? *Tertium*. Charitas peccata antecedentia verè extinguit: peccatum verò ſubſequens bona opera ſolùm mortificat, cùm remaneant in Divina acceptatione. Cur igitur charitate realiter delente peccatum, remanet reatus pœnæ temporalis, & peccato non delente opera bona, non ſupereſt condignitas præmii? *Quartum*. Juſtificatio eſt opus Dei, peccatum eſt opus hominis. Porrò opus Dei deſtruit totum opus hominis: ſecus opus hominis deſtruit totum opus Dei. Cur opere Dei deſtruente totum opus hominis, relinquitur reatus pœnæ temporalis: econtra opera hominis non deſtruente totum opus Dei, non ſupereſt ulla præmii condignitas?

RESPONDENT aliqui etiam peccatoribus de præteritis juſtitiis præmium retribui per hoc, quòd minùs puniatur in inferno. *Sed contra*; nam dici etiam poſſet juſtus puniri de præteritis culpis; per hoc, quod minùs præmii recipiat in Cœlo; non autem quod in ergaſtulo piaculari diſtineatur. Reſponſio igitur adæquata conſiſtit in prædictis circa diverſimodam rationem, quâ charitas opponitur peccato, & peccatum charitati. Nam cùm peccatum opponatur charitati, deſtruendo radicem meriti ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis (per peccatum enim non remanet ampliùs perſona Deo grata) & charitas deſtruat peccatum, non quidem ſecundùm omnes effectus, ſed effectus ſolùm incompoſſibiles: ideo licèt Deus pronior ſit ad miſerendum, quàm ad puniendum, negat juſto, qui pervertitur, omne præmium: & a peccatore, qui convertitur, exigit ſatisfactionem. Verum tamen eſt (atque hinc patet ad *ſecundum*) favores eſſe ampliandos, & odioſa reſtringenda; ſed juxta exigentiam ſubjecti; hoc enim ſi fuerit omnino incapax meriti; ſicut in juſto, qui peccat, verificatur, quomodo poteſt ampliari meritum, ſi non præſupponit in ſubjecto capacitas? Odioſa quidem ſunt reſtringenda, ſervato tamen jure juſtitiæ vindicativæ, quæ ſatisfactionem expoſcit. Ad *tertium*. Charitas peccata antecedentia verè tollit, & extinguit; eſt enim incompoſſibilis cum illis; ſed relinquit pœnæ reatum, quia non habet cum illa incompoſſibilitatem. Peccatum verò ſubſequens, licèt bona opera ſolùm mortificet, nunquam ea tamen ſtante peccato, obtinebunt aliquod præmium; quia cum peccato nunquam poteſt verificari, peccatorem eſſe perſonam gratam: quod requiritur ad obtinendum præmium. Ad *Quartum* reſpondet D. *Thomas* 4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 1. quæſt. 2. Cùm enim ſibi objeciſſet Sanctus Doctor hoc argumentum: *Efficacius eſt bonum ad agendum, quàm malum: ſed per unum actum peccati homo reatum, & culpam incurrit; ergo per actum contritionis & a culpa, & a reatu abſolvitur*: reſpondet: *dicendum, quòd ſicut, quod eſt perfectum, eſt efficacius ad agendum, quàm imperfectum: ità quod eſt perfectum, difficilius eſt ad fiendum. Unde ſicut bonum efficacius eſt ad agendum, quàm ma-*

lum:

lum : ita difficilius eſt ad conſtituendum, quàm malum. In hoc ergo efficacior apparet actio boni, quàm actio mali; quia ratio mali nunquam terminatur ad malum, quod non habet admixtum bonum, ſed ratio boni terminatur ad bonum quandoque, cui non admiſcetur malum: non tamen oportet, quòd ſi aliquod malum per unum actum incurritur, quòd per unum actum bonum oppoſita bona reparentur. Igitur opus Dei ſit perfectum, & efficacius ad agendum, quàm opus hominis. Sed bonum eſt difficilius ad conſtituendum, quàm malum; & ideò poteſt contingere, ut ſubjectum conſtituatur in eſſe boni per ablationem culpæ, non autem per ablationem culpæ, & reatus pœnæ; maximè quia opus Dei eſt perfectum, ſed diſpoſitioni ſubjecti ſe accommodat.

Supradicta egregiè S. *Thomas* loco laudato exponit, & confirmat. *Tam juſtitia, quàm amicitia in æqualitate quadam conſiſtit. Qui ergo aliquem offendit contra æqualitatem amicitiæ, peccat, in quantum affectum debitum non impedit, & contra æqualitatem juſtitiæ, in quantum rem debitum ſubtrahit. Et ſicut hæc duo in offenſa quandoque dividuntur: ita etiam in recompenſatione ſeparantur. Sicut quando pœna per violentiam offendenti infertur, fit recompenſatio quantum ad juſtitiam, ſed non quantum ad amicitiam. Similiter quando offendens offenſum verbis placat nondum re ſubtractâ reſtitutâ, fit recompenſatio amicitiæ, ſed non juſtitiæ. Peccator ergo per affectum peccati amicitiam Dei violavit, & per inobedientiam Divinæ legis honorem Dea dabitum ſubtraxit, & ex primo ammittit gratiam, & incurrit offenſam: ex ſecundo meretur pœnam, ut ab eo, qui per inobedientiam ſubtraxit, ſubtrahatur per pœnam, & hoc pœnæ meritum reatus dicitur, & ideò per pœnitentiam, quâ homo ſe Deo ſupponit peccata præterita deteſtando cum emendationis propoſito, remittitur quidem peccatum quantum ad offenſam, ſed non oportet, quòd remittatur quantum ad totum reatum, niſi pœnâ jam ſolutâ, & ſic per pœnitentiam non ſimul cum culpæ dimiſſione totus etiam reatus dimittitur.*

25 INSTABIS. Sanguis Chriſti ex Scripturis eſt & emundativus culpæ, & expiativus pœnæ; quia Chriſtus factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris; ſed quà emundativus in contritione delet totam culpam; ergo quà expiativus delet totam pęnam. Non enim eſt minùs efficax ſecundùm unam formalitatem, quàm ſecundùm aliam. Rursùs, quia eſt emundativus, applicatur nobis mediâ diſpoſitione; ſimiliter quà expiativus. Sed quà emundativus emundat ab omni culpa, etiamſi diſpoſitio, hoc eſt contritio, non ſit tantæ intenſionis, quanta eſt culpa; unde pro mille peccatis graviſſimis ſufficit unus actus contritionis ùt quatuor; ergo quà expiativus debet omnem pœnam, etiam ſtante diſpoſitione minoris intenſionis.

Diſcrimen inter naturã pœnæ, & culpæ.

Ad ſolutionem hujus inſtantiæ, quæ Heterodoxos valde movet, notandum eſt diſcrimen inter naturam culpæ, & pœnæ: inter naturam amicitiæ, & juſtitiæ. Jus amicitiæ totum ſimul, & indiviſibiliter reparatur; quia conſiſtit in depoſitione odii, & dilectione efficaci inimici. Jus tamen compenſationis non ſic; diutius enim tempus requiri ſolet ad ſufficientem redemptionem. Patet in humanis, ad quorum analogiam Divina diſpoſuit Deus. Depoſito odio per veram dilectionem, & poſita reconciliatione inter inimicos, Judex pœnam infligit ei, qui crimen in alium commiſit, quæ aliquando protrahitur ad plures dies, & menſes, ſi non ſit pœna capitalis. De hoc etiam plura exempla habemus in Scripturis. Dimiſsâ namque culpâ *Davidi*, longior, & productior inflicta fuit pœna, ùt conſtat in perſecutione *Abſalon*, in peſte, &c. ex quo habetur, quòd culpa tota ſimul tollitur: pęna autem diviſibiliter remittitur.

In peccato datur averſio a Deo, & converſio ad creaturam.

26 *Ad majorem explicationem* advertenda eſt alia doctrina Angelici Doctoris 3. *parte quæſt.* 88. *art.* 1. In quolibet peccato datur averſio a Deo, qui contemnitur, & converſio ad creaturam, quæ præfertur. Ex parte averſionis omnia peccata conveniunt, & important privationem gratiæ, & æternæ vitæ; ex parte converſionis peccata differunt, & inæqualia ſunt quoad reatum pœnæ: unde ſequitur, quòd in ipſo inferno pœna quoad intenſionem major ſit in uno, quàm in alio; quam pœnarum diſtinctionem contra *Jovinianum* ſtatuit Eccleſia. *In peccato*, ita D. Thomas, *ſunt duo, ſcilicet averſio a Deo, & converſio ad bonum creatum. Quidquid autem eſt ex parte averſionis in peccato mortali ſecundùm ſe conſideratum eſt commune omnibus peccatis mortalibus; quia per quodlibet peccatum mortale homo avertitur a Deo; unde & per conſequens macula, quæ eſt per privationem gratiæ, & reatus pœnæ æternæ communia ſunt omnibus peccatis mortalibus, & ſecundùm hoc intelligitur id, quod dicitur* Jacob. 2. *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus. Sed ex parte converſionis peccata mortalia ſunt diverſa, & interdum contraria.* Ex hoc principio eruitur, peccata mortalia deleri ſimul omnia quoad maculam, & pœnam æternam per gratiam ſanctificantem; etſi infinita eſſent; ſimulque infinita radicata; quia privatio per formam oppoſitam tollitur ratione incompoſſibilitatis: ſecus autem quoad reatum, & quoad alia vulnera, quæ oriuntur ex parte converſionis, ex qua inæqualitatis ratio habetur.

Privatio tollitur ratione incompoſſibilitatis per formam oppoſitam.

Sanguis Chriſti nobis applicatur media diſpoſitione noſtra,

Hinc ad rem. Sanguis Chriſti emundat nos, ſi nobis applicetur. At ſtatutum eſt, ut nobis applicetur media noſtra diſpoſitione, ne Chriſti Paſſio ſit nobis velamen iniquitatis, neve otioſi ejus fructum percipiamus. Diſpoſitio iſta naturis rerum accommodari debet, ùt patet in Sacramentis. Baptiſmus, quia eſt Eccleſiæ janua, ſeu medium regenerationis ſpiritualis, producit primam gratiam, atque in ſubjecto diſpoſitionem ſtatui mortuorum accommodatam requirit. Eucharìſtia, quæpote ſit nutritionis Sacramentum, ſecundam gignit, non primam gratiam, & in ſubjecto requirit diſpoſitionem ſtatui vivorum accommodatam. Cùm ergo jus odii, reatus culpæ, & pœnæ æternæ de natura ſua tollantur ſimul, & indiviſibiliter ob incompoſſibilitatem formæ, & privationis; jus verò compenſationis juſtitiæ, & reatus pœnæ temporalis ex natura ſua non auferatur ſimul, & indiviſibiliter, ſed paulatim, & inæqualiter; idcircò non eodem modo ſanguis, ùt emundativus, & expiativus operatur ſub ea-

Quomodo ſanguis Chriſti eſt expiativus, & emundativus.

dem diſpoſitione contritionis; quoad culpam diſpoſitio concurrit per viam incompoſſibilitatis, adeoque ſimul, & indiviſibiliter eſt emundativus; quoad temporalem pœnam per viam ſolutionis, atque adeo paulatim, & inæqualiter eſt expiativus.

Res ſimilitudine illuſtratur. Cubiculo obſcuriori, ac perfrigido ignem immitte, qui ſimul eſt illuminativus, ac calefactivus. Statim cubiculum illuminatur: at non ſtatim eodem modo, & in omnibus angulis calefit. Cur hoc? quia tenebras excludit vi incompoſſibilitatis, cum lux ſit forma, cujus privatio ſunt tenebræ; frigus autem expellitur vi cauſalitatis, qua calor paulatim calefacit ambiens, & paulatim minuit intenſionem frigoris. Inſuper ſanguis Chriſti eſt efficaciſſimus tam ùt regenerativus, quàm ùt ſanativus; venit enim Chriſtus & ùt Pater, & ùt Medicus; & tamen non æqualiter eodem modo operatur; quia ſe accommodat naturæ generationis, & ſanationis. *Angelicus* 4. diſt. 14. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 1. *Pœnitentia non comparatur generationi, ſed magis ſanationi; quia per pœnitentiam homini non datur nova vita, ſed in priſtinam vitam reparatur. In ſanatione hoc videmus accidere, quòd ſanitate reſtituta, adhuc reliquiæ aliquæ morbi manent ante perfectæ ſanationis reſtitutionem: ita etiam ante completam pœnitentiam, reliquiæ actualis peccati manent.* Hinc Propheta peccato vulneratus ſanationem petebat dicens: *Sana, Domine, animam meam, & ſanabor*: & alibi relictas cicatrices poſt dimiſſam culpam agnoſcit, quæ neglectæ ad ſaniem venerant, & nova induxerunt vulnera: *Corruptæ ſunt cicatrices meæ a facie inſipientiæ meæ.* Ubi S. Thomas: *Cicatrix ex vulnere relinquitur: ita etiam, quando quis peccavit, & dimiſſum eſt ei peccatum, ſed adhuc eſt pronitas ad peccandum, & quaſi cicatrix ex vulnere; quandoque autem Deus ſanat eam per ſatisfactionem, & exercitium bonorum operum*; Hierem. 31. *obducam cicatricem tibi, & a vulneribus tuis ſanabo te*: & pergit explicare, quemadmodum per negligentiam cicatrices non cuſtoditæ recrudeſcunt. Cùm ergo Chriſtus ùt Pater nos regeneret ad gratiam per Baptiſmum, & per pœnitentiam nos curet ùt Medicus; ideo ſuam gratiam peccatoribus communicat proportionabiliter ad curationem vulnerum. Quod expreſſit in illo Samaritano a Latronibus vulnerato, qui ſanatis vulneribus per alligationem, & infuſionem olei, & vini, adhuc in ſtabulo a languore ſanatur, & a cicatricibus curatur. *Jam utique errori ejus indultum fuit, & tamen ſanatur languor in ſtabulo*: ait Auguſtinus. Juſtificatio igitur eſt opus quidem Dei, ſed dependenter a noſtra diſpoſitione, & ſic diverſimodè ſanguis Chriſti eſt emundativus, & expiativus.

Ignis in cubiculo obſcuro, & frigido diverſimodè illuminat, & calefacit.

Chriſtus eſt Pater, & Medicus.

Recrudeſcunt cicatrices, ſi negligantur.

Samaritanus in ſtabulo a languore ſanatur.

27 DICES. Deus non plus exigit in pœna, quàm erat in culpa: ſed major eſt dolor de peccato in contritione, quàm fuerit in peccando delectatio; quia quantitas doloris in peccatum eſt ſecundùm quantitatem amoris Dei, qui eſt major, quàm omnis cupiditas rei temporalis, ùt habet gloſſa ſuper illud: *dilexiſti mandata tua ſuper aurum.* Et Auguſtinus in illud: *bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti*; ergo pœnitentia a toto reatu abſolvit.

S. THOMAS loco cit. diſt. 14. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 2. propoſito ſibi argumento reſpondet, *quòd ſecundùm Philoſophum in 5. Ethic. in recompenſatione injuriæ juſtitia commutativa non ſemper æqualem quantitatem abſolutè in pœna infert ei, qui in culpa fuit; non enim ſi aliquis percuſſit Principem, oportet ipſum ſolùm repercuti, ſed etiam graviùs puniri: infert tamen æqualem pœnam habita priùs comparatione ad Perſonam, in quam culpa commiſſa fuit: & ideo cùm per pœnitentiam homo de ſe ipſo juſtitiam Deo faciat, non ſufficit tantus dolor in pœnitentia, quanta fuit delectatio in culpa; quia illa delectatio in injuriam Dei fuit, inquantum Deo prætermiſſo, homo delectationi ſe ſubdidit ad peccandum.* Hinc ſolutam habes aliam inſtantiam. Contritio remittit culpam, & pœnam æternam, quæ eſt maxima; ergò multò magis pœnam temporalem; quia culpæ, & pœnæ æternæ directè opponitur: temporali autem pœnæ nequaquam, ùt explicatum eſt.

Non ſufficit tantus dolor in pœnitentia, quanta fuit delectatio in culpa.

SOLVUNTUR RELIQUA ARGUMENTA.

28 OBJICIUNT 2. Scriptura docet, peccatum a Deo gratis omnino, & liberaliter dimitti, ad Rom. 3. v. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Sed ſi noſtram compenſationem exigeret, gratis non remitteret peccatum; ergo.

RESPONDEO. Gratis remittitur peccatum; quia gratis nobis donat gratiam juſtificantem, quâ ex inimicis amici efficimur, & filii Dei; neque huic gratuitæ condonationi repugnat debitum pœnæ temporalis: ſicuti in humanis Pater dimittit filio furtum, & tamen eum flagellat ad correctionem: offenſus gratis dimittit offenſam, & jus odii; & tamen ſæpè exigit compenſationem læſi honoris.

Gratuitæ condonationi non repugnat debitum pœnæ temporalis.

29 OBJICIES 3. Omnis pœna, quæ a Deo infligitur hominibus in ultionem, exit a Deo irato, & ideo Pſalmiſta divinam metuens punitionem, ſic orat Pſalm. 31. verſ. 1. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Sed juſtis Deus non iraſcitur; ergo nulli juſto pœnam infligit in ultionem, ſed in exercitium virtutis, ùt ait *Auguſtinus* lib. 2. de peccat. meritis, & remiſſione cap. 34. *Pœnas iſtas ante remiſſionem ſupplicia eſſe peccatorum, poſt remiſſionem verò certamina, exercitationeſque Juſtorum.*

RESONDETUR hoc *Kemnitii* argumentum prorſus æquivocum eſſe. Æquivocat in verbo *iræ*, in verbo *ultionis*. Primò; quia per iram intelligit odium, abominationem: & vult omnem pœnam infligi a Deo ex odio, & abominatione: idemque intelligit per verbum *ultionis*, quaſi quòd idem ſit ulciſci peccatum, & abominari peccatorem. Hæc omnia ſunt falſa; plures enim Deus punivit propter jam dimiſſum peccatum, quos ſingulari diligebat amore, ùt patet exemplis in concluſione poſitis, ubi ſignanter notavimus cauſales, *quia comediſti; quia blaſphemare feciſti; quia prævaricati eſtis; quia non obedient fuiſti.* Nomen ergo iræ accipitur aliquando etiam pro exercitio juſtitiæ vindicativæ; & ideo *Michæas* Propheta Domini, & amicus cap. 7. v. 9.

Deus peccatoribus converſis non infligit pœnam ex odio, & abominatione.

v. 9. ait. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei*, ideſt pęnam ſuſtinebo peccatis meis ea juſtitia debitam. Iſaias cap. 12. v. 1. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi*. David Pſal. 76. v. 10. loquens de calamitatibus præſentis vitæ, quæ peccatum originale conſequuntur: *aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas*. Quando autem orat, ne in furore Dominus corripiat eum, loquitur de correptione æternæ damnationis. Nec favet Hæretico *Auguſtinus*; concedit enim ipſe aliqua ſupplicia deſervire juſtis pro certamine, ſed non de omnibus. Centiat namque expreſsè ponit, Deum verè punire temporalibus pęnis peccata jam dimiſsa: ſufficiat dictum ipſius in Enchitid. cap. 66. *De quibuſdam temporalibus pœnis, quæ in hac vita peccantibus irrogantur eis, quorum peccata delentur, ne reſervarentur in finem*: ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. *ſi enim noſmetipſos dijudicaremus, a Domino non corripiemur*.

Aliquando juſtis ſupplicia deſerviũt ad certamen, aliquando ad punitionem.

30 DICES. Exempla Scripturæ ex veteri Teſtamento non valent in lege nova, quæ eſt lex gratiæ, & amoris: vetus autem timoris, & ſervitutis. Licèt ergo dimiſſa peccata in tali lege punirentur, hoc non probat in lege gratiæ.

RESPONDETUR. Cùm Hæretici adducant textus veteris Teſtamenti ad probandos ſuos errores; cur non itidem ſit nobis fas ejuſdem auctoritate, & exemplo catholicam veritatem confirmare? Adducunt textum David: *Domine, ne in furore tuo arguas me* &c. Liceat ergo nobis adducere ejus pęnitentiam? Neque verò nobis ſolummodo ſuffragatur Teſtamentum vetus; neque id ſolùm afferunt Patres, ſed plura quoque addunt alia teſtimonia ex nova lege, ùt illud Baptiſtæ: *facite fructus dignos pœnitentiæ*. Illud Pauli 1. ad Corinth. 11. v. 30. *ideo inter vos multi imbecilles, & dormiunt multi; quòd ſi nos metipſos dijudicaremus, non utique judicaremur; dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Sicut etiam 1. ad Corinth. 5. v. 5. *Tradere Satanæ in interitum carnis* &c. Conſulantur *Origenes* Hom. 5. in Levit. *Cyprianus* lib. 1. epiſt. 3., & 8. *Auguſtinus* in Enchir. cap. 70. & alibi: *Hieronymus* in cap. 6. Oſeæ: *Gregorius* lib. 9. in Job cap. 27. Deinde ex inſtantia Hæreticorum: Sanctus *Paulus* ad Hebræos cap. 10. v. 29. oppoſitum aſſerit: majori enim pęna nunc digni ſumus peccantes, quàm Patres noſtri; quia nos in Chriſtum peccamus: *Quantò magis*, inquit, *putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui Sancto contumeliam fecerit*. Quid clariùs?

Conveniunt Sancti Patres in aſtruenda neceſſitate pœnitentiæ.

31 Sancti Patres inconſideratè, & hyperbolicè locuti ſunt: (ita Sanctiſſimos viros, & primitivæ Eccleſiæ magiſtros veneratur *Kemnitius*) qui tamen in hac ipſa calumnioſa reſponſione vel invitus fateri cogitur Patres nobiſcum ſentire. Sanè eoſdem, & ſincerè locutos fuiſſe conſtat ex conſonanti ipſorum doctrina cum ſcripturis, ex unanimi conſenſu inter ipſos, & ferventiſſimo animarum zelo. Cur ſuavitatem Calviniſtarum, & Lutheranorum non docuiſſent, ſi vera eſſet doctrina, ut lucrifacerent Judæos, Gentiles, aliaſque gentes, quæ Chriſti Evangelium reſpuebant propter Crucis, & pœnitentiæ arduitatem? Anne lumine Sancti Spiritus fuerant deſtituti, dum juſtitiam Dei commendabant, & ad pęnitentiæ, & afflictionis opera enixè populos adhortabantur?

Kemnitii *incohærentia.*

32 OBJICIUNT 4 Chriſtus abundanter, & cumulatiſſimè ſatisfecit pro peccatis noſtris; ſed ſi dimiſsâ culpâ, reatus pęnæ temporalis remaneret, nec abundanter, nec cumulatiſsimè ſatisfeciſſet; nam ulterior exigeretur ſatisfactio: ergo. *Major habetur* apud Iſaiam clarè; ſufficiat tamen D. *Pauli* ad Rom. 5. v. 20. auctoritas: *ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia, ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam*. Illa particula *regnavit peccatum in mortem* tangit culpam, & pœnam peccati, ſcilicet mortem; ergo ſi ſuperabundanter pro nobis ſatisfecit: & pro culpa, & pro pœna omnimodè ſatisfecit.

RESPONDEO *retorquendo argumentum in Adverſarios*. Chriſtus pro nobis abundanter non ſolùm ſatisfecit, ſed nobis meruit dona gratiæ, & gloriæ, virtutes, & earum exercitium. Cur ergo petimus quotidie vitam æternam: *Adveniat Regnum tuum*? Cur remiſſionem peccatorum: *dimitte nobis debita noſtra*? Cur gratiam auxiliantem, ne labamur: *& ne nos inducas in tentationem*? Si Chriſtus abundanter ſatisfecit, cur *Paulus* ad Coloſſenſes 1. v. 24. clamat: *Adimpleo ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti in carne mea*? Si juſtificati per Chriſtum nihil pati debemus, cur *Paulus* ad Rom. 8. v. 17. ait: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut et conglorificemur*?

RESPONDETUR igitur, pro nobis abundanter Chriſtum ſatisfeciſſe, ſed ne ejus Paſsio deſerviret pro velamine iniquitatis, & otioſitatem foveret, noluit, ut actu prodeſſet, niſi applicata nobis cooperantibus. *Ideo*, inquit Apoſtolus, *adimpleo ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti in carne mea; & cohæredes Chriſti, ſi tamen compatimur*. Neque enim Paſsio Chriſti, quæ exceſſum divinæ bonitatis, & miſericordiæ commendat, rectum ordinem rerum, & juſtitiæ debuit invertere; rectus autem rerum ordo exigit, ut qui voluntariè ab ultimo fine receſsit, ad eundem voluntariè per ſuos actus accedat; unumquodque enim Deus perficit ſecundùm propriam naturam; juſtitia verò poſtulat, ut ad æqualitatem reducatur jus alterius læſum; peccans verò per converſionem voluptuoſam ad bonum commutabile lædit jus creaturarum plus juſto ſibi indulgendo, & illis abutendo; quamobrem reparetur, oportet mediâ pœnitentiâ, per quam tantundem ſibi ſubtrahat, quantum ſibi indulſit. Itaque dicitur Sap. 11. ver. 17. *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. Et Apoſt. ad Rom. 6. v. 19. *Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*. Ubi vides? licèt Paſsio Chriſti fuerit abundans, & copioſa; ferenda eſt tamen pœna in corpore, per quod peccavimus.

Paſſio Chriſti alia non prodeſt, niſi nobis applicata.

Qui voluntariè a Deo receſſit, voluntariè ad Deũ debet accedere.

Juſtitia exigit, ut ad æqualitatem reducatur jus alterius læſũ.

33 DICES primò. Undenam ergo elu-

eſt ſuperabundantia Divinæ Redemptionis; ſi pœna ulteriùs nobis remanet ſolvenda?

Chriſtus ſuis meritis nobis obtinuit remiſſionem injuriæ, maculæ, & pœnæ æternæ reatus,

Reſpondetur, in eo explendeſcere, quod irremiſſibiliter nobis debebatur pœna æterna; quia nobis impoſſibilis erat ſatisfactio ad æqualitatem pro peccato; Chriſtus verò ſuis obtinuit meritis remiſſionem injuriæ, maculæ, & reatus pœnæ æternæ: ſuſtulitque debitum æqualis, & condignæ ſatisfactionis, utcunque nobis remaneat aliquod debitum ſatisfactionis temporalis remiſsâ culpâ, condonatoque reatu ſupplicii ſempiterni. Præterea in eo relucet, quod plura media conſtituit uniuſcujuſque ſtatui accommodata, per quæ applicetur meritum paſſionis ejus. Deinde in eo etiam magis elucet, quod cumulum auxiliorum, quibus reparemur, & præſervemur a lapſu, præparavit, & abundantiam obtulit donorum gratiæ, & gloriæ ſuperexcedentium gravitatem, & turpitudinem peccati, nec non magnitudinem æternæ pœnæ.

34 DICES *ſecundò*. Extincto totaliter omni debito, nullus remanet locus ulterioris ſatisfactionis. Sed poſitis Chriſti meritis utpotè infiniti valoris, noſtrum omne debitum extinguitur; ergo fruſtrà requiritur ulterior ſatisfactio.

Debitum objectivum, & ſubjectivum.

RESPONDEO. Duplex eſt debitum, objectivum, & ſubjectivum. Debitum objectivum appello jus læſum Divinæ Majeſtatis per juſtam compenſationem æquandum: debitum ſubjectivum dico cooperationem, quæ exigitur ex parte ſubjecti, ut ei efficaciter proſit Chriſti paſſio. Chriſtus extinxit debitum omne objectivum, ſeu ex parte rei debitæ; quippequi adæquatè reparavit jus læſum Dei per peccatum; non tamen extinxit omne debitum ſubjectivum, ſeu ex parte medii efficacitatis; non enim perinde ſatisfecit, ut voluerit nobis prodeſſe abſque noſtra cooperatione. Quare Auguſtinus: *Qui facit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*. Inſuper Calviniſtas, & Lutheranos interrogo: ſi Chriſtus totaliter omne debitum extinxit, cur abſque Baptiſmo, & Fidei merito non proſit ejuſdem Paſſio Parvulis, & Adultis? Reſpondebunt; quia neceſſaria eſt applicatio. Hoc idem nos reponimus, addentes plura eſſe media faciendæ hujuſmodi applicationis, inter quæ eſt ſatisfactio, & afflictio.

35 INSTABIS. Vel noſtræ pœnalitates verè alicujus vim habent ſatisfactionis apud Deum, vel nullam. Si hoc dicitur; ergo nihil juvant, & incaſſum gravantur Fideles. Sin verò aliquam vim habent; ergo Chriſti ſatisfactio fuit imperfecta, quæ non omnem exhauſit ſatisfactibilitatis condignitatem.

Hoc telum redit in adverſarios. Sic enim inſtamus. Vel fides juſtificans vim habet trahendi ad nos meritum Paſſionis Chriſti, vel non. Si negant; ergo quid juvat? Sin autem affirmant: ergo Chriſti meritum fuit imperfectum, cùm non omnem exhauſerit meriti condignitatem. En quomodo eadem difficultas ipſos æquè Hæreticos premat? Dico igitur pœnalitates in ſtatu gratiæ exercitas vim ſatisfactivam habere ex imperfecta juſtitia; nec inde ſequi, imperfectam eſſe Chriſti ſatisfactionem; quia licèt ex ſe ſufficientiſſima fuerit, noluit tamen eam nobis prodeſſe,

Pœnalitates vim habent ſatisfactivã ex imperfecta juſtitia.

nisi & nos medio ejus auxilio ponimus, ac **A** rependimus Deo, quantum noſtræ vires ferunt, & ad hoc, ut rectus ordo rerum ſervetur, & homo perficiatur, ſibi ſubtrahendo, quantum ſibimet indulſit. Hactenus dicta elucidantur exemplo. Deus ſe ſolus poteſt in viſceribus terræ aurum producere: ergo Sol nihil juvat in productione auri? Nequaquam; quia licèt Dei concurſus ſufficiat ex ſe; nihilominus creatura ſimul aſſumpta revera concurrit, neque ex creaturæ concurſu inſufficientia ex parte concurſus Dei deducitur.

Noſtra ſatisfactio non eſt ſupervacanea.

36 URGEBIS: ergo Deus eſt injuſtus; cui per Chriſti Paſſionem plenè ſatisfactum eſt; & nihilominus exigit a creatura compenſationem. **B**

Deus noluit acceptare Chriſti ſatisfactionem, niſi ſub conditione noſtri concurſus.

RESPONDEO *nego conſeq.* Primum actum, quem Chriſtus elicuit pro nobis, utpotè abundè ſatisfactivum, noluit ſine nota injuſtitiæ Deus acceptare, niſi ſub conditione conſummationis per Crucem. Nec aliter Chriſti Paſſionem utcunque ſufficientiſſimam, Deus noluit efficaciter prodeſſe, niſi hac, vel illa conditione modificaretur. Ratio a priori eſt; quia non merebamur a Chriſto redimi, nec Deus tenebatur Filium ſuum tradere pro peccatis noſtris, neque oblationem ejus boni facere. Ex ſua tamen clementia eidem placuit Filium ſuum Unigenitum **C** dare. Sed ne bonitas ſua nos otioſos relinqueret, non niſi hac, vel illa conditione placuit. Si plebeius Equitem injuriâ afficiat, & alius Princeps æqualem offerat pro offenſore ſatisfactionem, poteſt offenſus hanc, vel illam conditionem ex parte offendentis exigere, ne anſam det ruſtico in ipſum denuò inſurgendi.

37 OBJICIUNT 5. Ablatâ cauſâ tollitur effectus. Sed culpa eſt cauſa pœnæ; ergo ſublatâ culpâ nullus remanet temporalis pœnæ reatus.

RESPONDENT hi, qui docent in remiſſione peccati, æternam temporaneâ pœnam **D** commutari, reſpondent, inquam, reatum demeriti æternæ pœnæ eſſe intrinſecum maculæ, minimèque tolli extinctione, ſed mutatione in aliud, in quo virtualiter ſecundùm aliquam ſui proprietatem perſeverat, donec adæquata fiat compenſatio. Sed quidquid ipſi velint, nos

Peccatũ triplex jus fundat in Deo, odii, ſatiſfactionis, & vindictæ.

Reſpondemus. Peccato mortali triplex conſtitui jus in Deo. *Primum* rationabilis odii in peccatorem propter deſtructam, & deperditam amicitiam. *Secundum* condignæ ſatisfactionis propter injuriam Deo irrogatam, & jus honorabilitatis violatum. *Tertium* vindictæ propter legis tranſgreſſionem: quæ jura tamen **E** ſeparari queunt. Nam ablato jure rationabilis odii, poteſt remanere jus compenſationis, & vindictæ. Obvium eſt exemplum in humanis. Paulus dehonorat Franciſcum: hæc dehonoratio conſtituit jus *odii* in Paulo erga Franciſcum, *compenſationis* ob læſum honorem, *vindictæ* ob publicæ legis tranſgreſſionem. Paulus poteſt odium deponere, & inimicum diligere; attamen viget adhuc jus ſatisfactionis, & vindictæ, ut juſtè poſſit utrumque per Judicis ſententiam poſtulare. Itidem aliud exemplum occurrit ex Scripturis. *Abſalom* graviter offenderat Davidem

Fratre

Fratre interempto: reconciliatur precibus Thecuanæ mulieris: nihilominus privatus eſt Abſalon ad duos annos Patris conſpectu. Haud aliter ſa gerit erga nos Cœleſtis Pater, dum peccata nobis dimittit. Non eſt igitur jus vindictæ eſſentialiter *in facto eſſe* connexum cum reatu culpæ, ſed ſolùm *in fieri*; unde remiſsâ culpâ, poteſt adhuc remanere jus vindictæ, ſeu reatus pœnæ temporalia.

Jus vindictæ non eſt eſſentialiter connexum in facto eſſe *cum* r*eatu culpa, ſed ſolùm* in fieri.

38 DICES. Jus compenſationis ineſt offenſæ paſſivæ. Sed poſt ablatum homini peccatum non remanet in Deo offenſa paſſiva; ergo non remanet jus compenſationis. *Minor probatur*; tum quia Deus juſtificatum diligens, nequit eſſa illi offenſus; tum quia offeuſa paſſiva oritur ex activa; quæ cùm in juſtificato non reſidear, neque paſſiva reſidet.

RESPONDEO *diſtinguo minorem*: non remanet offenſa paſſiva adæquatè, *concedo*: inadæquatè *nego minorem*. Non remanet adæquatè offenſa paſſiva ſecundùm tria jura ſuperiùs enumerata, ſed inadæquatè ſecundùm aliqua. Ideo ad probationem, utique fatemur, Deo amari juſtificatum. Hoc tameu probat ſolummodo non remanere offenſam quoad jus odii, & inimicitiæ; implicat enim Deum homini infundere gratiam ſanctificantem, & ilium non reddere objectum amabile, & actu eundem non diligere; cùm hæc infuſio terminus ſit divinæ dilectionis, cui tamen non pugnat jus vindictæ, & compenſationis: ſicut exemplo Davidis rem clareſecimus. *Ad ſecundam probationem* DICO: offenſa paſſiva oritur ab activa, ùt phyſicè exiſtenie in homine, ſi conſideretur offenſa proot fundat jus odii: ſin autem attenditur prout fundat jus vindictæ, & compenſationis, pendet ab activa, non ùt phyſicè exiſtente in homine, ſed prout moraliter eaiſtit in divino judicio, quatenus plenè non fuit retractata, quantum erat neceſſe, ut omnimodè deleretur quoad jura omnia, quæ fundat.

Remiſsâ culpâ remanet in Deo offenſa inadæquatè.

39 INSTABIS. Eſſe reum ſonat aliquod malum. Sed reatus compenſationis, & vindictæ denominat hominem reum. Ergo eſt aliquod malum. Sed nullum malum eſt in juſto per gratiam mundato; ergo: maximè quòd poſſet Deus recuſare imperfectam hominis ſatisfactionem, & per conſequens juſto æternam vitam denegare; unde in renatis eſſet aliquid damnationis.

RESPONDEO, reatum alium eſſe demeriti, & intrinſecum omnino: alium juſtitiæ, & extrinſecum. Primus eſt de genere mali moralis, utpotè indiſpenſabiliter connexi cum macula: alter verò non importat malum morale, cùm non ſit culpæ connexus, ſed ab ea ſolùm originem habuit in fieri, & in facto eſſe manet in divino judicio. Neque Deus ùt juſtus Judex poteſt creaturæ ſatisfactionem recuſare; & æternam vitam negare; cùm de facto gratiam infundat cum voluntate eam acceptandi, & juſtus ad divinam Juſtitiam admiſſus jus haber exigens, ut Deus oblatam admittat compenſationem.

Reatus alius eſt demeriti, & intrinſecus, alius juſtitiæ, & compenſationis.

Deus non poteſt recuſare imperfectam juſti ſatisfactionem.

40 Neque dixeris inexplicabile eſſe, in quo reatus hujuſmodi conſiſtat. Jam in decurſu Controverſiæ pluries explicui, & iterum breviter explico. Peccatum actuale quamvis in eſſe phyſico tranſeat: remanet tamen habitualiter phyſicè, & moraliter: phyſicè in macula peccatori intrinſeca: moraliter, quatenus non fuit retractatum. ita macula per gratiam phyſicè ablata, & totaliter peccatò prætetitò retractatò quoad injuriam conſtituentem jus odii, perſeverat moraliter, ut fundet jus vindictæ. Hæc verò perſeverantia moralis partim eſt purè extrinſeca, ſecundùm quod denominationem extrinſecam importat ortam a lege divinæ Juſtitiæ taxantis pœnam peccatis ſecundùm eorum gravitatem, & vocatur reatus juſtitiæ. Partim verò eſt moraliter intrinſeca; quatenus aliqua formalitas peccati remanet irretractata.

Explicatur, in quo conſiſtat reatus pœnæ temporalis.

Ad cujus intelligentiam NOTO ex D. *Thoma* locis in ſexta probatione citatis. In peccato datur averſio a bono incommutabili, & converſio ad bonum commutabile, & hoc etiam in peccatis odii, & omiſſionis; quia odium oritur ex amore alicujus boni, & omiſſio ex occaſione alicujus actus poſitivi. Bonum autem commutabile, ad quod fit converſio, eſt bonum proprium, ut formalizatum ab objecto pravo, quod hìc, & nunc inordinatè amatur.

In peccato datur averſio, & cõverſio.

Rurſus. Converſio ad bonum commutabile dupliciter conſideratur: primò ùt gignit averſionem a Deo: ſecundò, ùt dicit voluptuoſam adhæſionem ad objectum amatum, prout intensè nimis amans bonum finitum: prout vitioſam affectionem importat ad bonum proprium, & ſui commodum, ſeu ut eſt affectio retardativa ferventis converſionis ad Deum. Juxta primam formalitatem tollitur per gratiæ infuſionem: juxta aliam ſæpè remanet, donec retractetur formaliter, vel æquivalenter, tantundem ſibi ſubtrahendo, quantum ſibimet indulſit. Explicat ulteriùs S. *Thomas*. Converſio ad commutabile bonum non conſiſtit ſolùm in voluntate, ſed etiam in uſu voluptuoſo aliorum membrorum. Per gratiam ſanatur voluntas; at non ſemper compenſatur illa ſatisfactio, & voluptas capta ab aliis membris, donec tantundem incommodi ſubeat homo ex objectis pœnalibus, ùt dicebat Apoſtolus ad Rom. 6. *Exhibeamus membra noſtra* &c.

Bonum commutabile dupliciter conſideratur.

Explicat magis, magiſque idem Doctor Angelicus ex alio capite. In peccato intervenit quidam abuſus creaturarum, læditurque earum jus, quatenus creatæ fuerunt, ut homini deſervirent in ordine ad ſuum ultimum finem; homo verò ipſis abutitur. Ut ergo jus creaturarum reparetur, neceſſe eſt exceſſum illum converſionis, & objecti creati abuſum per pœnæ tolerantiam ad æqualitatem reducere.

In peccato intervenit quidam creaturarũ abuſus.

ADVERTE. D. *Thomas* aliquando vocat converſionem illam inordinatam, non in eo ſenſu, quòd ſit adhuc venialiter peccaminoſa, ſed inordinatam appellat materialiter; quia eſt effectus peccati, & quædam, ut ita loquar, *viſcoſitas* ejuſdem: inordinata vocatur, quo proportionali modo concupiſcentia peccatum vocatur. Dixi, *donec formaliter, vel æquivalenter retractetur*; quia illa moralis perſeverantia auferri poteſt per indulgentias, & ſuffragia aliorum; nam voluntas acceptandi aliorum bona opera ſufficientem voluntarietatem, & diſplicentiam includit commiſſi peccati.

CON-

CONTROVERSIA II.

AN SCRIPTURIS VETERIS TESTAMENTI PROBETUR PURGATORIUM .

Hæretici negãt, poſſe demonſtrari ex veteri Teſtamento Purgatorii exiſtentiam .

41 REcentiores Hæretici non abſque riſu negant, poſſe ex vetere Teſtamento oſtendi Purgatorium exiſtere . Contra quos, antequam Scripturarum loca adducam, breviter noto ex his, quæ communiter habentur in Controverſiis de verbo Dei ſcripto, in textibus Scripturæ abſq; ulla confuſione plures litterales ſenſus admitti . Ita ſentit *Auguſtinus* lib. 12. confeſſ. cap. 18. *Quid mihi obeſt, cum diverſa in his verbis intelligi poſſint, quæ tamen vera ſint ? Quid, inquam, mihi obeſt, ſi aliud ego ſenſero, quàm ſenſit alius eum ſenſiſſe, qui ſcripſit .* De Doctrina Chriſtiana lib. 3. cap. 27. *Nam quid in eloquiis largius, & uberius potuit divinitùs provideri, quàm ut eadem verba pluribus intelligantur modis* : & paulo ante : *quando autem ex iiſdem Scripturæ verbis non unum aliquid, ſed duo, vel plura ſentiuntur, etiamſi latet, quid ſenſerit ille, qui ſcripſerit, nihil periculi eſt ; ſi quodlibet eorum congruere veritati, ex aliis locis ſanctarum Scripturarum doceri poteſt* : & paſſim alibi . Idem ſentiunt *Hieronymus*, *Baſilius*, *Chryſoſtomus* . Rationem ſubdit D. Thomas *quæſt. 4. de potent. art. 1. in corp.* Scriptura in ſuo eſſe conſtituitur per ſignificationem, & eò eſt excellentior, & dignior, quò paucitate verborum, plura ſignificat, atque complectitur . Hinc excellentia commendatur auctoris ; ſicut enim intellectus hominis, quò acutior eſt, plures concluſiones ex eodem omnino principio deducit : ſic quantò ſublimior eſt cujuſquam auctor Scripturæ, tantò paucioribus plura tradit . Cùm ergo Scripturæ Sacræ ſit auctor quàm excellentiſſimus, ad ejus excellentiam ſpectat plura unico ſenſu arcana complecti . Senſus verò litteralis juxta *Hieronymum* epiſt. 150. ad Edibiam, *Auguſtinum* lib. de utilitate credendi c. 3., *Origenem* lib. 4. Periarchon cap. 2., D. *Thomam* 1. p. q. 1. art. 10. ad 3. eſt, qui per verba ſcripta, ſive in acceptione propria, ſive metaphorica ex intentione Spiritus Sancti immediatè ſignificatur . *Dicendum*, ſic D Thomas, *quòd ſenſus parabolicus ſub litterali continetur ; nam per voces ſignificatur aliquid propriè, & aliud figurativè* . Hæc fuere adnotanda adverſus eos, qui plura in Scripturis loca aſpernantur catholicæ doctrinæ conſona ; propterea quod non unus ſit litteralis eorundem ſenſus .

Sacra Scriptura plures litterales ſēſus admittit .

Senſus litteralis continet etiam metaphoricum .

42 PROBATUR *jam concluſio* . Pſ. 65 verſ. 12. *Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium* . Per aquam intelligit *Ambroſius* in Pſalm. 36. Baptiſmum : per ignem Purgatorium . *Hic per aquam*, ait, *illic per ignem : per aquam, ut abluantur peccata : per ignem, ut exurantur* . Idem ſentit *Origenes* Hom. 25. in Numeros . Scio utique *Nazianzenum* Orat. 2. contra Julianum ; *Cyrillum Alexandrinum* in cap. 1. Michææ, aliuſque eundem textum litteraliter coaptare tribulationibus præſentis vitæ, itemque laboribus a populo Iſraelitico exantlatis . Sed quid inde ? cùm ex prænotatis clarè conſtet, unum eundemque textum plures habere, eoſque litterales ſenſus . *Quid mihi obeſt*, repeto prælibata *Auguſtini* verba, *quid mihi obeſt, cum diverſa in his verbis intelligi poſſint, quæ tamen vera ſint ?* Verè hic textus litteraliter exprimit tribulationes, & hujus vitæ labores ; ſed verò etiam veriùs idem textus Purgatorium ſignificat .

Tranſitus per ignem ſignificat Purgatorium .

43 SECUNDUS textus eſt Pſalm. 37. v. 1. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* . In furore corripit Dominus, quos in æternum damnat : in ira, quos purgat in altera vita igne piaculari . *Non ſim inter illos*, ita *Auguſtinus* ibidem commentatur, *quibus dicturus eſt : ite in ignem æternum . . . . Neque in ira tua emendes me, ut in hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non ſit opus, propter eos, qui ſalvi erunt, ſic tamen quaſi per ignem* . S. Gregorius, ſive alter ſub ejus nomine in prim. pſalm. pœnitent. *Sicut major eſt furor, quàm ira : ita arguere majus eſt, quàm corripere : eos corripimus, quos amantes emendamus ; & quia poſt mortem carnis alii æternis deputantur ſuppliciis, alii ad vitam per ignem tranſeunt purgationis, fidelis anima non ſolùm furorem timet, ſed etiam iram abhorret* . Hujuſmodi auctoritas non minus aptè, quàm præcedens probat intentum, utvis alii Sancti Patres textum exponant de pœnis, quas Deus in hac vita infligit .

In furore corripi eſt in æternū damnari, in ira corripi eſt purgari per ignem .

44 TERTIUS habetur Michææ 7. v. 8. *Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi : conſurgam, cùm ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt . Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec cauſam meam judicet, & faciat judicium meum : educet me in lucem, videbo juſtitiam ejus* . Hunc locum *Hieronymus* in caput ultimum Iſaiæ docet intelligi communiter de Purgatorio . Et ſanè in eo dilucidè exprimitur expiatorii ejus ergaſtuli natura . *Quia cecidi : reſurgam* : en juſtificatio a peccato . *Cùm ſedero in tenebris, iram Domini portabo, donec cauſam meam judicet* : ecce tolerantia debitæ pœnæ in obſcuro loco . *Adducet me in lucem* : ecce liberatio a ſupplicio, perſolutâ adæquatè jam pœnâ . Gloſſa Ordinaria textum exponit : *iram Domini portabo hic, vel in Purgatorio* . Alii interpretes Jeruſalem contra Babylonem inducunt ſic loquentem . *Non hoc ille ſenſit*, ſic *Auguſtinus* lib. 12. confeſſ. cap. 25., *quod tu dicis, ſed quod ego dico ; neque tamen negat, quod utrumque noſtrum dici utrumque verum eſſe* .

45 QUARTUS habetur Iſaiæ 4. v. 4. *Si abluerit Dominus ſordes Filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus in ſpiritu judicii, & ſpiritu ardoris* . De Purgatorio interpretatur *Auguſtinus* lib. 20. de Civitate Dei cap. 25. hoc Iſaiæ effatum, quamvis dubitanter ſubdat, intelligi etiam poſſe de quorundam purgatione in extremo judicio : *Niſi fortè ſic eos dicendum eſt, emundari a ſordibus, & eliquari quodammodo, cum ab eis mali per pœnale judicium ſeparantur* . Sed potiorem de Purgatorio ſenſum eſſe indicat per hæc verba : *Verùm iſta quæſtio de Purgatoriis pœnis, ut diligentiùs pertractetur, in tempus aliud differendum eſt* .

Purgatio in ſpiritu judicii, & ardoris eſt Purgatorii demonſtratio .

46 QUINTUS Zachariæ 9. v. 11. *Tu*

quo-

quoque in ſanguine teſtamenti eduxiſti vinctos tuos de Lacu, in quo non eſt aqua. Hic Propheta de purgantibus loquitur animabus in reſurrectione Chriſti eductis; non enim congruit exiſtentibus in Lymbo, ubi eſt aqua refrigerii, ſicut evidenter ex verbis *Lazari*, de quo ajebat Epulo, *hic verò conſolatur*, & ideo ipſe guttam aquæ ad refrigerandam linguam concupiebat. Nec in Purgatorio ſpes, aut ſecuritas beatitudinis conſolatur animas; quia ſpes, quæ differtur, affligit animam, & conſolatio ex ſecuritate beatitudinis a pœnarum acerbitate abſorbetur. Rursùs in Lymbo detenti non propriè dicuntur vincti. Ea ſiquidem alligatio tolleret quietem, qua perfruuntur, & dolorem pareret, quod eſt contra *Auguſtinum* lib. 12. in Geneſ. ad litteram cap. 33. *Neque enim Abraham, vel ille pauper in ſinu ejus, hoc eſt in ſecreto quietis ejus, in doloribus erat*. Neque per hoc, quòd Chriſtus aſcendens in altum, captivam duxerit captivitatem, intelligas Sanctos Patres in Lymbo fuiſſe devinctos; hoc enim appellat ſupra illas animas purgantes, quas deſcendens Chriſtus ad inferos, purgatorii pœnis ſolvit. *Et Chriſti quidem animam*, ſic *Auguſtinus* laudato capite, *veniſſe uſque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, ut eos ſolveret a tormentis, quos eſſe ſolvendos occulta nobis ſua juſtitia judicabat, non immeritò creditur*. Perperam igitur quiſquam rationes tanquam futiles exſufflet *Bellarmini*, dum aſſerit in Purgatorio propriè non conſolari animas, nec propriè vinctas in Lymbo eſſe.

In Lymbo eſt aqua refrigerii.

Animæ in Lymbo propriè non dicuntur vinctæ.

Nat. Alex. *Secul. IV. differt. XLV.*

47 SEXTUS 1. Reg. ultimo: ubi habitatores Jabes Galaad jejunaverunt ſeptem diebus pro *Saulis* morte. 2. Reg. 1. *David* flevit, & jejunavit pro *Saule*, & *Jonatha*, aliiſque occiſis. Sed conſuetudo non erat præcisè in ſignum triſtitiæ, ſed pro ſalute, & defunctorum ſuffragio. Ergo adeſt locus extra hujus vitæ curſum, ubi animæ corporibus egreſſæ tandiu detinentur, ut debita peccatorum exſolvant. *Minor oſtenditur a ſimili*. David 2. Reg. 12. oravit, & jejunavit pro Parvulo ſuo ægrotante; eo autem mortuo nec jejunavit, nec oravit, cùm tamen tunc major eſſet occaſio triſtitiæ, & planctus. Sed audita morte pueri *ſurrexit David de terra, & lotus, unctuſque eſt*; redditque rationem, quare ante mortem jejunaverit, & fleverit: *dicebam enim, ſi fortè donet eum mihi Dominus, & vivet infans; nunc autem, quia mortuus eſt, quare jejunem? Nunquid potero revocare eum amplius?* Si ergo flevit, & jejunavit pro occiſis, quos certè ſciebat nec jejunio, nec planctu eſſe revocandos ad vitam, dicendum eſt, jejunium, & fletum ad animarum refrigerium tetendiſſe. Hæc eſt clara mens V. *Bedæ* in fine expoſitionis allegoricæ in Samuelem. *Rectè, & ad litteram pro mortuis, ut ad requiem pervenire valeant, ſeptem diebus jejunatur*: & licèt titulus operis ſit *expoſitio allegorica*; in adducta auctoritate explicat, ſe loqui de ſenſu litterali, inquiens: *rectè, & ad litteram*. Cùm planè textum non eſſe allegoricè intelligendum monet *Natalis Alexander*, optimè agnoſcens ſub uno poſſe, eodemque titulo, plura contineri. Unde eruditè Seculo II. differt. X. §. XXI. reſpondet *Dallæo* neganti apud

David flevit, & jejunavit pro occiſis, nō pro Filio mortuo.

Græcos uſum Confirmationis ex eo, quòd licèt in Euchologio mentio fiat de unctione; attamen neget Hæreticus illam unctionem ſpectare ad Confirmationem, ſed ad Baptiſmum, propter titulum tractatus *Ordo Sancti Baptiſmatis*: reſpondet, inquam, poſſe titulo Baptiſmatis ſubeſſe ritum Confirmationis, tanquam ab eo diſtinctum, cùm aſſignentur diverſæ orationes &c. Idem dic in noſtro caſu: titulus enim allegoricus complecti etiam poteſt litteralem expoſitionem; præſertim ipſo profitente auctore ſe ſe litteraliter loqui.

48 *Nec valet dicere*: ſciſſio veſtium, & fletus, & planctus, & jejunium eodem animo ſuſcepta ſignificantur a *Davide*. Nemo autem dixerit ipſum veſtimenta ſcidiſſe, & fleviſſe, ut animas defunctorum juvaret; maximè quòd noſſet *Saulem* Deo infenſum, & deſperabundum obiiſſe.

Non contra. Verè ſcindebantur veſtimenta in argumentum doloris, ſicuti nunc pullatas veſtes deferimus. Sed quis neget, aliquem poſſe doloris ſigna edere, ſimulque per jejunium, & fletum defunctis requiem adprecari? per lacrymas precabatur Matri requiem *Auguſtinus* lib. 9. Confeſs. cap. 12. *Libuit flere in conſpectu tuo de illa, & pro illa*. Nec probatur præcisè in argumentum doloris fleviſſe, & jejunaſſe; quia, ut dixi, hoc non fecit defuncto puero. Si ergo pro occiſis hoc fecit, fatendum planè eſt ſanctè, & religiosè cogitantem de refrigerio defunctorum, pro iis in jejunio, & fletu ad Deum preces fudiſſe. Ut autem dici poſſit, fletum, & jejunium occiſis, qui fortè in Purgatorio detinerentur, impendiſſe, non eſt neceſſe, ut ei de *Saulis* ſalute conſtaret: ſufficit, quòd aliquos opinaretur ſalvatos; & ſic pro omnibus externa doloris ſigna dedit, ſed pro electis, ut ad requiem perducerentur, flevit, & jejunavit.

Scindere veſtimenta eſt ſignū doloris.

Fletus, & jejunium poteſt ordinari ad refrigerium animarum purgantium.

49 SEPTIMUS Tobiæ 4. v. 18. *Panem tuum, & vinum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus*. Locus iſte ſuperſtitionem continet, niſi juxta communem ſenſum Interpretum explicetur, ideſt: *inſtrue convivium, & voca fideles pauperes, & presbyteros, ut ipſi poſtmodum orent pro defunctis*; ergo textus ſupponit defunctos poſſe orationibus indigere, & ſuffragium percipere. Sed hujuſmodi animæ non debent eſſe in Inferno; ergo in Purgatorio. Ut res fiat præclarior ad intelligendum, nota. In illo capite plura ſuggerit Filio conſilia *Tobias*: primum pro eleemoſyna facienda ad vivorum levamen: deinde pro mortuis, & quidem mortuis in juſtitia, & charitate; quia ſolummodo hi ſunt refrigerii compotes; addit enim: *& noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus*; quia impiorum preces nihil ſuffragantur. Hinc orta videtur conſuetudo convivii in parentum morte inſtituendi, & eleemoſynæ pauperibus, ac Sacerdotibus erogandæ, ut pro mortuis orent. *Chryſoſtomus* Hom. 32. in Matth. *cur poſt mortem tuorum pauperes convocas? cur presbyteros, ut pro eis orare velint, obſecras?* Heterodoxos locus iſte maximè urget: licèt enim Agapas, vel cibi ad Martyrum ſepulcra deferrentur, nec quiſquam putaret cibos ejuſmodi, qui deinde in pau-

Tobias dat Filio conſiliū eleemoſynas faciendi pro juſtis defunctis in Purgatorio exiſtentibus.

Ex diverſo motivo deferebantur cibi ad ſepulchra Martyrum, ac ad ſepulchra aliorum.

pauperes diſtribuebantur, Martyribus ad requiem prodeſſe; tamen paritas non officit; quia deferebatur de primario Agapas, ut ſanctificarentur, non autem de primario intendebatur pauperum eleemoſyna. Cæterùm *Tobias* nil ibi meminit de ciborum ſanctificatione: monet dumtaxat, ut inſtrueretur convivium, quo pauperes recreati, pro mortuis orarent. Non enim cibi poterant deferri ad ſanctificandum; quandoquidem defunctorum ſanctitas non erat certa.

Agapas erāt convivia, quæ a pauperibus, & divitibus, aut manè, aut veſperè in Eccleſia ſumebantur.

50 ULTIMUS tandem, & omnium Catholicorum conſenſu demonſtrativus locus habetur 2. Machab. 12. Ubi *Judas* miſit Jeruſalem duodecim millia drachmas argenti pro ſacrificiis ob occiſorum requiem offerendis: *Et facta collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum, ſacrificium bene, & religiosè de reſurrectione cogitans*. Deinde Scriptura factum laudat tanquam pium pro defunctis orare: *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*: ideſt a pœnis peccatorum juxta vulgatam Scripturæ phraſim. Vult ergo poſt mortem, poſſe defunctos a peccatis ſolvi, & viventium orationibus adjuvari. *Niſi enim, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret*, hoc eſt liberandos, *ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis*. Ubi adverte ſacrificium minimè fuiſſe oblatum pro quibuſcunque occiſis, ſed pro illis, quos piè credebat mortuos: *& quia conſiderabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam*.

51 Pondus hujuſce auctoritatis ægrè ſentientes Heterodoxi ad vim eludendam oblatrant librum *Machabæorum* non eſſe canonicum; quia lib. 2. cap. 2. auctor fatetur ſe in compendium redegiſſe, quæ a *Jaſone Cyrenæo* fuerant quinque libris evulgata: ſuum exprimit laborem abbreviandi, veniam expoſcens, ſi quid minus dignè ſcripſerit. Sed Spiritus Sanctus neque in compendium redigit profanorum ſcripta, neque laborare, neque errare poteſt, ut veniam errori debeat expoſcere. Ergo

RESPONDEO. Sicuti Spiritus Sanctus profanorum geſta aliquando narrat, & Scripturis ſanctis immiſcet: ita potuit *Jaſonis* ſcripta, quæ cæteroquì veritatem continerent, in epitomem redigere. Licèt autem Divino Spiritui omnia æquè ſint facillima; quia tamen difficilè eſt hominibus, ideo quoad expreſſionem illis ſe accommodat. Veniam autem petit, non quia aliquid veritati contrarium exaraſſet; ſed quia ſcripſit vel ſtylo impolitiori, ſeu breviori, quod ex contextu clarè patet. *Veritatem quidem de ſingulis auctoribus concedentes, ipſi autem ſecundùm datam formam brevitati ſtudentes; ſicut enim novæ domus architecto de univerſa ſtructura curandum eſt: ei verò, qui pingere curat, quæ apta ſunt ad ornatum, exquirenda ſunt: ita æſtimandum eſt & in nobis. Etenim intellectum colligere, & ordinare ſermonem, & curioſiùs partes ſingulas quaſque diſquirere, hiſtoriæ congruit auctori; brevitatem verò dictionis ſectari, & executiones rerum vitare, brevianti concedendum eſt*: 2. Machab. 2. v. 29. Ex quo patet veniam peti, quòd ſingula exactè non pertractaverit; brevianti ſiquidem concedendum eſt.

Spiritus Sanctus aliquando profana geſta enarrat.

52 INSTANT. Lapſus, de quo venia petitur, eſt oppoſitus veritati; quia de facto ibi ait, ſe ſe ea, quæ deſcribuntur de igne abſcondito in everſione Templi, & Civitatis, de igne invento, quando purificatum eſt Templum in reditu Hebræorum, legiſſe in *Jeremia*, & *Nehemia*; ſed hoc eſt falſum, cùm nec apud *Jeremiam*, aut *Nehemiam* tale quicquam nanciſcamur. Ergo.

RESPONDEO. Nil mirum, quòd talia apud laudatos Prophetas non inveniuntur; Libri enim citati, & quibus erat titulus *deſcriptiones Jeremiæ*, & *Nehemiæ*, perierunt. Sæpè contigit, ut primus cujuſquam hiſtoriæ narrator indicet auctores ſibi lectos, & ſæpè relectos, quos tamen injuriæ temporum abſumpſerint. Quot Codices edidit antiqua ætas, quorum vix ſuperſunt tituli? Haud ambigam, Sanctos Apoſtolos alias ſcripſiſſe epiſtolas, quæ interciderunt. Quòd ſi profano Hiſtoriographo aliquem auctorem alleganti fides habenda eſt, niſi de falſimonio coarguatur, annon ultrò fidam librorum Machabæorum Scriptori?

Deſcriptiones Jeremiæ, & Nehemiæ perierunt.

51 OBJICIES 2. In lib. 1. cap. 1., & cap. 6. duo falſa narrantur: 1. *Alexander* dicitur primus in Græcia regnaſſe, cùm tamen ex Græcis hiſtoriis conſtet plures ante ipſum Reges fuiſſe. 2. Dicitur, *Alexander* morti proximus Regnum diviſiſſe, dum adhuc viveret; quod non admittit Q. Curtius. *Credidere quidam teſtamento Alexandri diſtributas eſſe Provincias: ſed famam hujus rei, quamquam ab auctoribus tradita eſt, vanam fuiſſe comperimus*.

RESPONDEO. Nihil falſum ibidem enarrari. *Alexander* dicitur primus regnaſſe in Græcia; quia condito Græcorum imperio primus, & abſolutus Rex fuit, aliis excluſis. Ad ſecundum potior eſt habenda fides Hiſtorico eccleſiaſtico, quàm profano; maximè quia profani Scriptores eam diſtributionem faſſi ſunt, inter quos *Diodorus Siculus* lib. 20. Bibliothecæ hoc idem teſtatur. Aliqui ajunt, factam ejuſmodi diſtributionem a *Perdicca*, qui poſt *Alexandri* mortem recluſo teſtamento, voluntatem Regis exequendam curavit. At ſuſtineri etiam poteſt talis diſtributio tanquam teſtamentaria, & ab ipſo *Alexandro* facta ante mortem, cui dum eſſet proximus, condito Teſtamento, declaraverit, quid in eo contineretur: ſic verificatur diviſum ab ipſo adhuc vivente Imperium.

Alexander primus Græcia Rex dicitur.

Alexandri teſtamentaria voluntas.

54 OBJICIES 3. Lib. 2. cap. 1. dicuntur Judæi in Perſidem ducti, qui tamen reipſa in Babylonia captivitatem ſunt perpeſſi, non verò in Perſide. Ergo.

RESPONDEO. Perſidis nomine accipiuntur finitimæ partes, quæ ſimul cum Chaldæorum Imperio fuerant translatæ, ideoque etiam *Chryſoſtomus* Hom. 6. in Matth. ex Perſide Judæos liberatos docet.

Chaldea comprehendit finitimas partes Perſidis.

55 OBJICIES 4. *Auguſtinus* lib. 2. contra epiſtolam Gaudentii cap. 23. aſſerit, hunc librum non eſſe ejuſdem auctoritatis cum Prophetis, & Pſalmis; eſſe quidem utilem, aſt ſobriè legendum; ergo non valet ad confirmanda fidei dogmata. Hæc *Petrus Martyr*.

RESPONDEO. Mentitur Hæreticus falſando *Auguſtinum*. Non is abſolutè negat eſſe æqualis auctoritatis apud Catholicos, ſed

apud

Ab incautis ſobriè legendi ſunt libri Machabæorũ.

apud Hebræos. Sobriè quidem legendum admouet propter aliqua, quæ inibi deſcribuntur facta, ex quibus incauti occaſionem erroris capere poſſent: ſicuti etiam contingit in aliis Scripturis, ubi nonnulla narrantur, quæ abſolutè non ſunt imitanda.

56 OBJICIES 5. Igitur ex citato textu colligitur Purgatorium; quia laudatur oratio pro defunctis. Sed hoc non probat; ergo. *Probatur minor*. Eodem lib. cap. 14. laudatur *Razias*, quòd ſe ipſum occiderit. Atqui ex hoc non colligitur, licitum eſſe ſe ipſum occidere; ergo.

Ex ſpeciali impulſu Spiritus Sancti plures ſe ipſos occiderũt.

RESPONDEO *negando minorem*: nec probatio ab exemplo *Raziæ* petita quicquam valet: tum quia creditur ex ſpeciali Spiritus Sancti impulſu ſe ipſum occidiſſe, adeoque eſt imitabile, quando adeſt idem impulſus, ſicut de *Sampſone* legitur, & de quibuſdam mulieribus, quæ ad conſervandam virginitatem ſe flammis, aut aquæ dederunt: tum quia non laudatur, quòd piè, & religiosè fecerit, ſed quòd viriliter, & fortiter egerit, ùt notavit *Auguſtinus* lib. 2. citato. Oratio autem pro defunctis laudatur tanquam ſancta, ſalubris, & pia; & ideo *Auguſtinus* idem *lib. 2. cap. 1. de cura pro mortuis*, hoc libro utitur ad probandum fidei dogma de Purgatorii exiſtentia.

57 OBJICIES 6. Locus Purgatorii eſt juſtorum, qui indigent ſatisfacere, donec a peccatis emundati ad æternam beatitudinem aſcendant. Sed ex facto *Judæ* iſte locus non colligitur; ergo. *Probatur minor*. Illi, pro quibus juſſit ſacrificium offerri, mortui erant in mortali peccato; quia acceperant Idolorum donaria, & abſconderant: *invenerunt*, ſic textus, *ſub tunicis interfectorum de donariis Idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, a quibus lex prohibet Judæos*; adeoque æternaliter damnati cenſendi ſunt; non enim poteſt dici ante mortem pœnituiſſe; quia illa proicere debuiſſent.

Non eſt certum, mortaliter peccaſſe Judæos.

RESPONDEO *nego minorem*. Ad probationem ajo, in dubium verti, an lethaliter peccaverint; nam credere ex ignorantia potuerunt, grave crimen non eſſe, accipere Idolorum donaria non quidem animo idolatrandi, ſed auri cupidine, ac deſiderio ditescendi: ſed de hoc infra n. 60. *Secundò*. Fortè non conſtat, eos non pœnituiſſe: ſed oppoſitum probabile eſt, cùm ibi dicatur pro bono pacis, atque pro ſanctis legibus pugnaſſe: adeoque credibile videtur periculum advertentes, in mortis articulo milites de peccato doluiſſe, atque ad Deum in corde contrito, & humiliato clamaſſe. Nec valet, eos donaria non projeciſſe: vel enim non advertetint, vel non erat neceſſe. DICO *tertiò*: quidquid ſit, an in lethali peccato obierint, nec ne, ſufficit *Judam* piè crediditſſe juſtificatos ex hac vita deceſſiſſe, quod ex contextu eruitur: *Conſiderabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam*.

58 OBJIC. 7. Scriptura nec mentionem facit Purgatorii, nec legem continet, ſed unicum affert exemplum; non autem omne tenemur exemplum imitari; ergo.

In dictis libris explicatur Purgatorium quoad rem.

RESPONDEO. Licèt non habeatur mentio Purgatorii quoad nomen, ſufficit quoad rem; neque eſt neceſſe legem ferri, ſed ſatis eſt, quòd doceat, declaret, lauderque mortuorum ſuffragia. Neque unicum proponit exemplum, ſed oſtendit introductum pro defunctis orandi morem. Namque ad ſacrificia pro mortuis celebranda pecuniam collegerat a pluribus, *facta collatione*, inquit Scriptura. Præterquamquod niſi fuiſſet in uſu ritus hujuſmodi pro mortuis ad aram operandi, Sacerdotes novitatem reprobaſſent.

59 OBJICIES 8. Principium, cui *Judas* innititur in hoc facto, eſt erroneum; ergo nullum. *Antecedens probatur, & illuſtratur*. Tale principium conſiſtit in reſurrectione mortuorum: *ſanctè*, inquit, *& piè cogitans de reſurrectione, niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum pro defunctis orare*. Sed hæc cauſalis continet errorem dicentium, animas eſſe mortales; nam ſi ſentiret eas fore immortales, non eſſet ſuperfluum pro eis orare; quippe quia ſuffragia juvarent, ut a pœnis liberentur, ſecluſa reſurrectione.

Deus finaliter nõ confert animabus præmium ſine corporibus.

RESPONDEO, nihil concludere argumentum. Sciens enim Deum non reliquiſſe abſque præmio officia pietatis, cogitabat piè, & religiosè de divina providentia circa bonorum operum præmia. Sed quia Deus promiſit præmia non ſolis animabus, ſed etiam hominibus, nec finaliter illas remuneratur ſine corporibus; ideo ad reſurrectionem recurrit. Quapropter non ſupponit animas eſſe mortales, ſed potiùs oppoſitum; quandoquidem apud Hebræos idem erat corporum reſurrectionem aſſerere, ac animæ immortalitatem: & unum negare, alterum erat admittere, ut patet Act. 23. de controverſia inter Sadducæos, & Phariſæos.

60 INSTABIS. Dictum illud *Judæ* innititur errori, quo putavit, defunctos peccatores a maculis peccatorum emundari poſſe, & ita reſurgere in die Judicii; quare dixit: *ut a peccatis ſolvantur*.

Aliquando ſub nomine peccati venit peccati pœna.

RESPONDEO. In nullo *Judas* erravit; quia Spiritus Sanctus Judam aſſerit piè, & religiosè cogitaſſe de reſurrectione: deinde *conſiderabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam*. Non igitur putavit a macula peccati eſſe purgandos. Quando igitur inquit, *ut a peccatis ſolvantur*, non ſtat pro ſolutione a reatu culpæ, ſed pœnæ. In Scripturis ſæpènumerò ſub peccati nomine pœna peccato debita uſurpatur; unde & concupiſcentia dicitur peccatum, cùm ſit peccati effectus; & Chriſtus dicitur pro nobis ſactus peccatum; quia pro pœna noſtris debita noxis ſatisfaciendi onus ſubiit. Filius quoque dicitur portare patris iniquitatem, ideſt ſupplicium. Quòd ſi a peccatis eſſolutio ad venialem culpam reſtringitur, nullum eſt inconveniens poſt hanc vitam dimitti. Portò illos milites venialiter tantùm peccaſſe, ſuſtinet D. *Thomas* in ſuppl. quæſt. 71. art. 5. ad 2. *Dicendum, quòd donaria mortuorum non fuerunt inventa apud illos mortuos, ut ex eo ſignum accipi poſſet, quod in reverentiam Idolorum ea deferrent, ſed acceperunt, ùt victores; quia eis jure belli debebantur, & tamen per avaritiam venialiter*

peccaverunt ; unde non fuerunt in inferno damnati, & ſic ſuffragia eis prodeſſe poterant : vel dicendum ſecundùm quoſdam, quòd in ipſa pugna, videntes ſibi periculum imminere, de peccato pœnituerunt ſecundum illud Pſalm. 77. cùm occideret eos, quærebant eum ; & hoc probabiliter poteſt æſtimari, & ſic pro eis fuit oblatio facta. Utraq; ſententia ſalvat præceptum Domini datum ſub graviſſimis verbis, & comminationibus Deuter. 7. v. 25. *Sculptilia eorum igne combures : non concupiſces argentum, & aurum, de quibus facta ſunt, neque aſſumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio eſt Domini Dei tui. Nec inferes quippiam ex Idolo in domum tuam, ne fias anathema, ſicut & illud eſt. Quaſi ſpurcitiam deteſtaberis, & velut inquinamentum, ac ſordes abominationi habebis, quia anathema eſt.* Prima igitur ſolutio D. *Thomæ* ſalvat milites a mortali ; quia præceptum eò tendebat, ut periculum idololatriæ evitaretur. Ipſi verò acceperunt donaria abſque hujuſmodi periculo, ſolùmque retinuere illa ex affectu avaritiæ. Secunda itidem ſalvat ; quia ſupponit expurgaſſe per pœnitentiam peccatum.

Donaria idolorum Deus abominatur.

61 DICES. *Judam* ad collationem Sacrificii non movit intentio ſuffragandi animabus defunctorum, ſed Deum placandi, ne propter occiſorum peccata, ſuperſtitem populum puniret ; noverat enim morem Dei eſſe, totam quandoque plectere multitudinem ob unius crimen ; quare, ubi dicit pro mortuorum peccatis obtuliſſe, intelligas oportet de effectu mali imminentis ſuper vivos. Rem habes ex contextu ; nam oblatio in eum dirigitur finem, ad quem oratio a militibus fuſa eſt (unum enim poſt aliud ponitur). Sed oratio fuſa a populo eſt ad iram Dei evertendam ; habetur enim II. Mac. c. 12. v. 42. *Atque ita ad preces converſi rogaverunt, ut id quod factum erat delictum, oblivioni traderetur* : timentes enim punitionem precabantur, ut Deus patrati ſceleris obliviſceretur.

RESPONDEO *negando aſſumptum*. Judas ut Dux rectus, & pius duo præſtitit : vivis, & mortuis ſuccurrere voluit. Vivis ſundendo preces, ne propter communicationem punirentur pro mortuorum peccato, quod cùm haberet idololatriæ ſpeciem, unum erat ex iis, quæ Deum maximè ad iram provocabant, & propter quæ totam multitudinem plectere conſueverat : vivis etiam prodeſſe voluit, cùm inde occaſionem aſſumpſerit eos adhortandi, ut a peccatis abſtinerent, *ſub oculis videntes, quæ facta ſunt, pro peccatis eorum, qui proſtrati ſunt*. Deinde etiam defunctis ſuffragium præſtitit, eleemoſynam pro ſacrificio colligens, ut defuncti a pœnis ſolverentur : quod clarè patet a v. 43. ad 46 incluſivè. Quæ ibidem continentur nullo modo vivis, bene verò defunctis quadrant. *Benè, & religiosè de reſurrectione cogitans (niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis). Et quia conſiderabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.*

Judas ſuccurrere volunt vivis, & mortuis.

Plura habentur, quæ non niſi defunctis conveniunt.

62 INSTABIS. Formula illa *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*, non reperitur
A in originalibus ; ſed fuit adjuncta ; ergo nihil concludit.

RESPONDEO *negando conſequentiam* ; quia abſque illa ſatis ſuperque ſalvatur catholica veritas ex facto, & verbis præcedentibus, uti liquet textum legenti ; cùm formula hæc non ſit niſi quædam concluſio doctrinæ, & facti antecedentis. Unde eâ ſunt uſi clauſulâ Sancti Patres, quos in noſtris concluſionibus citamus ; & licèt in Græco textu deſit particula *ergo* ; habetur tamen idem omnino ſenſus, ita ut impugnari nequeat Latina, quin èt Græca lectio impugne-
B tur. Demùm quacunque ratione contra eos, qui libros canonicos negant, procedimus, eâdem etiam utamur oportet, ut hanc ſalvemus clauſulam. Breviter adverto : libros canonicos adhibere nos immediatè poſſumus, dum contra Acatholicos diſputamus : ſecus contra Gentiles ; nam ſi primi libros aliquot rejiciunt, poſſumus eoſdem aliis, quos admittunt, libris convincere, cùm eadem ſit ratio de uno, ac de omnibus, pondus ſcilicet antiquæ traditionis, veterum Patrum uſus, Eccleſiæ primitivæ approbatio. Cæterùm Pagani, cùm libros æquè omnes peſſundent, immediatè redargui non poſſunt ; ſed eos opor-
C ter naturali primùm ratione aggredi, & paulatim ad ſupernaturalia deducere.

Fundamentis iiſdem probatur unum librum eſſe canonicum, ac cæteri omnes etſi negentur ab Hæreticis.

CONTROVERSIA III.

AN SCRIPTURIS NOVI TESTAMENTI PROBETUR PURGATORIUM.

63 CALVINUS, *Petrus Martyr, Ochinus*, aliique Novatores marte toto contendunt, ne ex Teſtamento etiam novo quicquam nobis ſuppeditet, quo PURGATORIUM comprobemus. Et quoniam
D reformatæ ſuæ Religionis cardo in eo vertitur, ut præfractè negent quicquid ex Scripturis non eruitur ; ideo loca in novo Teſtamento, quibus catholica hujuſmodi veritas innititur, neceſſe eſt, demonſtremus.

Hæretici nihil admittunt, niſi eruatur ex Scripturis.

64 DICO. *Ex novo Teſtamento Purgatorium probatur*. PRIMO. Si mortui juvari poſſunt bonis viventium operibus, datur Purgatorium. Sed Scriptura docet, bonis viventium operibus juvari mortuos poſſe ; ergo datur Purgatorium. *Minor oſtenditur* 1. ad Cor. 15. v. 29. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt ? ut quid, & baptizantur pro illis ?* Sed litteralis ſenſus iſtius Scriptu-
E ræ eſt : *quid faciunt, qui affliguntur pro juvandis mortuis, ſi mortui non reſurgunt*, hoc eſt, ſi animæ non uniuntur corporibus, ut conglorificentur ? quaſi dicat, vanum eſſe, & inutile pro eis pœnitentiam agere. Si ergo ex afflictione pro mortuis oblata, mortuorum reſurrectio deducitur, certum ſupponitur defunctos noſtris poſſe orationibus adjuvari. Nomine verò baptiſmi afflictiones, & paſſiones intelligi colligitur ex cap. 12. v. 50. Lucæ : *Baptiſmo autem habeo baptizari* : & ibi Chriſtus loquitur de ſua Paſſione : Marc. 10. verſ. 38. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo :*

Nomine Baptiſmi intelliguntur paſſiones, & afflictiones.

nut

aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari? ideſt: poteſtis mortem pro me ſubire, ſicut ego pro vobis ſubeo? *Cyprianus* ſiquidem in libro de exhortat. Martyr., mortem pro Chriſto oppetere, frequenter vocat baptiſma. Et *Nazianzenus* orat. de Epiphania notat quintum martyrii genus, nempe martyrium lacrymarum, & pœnitentiæ. Ex mente igitur Apoſtoli datur Purgatorium. Sed nota diligenter. Apoſtolus in tertia perſona *quid facient* loquitur, ut argumentum ex Hebræorum conſuetudine deſumptum, qui plura pro mortuis jejunia, & baptiſmata legalia ſuſcipiebant, efficaciùs eſſet. Nam ſi veritatem conatus eſſet evincere ex Chriſtianorum ſuffragiis, argumentum velut inutile rejiceretur, utpote ex nova deductum conſuetudine.

Plura baptiſmata legalia pro mortuis a Judæis ſuſcipiebantur.

65 DICES *primò*. Neque Patres, neque recentiores Interpretes conveniunt in expoſitione citati textus Apoſtoli. Immò *Tertullianus* lib. de reſurrectione c. 48. aſſerit, Apoſtolum alludere ad eorum ſuperſtitionem, & errorem, qui pro amicis ſine Baptiſmo decedentibus baptizabantur. *Secundò*. *Baptizari pro mortuis* intelligit *Chryſoſtomus* pro fide, & ſpe reſurrectionis, quam ante Baptiſmum Catechumeni credunt, dum Symbolum recitant: vel *pro mortuis* idem ſignificat, ac repræſentatio mortis, quæ exprimitur per immerſionem, & emerſionem in Baptiſmo, ex quibus ſepultura, & reſurrectio Chriſti adumbratur. *Tertiò*. S. *Paulus* de illis loquitur, qui baptizabantur in lecto, cùm extremum agerent ſpiritum, qui vocabantur Clinici, ſeu Lectularii: perinde ac ſi Apoſtolus dicat: reſurrectionem mortuorum niſi ſperarent, quid faciunt; quia jamjam morituri ſuſcipiunt baptiſma?

RESPONDEO *ad primum*. Etſi non omnes in illius expoſitione textus conveniant, parùm intereſt; quandoquidem in ſuperiori Controverſia vidimus, plures poſſe eidem textui ineſſe litterales ſenſus. Nec urget *Tertulliani* expoſitio. Licèt aſſerat ejuſmodi errorem tunc inoleviſſe: re tamen ipſa error poſt obitum *Pauli* exortus eſt. *Phylaſter* illum tribuit Montaniſtis, qui centum poſt annos Eccleſiam vexarunt. *Chryſoſtomus*, & *Theophylactus* Marcionitis poſt annos 80. exortis: *Epiphanius* hæreſ. 28. adjudicat Cherintianis poſt *Paulum* annis 20. a Fide relapſis. Quonam igitur modo Apoſtolus hoc Hæreticorum argumento uteretur, ſi necdum inimicus homo zizaniam ejuſmodi diſſeminaverat?

Idem textus plures habet litterales expoſitiones.

Error ſuſcipiendi baptiſma pro defunctis ſine baptiſmate.

Ad ſecundum: ſi ideo dicerentur baptizari pro mortuis; quia Catechumeni ante ſuſceptionem Baptiſmi Articulum recitant de reſurrectione mortuorum, poſſet etiam dici, quòd baptizantur pro Deo Patre, pro Chriſto, & pro Spiritu Sancto; quandoquidem hæc quoque omnia recitabantur in Symbolo.

Catechumeni ante baptiſma recitabant Symbolum.

Ad tertium: ſi Apoſtolus intendiſſet exponere ſuſceptionem Baptiſmi illorum, qui in extremo agone baptiſma ſuſciperent, non dixiſſet, *quid facient .... ut quid baptizantur pro illis*, ſed dixiſſet, *ut quid baptizantur pro ſe*? Textus igitur ille debet omnino intelligi de baptiſmo lacrymarum, & pœnitentiæ affligentium ſeſe pro ſolatio defunctorum, qui in Purgatorio ingemiſcunt.

Baptiſmus lacrymarum, & pœnitentiæ.

66 INSTABIS: ſupradicta expoſitio A *Bellarmini*, aliorumque eidem adhærentium, ùt minus probabilis ab *Eſtio*, nec non ab aliis rejicitur litteratis Doctoribus; etenim illa baptiſmi expoſitio valde figurata eſt, & rara, nec ab ullo præter Chriſtum, uſurpata.

SED CONTRA. Illa expoſitio neque poteſt dici valde figurata; utpotequod in Scripturis clarè uſurpetur, ac frequentiſſimè baptiſmi nomen pro afflictionibus, & pœnis: neque valde rara; ſiquidem præter textum *Pauli*, *Marci*, & *Lucæ*, habetur etiam Matth. 3. v. 11. *ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*. In Spiritu Sancto, ait *Hieronymus*, B in hac vita: in igne verò in futuro. Quanquam verò ſolo Chriſto hujuſmodi explanatio habeatur; quanti momenti ſit, oportet, ſi ab ipſo omnis vera expoſitio dimanat? Ex eo fonte ajo, hanc interpretationem hauſiſſe, & Hieronymum, & Baſilium *lib. de Spiritu Sancto cap. 15.*, & Bedam *in cap. 3. Lucæ*, & Nazianzenum *in orat. de Epiphania*, & Ephrem *in ſuo Teſtamento*. Hæc Patrum auctoritas tantum ponderis præſefert, ut omnimodam fidem, & penè evidentiam conciliet. *Janſenius* quidem textum Matth. cap. 3. a pluribus expoſitum probat de illapſu Spiritus Sancti in Apoſtolos ſacro Pentecoſtes die; ſed pro no- C bis ſufficiat *Hieronymi* auctoritas.

67 Præterea ab *Eſtio* refellitur *Bellarmini* interpretatio; quia in duobus Evangelii locis, unde ſumitur ea *Pauli* expoſitio, baptiſmi nomine veniunt vehementes, atque forinſecus illatæ tribulationes; juvantur autem mortui afflictionibus ſpontè ſuſceptis; quas ſi intellexiſſet Apoſtolus, minimè dixiſſet: *qui baptizantur pro mortuis*, ſed qui ſe ipſos *pro mortuis baptizant*. Contra tamen eſt; nam allati textus Evangelii non adhibentur ad exprimendas afflictiones, quæ pro defunctis ſuſcipiuntur: ſolummodo ad oſtendendum in textu *Pauli* baptiſmum pro afflictionibus uſur- D pari, quæ ſive ſpontaneæ, ſive ab extrinſecus illatæ, dirigi queunt ad animarum levamen. Etenim, ſi tribulationes lubenti animo accipiuntur, non minus violentæ, quàm voluntariæ poſſunt eſſe pro mortuis ſatisfactoriæ. Præpterquamquod ly *baptizantur* poteſt etiam ſumi apud Apoſtolum pro ſpontanea afflictione; cùm in idem redeat, *quid facient, qui baptizantur pro mortuis*, ac *quid facient, qui ſe baptizant*, ideſt, qui ſe pro mortuis ultrò affligunt.

Afflictionibus ſive ſpontè, ſive extrinſecè illatis juvari poſſunt defuncti.

68 PROBATUR *ſecundò*. Lucæ 16. v. 9. dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cùm defeceritis, recipiant vos in* E *æterna tabernacula*: ideſt, facite eleemoſynam pauperibus de divitiis veſtris, ut illi vos adjuvent orationibus poſt mortem, & vos in æternam beatitudinem recipiant.

69 DICES. Textus loquitur de defectu a gratia in hac vita, non autem de morte; ergo ex eleemoſynis non colligitur adjutorium pro mortuis, ſed pro vivis.

SED CONTRA. *Deficere* dicitur correlativè ad ſequentia verba, *recipiant vos in æterna tabernacula*. Sed receptio in æterna tabernacula non eſt in hac vita: ergo *deficere* non intelligitur pro defectu a gratia in hac

 vita;

vita ; maxime quia hoc Chriſtus concludit ex parabola Villici amoti a villicatione poſt redditam rationem . Sed Deus ſolùm in morte repetit rationem villicationis ; ergo *deſiſtere* cadit ſupra mortem .

In morte redditur ratio villicationis.

70 PROBATUR 3. Scriptura docet ſolutionem aliquot delictorum poſt hanc vitam . Sed non loquitur de remiſſione delictorum quoad culpam ; ergo quoad pœnam . Sed eo ipſo datur Purgatorium , cùm talis remiſſio nec in Inferno, nec in Paradiſo fieri queat : ergo in tertio loco diſtincto . Major probatur Act. 2. verſ. 24. *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni , juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo* . Sed non agit de ſolutione a doloribus , quos Chriſtus patiebatur ; cùm triduo mortis nihil paſſa ſit ejus anima : nec de doloribus damnatorum ; cùm eorum pœna ſit æterna : nec de doloribus SS. Patrum in Lymbo degentium ; cùm ibi nullus eſſet dolor ; ergo de doloribus Purgatorii , quod appellatur infernus propter proximitatem , & pœnarum vim .

Poſt hanc vitam datur ſolutio aliquorum peccatorum ;

Chriſtus in triduo mortis nihil paſſus eſt.

71 DICES . Textus Græcus habet *ſolutis doloribus mortis* ; ergo non concludit argumentum . SED CONTRA . Licèt Græca lectio dicat *ſolutis doloribus mortis* ; hæc tamen non conſonat textui ; nam D. *Petrus* aſſertionem ſuam probat adducendo verſiculum Pſalmi 15. *Non derelinques animam meam in inferno , nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem :* quod cohæret cum Latina , non cum Græca lectione . Deinde Latina conſonat Syriacæ , quæ habet : *Deus excitavit illum , & ſolvit funes inferni* . Conſentit antiquis Patribus ; nam B. *Polycarpus* in ſua epiſtola ſcribit *ſolutis doloribus inferni* : idem *Cyprianus* ſerm. de Cœna Domini ; ergo potiùs ſtandum eſt Latinæ , quàm Græcæ lectioni , utpote magis univerſali , magiſque contextui conſentaneæ .

72 DICES 2. Allata verba *ſolutis doloribus inferni* ad Chriſtum referenda videntur , ùt ex ſequentibus eruitur : *juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo* ; ergo . Circa hoc pependiſſe animi videtur *Auguſtinus* epiſt. 99. ad Evodium : *quis ergo , niſi infidelis negaverit fuiſſe apud inferos Chriſtum ? quòd ſi movet aliquem , quemadmodum accipiendum ſit , inferni ab illo ſolutos dolores : neque enim cœperat in eis eſſe tanquam in vinculis , & ſic eos ſolvit , tanquam ſi catenas ſolviſſet , quibus fuerat alligatus , facilè eſt intelligere , ſic eos ſolutos , quemadmodum ſolvi poſſunt laquei venantium , ne teneant , non quia tenuerant* . Sed infra explicat mentem ſuam . *Teneamus firmiſſimè , quòd fides habet fundatiſſima auctoritate firmata , quia Chriſtus mortuus eſt ſecundum Scripturas , & quia ſepultus eſt , & quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas , & cætera , quæ de illo teſtatiſſima veritate conſcripta ſunt . In quibus hoc eſt , quod apud inferos fuit ſolutis eorum doloribus , quibus eum erat impoſſibile teneri , a quibus etiam rectè intelligitur ſolviſſe , & liberaſſe , quos voluit* . Cùm certò conſtet, ſuperiùs dicta intelligi, oportere de Purgatorio : non video , cur ex iiſdem Purgatorium non eluceſcat .

Talis textus non refertur ad Chriſtum.

73 PROBATUR 4. Lucæ 23. ver. 42. dicebat Latro : *Domine memento mei , cùm veneris in Regnum tuum* : hoc eſt ambo in Cruce morimur , Tu juſtus : ego peccator ; ſed rogo poſt mortem tuam , & meam , *memento mei* ; id eſt , dimitte peccata mea , *cùm veneris in Regnum tuum* . Certè hæc verba *cùm veneris in Regnum tuum* , appellat tempus ad mortem utriuſque futurum , & niſi credidiſſet aliqua peccata poſt mortem condonanda , dixiſſet : *antequam moriaris , memento mei , qui tecum morior* . Ex hac Scriptura *Auguſtinus* ad Julianum lib. 6. cap. 15. ait : *& peccata quidem nulla remittuntur in Regno , ſed ſi nulla remitterentur in judicio illo noviſſimo , puto , quòd Dominus non dixiſſet de quodam peccato : non remittetur neque in hoc ſeculo , neque in futuro , quando ſibi remitti ſperabat latro ille , qui dicebat ; memento mei , cùm veneris in Regnum tuum* . Verùm quidem eſt , quod immediatè ſubdit . *De qua re , quoniam profundiſſima quæſtio eſt , non eſt modo præcipitanda ſententia* . Hinc *Natalis Alexander* infert ex laudato textu *Lucæ* invictè non probari Purgatorium . Attamen ſi prædicta *Auguſtini* ſententia non probat intentum , cur eamdem allegat ad probandum Purgatorium , dum verſiculum exponit 32. *Matth. cap.* 12.? Utvis igitur ſententiam præcipitare noluerit S. Doctor , cùm tamen ſuam hac de re mentem alibi aperuerit , non immeritò potuit adduci in ejuſdem textus explanationem . Ideo quidem noluit rem definire , dum inibi ageret , præcipuè contra *Julianum* negantem in pueris originale peccatum , & obiter attigiſſet peccatorum remiſſionem .

74 PROBATUR 5. Matth. 12. v. 32. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis , remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum , non remittetur ei , neque in hoc ſeculo , neque in futuro* . Supponit hic locus eſſe aliqua peccata , quæ alio in ſeculo remittuntur , & aliqua etiam adeſſe , quæ neque in hoc , neque in alio condonentur . Nam ſi in altero nullius foret peccati venia , & quodlibet eſſet irremiſſibile , haud ſignanter loqueretur textus de blaſphemia In Spiritum Sanctum , neque diceret hoc peccati genus tam in vita , quàm poſt ipſam minimè condonari . Unde D. *Gregorius Magnus* lib. 4. Dialog. cap 39. *De quibuſdam levibus culpis eſſe ante judicium purgatorius ignis credendus eſt ; pro eo , quod veritas dicit : Si quis in Spiritum Sanctum blaſphemiam dixerit , neque in hoc ſeculo remittetur ei , neque in futuro ; in qua ſententia datur intelligi , quaſdam culpas in hoc ſeculo , quaſdam in futuro poſſe laxari : quod enim de uno negatur , conſequens intellectus patet , quia de quibuſdam conceditur* . D. Bernardus Homil. 66. in Cant. *Non credunt autem ignem purgatorium reſtare poſt mortem , ſed ſtatim animam ſolutam a corpore ad requiem tranſire , vel ad damnationem . Quærant ergo ab eo , qui dixit , quoddam peccatum eſſe , quod neque in hoc ſeculo , neque in futuro remittetur , cur hoc dixerit , ſi nulla manet in futuro remiſſio , purgatiove peccati ?*

Aliqua peccata neque in hoc ſeculo remittuntur , neque in futuro.

75 OBJICIES 1. Si aliquot remiſſio criminum fore colligitur in alio ſeculo , erit remiſſio lethalium . Sed per Papiſtas alio in ſeculo lethalia non remittuntur : ergo . *Probatur ſequela* . Peccata remiſſibilia , quibus Chriſtus contraponit irremiſſibilia , ſunt peccata in Filium ; ſed hæc graviſſima ſunt ; ergo .

RE-

In futuro erit remiſſio lethalium quoad pœnam.

RESPONDEO *diſtinguendo majoris ſequelam* : erit remiſſio lethalium quoad pœnam, *concedo*, quoad culpam, *nego*; & iridem diſtiucta minori *negatur conſequentia*. Quando Papiſtæ ajunt, mortale non remitti extra hujus vitæ curſum, loquuntur de remiſſione quoad culpam, non verò quoad pœnam. Deinde Chriſtus de perfecta loquitur remiſſione; peccata verò graviſſima dicuntur remitti complerivè etiam in alio ſeculo; quia in præſenti remittuntur quoad reatum culpæ, in alio quoad reatum pœnæ.

DICES: Chriſtus loquitur de culpæ remiſſione peccantibus in Spiritum Sanctum: ergo ſi aliorum remiſſio colligitur, remittantur neceſſe eſt quoad culpam; aliter non eſſet propoſitionis recta partitio. SED CONTRA. Chriſtus loquitur de irremiſſibilitate quoad culpam, & pœnam; unde colligitur alia eſſe remiſſibilia vel quoad culpam, vel quoad pœnam; mortalia quoad culpam, venialia fortè quo ad utrumque.

Alia ſunt remiſſibilia quoad culpā, alia quoad pœnam.

76 OBJICIES 2. Illa copulativa *neque in hoc ſaculo, neque in futuro*, idem ſonat ac nunquam; ſic enim exponit *Marcus* dicens cap. 3. 29.: *non habebit remiſſionem in æternum*. Eademque phraſi uſus eſt *Petrus* Jo. 13. 8. *Non lavabis mihi pedes in æternum*, hoc eſt *nunquam*; vel ſolùm hæc dicta fuerint ad exaggerandum.

RESPONDEO: *nego antecedens*. Nec valet probatio ex *Marco*; hic enim exponendus eſt per *Matthæum* fuſiùs de re ſcribentem, accedente inſuper Patrum explicatione. Neque idem ſignificat *æternum* apud *Petrum*, ac apud CHRISTUM; nam ille nullo modo appellare poteſt ad aliud ſeculum, quando nulla fieri poteſt pedum lotio. Neque exaggerativa locutio eſt, cùm in ea ſit partitio unius membri cum altero, de quo nihil dicitur. Præterea qui Scripturas dicit exaggerare, ipſarum infringit vim, ùt cùm dicitur *in ignem æternum*, dicere quis auſit exaggerativam fore ſententiam?

Æternum diverſimodè uſurpatum.

77 OBJICIES 3. Ex negativa non deducitur affirmativa in bona conſequentia: ergo ex eo, quod Chriſtus dixerit, peccatum in Spiritum Sanctum non eſſe remiſſibile neque in hoc ſeculo, neque in alio, rectè non infertur alia eſſe remiſſibilia. *Antecedens certum eſt* apud Dialecticos; ex quo enim neges rem, quam vides, eſſe hominem, non ſequitur, ut poſſis affirmare, eſſe lapidem.

RESPONDEO: antecedens eſt verum in eſſe logico, niſi affirmatio, & negatio directè, & contradictoriè opponantur; non autem in ſenſu ſcripturali, & juxta prudentum locutionem. Nam prudens non ait, *non faciam rem hanc, nec hic, nec illic*, niſi utrobique poteſtatem habeat, illam faciendi. Neque verum eſt in rigore ſcripturali ex negativa non poſſe affirmativam deduci: ſiquidem cùm Chriſtus Jo. 8. v. 36. dixiſſet, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Pilatus bene intulit: *ergo Rex es tu?* Viden'? juxta phraſim ſcripturæ ſæpe ex negatione infertur affirmatio.

Quando ex negativa infertur affirmativa.

§. SECUNDUS.

INNUUNTUR ALII TEXTUS NOVI TESTAMENTI.

QUanquam per allegata Scripturæ monumenta ſatis conſtet a Patribus demonſtrari Purgatorii exiſtentiam; nihilominus alios, atque alios textus aggeram, queis Viri ſuperno lumine afflati veritatem hanc in propatulo poſuere; licèt enim haud ſint omnino clari, poſitâ eorum intelligentiâ, & interpretatione, certam adſtruunt fidem, cùm ex illorum errore detrimentum pati poſſet Eccleſia.

78 Apocalypſis 5. v. 13. dicitur: *& omnem creaturam, quæ in Cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra .... omnes audivi dicentes: ſedenti in Throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum*. Sed creaturæ benedicentes Deo ſub terra, non ſunt damnati; hi namque Deo maledicunt: ergo ſunt Juſti; ſed non Juſti omnino purgati; iſti enim non laudant Deum ſub terra, ſed in Cœlo; ergo ſunt ad tempus in Purgatorio detenti.

Juſti in Purgatorio laudant Deum.

79 DICES. Loquitur textus de creaturis Inanimatis, quæ etiam dicuntur laudare Deum Pſalm. 148., & ideo eas quoque enumerat, quæ in mari ſunt. SED CONTRA. Hæc expoſitio textui conſona non videtur; nam in ſuperioribus eandem facit diviſionem ſcriptura inquiens: & *nemo poterat neque in Cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum*. Ubi ly *nemo* appellat ſine dubio in hac diviſione ſupra rationales creaturas: ergo etiam in ſubſequentibus illa diviſio pariformiter intelligenda eſt; ſub eâdem enim ſerie locutionis procedit diſcurſus. Ante primam diviſionem ponitur Angelus quærens, quiſnam dignus ſit aperire librum, & reſpondetur: *nemo inventus eſt*. Apertò autem librò, laudant Seniores Agnum ùt Redemptorem, atque honore dignum proclamant; ſtatimque introducitur creatura cœli, & terræ, & ſubtus terram, mariſque Dominum laudans. Deinde cap. 7. dum Angelus terræ, & mari nocere tentat, ſignantur priùs Electi in ſupradictis locis degentes; qui poſtmodum ſimul cum Angelis laudem dicunt Domino. Unde colligitur, utrobique de rationali creatura ſermonem eſſe. Nec obeſt mentionem fieri in laudatu textu de his, qui ſunt in mari; nam de hominibus, & ſupra mare degentibus, & in mari extinctis intelligitur.

Creatura ſub terra laudantes Deum ſūt Juſti in Purgatorio.

80 Matth. cap. 5., & Luc. cap. 12. Chriſtus ait: *Eſto conſentiens adverſario tuo citò dum es in via cum eo: ne fortè tradat te adverſarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro: & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*. Senſus eſt: eſto conſentiens conſcientiæ tuæ, legem Dei proponenti. Conſcientia dicitur adverſarius noſter; quia deſideriis carnalibus contrariatur, ſemperque nobiſcum eſt, dum ſumus in via, ne crimen aliquod ex negligentia contrahamus, propter quod nos accuſet in divino judicio, ſcilicet in morte, ubi

Explicatur textus Matth. cap. 5. 25, & Luc. c. 12. 58.

de

de operibus viæ peculiare judicium exercetur . Etenim ipſum loqui de futuro in morte judicio, eruitur ex præmiſſis : *Vigilate ; quia qua hora non putatis , filius hominis veniet* : & infra : *Cum autem vadis cum Adverſario tuo ad Principem . . . . . & Judex tradat te exactori* , ideſt Angelis bonis, aut malis , qui ſunt miniſtri Dei , *& mittaris in carcerem* , nempè in locum pœnarum . Sed carcer , de quo hìc ſermo , non eſt æternus : ergo temporalis . Ergo poſt judicium particulare adeſt locus, in quo ad tempus aliqua purgantur . Probatur autem ibi non denotari carcerem æternum , a quo incluſus aliquando egreditur ; ſiquidem dicit Scriptura : *non exies inde , donec reddas noviſſimum quadrantem* : qui loquendi modus exitum inde fore aliquando indicat .

81 DICES . Ex allatis verbis *donec reddas* &c. videtur potiùs Chriſtus loqui de æterno carcere , ex quo nunquam damnati egredientur . Nam *Auguſtinus* lib. 1. de ſerm. Domini in Monte cap. 11. ſic textum explicat :

Explicatur particula donec.

Donec ſolvas autem , quod dictum eſt , miror , ſi non eam ſignificat pœnam , quæ vocatur æterna : unde enim ſolvitur illud debitum , ubi jam non datur pœnitendi , & correctionis locus ? Ita enim fortaſſe hic poſitum eſt , donec ſolvas : quomodo in illo , ubi dictum eſt , ſede a dextris meis, donec ponam omnes inimicos tuos ſub pedibus tuis . Non enim cùm fuerint inimici ſub pedibus poſiti , deſinet ille ſedere ad dextram . Aut illud Apoſtoli , oportet enim illum regnare , donec ponat inimicos ſuos ſub pedibus ſuis : non enim cum poſiti fuerint, deſinet regnare . Quemadmodum ergo ibi intelligitur, de quo dictum eſt : oportet eum regnare , donec ponat inimicos ſuos ſub pedibus ſuis ; ſemper regnaturum , quoniam ſemper illi erunt ſub pedibus ; ita hic accipi poteſt , de quo dictum eſt , non exies inde , donec ſolvas noviſſimum quadrantem , ſemper non exiturum eſſe , quia ſemper ſolvit noviſſimum quadrantem , dum ſempiternas pœnas terrenorum peccatorum luit .

RESPONDETUR *primò* ex *Bellarmino* in præſenti . *Illud* donec ſolvas ultimum quadrantem *non videtur rectè poſſe dici , niſi aliquando ſit futurus finis ſolutionis . Neque exempla* B. Auguſtini *ſatisfaciunt ; nam cùm dicitur* : non cognoſcebat eam , donec pareret , *non licet quidem inferre : ergo poſtea cognovit eam ; ſed inferre licèt , ergo illa aliquando paritura erat . Similiter cùm dicitur* : ſede a dextris meis , donec ponam &c. *rectè infertur , ergo aliquando ponentur omnes inimici Chriſti ſub pedibus ejus alioqui illud* donec *ineptè diceretur . Ita ergo cùm dicitur* : Non exies, donec ſolvas ultimum quadrantem , *inferimus rectè , ergo aliquando ſolvet ultimum quadrantem , & conſequenter inde exibit* .

RESPOND. 2. Chriſtus non ab humanis exemplis , in quibus homicidæ , & latrones ad mortem damnari ſolent , ſed a debitoribus pecuniariis , qui ad tempus in carcere detineri ſolent , & poſtmodum liberari , ſimilitudinem ſumpſit . *Tertiò* : exemplificat in ſolutione quadrantis , quod utique minimum eſt , & veniale peccatum exprimit , cui pœna non debetur æterna . Quamobrem *Cyprianus* lib. 4. epiſt. 2. *Aliud eſt ad veniam ſtare : aliud ad gloriam pervenire : aliud miſſum in carcerem non exire inde* , donec ſolvat noviſſimum quadrantem : *aliud ſtatim fidei , & virtutis accipere mercedem : aliud pro peccatis longo tempore cruciatum emendari , & purgari diu igne : aliud peccata omnia paſſione purgaſſe* . Euſebius Emiſſenus Hom. 3. de Epiphania : *Hi verò , qui temporalibus pœnis digna geſſerunt , ad quos ſermo Dei dirigitur , quod non exeunt inde ,* donec reddant noviſſimum quadrantem , *per fluvium igneum tranſibunt* . Hieronymus in cap. 5. Matthæi : *Hoc eſt , quod dicit , non egredieris de carcere , donec etiam minuta peccata perſolvas* . Bernardus ſerm. de obitu Huberti : *Illud ſcitote, quia poſt hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter , quæ fuerint hìc neglecta , redduntur uſque ad noviſſimum quadrantem* .

82 ULTIMO *tandem probatur concluſio* ex 1. ad Corinthios 3. v. 10. , & ſeq. *Secundùm gratiam Dei , quæ data eſt mihi , ut ſapiens Architectus fundamentum poſui : alius autem ſuperædificat . Unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet . Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id , quod poſitum eſt , quod eſt Chriſtus Jeſus . Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc , aurum , argentum , lapides pretioſos , ligna , fœnum , ſtipulam . Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit : dies enim Domini declarabit , quia in igne revelabitur : & uniuſcujuſque opus quale ſit , ignis probabit . Si cujus opus manſerit quod ſuperædificavit , mercedem accipiet . Si cujus opus arſerit , detrimentum patietur : ipſe autem ſalvus erit : ſic tamen quaſi per ignem* . Hic textus a Latinis contra Græcos Ferrariæ adductus fuit ſeſs. prima ; ad cujus intelligentiam .

83 NOTA 1. nomine Architecti ſuperædificantis de primario intelligi Evangelii miniſtros , ſicut ex contextu patet ; de ſecundario Fideles Chriſto fide viva unitos . Nomine verò argenti , auri , & lapidis pretioſi , de primario intelligi doctrinam ſanam , utilem , ſalutarem, promoventem ad ſanctitatem Fideles : de ſecundario bona opera , & virtutis exercitationes . Nomine ligni , fœni , & ſtipulæ venit præcipuè doctrina ſubſtantialiter bona , vana tamen , & plus juſto eloquens , quæ minus eſt apta , ut auditores ad eam incendat ſanctitatem, quam Deus requirit . Hoc vitio laborabant Corinthii ob nimia eloquentiæ , & Philoſophiæ ſtudia, queis dediti erant impenſiùs : ſecundo loco ſignificantur peccata venialia , ſeu opera venialiter defectuoſa : quod ut fiat etiam illuſtrius .

Triplex metaphora in dicto capite explicatur .

84 NOTA *ſecundò* . In hoc capite ad declarandam prædicationem evangelicam , & praxim doctrinæ Chriſti , Apoſtolus triplici utitur metaphora : agricultoris , corruptoris templi , & Architecti . Primum exemplum habetur his verbis : *ego plantavi , Apollo rigavit &c. Itaque neque qui plantat eſt aliquid , neque qui rigat &c. Dei agricultura eſtis &c.* Secundum : *ſi quis autem templum Dei violaverit* . Tertium in iiſdem verbis ſuperiùs allatis . Sub prima metaphora comprehendit Prædicatores omnino bonos , & fideles , rectèque operantes ; quos abſolutè ait, mercedem laboris accepturos . Sub altera comprehendit Hæreticos , & omnino malè agentes , quos inquit, a Deo fore diſperdendos . Sub tertia veniunt boni non omnimodè , ſed aliqualiter mali ; ac proinde perfectam adhibet cujuſcumque gene-

1.Cor. c.3. v. 6. 7. 9. & 17.

generis Prædicatorum, & Fidelium diviſionem.

Judiciū univerſale, & particulare.

85 NOTA *tertiò*. Nomine diei Domini, quo operum noſtrorum revelatio fit, & per ignem probatio, dies Judicii univerſalis intelligitur, quo conflagrante terrarum orbe, opera noſtra propalam fient, & unoſquiſque ſuas cognoſcet, & alienas operationes abſque enigmate; licèt jam peractum ſingulare cujuſque judicium fuerit, & inchoata jam merces, aut punitio ſit. Neque in hoc ſenſo labor eſt, cùm aliunde ea aliis Scripturis perſpicuè innoteſcat. His ita intellectis, quæ certiſſima ea contextu apparent, ad ſuperædificantium ſimilitudinem redeamus.

86 *Si cujus operis manſerit, quod superædificavit*: hoc eſt, approbatum fuerit; quia materia ſolida ſit aurum, argentum, lapis pretioſus, abſque plane alio *mercedem accipiet*: *ſi cujus opus arſerit*: hoc eſt, non omnino purum, & perfectum probabitur; quia ſcilicet materia ſuperædificata noo ſit undequaque ſolida; fœnum ſcilicet, & ſtipula tunc detrimentum patietur, pœnam videlicet ſubibunt, non tamen æternam; quia opus non fuit lethaliter peccaminoſum. Ideo ſubditur: *ipſe autem ſalvus erit*, ideſt, ſuperædificans ſalvabitur: *ſic tamen quaſi per ignem*, piaculari videlicet igne, ſeu tranſeundo per igoem; ubi particula *quaſi* æquivalet abſoluto; ſicut cùm dicitur Joan. 1. verſ. 14. *gloriam quaſi unigeniti a Patre*.

Particula quaſi æquivalet abſoluto.

Triplex explicatio textus.

87 Luculentiorem facio eundem textum, ſervatâ eâdem triplici catholicâ explanatione. Prima explicatio metaphoricum intelligit totum contextum; quare ſicuti nomine auri, & argenti &c. bona opera veniunt: ita nomine ignis, venit juſtitiæ rigor; quo ſenſu optimè ſtat, omnia opera etiam bona igne probari; quia omnia a Deo judicabuntur; atque ex hac explicatione Purgatorii neceſſitas concluditur; ſiquidem omnia opera probabuntur divini examinis igne; ſicut & omnis probabitur operans, ita tamen ut aliqua non ardeant, & iis datur merces: *ſi cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet*. Aliorum opera, vel etiam ejuſdem ardent, ideſt vitioſa deprehenduntur; & iſti detrimentum, ideſt punitionem patiuntur. Sed quia crimina non ſunt lethalia, ſalvantur; *ſalvus erit, ſed quaſi per ignem*, ſeu per ignis tormentum, ſeu per aliud ſupplicii genus. Quare optimè colligitur in alio ſeculo exiſtere pœnalitates temporaneas, quibus juſti pœnæ reatu præditi affliguntur: tametſi huſuſce explicationis vi expreſsè per ignem verum puniri non deducatur.

88 Secunda explicatio declarat pro die mortis *diee Domini*, prout ſæpè in Sacra Scriptura ſumitur; quando autem dicitur, *qui revelabitur in igne*, & illud *uniuſcuiuſque opus ignis probabit*, intelligitur de vero igne, quatenus Deus in igne vocat ad examen, & eo probat morientium acta; quia per ignem oſtendit juſtitiæ ſuæ ſeveritatem, ignem aſſumit ùt inſtrumentum divinæ vindictæ, ignem deſtinavit in pœnam, & purgationem criminum, & ad intellectualem ignis præſentiam opera judicat. Sicut ſi Judex in Tribunali ſedens duos de crimine accoſatos judicaturus, juberet parari patibulum, vel ignem ea conditione, ut nocens combureretur, innocens liberaretur, & ad illorum aſpectum ageret cauſam, optimo ſenſu diceretur, in igne apparere, & ambos igne probare: ita in noſtro caſu; ac propterea dicitur Iſai. 66. v. 15. *Quia ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadriga ejus: reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis; quia in igne Dominus dijudicabit*: & Amos 7. v. 4. *Et ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus*. Porrò ſi opera talia ſint, ut puniri non mereantur; quia lapides pretioſi ſunt, abſolvuntur a pœna, & datur eis merces. Sin autem venialiter vitioſa; quia ſtipulæ, & fœnum, puniuntur in ſuo auctore, qui detrimentum patitur, & parato traditur igni, ſed ad tempus, hinc *ipſe ſalvus erit*. Quarè perſpicuè deducitur poſt mortem adeſſe purgationis locum pro juſtis non omnino perfectis.

Per ignem oſtendit Deus juſtitiā ſuā.

89 Tertia explicatio procedit ad diem univerſalis judicii in igne verò exequendi, qui conflagrabit orbem, ùt dicitur 2. Theſſalonic. v. 1., & Joelis 2. v. 3. *Ante faciem ejus ignis vorans, & poſt eum exurens flamma*. Eſt ſenſus, eos, qui per id tempus vivent, & morientur, probatum iri per igoem, ſi modò bona præſeferant cum peccatis mixta venialibus opera: tranſibunt per illum ignem, acerrimoque cruciatu intra ſpatium temporis congruum ſuos luent reatus, divina ſuppleote providentia diuturnitatem per vim acerbitatis, quod eſt PURGATORIUM. Nam ſicut noviſſimi Juſti ad gloriam nequeunt non purgati emigrare; ita nec illi, qui tempore intermedio morientur; cùm una omnium ſit regula. Nihil coinquinatum iotroibit in Regnum Cœlorum, eaque propter admittendus eſt omnino locus, in quo interim piaculare ſupplicium ſubeant.

Univerſale judicium fiet in igne.

Juſti, qui noviſſimis diebus morientur, purgabuntur igne intenſiori.

90 Poſſim alium cum D. *Thoma* diſcurſum efformare. Certum eſt *Paulum* inibi agere de juſtorum operibus, quæ aſſimilantur auro, argento, lapidibus pretioſis, fœno, ſtipulæ, ligno. Pro auro, argento, lapidibuſque pretioſis intellige opera bona delictis aliquot commixta, ùt metallum rubigine infuſcatum. Pro fœno, ſtipula, & ligno peccata venialia. Pro utriſque expurgandis, juſto tranſeundum eſt per ignem; ſed de primis recepturus eſt ſubinde præmium: de cæteris meram pœnam; ideoque totum opus ardet. Itaque dies Domini revelatur in igne totus pro hujuſmodi Juſtis; quia ignis omnia ipſorum opera purgabit. Neque mirum, quòd omnia eorum opera inveniantur aliquantulum vitiata, cùm ſit de juſtis non omnino perfectis ſermo.

Pro auro &c. intelliguntur opera bona aliqualiter vitiata, pro fœno &c. intelliguntur peccata venialia.

91 Hinc habes futilem *Lutheri* gloſam a *Roffenſi* relatam in articulis a *Leone* X. damnatis: videlicet *Paulum* loqui de fidelibus die extremo per tribulationis ignem probandis, quam *Antichriſtus* excitabit, cum hac diſtributione, ut, qui velut aurum conſtantes permanſerint, præmio donentur: qui verò infirmi deficient, puniantur. Porrò ex Patribus nemo unus textum ita intellexit; neque textus ipſe ioterpretationem hujuſmodi patitur. Apoſtolus ſiquidem totus in eo eſt, ut Corinthios hortetur ad cautè agendum, ad invi-

Interpretatio Lutheri.

invigilandum, quonam modo ſuperædificent fidei fundamento: recenſet varia operationum, & perſonarum genera, mercedem cuilibet aſſignans; nec ullatenus *Antichriſti* diem tangit; ſed doctrinæ ſeries aſſicit ſtatum militantis Eccleſiæ. Cæterùm nequit omnino *Lutherus* defendere illud, *ipſe tamen ſalvus erit quaſi per ignem*, ſi modo ad eos referatur, qui a Chriſto in perſecutione deficient; non enim illi ſalutem conſequentur.

Notanda forma quaſi per ignem.

92 Obiter adverto: illa particula *ipſe tamen ſalvus erit, ſic quaſi per ignem*, tranſitum indicat perinde ac ſi dixerit: *ſalvus erit tranſeundo per ignem*, ſic pœnam indicans tranſitoriam. Quæ explicatio Patrum paſſim occurrit apud Sanctos Patres. S. *Ambroſius* in hunc locum: *Sed cùm* Paulus *dicit* (ſic tamen quaſi per ignem) *oſtendit ſalvum illum quidem futurum, ſed pœnas ignis paſſurum, ut per ignem purgatus, fiat ſalvus, & non ſicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur*. Hieronymus in c. 4. Amos. *Juxta illud, quod in Apoſtolo legimus... ipſe ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem; qui ergo ſalvatur per ignem, quaſi torris de incendio rapitur*. Auguſtinus in Pſalm. 37. *In hac vita purget me, & talem me reddat, cui jam emendatorio igne opus non ſit*; & infra: *dicitur ſalvus erit quaſi per ignem, & quia dicitur, ipſe ſalvus erit, contemnitur ille ignis, ita planè, quamvis ſalvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid poteſt homo pati in hac vita*. Quare licèt Auguſtinus *in Enchir. cap.* 68. per lignum, fœnum, & ſtipulam res fluxas intelligat hujus ſeculi, & per ignem tribulationem: tamen iſthic de igne expiatorio disertè loquitur *Gregorius* lib. 4. Dialog. c. 39. *Quamvis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito poſſit intelligi: tamen ſi quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, penſandum ſollicitè eſt; quia illum per ignem dixit poſſe ſalvari, non qui ſuper hoc fundamentum ferrum, æs, vel plumbum ædificat, ideſt peccata majora, & idcirco duriora, atque tunc jam inſolubilia, ſed lignum, fœnum, ſtipulam, ideſt peccata minuta, atque leviſſima, quæ ignis facilè conſumat*.

HÆRETICORUM ARGUMENTA EX SCRIPTURIS ENODANTUR.

93 OBJICIES 1. Si Purgatorium fingitur, hic eſſet locus ſatisfaciendi Deo per opera noſtra. Sed per Sacram Scripturam veteris, & novi Teſtamenti nullus eſt in alia vita Deo ſatisfaciendi locus per opera noſtra: ergo Purgatorium perperam fingitur.

Minor probatur 2. ad Cor. 5. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*: ergo extra corpus non datur bonum referendum ante Tribunal Chriſti. Item ad Galatas 6. v. 8. *quæ ſeminaverit homo, hæc & metet*. Eccleſiaſtes 9. verſ. 10. *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas*; ideſt poſt mortem nullus reſtat bene operandi locus.

RESPONDEO *diſtinguo majorem*: eſſet locus Deo ſatisfaciendi activè per noſtra opera meritoria, & ſatisfactoria ex parte operantis, *nego majorem*, paſſivè ſatiſpatiendo, & per opera bona ex opere operato; hoc eſt ab aliis applicato, *concedo majorem*. Nec enim juſti in Purgatorio merentur, vel propriè loquendo ſatisfaciunt, & ad hunc ſenſum, *nego minorem*. Teſtimonia verò adducta rectè probant, apud mortuos nullum adeſſe locum operibus bonis ad merendum, & malis ad demerendum; adeoque unuſquiſque finali præmio donabitur, vel punietur juxta boni, malive rationem operis in via exerciti, quæ ſola eſt ſtatus proficiendi. Adde textum *Salomonis* ex quorundam ſenſu dirigi ad impius, qui perditis properant moribus ad æternam damnationem, in qua abſque dubio nulla eſt remiſſio; vel ſecundùm alios procedere in perſona eorum, qui aſſerebant, poſt mortem nil reliquum eſſe neque gloriam, neque damnationem: quapropter roſis, priuſquam emarceſcerent, coronabantur.

Alia via non eſt locus ſatisfaciendi activè, ſed ſatiſpatiendi.

94 OBJICIES 2. Purgatorium eſſet locus inter Paradiſum medius, & Geennas. Sed hujuſmodi locus repugnat Scripturis. Ergo. *Probatur minor*. Matthæi 25. v. 39. ſolus habetur Paradiſus pro Juſtis: *venite benedicti*: & Infernus pro Impiis: *diſcedite a me maledicti*: Marcus ultimo v. 16. ſolùm aſſignat locum ſalutis pro perſeverantibus in bono: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: & ſolùm pro malè agentibus locum damnationis, *qui verò non crediderit, condemnabitur*. Item Eccl. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Ergo præter duo loca ad auſtrum, & ad aquilonem, nullus eſt tertius, in quem lignum cadat.

RESPONDEO, hoc argumento etiam tolli de medio Lymbum puerorum. Cæterùm adducta teſtimonia ad rem nihil faciunt. Namque ibi ſermo eſt de locis finalibus, nempe de ultimo termino, ubi æternùm debent homines permanere; & *Matthæus* ſignanter intendit diem extremi Judicii, quo Purgatorium deſinet. *Marcus* loquitur de baptizato, & credente myſteria fidei, quorum non ultimum eſt, ut credat quiſque ſine adæquata ſatisfactione compotem fieri non poſſe æternæ fælicitatis. Eccleſiaſtis verò eſt ſenſus hominem neceſſariò mori, nec ſuis poſſe viribus reſurgere: vel extra hujus vitæ diſcrimen nec poſſe divinam gratiam perdi, nec recuperari, ſi quis eâ præditus, vel deſtitutus deceſſerit.

Poſt diem judicii non erit Purgatorium.

95 OBJICIES 3. Poſito Purgatorio, non omnes juſti poſt mortem ſtatim beatificarentur: ſed omnis juſtus ſtatim poſt mortem beatificatur. Ergo. *Probatur minor* 2. ad Corinth. 5. v. 1. *Si terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in Cælis*. Ergo diſſoluto corpore, anima ſtatim ingreditur domum non manufactam: Pſalm. 126. v. 3. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum. Ecce hæreditas Domini*. Ergo boni ſtatim hæreditatem capiunt ſempiternam.

RESPONDEO: *nego minorem*. Nullus ait textus continuò juſtos beatificari, ſed poſt mortem iis paratam eſſe perpetuam felicitatem. Cæterùm ſontes alicujus piaculi patiantur

tur oportet aliquam moram in carcere : quod videtur innuere ibidem Apoſtolus v. 3. illâ clauſulâ, *ſi tamen veſtiti, & non nudi inveniamur*; ideſt undequaque digni, & ſpoliati affectibus carnis quoad culpam, & quoad reatum pœnæ. Locus Pſalmiſtæ litterali ſenſu ſignificat pacem conſcientiæ, quâ fruuntur in hac vita ponentes ſpem ſuam in Domino; ideò præmiſit : *Niſi Dominus ædificaverit* &c. *Auguſtinus*, & alii exponunt de hæreditate æterna, ſed quæ donatur hominibus ſecundùm animam, & corpus poſt dormitionem corporum in ſepulchris, hoc eſt, in reſurrectione mortuorum, qua peracta piaculares flammæ reſtinguentur, animæque cum ſuis quæque corporibus Chriſtum ſequentur beatæ ad gloriam, vel ab eo recedent damnatæ in ignem æternum.

Pax conſcientiæ dicitur ſomnus.

96 OBJICIES 4. Purgatorium ponitur pro iis, qui in charitate moriuntur, needum peractâ pœnitentiâ de peccatis : ſed hoc eſt falſum. Ergo. *Probatur minor*. Latroni dixit Chriſtus Lucæ 23. v. 43. *hodie mecum eris in Paradiſo*. Latro ille erat quidem juſtificatus, quia reſipuerat, & miſericordiam a Domino imploraverat; pœnitentiâ tamen necdum erat functus, cùm poſt juſtificationem protinus animam efflaſſet.

RESPONDEO *negando minorem*. Hujus probatio in pluribus claudicat. Undenam *Petrus Martyr*, qui eo depugnat argumento, oſtendit fervore contritionis, duræ crucis paſſione, publicâ ignominiâ æquo animo toleratâ non ablatum in Latrone reatum pœnæ? Potuit Chriſtus, eo univerſalis Redemptionis momento ejuſmodi ſupplicium acceptare ùt adæquatam peccatorum ſatisfactionem, quo ipſo tempore Apoſtoli propter metum Judæorum negabant Chriſtum, aut latitabant. Omnem igitur reatum pœnæ extinxerit bonus Latro, & ab omni inquinamento expurgatus deceſſerit.

Plenè ante mortem ſatisfecit Latro.

97 OBJICIES 5. Semel dato Purgatorio, Juſti poſt mortem aliquid laboris paterentur. Sed juſti poſt mortem nihil patiuntur laboris. Ergo. *Minor* habetur Apocal. 14. v. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis : opera enim illorum ſequuntur illos.*

RESPONDEO. Juſti aliquid laboris ferunt, qui non plenè purgati decedunt : ſecus qui velut aurum decedunt rubiginis expertes. Teſtus Apocalypſis viros perfectos, & præcipuè intendit SS. Martyres; proinde immediatè præmittitur v. 12. *Hic patientia Sanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Jeſu : & audivi vocem de Cœlo dicentem mihi : Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Vel dicendum cum *Anſelmo* ibidem ly *amodo* appellare poſt diem Judicii, de quo in illo capite eſt ſermo : *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora Judicii ejus.*

Juſti decedentes in perfecta charitate non patiuntur in alia vita.

CONTROVERSIA IV.

AN EX PECCATO VENIALI COLLIGATUR PURGATORII EXISTENTIA.

TElum maximum, quo Hæretici Purgatorium oppugnant, ex quibuſdam petitur Scripturis, ubi innui videtur, nullum peccatum veniale eſſe. Cùm verò ſupponant in mortali culpam ſimul cum pœna deleri, tanquam inane argumentum derident, quo Papiſtæ pro venialibus fornacem expiationis ſuccendant folle inanitatis pleno. Ut ergo ejuſmodi dicteria ad ſanam mentem redeant, validiſſimumque oſtendatur ex venialibus argumentum ſumi, operæ huic pretium fecerim, perbrevem Controverſiam inſtituens, quæ calamo exactiore expendetur in tractatu de peccatis.

98 Ad intelligentiam noto, peccatum veniale apud Theologos, tripharіam dividi. Veniale ex indeliberatione, ex parvitate materiæ, & ex natura ſua. *Ex indeliberatione* dicitur, quando objectum, circa quod verſatur actus, eſt graviter peccaminoſum, ſed abeſt plena advertentia, aut plena voluntarietas, quales ſolent eſſe motus ſecundò primi. *Ex levitate materiæ*, ùt quando lex prohibet quidem ſub gravi rem aliquam, at non violatur ſecundùm totum, ſed ſecundùm minimam partem, ùt furtum oboli a divite. *Ex natura ſua*, quando attento objecto, & materiâ adæquatâ, lex ſub gravi non prohibet : ùt verbum otioſum, jocoſum mendacium. De his potiſſimùm Controverſia inſtituitur. Volunt ergo *Lutherani*, & *Calviniſtæ* nullum haberi peccatum ex natura ſua veniale; ſed omne eſſe mortale, & mereri æternam damnationem, nec ullatenus extra hanc mortalem vitam expiari uſquam poſſe. Sed contra.

Peccata venialia ſunt in triplici differentia.

Lutherani, & Calviniſtæ *negant peccata venialia.*

99 DICO. *Ex peccato veniali colligitur exiſtentia Purgatorii*. Si Juſtus in ordine præſentis providentiæ moritur cum peccato veniali, neceſſariò Purgatorium debet exiſtere. Sed Juſtus in præſenti providentia cum peccato veniali ſæpè moritur : ergo neceſſariò Purgatorium debet exiſtere. *Major prob.* Apocalypſis 21. v. 27. *Non intrabit in eam* (ideſt Civitatem Cœleſtem) *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium*; & ideo deſcribitur beata Jeruſalem undequaque pretioſis lapidibus, auroque mundiſſimo ornata, & infra cap. 22. ver. 14. *Beati, qui lavant ſtolas ſuas... ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in Civitatem*. Paulus ad Epheſios 5. v. 27. de Eccleſia Triumphante loquens : *ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi. Sed ut ſit ſancta, & immaculata*. Ergo.

Juſtus ſæpè moritur cum peccato veniali.

Minorem probo quoad primam partem, quam Hæretici negant, probaturus faciliter ſecundam. Juxta Hæreticos peccatum mortale illud eſt, quod non ſtat cum charitate, & æternam pœnam meretur; ſed Juſtus aliqua committit, quæ charitatem non tollunt, nec æternam pœnam promerentur : ergo Juſtus committit aliquod peccatum, quod non eſt mortale : ergo veniale. *Minor oſtenditur.*

M Prov.

Prov. 24. verſ. 16. *Septies enim cadet Juſtus*; ergo retinendo juſtitiam ſæpè Juſtus labitur. Juſti erant *Zacharias*, & *Eliſabeth*, Luc. 1. v. 8. *Erant autem juſti ambo ante Deum*. Juſtus erat *Joannes* Apoſtolus, & tamen de ſe ipſo, & de aliis Sanctis 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*. Præſul Thyatiræ Eccleſiæ Apoc. 2. Fidem, & Charitatem habebat; attamen aliqua in eo invenit, quæ Christus reprehenderet. Juſtus erat Petrus; *Joan. 13. verſ. 10.*, nihilominus in levibus indigebat mundari; *qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet*.

Juſtus committit aliquod veniale peccatum.

SECUNDO declaratur aliâ viâ aſſumptum. Si nullum peccatum eſſet veniale, non contraponeret Scriptura unum peccatum tamquam leve alteri tamquam gravi. Sed contraponit: ergo. *Probatur min.* Matth. 23. v. 24. reprehenduntur Phariſæi, qui minima quædam venialia plurimi faciebant, & gravia nihili. *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes*; ubi vides tantam differentiam puni hoc inter, & illud peccatum, quanta inter culicem, & camelum. Ut autem culex comparativè ad camelum res minima eſt, & ferè nihil; ita non deſunt levia quædam peccata, quæ mortali comparata ferè nihil ſunt.

Peccatū veniale comparatur peccato mortali,

Lucæ 6. v. 41. dicit Dominus: *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?* Certè feſtuca lædit quidem oculum, ſed non deſtruit: trabs verò oculum deſtruit. Sentit ergo Christus aliqua eſſe peccata, quæ ſpiritualiter hominem occidunt, aliqua tantùm lædunt. Item *Jacobus* ſuâ Epiſtolâ clarè diſtinguit c. 1. v. 14., & 15. peccatum afferens mortem ſpiritualem animæ, a peccato illam non afferente: *unuſquiſque verò tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus*: ecce motus primò primi ſine peccato; *Concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum*. Ecce motus ſecundò primi cum aliqua culpa. *Peccatum verò, cùm conſummatum fuerit, generat mortem*. Ecce plenus conſenſus, & peccatum, quod animam interimit, cùm aliud ſemideliberatum non occidat, utpotè non conſummatum. Huc collimant etiam alii textus in ſuperiori Controverſia citati de fœuo, ſtipulâ, & ligno, de noviſſimo quadrante, &c.

Declaratur TERTIO minor illa principalis. In Epiſtola ad Rom., & alibi Fideles, qui conſtituunt corpus myſticum Eccleſiæ, membris humanis, quæ corpus hominis phyſicum componunt, comparantur. Sed humanis membris aliquando infligitur leve vulnus cum modica infirmitate. Ergo etiam animabus ſpiritualia indi poſſunt vulnera, morbique leviores, qui ad mortem non ſæviant, cujuſmodi ſunt venialia. Rurſus in Scripturis frequenter Deus ad Fideles comparatur, ſicut Rex ad ſubditos, ſicut Dominus ad ſervos, ſicut Pater ad Filios; ſed inter ſubditos, & Regem, ſervos inter & Dominum, inter Filios & Patrem quædam injuriæ, & offenſæ occurrunt, quæ aliqualiter diſplicent, quin amicitiam deſtruant; ergo pariter inter Fideles, & Deum plures eveniunt leves injuriæ, quæ charitatem, & amicitiam non diſſolvunt. Sed peccatum divinam amicitiam

Fideles comparātur corpori phyſico.

Quædam offenſæ non tollunt amicitiā.

A

non deſtruens non punitur pœnâ æternâ; quia hæc debetur averſioni a Deo, tanquam ab ultimo fine. Ergo dantur in Juſtis peccata venialia.

Deinde *probatur ſecunda pars minoris*. Sæpè Juſtus moritur poſt commiſſa venialia, eiſque non retractatis, ùt cùm moritur ex improviſo, & de repente. Et hoc quidem maximè contingit in iis, qui non admodum ſolliciti de ſpirituali profectu mortalia quidem cavére, & emendare ſatagunt, ſed venialia parùm curant vel evitare, vel lacrymis, & ſacramentali præſertim pœnitentia abſtergere. Ergo in alia vita ab illis purgari omnino debent.

B

100 Idem argumentum ex principiis *Lutheranorum*, & *Calviniſtarum* proponitur ſic. Nullus immundus præſertim ſorde lethali intrat in Regnum Cœlorum, niſi abſtergatur priùs. Sed *Calviniſtæ* quamdiu inter mortales agunt, & *Lutherani* ſunt immundi; ergo intrare nequeunt in Regnum Cœlorum, niſi prius emundentur. Atqui non purgantur in hac vita: ergo in altera; ſi ne ibi quidem; ergo damnati pereunt. *Minor probatur contra Calviniſtas*. Hi namque ajunt peccatum originale perenne eſſe in hac vita, nec per Baptiſmum tolli. Calvinus *lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 10., & in Antidoto Concilii Tridentini ſeſſ. 5.*;

C

additque ex contagione originariæ labis omnia juſtorum opera coinquinari, *lib. 3. Inſtit. cap. 12. §. 4., lib. 2. cap. 1. §. 8.* de originali habet. *Videtur ergo peccatum originale, hereditaria naturæ pravitas, & corruptio in omnes partes diffuſa, quæ facit reos iræ Dei*. Ergo quandiù vivunt, ſordidi omnino ſunt. Contra *Lutheranos* ſic inſtatur. Per ipſos quodquod opus bonum Juſti ſaltem eſt peccatum veniale. Lutherus *in aſſertionibus art. 31., & 32.*: & Philippus *in locis communibus* editionis primæ: *omnia opera hominum, quantumvis laudabilia, planè vitioſa, & morte digna peccata*. Sed *Lutherani*, ſi qui præſumuntur Juſti, ſæpè

Per Calvinū *ex contagione peccati originalis omnia opera juſtorū coinquinātur.*

Opera hominum per Melanthonem, licèt laudabilia, ſunt planè vitioſa.

D

ex improviſo moriuntur non purgati, & emundati. Ergo.

101 DICES inquinamenta originalis peccati, & operationum Juſtorum tolli per mortem, & in morte: unde nihil expiandum poſt mortem reliquum eſt. SED CONTRA. Vel mors ſola purgat a peccatis, vel ùt conjuncta cum fide. Non primum; quia mors etiam purgaret infideles, eorumque damnaretur nemo, quod ipſi quoque Hæretici negant. Non ùt conjuncta cum fide; tum quia fides in morte non habet majorem vim, quam in vita. Sed in vita non purgat ab originali, ùt *Calviniſtæ* docent; ergo neque in morte:

E

tum etiam quia (pro utriſque inſtatur) poteſt aliquis, quod ſæpè contingit, mori nullo actu fidei præmiſſo, ùt cùm quis dormiens moritur. Ergo dicamus vel omnes Calviniſtas, & plures Lutheranos damnari, quod ipſi negant; vel in alia vita Purgatorium ſubire.

102 DICES *ſecundò*. Originale non tollitur quidem, ſed non imputatur prædeſtinatis. CONTRA. Ergo Calviniſtæ revera in Cœlo ſunt averſi a Deo, rei æternæ mortis, cæci mente, & voluntate pravi; hos enim effectus originali tribuunt. Certè inter

Ex ſuis principiis probatur, quod Calviniſtæ eſſēt in Cœlo averſi a Deo.

Bea-

Beatoz, quos vidit *Joannes*, iſti non coonnumerantur; ſunt enim illi verè pulchri, verè mundi, verè ad Deum converſi.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

103 HÆreticorum argumaota partim primam partem mioorís; nullum ſcilicet in Juſtis eſſe veniala peccatum, impugnant: partim ſecuudam, ſcilicet quod cum tali peccato ooo deleto ſæpè moriootur. Quia tamen horum diſcuſſio non eſt hujus loci, ſubjiciam domtaxat, quantum firmandæ conclaſioni noſtræ ſat eſt.

OBJICIES 1. Illud peccatum eſt mortale, quod divinam maledictionem, & ſpiritualem mortem inducit. Sed qoodcumqoe peccatum eſt hujuſmodi. Ergo quodcumque eſt mortale. *Prob. min.* Univerſaliter, & nolla facta exceptione Ezech. 18. v. 4. dicitur: *anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*. Ad Rom. 6. v. 23. *Stipendia enim peccati, mors*. Jacobi 2. v. 10. *Qui autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*. Ergo omne peccatum diſſolvit amicitiam Dei, & generat mortem.

RESPONDEO *negando minorem*: ad probationem, *nego antecedens*. Licèt peccatum veniale, abſolutè, & propriè ſit, & dicatur peccatom in Scriptura, ùt patet 1. Joann. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*: tamen comparativè ad mortale eſt, & dicitur peccatum *ſecundum quid*, quatcous legem Dei frangit, ſed citra finem charitatis, hoc eſt legem noo prohibentem objectum ſub averſione ab ultimo fioe. Secùs accidit in lethali peccato; ideoqoa dicitur peccatom ſimpliciter. Hinc fit, ut onivocè non dicator de mortali, & veoiali; ac proinde juxta Philoſophorum regulam, denominatio ſtat pro famoſiori. Quando igitur in Scriptura habetur, peccatum mortem inducere, Divinam provocare juſtitiam, & ſimilia, intellige de mortali, ùt in locis citatis. Nam *Ezechiel* expreſsè da certis quibuſdam peccatis graviſſimis loquitur, de Idelolatria, de adulterio, homicidio, & rapina. Item Apoſtolos de immunditia, & iniqoitata. Pariter D. *Jacobus* de peccatis contra præcepta Decalogi, & ſignanter de adolterio, & homicidio; unde immediatè ſubdit: *qui enim dixit non mœchaberis, dixit, & non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis*. Ratio eſt; quia teſte Apoſtolo 1 ad Timoth. 1. v. 5. *Finis præcepti eſt charitas*. Qui unum committit peccatom mortale, tollit charitatem, & reus eſt mortis, ac ſi totam legem frangerat. Sic in humanis, ut quis dicatur lethaliter ſaociatus, uon aſt neceſſe, ut cuilibet membro inſit vulnus: ſufficit in uno graviter vulnerari.

Peccatū veniale frangit legem citra finem charitatis.

Peccatum nō dicitur univocè de mortali, & veniali.

Jacob, 2, 21.

104 OBJICIES 2. Si qoa peccata pœnam non inferunt æternam, proindeque ſunt venialia, maximè illud, quod committitur in minimis. Sed hoc etiam pœnam æternam inducit. Ergo. *Prob. min.* Matth. 5. verſ. 19. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis . . . minimus vocabitur in Regno Cælorum*: ideſt, *nullus*. Joan. 13. v. 8. *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Sed hic agitur de re leviſſima, de corporali ſcilicet pedum ablutione, vel da venialibos, ùt Papiſtæ interpretantur. Ergo. Rurſus Matth. 10. verſ. 42. *Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ . . . . non perdet mercedem*. Contrariorum eadem eſt ratio. Sed minima opera bona merentur vitam æternam: ergo minima etiam peccata pœoam merentur ſempiternam.

RESPONDEO *negando minorem*, quam nullo modo probant adducta teſtimonia. Non primum; quia Chriſtus Dominos non dixit, *qui ſolverit* præcisè, ſed copulativè, *qui ſolverit, & docuerit*; in qoo continetur graviſſimom crimen, doctrinam ſcilicet depravatè interpretantem Scripturas. Conſilia quidem neque obligant ad veniala: nihilominos, qui doceret parvi eſſe facieoda, mortaliter peccaret; utpote Chriſti doctrinæ, ejuſque prædicatiooi cootrarium doceos. Fortè etiam minimum appellat Chriſtus præcepta Decalogi, & legis veteris, de qua priùs dixerat, *non veni legem ſolvere, ſed adimplere*, & vocat minima non qoidem abſolutè, ſed comparativè ad alia quædam in iege uova ab ipſo tradita præcepta, quæ otique perfectiora ſuot, ùt diligere inimicos, non dimittere uxorem, & alia id geous; proinda in eo capita frequeoter habet. *Dictum eſt antiquis . . . Ego autem dico vobis*. Neque ſecunda probatio qoicquam valet. Nam ſi textus loqoitur de materiali pedum lotione, noo eſt quid leva; iotervenit eoim gravis inobedientia cootra Domini mandatom; quamvis ea lotio præciſivè accepta videatur levis materia, attentis circumſtantiis, & myſterio erat valdè gravis, ùt eruitur ex *Baſilio* lib. 1. de Baptiſmo a. 2. Sin autem dicimus cum *Auguſtino*, textum loqui de lotione a venialibus, quæ expoſitio convenientior eſt litteræ ob illam reſpooſionem: *qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet*, tunc veriſſimum eſt dictum Chriſti; quia in ſenſu compoſito peccati veoialis oullus eſt capax conſortii Chriſti; ſed hoc non oritur ex natura peccati venialis, ſed ex ſuppoſitione, quòd oou ſit remiſſum.

Docere, quòd conſilia Chriſti ſunt parvifacienda, eſt peccatum mortale.

AD TERTIUM DICO. Littera noo habet, *vitam æternam recipiet*, ſed *non perdet mercedem ſuam*. Nou licèt ergo inſerre ex oppoſito, venialiter peccaotem pœoam mereri æternam, ſed ſolùm non evaſurum pœoam ſibi debitam; ſicoti non fraudabitur mercede ſibi debita, qui præbuerit calicem aquæ. Præterea miuimum opus ex ſe non meretur vitam æternam, ſed ratiooe charitatis, quâ informatur, ex qoo debet inferri; illud peccatum pœnam æternam meretur, qaod charitatem excludit, eiqoe opponitur.

Illud peccatū meretur pœnā æternā, quod charitatem excludit.

105 OBJICIES 3. Peccatum qoodcumque eſt contra legem Dei: ablata enim lege ſecundùm Apoſtolum, non datur peccatum. Sed fractio legis cujuſcumque maledictionem infert æternam. Ergo. *Minor prob.* Deuter. 27. verſ. 26. *Maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis hujus*: rurſus Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*. Sed non ſtat cum quacomque occupatiooe mentis etiam leviter vitioſa hujus præcepti

obſer-

obſervantia ; quia non jam ex toto corde diligitur Deus . Ergo nullum peccatum ſtat cum dilectione Dei .

Legis violatio, quæ excludit charitatem, inducit æternam maledictionē.

RESPONDEO ad argumentum *Calvini* . Non quælibet legis violatio inducit æternam maledictionem ; ſed ea ſolùm , quæ charitatem excludit . Littera *Deuteronomii* reduplicationem hujus legis includit ; etenim ibi ponitur lex prohibens Idololatriam , inceſtum , homicidium , &c. ; quæ utpote enormiſſima finem legis tollunt , ſcilicet charitatem : *finis enim præcepti eſt charitas* . Dilectio verò , de qua loquitur Chriſtus , eſt dilectio appretiativa ex toto corde ſuper omnia , cum qua digreſſio a Deo aliqua componitur .

106 OBJICIES 4. Quælibet graviſſima pœna etiam æterna , minus malum eſt , quàm quodlibet minimum peccatum . Ergo quodlibet minimum peccatum meretur pœnam æternam . *Probatur conſeq.* Illud totum juſtè meretur , quod non excedit condignitatem demeriti . Sed pœna æterna non excedit condignitatem demeriti in peccato veniali : ergo illi debetur ; neque eam iniquè Deus infligit . *Antecedens* ab omnibus admittitur , aliter eſſet licitum ad evitandam pœnam æternam alicere peccatum veniale : & rationem ſobdit D. Thomas *Quodlib. 1. art. 9. , & pr. parte q. 28 art. 9.* ; quia peccatum veniale eſt malum Dei , abſolutè Deo repugnat , & rectæ rationi ; malum verò pœnæ eſt malum hominis , & rectæ rationi conſonum , adeoque minus malum .

CONFIRMATUR . Peccatum , quod eſt irremiſſibile , pœnam meretur æternam . Sed peccatum veniale eſt irremiſſibile ; ergo meretur pœnam æternam . *Probatur min.* Ideo mortale ex natura ſua eſt irremiſſibile ; quia ſolùm remitti poteſt per gratiam , quam Deus negare poteſt abſque injuſtitia . Sed etiam veniale non remittitur abſque gratia Dei , quam negare poteſt abſque injuſtitia : ergo eſt irremiſſibile .

Juſtitia diſtribuit pœnas ſecundùm qualitatem culpæ .

RESPONDEO . Etſi quodlibet minimum malum culpæ majus ſit quolibet malo pœnæ ; tamen attentâ Divinâ Juſtitiâ , peccato veniali non debetur pœna æterna ; nam juſtitia pœnas juxta qualitatem culpæ diſpoſuit . Cùm ergo inter culpas habeatur gravis , levis , & leviſſima ; & inter pœnas itidem ſit gravis , levis , & leviſſima, juſtitia eſt pœnam gravem gravi , levem levi , leviſſimam leviſſimæ irrogare : adeoque pœna æternalis , quæ maxima eſt , non convenit veniali utpote levi inter peccata .

Veniale ex natura ſua nō eſt irremiſſibile .

Ad confirmationem *nego minorem* ; non enim peccatum veniale ex natura ſua eſt irremiſſibile , & ideo communiter dicitur veniale , quaſi veniâ dignum . Nec paritas officit ; nam mortale eſt irremiſſibile ; quia extrudit gratiam ſanctificantem , quod eſt principium cujuslibet motus vitæ ſupernaturalis ; unde nequit homo ab eo reſurgere , ſicut mortuus corporaliter nequit ſeipſum ad vitam revocare . Veniale verò non expellit gratiam ſanctificantem ; ac proinde homo poteſt elicere actus vitæ ſupernaturalis , quibus morbum venialis culpæ curet ; ſicuti vivens corpore aliqualiter affecto ex ſe potis eſt levem morbum curare . Et licèt actualis actus deletivus peccati ſit nova gratia ; tamen ex ſuppoſitione juris , quod habet juſtus ad æternam vitam , auxilium ad eum eliciendum eſt quodammodo in radice debitum .

107 OBJICIES 5. Peccatum veniale eſt infinito odio dignum . Sed quod eſt odio dignum infinito , meretur pœnam æternam . Ergo . *Major oſtenditur* . Tanto odio veniale eſt dignum , quanto amore eſt amabile bonum , propter quod adipiſcendum , veniale non eſt committendum . Sed bonum illud eſt amabile infinito amore : ergo illud eſt odibile odio infinito . *Utraque præmiſſa ſimul declaratur* . Peccatum veniale non eſt admittendum , etiam pro aſſecutione boni infiniti . Sed bonum infinitum infinitam continet bonitatem . Ergo .

Peccatum veniale non eſt alegibile , quia eſt malū naturæ intellectualis .

RESPONDEO *negando majorem , & ejus probationem* . Non enim gradualiter creſcit in malitia peccatum veniale , quantum creſcit in bonitate bonum , propter quod adipiſcendum non eſt eligibile . Non ideò eſt eligibile peccatum veniale ex directa oppoſitione gradualis deformitatis ad gradualem perfectionem boni ; ſed ideò , quia eſt malum ſimpliciter intellectuali naturæ repugnans , ac proinde eſt medium ineptum ad conſequendum bonum naturæ ejuſdem perfectivum ; & quia aliunde hoc malum repugnans naturæ intellectuali Deum non privat jure ultimi finis ; ideò non eſt dignum odio infinito .

DICES . Peccatum veniale in eſſe offenſæ formalis eſt infinitæ gravitatis ſimpliciter . Sed quod eſt gravitatis ſimpliciter infinitæ in eſſe offenſæ Dei, meretur pœnam æternam. Ergo. *Min. clara eſt* . Ex quo enim peccatum mortale eſt gravitatis infinitæ in eſſe offenſæ , deducitur ratione malitiæ , mereri pœnam æternam : & ex quo Chriſti opera ſunt valoris infiniti in eſſe ſatisfactionis , colligitur eorundem meritum eſſe infinitum . *Probatur igitur major* . Offenſa paſſiva peccati venialis recipitur in Deo tanquam in ſubjecto propter eaſdem omninò rationes , ob quas recipitur offenſa paſſiva peccati mortalis ; quia ſcilicet Deus eſt perſona offenſa , damnificata , & læſa . Sed ſi recipitur in Deo , eſt offenſæ ſimpliciter infinitæ . Ergo . *Probatur minor* . Non alia ratione peccatum mortale eſt offenſæ ſimpliciter infinitæ , niſi quòd recipitur in Deo tanquam in ſubjecto , & Deus eſt infinitus . Sed etiam Deus , ùt ſubjectum peccati venialis , eſt infinitus . Ergo eſt gravitatis infinitæ . *Explicatur* 1. Peccatum mortale non creſcit in propria linea , ſed ad lineam boni , quod lædit ; unde major eſt malitia actus , quàm habitus ; quia vitiat actum , qui eſt perfectior , quàm habitus , ideoque receptum in actu infinito , ùt in ſubjecto , creſcit in infinitum . Sed etiam veniale creſcit ad lineam boni , quod lædit . Ergo receptum in ſubjecto infinitæ actualitatis infinitatur . *Secundò* . Ex quo Deus offenſus per mortale eſt ordinis ſuperioris , & infiniti , gravificatur non ſolùm gravitate ordinis ſuperioris , ſed etiam infinitè . Atqui etiam offenſus per veniale eſt infinitus , & ordinis ſuperioris . Ergo gravificatur non ſolùm gravitate ordinis ſuperioris , ſed infinitè . *Tertiò* . Quia mortale non eſt adæquabile per ſatisfactiones multipli-

tiplicatas in infinitum puri hominis, arguitur eſſe infinitæ gravitatis. Sed peccatum veniale non eſt adæquabile per offenſas hominum multiplicatas in infinitum, cùm non reſpiciant niſi ordinem creatum: ergo eſt gravitatis infinitæ.

DICES. Diſparitas inter mortale, & veniale ſita eſt in eo, quod peccatum mortale eſt capax recipiendi infinitatem: ſecus veniale, cùm ſit leve; quare licèt recipiatur in ſubjecto infinito, potente dare infinitatem, tamen non gravificatur infinitè.

SED CONTRA. Utvis peccatum veniale ſit aliquod leve; quia tamen recipitur in ſubjecto ordinis ſuperioris, gravificatur in ordine ſuperiori: ergo licèt ſit aliquod leve; quia tamen recipitur in ſubjecto infinito, eſt capax gravitatis infinitæ. *Secundò*: Ita ſe habet Perſona Divina ad gravificandam offenſam, ſicut ad dignificandum opus bonum. Sed Perſona Divina cuicumque actui bono tribuit valorem infinitum: ergo cuicumque actui malo malitiam infinitam. *Tertiò*. Non minùs eſt capax infinitatis finitum, quàm leve. Sed non obſtante finitate activæ offenſæ peccati mortalis, ſi recipiatur in ſubjecto infinito, infinitatur: ergo.

RESPONDEO ſuſtinendo ſolutionem datam, quæ ſic explicatur. Privatio eſt major, vel minor juxta qualitatem formæ, quà privat ſubjectum, & non præcisè menſuratur a qualitate ſubjecti, in quo recipitur. Offenſa peccati mortalis effectivè, & moraliter privat abſolutè Deum jure ultimi finis, transferendo illud jus in creaturam; unde in Deo eſt recepta abſolutè, & ſimpliciter privatio juris divini; adeoque in eſſe privationis moraliter eſt tantæ gravitatis, quantæ dignitatis eſt jus abſolutum Dei. Offenſa verò venialis non privat Deum jure ultimi finis, at dumtaxat actuali extenſione ad hunc actum determinatè. Quare non eſt privatio ſimpliciter talis, ſolùm ſecundùm quid, quatenus quodammodo limitat jus divinum, prohibens ne hic, & nunc actualiter terminet hanc numero actionem, adeoque non gravificatur infinitè; nec prædicta privatio commenſuratur cum perfectione ultimi finis, aut ſupremi dominii abſolutè conſiderati (ſic enim importat, & explicat infinitatem), ſed commenſuratur cum perfectione ultimi finis, & dominii, ut actu finalizat, & terminat particularem aliquam operationem, & juxta hanc conſiderationem non explicat perfectionem infinitam, nec aliquid cum ea neceſſariò connexum, ideoque privatio, cùm non excludat aliquid ſimpliciter infinitum, non dicit infinitatem.

Peccatū veniale non tollit rationem ultimi finis.

Habes hinc diſcrimen inter peccatum mortale, & veniale. Ideo illud eſt offenſæ ſimpliciter infinitæ; non quia recipitur in Deo utcumque; ſed quia recipitur auferendo ab illo rationem ultimi finis, & ſupremi dominii, quod explicat infinitatem. Peccatum autem veniale utcunque ſecundùm rationem offenſæ recipiatur in Deo, non tollit a Deo abſolutè rationem ultimi finis, & ſupremi dominii, ſed reſpectivè dumtaxat ad aliquam operationem, juxta quam non explicat infinitatem. Quapropter quando dicitur peccatum veniale ſecundùm offenſam recipi in ſubjecto infinito, verum eſt; ſed hoc non probat infinitatem offenſæ; quia non eſt læſio ſimpliciter juris infiniti. Quia tamen (ſic ad alias inſtantias reſpondetur) quia tamen eſt aliquaIiter malum Dei, & malitiæ ſuperioris ordinis ad quaſcumque offenſas hominum, ex hac ſuperioritate poteſt dici infinitum negativè, ſed non poſitivè, eo proportionali modo, quo Angelus ob exceſſum ſupra creaturas inferioris ordinis dicitur infinitus negativè. Nec obeſt id, quod additur, ſcilicet, ſicut peccatum veniale licèt ſit aliquod leve, tamen, quia recipitur in ſubjecto ordinis ſuperioris, gravificatur in ordine ſuperiori: ita licèt ſit aliquod leve; quia tamen recipitur in ſubjecto infinito, erit gravitatis infinitæ: non, inquam, hoc refert. Ideo enim primum verificatur; quia de facto recipitur in ſubjecto, quod explicat ſuperioritatem. Cæterùm offenſa non recipitur in Deo ſecundùm quod explicat infinitatem, ùt ſupra diximus. Nec evincit exemplum Chriſti dignificantis quodlibet opus ex genere ſuo leve. Nam utvis tale opus ſit ſecundùm ſe bonum; non eſt tamen in ſe capax infinitæ dignificationis, niſi priùs referatur ad Deum tanquam ad ultimum finem, media charitate, & hoc accidit in Chriſto; quia pro priori ad valorationem Perſonalem, opus illud referabatur in Deum ultimum finem ſuper omnia dilectum: quo pacto licèt ex ſua ſpecie eſſet leve, erat tamen capax infinitæ dignificationis. Hinc eſt, ut actus neceſſarii, & naturales capaces non eſſent valoris infiniti, quamvis eſſent a Perſona infinitè digna propter carentiam dictæ capacitatis. Cùm igitur peccatum veniale non ſit capax gravitatis infinitæ, utpote quod non dicit averſionem ab ultimo fine, non redditur infinitum in ratione offenſæ ab ipſa Perſona offenſa. Corruit ergo etiam paritas finitatis activæ, quæ eſt in mortali; nam cùm mortale dicat propriam averſionem a Deo tanquam ultimo fine, & conſtituat finem ultimum in bono commutabili, ad quod convertitur, ſequitur, ut ſit capax inducendi ſimpliciter privationem juris divini, ſecundùm quod explicat infinitatem, quod non contingit in veniali, ut conſtat ex dictis.

Peccatum mortale tollit a Deo rationē ultimi finis.

Veniale infinitum negativè.

Opera Chriſti valoris infiniti.

Magis expedita eſt alia ſolutio, ſcilicet in peccato veniali non dari offenſam Dei juxta illud D. *Thomæ* q. 7. de malo art. 2. ad 10. *Dicendum, quòd peccatum veniale, cùm non importat averſionem propriè loquendo, non habet rationem offenſæ*. Ubi notandum, quod ly *propriè loquendo* cadit ſupra primam partem propoſitionis, nempe ſupra averſionem; in omnibus ſiquidem, quos vidi, novis, antiquiſve codicibus, poſt dictionem illam *propriè loquendo* apponitur virgula; quare non debet dici, quòd peccatum veniale ſit offenſa ſecundùm quid, ſed ſolùm diſplicentia quædam ipſius Dei; eſt enim ſolummodo obliquitas quædam circa finem ultimum. Secundùm hanc reſponſionem totam argumentum collabitur.

§. SE-

§. SECUNDUS.

IN ALTERA VITA DELERI PECCATA VENIALIA.

QUamvis ſolidè ex Scriptura demonſtratum ſit, Juſtum in ſenſu compoſito juſtitiæ, poſſe venialiter peccare, eoqua indeleto mori ; nihiloſecius haud conſtat venialia deleri in Purgatorio, ac proinde argumentum tantopere ab Ortoduxis celebratum ad demonſtrandam Purgatorii exiſtentiam eſt valde infirmum . Si enim cum *Scoto* 4. Sent. diſtinct. 21. quæſt. 1. dicatur dimitti in inſtanti mortis , omnia argumenta nullius momenti ſunt . Quare priuſquam reſpondeam ad argumenta contra ſecundam partem minoris , probem neceſſe eſt , in Purgatorio venialia deleri .

Peccata venialia remittuntur in alia vita.

108 *VENIALIA QUOAD CULPAM DIMITTUNTUR POST VITAM , ET NON IN INSTANTI MORTIS ; ADEOQUE IN PURGATORIO . Probatur concluſio ex ſuperiùs dictis .* Per Apoſtolum 1. *ad Corinth.* 3. Lignum , fœnum , ſtipula ab aliquibus ædificata ſupra charitatem , ſeù ſupra vivam Chriſti fidem in alia vita, igne conſumuntur . Sed per lignum, fœnum , & ſtipulam intelliguntur actus formales venialiter peccaminoſi : ergo peccata venialia formalia dimittuntur in alia vita . Matth. 12. v. 32. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum , non remittetur ei , neque in hoc ſeculo , neque in futuro*. Ergo aliquod peccatum dimittitur in alio ſeculo, ùt ſupra demonſtratum eſt . Sed non mortale : ergo veniale . Hinc Magiſter explicans textum dicit . *Ex hoc datur intelligi , quod ùt Sancti Doctores tradunt , quædam peccata in futuro dimittentur* . Idem Evangeliſta cap. 5. v. 26. *Non exias inde , donec reddas noviſſimum quadrantem* . Sed pro quadrante intelliguntur peccata venialia : ergo peccata venialia delentur in altera vita . Rurſus ſuper illud Matth. 3. v. 11. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*, habet gloſſa : *Spiritu in præſenti abluit , poſt, ſi qua macula ſurrexerit igne, purgatorio exurit*. Ubi expreſsè loquitur de macula , & comparat exuſtionis effectum , cum effectu Spiritus abluentis . Sed Spiritus ablutio tollit maculam : ergo etiam ignis exuſtio maculam tollit . Sed non maculam peccati lethalis : ergo venialis . Hinc *Gregorius* 4 Dialogorum apud S. Thom. quæſt. 7. de malo art. 10. habet : *datur intelligi quaſdam leves culpas poſt hanc vitam remitti* . Et *Auguſtinus* lib. de vera pœnitentia ab eodem Angelico relatus : *illa tranſitorio igne non capitalia , ſed minuta peccata purgantur* . Alii Patres , ùt ex ſupradictis in alia controverſia conſtat , idem ſentiunt .

109 Nec valet , quod Sancti Patres loquantur de remiſſione pœnæ ; quia Patres expreſsè mentionem faciunt maculæ , & culpæ , & apertè diſtinguunt mortale a veniali . Sed Patres expreſsè ſentiunt etiam mortalia deleri in Purgatorio quoad pœnam : ergo loquentes de venialibus comprehendunt culpam , & pœnam .

110 PROBATUR *ſecundò* . Macula , ſeù culpa venialis non tollitur , niſi formaliter , aut virtualiter retractetur per aliquid
A incompoſſibile ; ſed datur caſus , in quo juſtus nec in vita , nec in inſtanti mortis formaliter , aut virtualiter retractet venialia per aliquod incompoſſibile : ergo datur caſus , in quo veniale quoad culpam non deletur niſi poſt mortem . *Major videtur evidens* . Nam tandiu remanet macula venialis, ſicut èt mortalis , quandiu per incompoſſibile non expellitur . *Minor videtur pariter evidens* ; quia frequenter accidit, ut aliquis juſtus poſt commiſſum veniale peccatum , antequam actum aliquem virtutis eliciat , moriatur . Sicuti cùm actualiter complacens in venialiter mala cogitatione obdormit , & obdormiendo mori-
B tur , tunc enim nec eſt formalis retractatio per pœnitentiam, nec virtualis per exercitium boni operis , nec æquivalenter per ſumptionem Sacramenti . Ergo &c.

Veniale debet retractari per aliquid incompoſſibile.

111 DICES cum *Scoto* . Deum acceptare bona opera præcedentia in ordine ad deletionem venialium , & eorum intuitu meritorum deleri culpam venialem in inſtanti mortis ; ſicut in eodem inſtanti tribuitur augmentum gratiæ debitum bonis operibus, remiſſis præcedentibus .

SED CONTRA . Efficacius eſt ad delenda peccata noſtra meritum Chriſti applicatum per Sacramenta , quàm ſit efficax opus
C bonum ; ſed meritum Chriſti nobis per Sacramenta applicatum non valet ad deletionem peccati futuri : ergo neque opus noſtrum . *Secundò* in præſenti providentia macula venialis habitualis conſiſtit vel in aliquo intrinſeco animæ , & voluntati , vel in actu præterito , ùt moraliter perſeverante . Sed bona opera præcedentia non tollunt hanc moralem perſeverantiam ; quia de novo nihil ponunt in voluntate hominis , nec Deus virtute illorum aliquid cauſat , ſivè producit , quo voluntas mutetur , & retrahat ſe ab illa voluntaria habituali complacentia : ergo non tollitur macula ; ſiquidem voluntate invariata manente , remanet moraliter actus peccaminoſus præteri-
D tus . *Tertiò* ſi Deus ea acceptaret , ideo foret ; quia ſecundùm ſe eſſent apta , & vim haberent condignam ad tollendam venialem maculam ; ſed non habent : ergo . *Minor declaratur* . Illa opera præcedentia , & gratia correſpondens non ſunt incompoſſibilia cum peccatis venialibus ; quia de facto in ſenſu compoſito fuerunt commiſſa . Si ergo non fuerunt condigna ad ea impedienda , nec ad illa delenda . Hinc eſt , ut quia charitas eſt incompoſſibilis cum lethali , ideò ſivè præveniat , ſivè ſubſequatur , in ſenſu compoſito non ſtat cum illo . *Quartò* ſi Deus acceptaret
E opera bona in deletionem venialium quoad culpam , acceptaret etiam quoad pœnam . Sed per *Scotum* non acceptat quoad pœnam : ergo neque quoad culpam . *Minor conſtat* ; aliter nullum veniale puniretur in alia vita . *Probatur major* ; quia non eſt major ratio de uno , quàm de alio . Inſuper ideo Deus delet maculam intuitu præcedentium operum ; quia hæc deletio per adverſarium eſt præmium illorum licèt non principale . Sed eodem modo ſe habet deletio pœnæ : ergo . *Prob. min.* Ideo deletio maculæ eſt quoddam præmium ; quia opus illud bonum fuit meritorium . Sed etiam

Opera bona præcedentia non tollunt maculã peccati venialis.

illud

illud opus fuit ſatisfactorium, & ſi de facto in actu poneretur, ſatisfaceret: ergo habet vim ad delendam pœnam: ergo a Deo deberet acceptari. Neque valet, quòd opus bonnm poſitum poſt peccatum veniale ſufficiat aliquando ad delendam maculam, ſed non ad extinguendum totum debitum pœnæ. Hoc quidem conecdimus; ſed etiam verum eſt aliquando opus bonum ſubſequeus ad venialia non ſufficere ad ea delenda quoad maculam. Non enim quodlibet opus bonum juſti delet omne veniale, ùt patet ex communi doctrina; & ideo, teſte *Joanne*, in viris Sanctiſſimis quotidiè benè operantibus dantur venialia. *Quintò* quia Deus non acceptat opera præcedentia, quamvis perfectiſſima pro delendis mortalibus in inſtanti mortis, ùt patet eorum exemplis, qui per plures annos ſanctiſſimè vixerunt, & propè mortem commiſſo peccato mortali æternaliter periere. Ergo neque acceptat pro veniali. *Conſequentia tenet ex identitate rationis*; tum quia illa opera bona præcedentia non ſunt per peccatum extincta, ſed ſolùm impedita, & mortificata; unde ſublato peccato reviviſcunt; ergo deberent a Deo acceptari. Et in doctrina ſubtiliſſimi Doctoris nrget argnmentum; qnia ipſe dicit, quòd opera bona præcedentia non tollunt in vita peccatum veniale, ſi in eo complaceat homo; quia per talem complacentiam impediuntur. Ergo ſi non obſtante illo Impedimento, in morte acceptantur pro deletione venialis, cur non acceptantur pro deletione mortalis?

Deus non acceptat opera bona præcedentia pro deletione peccati mortalis.

112 RESPONDET *Scotus* pro mortalibus Deum non acceptare præcedentia opera bona; quia diſpoſuit non delendum peccatum mortale, niſi per voluntariam ſuſceptionem Sacramenti, vel per aliam diſpoſitionem de congruo meritoriam, & peccatori inhærentem.

Sed hæc reſponſio auget, non minuit vim argumenti. Nam ex dnobus colligitur illa voluntas Dei, & ex natura rerum, & ex revelatione, ant ex Patrum auctoritate. *Ex natura rei*; qnia Deus unnmqnodque perficit ſecundùm propriam naturam; natura autem hominis petit liberè moveri ad ſuam perfectionem; nnde congruum eſt, ut qui voluntariè a Deo receſſit, per proprios actus ad eundem revertatur. *Ex revelatis*; quatenus Scriptura docet inſtituta eſſe Sacramenta ad delenda peccata mortalia, & prædicat pœnitentiam, quod èt Patres faciunt. Sed hæc omnia accommodantur peccatis venialibus; nam pro iis delendis inſtitutum eſt de ſecundario Sacramentum Pœnitentiæ, ſicut èt Euchariſtia, & Eccleſia addidit Sacramentalia. De agendâ pro illis pœnitentiâ eadem docet Scriptura: & in Oratione Dominicali voluit Chriſtus, ut pro qnotidianis deffectibus qnotidie veniam a Deo expoſtulemus. Et *Joannes* in 1. Epiſtola v. 8. loquens de venialibus hominum perfectorum. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ubi videre eſt dependenter a noſtra diſpoſitione promitti venialium remiſſionem.

Scriptura, & Patres docẽt pœnitentiam de venialibus

A Apud Patres verò nihil frequentiùs, quàm neceſſitas pœnitentiæ inculcatur, ut nobis venialia remittantur. Ideo *Auguſtinus* relatus diſt. 1. de pœnit. cap. Neminem 43. *Neminem a quocumque peccato ſive magno, ſive parvo ad correctionem poſſe tranſire ſine pœnitentia.* Et lib. de vera, & falſa pœnitentia cap. 8., ſi tamen *Auguſtino* adſcribendus eſt liber, *Baptizatis de majoribus, & minoribus pœnitendum eſt*. Et infra: quotidianam debere eſſe in omnibus pœnitentiam; quia quotidie in aliquo deficimus. Ergo pariter extat Dei decretum de non delenda macula veniali abſque noſtra diſpoſitione inhærente. Ratio eſt eadem; quia peccans etiam venia-
B liter liberè, & voluntariè divertit a Deo; ergo liberè debet, ac voluntariè ad Deum reverti.

Peccans venialiter liberè divertit a Deo.

Exemplum de augmento gratiæ nullius eſt roboris. Statim gratia creſcit in eſſe morali per actus remiſſos, licèt non in eſſe phyſico; & ideo petit pro ſtatu ſuo connaturali aliquando ſuum phyſicum, ad quod per ſe ordinatur, habere augmentum. Opus verò præcedens in eſſe moris, non conſequitur ſtatim ſuum effectum deletionis peccati venialis; nam per *Scotum* in via adhuc durat levis culpæ non ſolùm phyſica, ſed moralis macula. Sin autem loquendum ſit ad mentem Concilii
C Tridentini, augmentum debitum actibus remiſſis ſtatim ſequitur. Et ntvis aliqui negent dari illico; attamen ſentiunt non in inſtanti mortis, ſed poſt mortem concedi. Et qui ajunt dari in morte, aut poſt ipſam, exigunt in Juſto actum ferventem pro adæquata diſpoſitione neceſſaria ad ponendam proportionem intenſionis habitus ad augmentum. Cùm ergo noſtra concluſio procedat de morientibus in veniali impeditis ab exercitio uſus rationis, dicendum eſt, ipſis non dimitti in morte, ſed in altera vita. Voluntaria enim acceptatio graviſſimæ pœnæ Purgatorii conjuncta cum actu Charitatis, quem abſque dubio eliciunt
D purgantes, eſt virtualis, & perfecta venialis retractatio.

Gratia creſcit moraliter per actus remiſſos.

Voluntaria acceptatio pœnæ Purgatorii eſt perfecta retractatio venialis.

ARGUMENTA CONTRARIA SOLVUNTUR.

113 OBJICIES 1. *Gloſſa* interlinearis deſumpta ex *Gregorio* lib. 16. Moralium cap. 28. ad illa verba 1. Jo: cap. 5. verſ. 17. *eſt peccatum ad mortem*: ait; *Quod in hac vita non corrigitur, fruſtrà poſt mortem eis venia poſtulatur.* Ergo in altera vita non deletur macula venialium. Idem *Gregorius* lib. 4. Dialog. cap. 39. *qualis hinc quiſque egreditur, talis in judicio præſentatur.* Si ergo
E aliquis moritur in veniali, ſic apparebit ante Judicem: ergo non deletur In Purgatorio. Et ratio eſt; quia non poteſt deleri macula, niſi voluntas mutetur; manente autem cauſa, manet effectus; ſed in alia vita voluntas non poteſt mutari; *quia ubi ceciderit lignum, ibi erit*, & ſecundùm *Damaſcenum* lib. 2. de Fide Ortodoxa cap. 4. *Quòd hominibus mors, hoc Angelis eſt lapſus. Poſt lapſum enim non eſt illis pœnitentiæ locus, ut neque poſt mortem hominibus.*

RESPONDEO Gloſſam loqui de peccato mortali, ſicut loquitur *Joannes*. Verè incaſ-

ſùm

ſùm venia pro illo poſtulator. Sententia *Gregorii* poteſt ſic retorqueri. Qoalis hinc quiſque egreditur, talis in jodicio præſentatur. Sed plures Juſti hinc egrediuntur cum reatu pœnæ: ergo cum eo præſentabuntur in judicio: quod eſt contra expreſſam ejuſdem doctrinam, qui tantopere defunctorum ſuffragia prædicavit, ut ipſum Hæretici ſuffragiorum pro defunctis auctorem dictitent. Loqoitur ergo Sanctus Doctor de ſtatu ſobſtantiali, ſcilicet qualis è vita qoiſqoe egreditur ſivè bonus, ſivè malus, talis erit in judicio. Ad rationem dico, voluntatem non poſſe in alia vita mutari qooad ſtatom ſubſtantialem, quatenus nequit averti ab ultimo fine, vel ad illom converti. Cæterùm accidentaliter mutatur, quatenus actus novos, & intenſiores in alio ſeculo poteſt elicere, quos non elicuit in corpore.

In alia vita poteſt voluntas accidentaliter mutari.

114 OBJICIES 2. Remiſſio peccati venialis pertinet ad actus meritorios. Sed in Purgatorio non datur meritum præmii eſſentialis, aut accidentalis. Ergo nec remiſſio venialis. *Major declaratur*. Eadem ratione, qua quis accedit ad onum oppoſitum, ab altero recedit. Sed per remiſſionem venialium recedit a demerito: ergo accedit ad meritum. *Secundò* faciliùs eſt in peccatum labi, quàm reſurgere. Sed in alio ſeculo nullus Juſtus poteſt cadere in veniale. Ergo neque ab eo reſurgere.

RESPONDETUR *negando* per ſe remiſſionem peccati venialis haberi per actus meritorios. Remiſſio peccati venialis per ſe non pertinet ad augmentom ſpiritualis perfectionis, ſed ad remotionem impedimentorum; unde non eſt neceſſe, ut actus, per quem fit remiſſio, ſit meritorius. Quod maximè dici debet pro actibus purgantium, qui ſunt partim in ſtatu ultimo, ſeù initiativè in termino. Ut ergo deleatur peccatum veniale, ſufficit actus cum eo incompoſſibilis ſaltem virtualiter. Illa verò voluntaria ſuſceptio pœnarum, & actus charitatis a Purgantibus eliciti important incompoſſibilitatem; quare D. *Thomas* quæſt. 7. de malo art. 11. ad 9. *Remittitur ergo in Purgatorio veniale, quantum ad culpam virtute gratiæ, non ſolùm ſecundùm quod eſt in habitu; quia ſic compatitur peccatum veniale, ſed prout exit in actum charitatis deteſtantis peccatum veniale*. Immo inſtatur contra *Scotum*. In hac vita Juſtus, ſi voluntariè & patienter ſuſtineat morbum a Deo inflictum in pœnam peccatorum, delet pœnæ reatum, & ſatisfacit Deo, & ille actus eſt etiam meritorius; attamen acceptans pœnas Purgatorii adæquat reatum pœnæ ſine merito; non ergo diſcurrendum eſt eodem modo de via, ac de Purgatorio; cùm idem actus, qui in via eſt meritorius, non erit talis in Purgatorio.

Remiſſio peccati venialis per ſe non ſpectat ad augmentum perfectionis.

Poteſt ſecundò reſponderi ex D. *Thoma* 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 3. ad 4. *Ad quartum dicendum, quòd poſt hanc vitam non datur meritum reſpectu præmii eſſentialis, ſed reſpectu alicujus accidentalis poteſt eſſe, quandiù manet homo in ſtatu viæ aliquo modo; & ideo in Purgatorio poteſt eſſe actus meritorius, quantum ad remiſſionem culpæ venialis*. Non autem poteſt dari demeritum, cùm non poſſint cadere in veniale, ùt modo probabitur: ſed de hoc agetur infra tertia Parte Controver. 2., & præcipuè num. 24., & ſeq. Ad ſecundum *concedo majorem* loquendo in ſtatu viæ; ſed *negatur conſeq.* Cauſa labendi in venialia eſt fomes, qui poſt mortem extinguitur; ideo Juſtus non cadit actualiter in nova venialia. Cauſa reſurgendi eſt charitas, cujus exercitium manet in anima ſeparata; atque ideò remiſſionem aſſequi venialium poteſt.

In Purgatorio aliquo modo poteſt juſtus mereri.

In Purgatorio animæ nō habent fomitem concupiſcentiæ.

115 OBJICIES 3. Sicut mortale opponitur charitati: ita veniale opponitur fervori charitatis: ſed peccatum mortale non aufertur abſque nova charitatis infuſione: ergo neque veniale tollitur abſque novo motu fervoris. Sed in futuro nullus eſt de novo motus fervoris: ergo non delentur venialia. *Secundò*. Status Purgatorii medius eſt inter viam, & gloriam. Sed in hac vita habetur pœna, & culpa: in gloria nec pœna, nec culpa. Ergo in Purgatorio debet eſſe pœna, & non culpa.

RESP. *Totum ſillogiſmum concedo, & nego ſubſumptum*. In Purgatorio enim eliciuntur actus novi novitate accidentali, cùm ibi habeatur quorundam cognitio, & experientia, quibus homo caret in via, & ideò propter puriorem cognitionem divinorum frequentiùs movetur in actus divinæ dilectionis, qui per incompoſſibilitatem, venialia deſtruunt. *Ad ſecundum aio*. Status Purgatorii non mediat quoad omnia inter ſtatum viæ, & gloriæ; ſed per hoc, quod vita ſit ſtatus totaliter viæ: gloria totaliter termini: Purgatorium non ponit totaliter in termino.

Dantur in Purgatorio quidam actus novi.

116 OBJICIES 4. Accidens, quod formam ſequitur, non remanet in materia ablatâ formâ: ergo accidens, quod ſequitur materiam non remanet in forma, ablatâ materiâ. Sed venialis culpa eſt diſpoſitio ſequens corpus (oritur enim a fomite, quatenus corpus aggravat animam, & deprimit). Ergo non remanet in anima a corpore ſejuncta.

RESPONDEO. Peccatum veniale originativè, & radicaliter oritur a corruptione corporis: formaliter tamen conſiſtit in voluntate, & mente. Cùm ergo in altera vita remaneat mens, & voluntas; poteſt remanere macola in ſtatu corporis contracta, & ſic in alia vita deleri.

Peccatum veniale radicaliter eſt a corruptione corporis, formaliter a voluntate.

117 OBJICIES 5. Cum gloriâ non ſtat culpa. Sed ad gratiam finalem conſequitur neceſſariò gloria. Ergo nec veniale ſtat cum gratia finali; quod enim repugnat uni extremo eſſentialiter connexo cum alio, etiam alteri repugnat.

RESPONDEO per inſtantiam: cum gloriâ non ſtat pœna; ergo neque cum gratia finali, ad quam ſequitur gloria. Quando igitur duo ſunt connexa, ſucceſſionis connexione aliquid poteſt uni convenire pro aliqua differentia temporis, alteri non. Patet exemplo. Mors eſſentialiter ſequitur ad vitam; attamen non omnia, quæ competunt vitæ, morti conveniunt. Haud aliter ad gratiam finalem conſequitur gloria, ſed non omnia, quæ coexiſtere poſſunt cum gratia finali, debent etiam conjungi cum gloria.

CON-

CONTROVERSIA V.

AN TRADITIONE CONSTET PURGATORII EXISTENTIA.

AD perfectam demouſtrationem exiſtentiæ Purgatorii reſtat breviter expendendum grave argumentum, quod ex traditione ſumitur. Id autem cùm fortiter premat Hæreticos; ideo eoſdem fallaciis nequicquam eludentes vi rationis aggrediar ex antiquiſſimo Eccleſiæ ſenſu petitâ.

Implicat univerſalem Eccleſiam adverſari Fidei.

118 DICO igitur. *Conſtat univerſali traditione exiſtentia Purgatorii.* Implicat univerſalem Eccleſiam adverſari Fidei. Sed univerſalis Eccleſia Purgatorii exiſtentiam admittit, & docet. Ergo implicat Purgatorium non eſſe. *Major nequit negari*; nam cùm Eccleſia ex Apoſtolo 1. ad Timoth. 3. ver. 15 Sit *Columna, & firmamentum veritatis*, nullo modo poteſt veritati contradicere; unde dicit *Auguſtinus* Epiſt. 118. impudentiſſimæ inſaniæ eſſe diſputare de his, quæ univerſa Eccleſia facit; ſic enim ait: *Ad hæc itaque reſpondeo, ut quid horum ſit faciendum, ſi Divinæ Scripturæ præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum, quin ita facere debeamus, ùt legimus, ut jam non quomodo faciendum, ſed quomodo Sacramentum intelligendum ſit, diſputemus: ſimiliter etiamſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia: nam & hinc, quia ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Et argueremus mentitum Chriſtum, qui Matth. 16. verſ. 18 ait: *& portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.* Major demonſtratur. Univerſa Eccleſia facit, & præcipit ſuffragia pro animabus juſtis, ut a pœnis, quas pro peccatis patiuntur in altera vita, exolvantur. Ergo ſentit dari locum, ubi detinentur ad tempus, & purgantur. *Ant. oſtenditur ex Liturgiis.*

Probatur ex Liturgiis.

In Liturgia S. *Petri* pro Eccleſia Romana habetur *ſecundum memento pro Defunctis*. In Liturgia S. *Jacobi* pro Eccleſia Jeroſolymitana: *& in requiem animarum eorum, qui ante nos obdormierant.* In Liturgia S. *Marci* pro Alexandrina: *Animabus Patrum . . . . qui ante in Chriſti fide obdormierunt, dona requiem, Domine Deus.* In Liturgia S. *Matthæi* pro Æthiopica: *Memento, Domine, dormientium Principum.* In Liturgia S. *Barnabæ* ab *Ambroſio* aucta pro Mediolanenſi: *Pro defuncto Epiſcopo, æternæ Deus, ſuppliciter deprecamur.* In Liturgia S. *Baſilii Magni* pro Cappadocia: *Memento, Domine, omnium dormientium in ſpe reſurrectionis vitæ æternæ, & refrigera eos.* Ejuſdem pro Syria: *Sublatâ voce, oret Sacerdos Deum, ut meminerit omnium, qui tranſierunt ex hoc mundo.* In Liturgia *Chryſoſtomi* ex S. *Andrea* pro Conſtantinopolitana: *Adhuc offerimus tibi hoc rationabile obſequium pro fidelibus dormientibus.* In Liturgia S. *Leandri* Hiſpalenſis pro Mozarabis: *Mox fit ſecundum memento pro defunctis.* In Liturgia Armenorum: *Per hanc oblationem da æternam pacem omnibus, qui nos præceſſerunt in fide Chriſti.* Idem tradit Gotica. Hæ Liturgiæ licèt ab aliquibus aliàs eruditis, ùt ſuppoſititiæ rejiciantur, & ea præſertim, quæ D. *Jacobo* inſcribitur; attamen in Epiſt. 1. *Leonis Allatii* ex tribus, quæ apponuntur in calce tomi 23. Byzantinæ Hiſt. Venetæ editionis invictè probatur, Liturgiam D. *Jacobi* eſſe genuinum opus contra Hæreticos *Caſaubonum*, *Cocum*, *Rivetum*, alioſque Criticos.

Probatur ex uſu, & Conciliis particularibus Eccleſiarum

119 PROBATUR 2. ex uſu, & ex Conciliis plerumque Eccleſiarum. Apud Græcam defunctos juvandi precibus, & oblationibus mos ita invaluerat, ut *Leo Allatius* aſſerere non dubitaverit, injurioſum nimis eſſe de Græcis adſtruere, quòd Purgatorium negaverint, uſumque ſuffragiorum non habuerint. Quæ veritas patet ex VI. Concilio, aliiſque Synodis a *Martino Bracharenſi* recollectis. Armenica Eccleſia in ſuo Monologio die 18. Septembris, 30. Junii, & Julii 18. Italica in Concilio VI. ſub *Symmaco* ſacrilegum eſſe docet animas defunctorum orationibus fraudare. Germanica in Concilio Wormatienſi *cap.* 10. etiam pro morientibus in patibulo ſtatuit offerendum ſacrificium, atque orandum. Gallica in Cabilonenſi Concilio relato de Conſecratione *diſt.* 1. *can. Viſum*, decernit in omnibus Miſſarum ſolemniis pro defunctis fundendas ad Deum preces. Hiſpanica in Bracharenſi I. *cap.* 34. jubet non eſſe deferenda iis ſuffragia, qui ſibimet violentas manus inferunt: & *cap.* 39. jubet inter Clericos dividi oblationes, quæ ad obtinendas pro defunctis orationes fierent. Affricana in Carthaginenſi III. *cap.* 29. decernit, ſi poſt meridiem mortuorum commendatio incidat, ſolis orationibus peragatur.

Differentia inter Martyres, & alios defunctos.

120 PROBATUR 3. a contrario, quod vetavit pro Martyribus orare, ac valdè Sanctis: ſecus pro aliis. *Auguſtinus* tract. 24. in Joan. *Ideò non ſic eos* (ideſt Martyres) *commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus; ſed magis ut orent ipſi pro nobis. Hinc ſolebant piæ Matres Filios mortuos in Martyrum Eccleſiis ponere, ut ab illis juvarentur.* Idem ponit lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 4.

Hæreſis Aërii.

121 PROBATUR 4. Eccleſia tanquam Hæreticos damnavit, qui de hoc dubitabant, ſicut ex *Epiphanio* habemus hæreſi 75.. Et *Auguſtinus* lib. de Hæreſ. cap. 53. hæc ſcribit: *Aëriani ab Aërio quodam ſunt nominati, qui cùm eſſet Presbyter, doluiſſe ferunt, quòd Epiſcopus non potuit ordinari, & in Arianorum Hæreſim lapſus propria quoque dogmata addidiſſe nonnulla, dicens orare, vel offerre oblationem pro mortuis non oportere.*

122 PROBATUR 5. unanimi Patrum conſenſu. Inter Patres I. Seculi doctrinam de Purgatorio ab Apoſtolis traditam ad nos tranſmiſerunt. *Dionyſius Areopagita* lib. de Hierarchia Eccleſiaſtica cap. 7. *Accedens Venerandus Antiſtes precem ſacram ſuper mortuum peragit, precatur Divinam Clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto, eumque in luce ſtatuat, & regione vivorum.*

Ex II. Seculo *Tertullianus* lib. de Corona cap. 3. *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus*: additque hoc eſſe ex traditione Apoſtolica. Idem docet de Monogamia cap. 10. *Enimverò, & pro anima ejus orat, & refrigerium interim expoſtulat ei*; & alibi. *Irenæus* lib. 1. cap. 3. ſecundùm expoſitio-

poſitionem *Feuardentii* annot. 4. in *Irenæum*.

Ex III. Seculo S *Cyprianus* lib. 1. Epiſt. 19. *Epiſcopi anteceſſores noſtri cenſuerant, ne quis fratres excedens ad tutelam, vel curam Clericorum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur*. S. *Zeno* Veronenſis *ſerm. de reſurrect.*: Arnob. *lib. 4. contra Gentes*. Origenes paſſim; ſed quia idem ſenſit etiam Dæmones aliquando ſalvandos; ideo pro ſuſpecto habetur.

Ex IV. Seculo plures occurrunt, inter quos Lactantius Firmianus *lib. 6. Divin. Inſtit. cap. 21.*, Euſebius Cæſarienſis *lib. 4. de vita Conſtantini cap. 71.*, Baſilius Magnus in 4. Iſaiæ explicans illa verba, *Si abluerit Dominus ſordes Filiarum Sion*: & in cap. 6. explicans, *& in manu habebat carbonem*. Ephrem *in ſuo Teſtamento*. Cyrillus *Catecheſi V. Myſtag. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi ſunt, maximum credentes eſſe animarum juvamen, pro quibus offertur obſecratio Sancti illius, & tremendi Sacrificii*. S. Gregorius Nyſſenus *orat. de dormientibus*. Epiphanius *Hæreſ. 75.*, Hieronymus *lib. 18. in Joan.*, & *lib 4 cap. 4.*, *& alibi*. Ambroſius oratione de obitu Theodoſii Imperatoris: *Da requiem perfectam ſervo tuo Theodoſio, requiem illam, quam præparaſti Sanctis tuis*.

Ex V. Secul. *Jo. Chryſoſtomus* Hom. 69. ad Populum: *Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio; ſicut enim indè multum illis contingere lucrum, utilitatem multam*. Hom. 41. in 1. ad Corinth. *Juvetur mortuus, non lacrymis, ſed precibus, ſupplicationibus, eleemoſynis*: & alibi *Auguſtinus* innumeris locis, & præſertim lib. de cura pro mortuis cap. 1. *In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis ſacrificium; ſed etſi nuſquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva eſſet univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum*. S. Paulinus *Epiſt. 17 & 18.* Socrates *lib. 7. Eccleſiaſtica Hiſtoria*: & alii plures.

Ex VI. Seculo *Boetius* lib. 4. Conſolat. Proſ. 4. *Joannes Climacus* 4. gradu Scalæ Paradiſi, *Gregorius Magnus* lib. 3. Dialog. c. 50 55., & alibi. Sed ipſi Hæretici à *Gregorio* ad nos certam fatentur traditionem, & univerſalem eſſe Patrum, & Scholaſticorum doctrinam confirmant. *Calvinus* enim lib. 3. Inſtit. cap. 5. §. 10. *Ante M. CCC. uſu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis*.

123 PROBATUR 6. Exemplis Animarum, quæ liberatæ ab igne Purgatorii fuerunt viventium precibus. Apud *Gregorium Magnum* 4. Dial. cap. 4. anima *Paſcaſii* precibus *Germani* Epiſcopi liberata eſt; S. *Vitalina* Virgo precibus B. *Martini* apud *Gregorium Turonicum* de Gloria Confeſſorum c. 5.: Beati *Malachiæ* Soror frequenti oblatione Euchariſtiæ apud D. *Bernardum* in vita ejuſdem *Malachiæ*. Miſſa facio innumera, quæ licèt a *Luthero*, & *Magdeburgenſibus* irrideantur, ipſi veriùs tamen flendi, qui in cæteris magnificè fidunt uni, vel alteri auctori vix noto: tot verò, tantorumque hominum, quos luminum Pater illuſtravit, auctoritatem exſufflant.

124 Nec parvi ea ratio fiat, quæ conſurgit ex unanimi gentium ſenſu, ex Alcorano Turcarum, ex legibus Ethnicorum. *Plato* in Gorgia, & Phædone, *Cicero* de Somnio Scipionis, *Virgilius*, *Claudianus* omnes fatentur locum, in quem plures morientium demigrant, unde liberati ad deliciarum ſedem evolant depensâ criminum pœnâ. Atque hinc patet hujuſce veritatis lumen inſitum a natura eſſe. Et ſanè recta ratio dictat, ut cùm videamus malos ſæpè homines bonis abundare; ſecus bonos gravia mala perpeti, è divina providentia fore judicemus in altero ſeculo præmia, & ſupplicia reſervari. Quia verò etiam animadvertimus non quidem peſſimos, neque optimos, ſed mediocriter bonos, mediâ, ut ita loquar, viâ incedentes; ideo inducimur ad credendum etiam in alio ſeculo fore ſtatum medium inter æternam pœnam, atque æternam gloriam. His accedunt ſanctiones Conciliorum Generalium, Lateranenſis ſub *Innocentio* III., Lugdunenſis ſub *Gregorio* IX., Florentini ſub *Eugenio* IV., Tridentini ſub pluribus Pontificibus. Quia verò hæc Concilia parvipendunt recentiores Hæretici; proinde auctoritatem Nicæni I. ex Arabico ſubdam. Canone igitur 65. habet; *Nuncietur de morte Epiſcopi omnibus Eccleſiis, & Monaſteriis illius Diœceſis, ut fiat oratio pro eo*.

Juxta lumen naturale eſt, quòd detur Purgatoriū.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

125 OBJICIES 1. Ad Rom. 14. verſ. 23. *Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Sed orare pro mortuis non eſt ex fide. Ergo peccatum eſt. *Minor probatur*. Quod fit aliqua dubitatione, & hæſitatione, non eſt ex fide; nam fides eſt certiſſima. Sed oratio pro mortuis fit cum aliqua dubitatione, & hæſitatione; ergo. Ignoratur enim, an illi, pro quibus oratur, ſint in Cœlo, an in Inferno, an in Purgatorio; ergo fit cum dubitatione. Ergo ex oratione pro defunctis utpotè peccaminoſa, erui non poteſt Purgatorium.

RESPONDEO retorquendo argumentum. *Omne, quod non eſt ex Fide, peccatum eſt*; ſed orare pro abſentibus, quod faciunt *Calviniſtæ*, non eſt ex fide; orant enim cum dubitatione, an vivant, nec ne: an ſani, an infirmi: an prædeſtinati, an reprobi; ergo peccant. RESPONDEO igitur dictum Apoſtoli hunc ſenſum habere; omne, quod fit reluctante conſcientia, peccatum eſt; orare verò pro mortuis, non fit reluctante conſcientia, ſed juxta ipſam. Deinde ſi textus procedit de fide, quæ deſcribitur *Sperandarum ſubſtantia rerum* nil contra nos. Nam fides certiſſima eſt circa proprium objectum; aſt circa ea, quæ ad illud non ſpectant, non verſatur. In caſu noſtro fides certò proponit Deum exaudire Juſtorum orationes, ſi debitæ adſint conditiones; certò proponit Juſtos, qui decedunt non ſatis nitidi, neutiquam gloriæ compotes fieri quoad per tormenta, vel ſuffragia extinguatur reatus pœnæ. Certò proponit

Calviniſtæ orant pro abſentibus.

ponit non paucos ita mori, quamvis neminem indigitet. Et quia piè credimus quemque in gratia, ni ſecus probetur, divinâ mori, & ob fragilitatem de humano pulvere, ideſt de peccatis venialibus, etiam religioſa corda ſordeſcere (exceptis tamen viris eximiæ Sanctitatis); ideò pro quolibet ſolemus preces fundere, quibus ſi ille non indiget; quia vel Cœlo, vel in Inferno ſit, haud tamen fruſtrà agitur, quia *oratio mea in ſinu meo convertetur*, ùt habetur ex Pſal. 34. verſ. 13., ideſt redit ad meritum orantis.

126 OBJICIT 2. *Petrus Martyr*. Ut ex oratione colligatur Purgatorium, deberet ab Eccleſia fieri, ut juſti pœnis, & ſupplicìis eximantur; ſed oratio ad hoc non ordinatur: ergo ex orationibus non colligitur Purgatorium. *Probatur minor*. Eccleſia precatur mortuis illam ſelicitatem, quam jam poſſident, & ſic illis quodammodo congratulatur; oratque eo modo, quo Chriſtus pro *Lazari* reſurrectione, quam obtinuiſſe jam ſciebat. Ergo oratio Eccleſiæ non intendit mortuos juvare. *Antecedens probatur*. S. *Ambroſius* de obitu Theodoſii congratulatur, quòd jam cum Chriſto regnet, & tamen pro ipſo orat. *Epiphanius* hær. 75. dicit, orari etiam pro Patriarchis, & Prophetis, & Martyribus; ſed illi non indigent noſtro juvamine: ergo.

Preces Eccleſiæ petunt a Deo refrigerium pro animabus.

RESP. *neganda minorem*, cujus falſitas primò reſultat ex precibus, quarum eſt uſus in Eccleſia pro ſolatio mortuorum. Illæ etenim manifeſtè ſupponunt indigentiam, & expoſtulant a Deo requiem, miſericordiam, liberationem a pœnis. Patres itidem orant Divinam Clementiam, ut Defunctorum animabus lux æterna luceat, ut tranſeant de carcere ad Regnum: non gratulantur, quòd gloriam ſint adepti; ſed quòd in loco ſecuritatis exiſtant. Chriſti exemplum ipſos potiùs Hæreticos urget; nam quando pro *Lazaro* precatus eſt, quamvis certò ſciret a Patre ſe exaudiendum, certè mortuus adhuc erat *Lazarus*, & illa certitudo non officit orationi. *Theodoſio* congratulatur *Ambroſius*, ſperans ad Cœlum aſcendiſſe, & ſaltem in jure eſſe cum Chriſto. Quia tamen ſciret a Chriſto poſt mortem ſeverè judicium inſtitui, ſolutionemque expeti uſque ad noviſſimum quadrantem; ideo incertus de adæquata ſolutione pœnæ, ſuffragia pro *Theodoſio* offerebat. *Epiphanius* non dicit orari pro Sanctis; ſed omnium defunctorum memoriam fieri in Eccleſia tum peccatorum, ut miſericordiam conſequantur, tum Juſtorum, ut eos diſcriminemus a Chriſto, ideſt quoad cultum. Ecce quomodo Eccleſia preces, & hoſtias offerat pro Sanctis, aliter ac pro Juſtis in Purgatorio degentibus. Et quamvis in Græca Liturgia fiat oblatio Sacrificii pro Sanctis, & pro Deipara; tamen fit, quatenus Euchariſticum eſt, in gratiarum ſcilicet actionem: non quatenus propitiatorium, & impetratorium eo modo, quo offertur pro animabus purgantibus; quod patet ex Liturgia Chryſoſtomi. *Item offerimus tibi rationale hoc obſequium pro his, qui in Chriſto requieſcunt, pro Majoribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Prædicatoribus, Evangeliſtis, Martyribus, Confeſſoribus, Continentibus, & quovis ſpiritu in fide conſummata ... Præſertim pro Sanctiſſima, illibata, ſuper omnes benedicta, glorioſa Regina noſtra Deipara, & ſemper Virgine Maria, S. Joannis Prophetæ, Præcurſoris, ac Baptiſtæ, Sanctorum, ac percelebrium Apoſtolorum, Sancti N., cujus memoriam celebramus, quorum precibus protege nos Deus*. Sanctorum igitur memoria ſive Sacrificio, ſivè aliis orationibus inſeritur, ut intercesſſores ſe præſtent ad Deum. At diverſimodè pro fidelibus defunctis offerebantur orationes, & ſacrificia: *Memento omnium, qui prædormierunt in ſpe reſurrectionis æternæ vitæ .... Pro requie, & remiſſione animæ Servi tui N. in loco lucido, a quo abeſt dolor, & gemitus, & fac eas quieſcere, ubi circumſpectat lumen vultus tui*.

Theodoſio cōgratulatur Ambroſius, qui illum in Cœlis ſperabat.

Quomodo Eccleſia orat pro Sanctis, ac pro aliis defunctis.

Quid ſit ſacrificium Euchariſticum, & propitiatorium.

127 OBJICIT 3. *Calvinus*. Uſus a vulgo inductus, ac deſumptus a ſuperſtitioſa Ethnicorum conſuetudine, non juvat ad ſtabiliendum fidei dogma. Sed uſus orandi pro mortuis eſt hujuſmodi. Ergo. *Minor declaratur*. Vulgus ex commercio cum Ethnicis ad fidem converſis cœpit mortuis oblationes facere. Hinc *Auguſtinus* in libro de cura pro mortuis: *Ita dubiè, hæſitanter, & frigidè diſputat*, ſic ait Hæreſiarcha, *ut ſuo frigore zelum extinguere poſſit pugnantium pro Purgatorio. Quod autem oravit pro Matre, id fecit; quia ſimile votum non examinavit ad ſcripturas*: & in Enchirid. cap. 69. aſſerit, *dubitari, an igne Purgatorio animæ torqueantur*.

Orare pro defunctis Apoſtolica traditio.

RESPONDETUR. Negando uſum orandi pro mortuis fuiſſe deſumptum ab Ethnicis. Plures ſiquidem Patres aſſerunt, probantque eſſe Apoſtolicam traditionem pro defunctis orare, & tanquam dogma fidei, ſtatuerunt in Eccleſiis damnantes *Aërium* negantem pro defunctis orandum. *Auguſtinus* verò toto illo libro, ne verbum quidem dubitationis affert: quinimmo clarè, firmiter, ac perpetuò Catholicam veritatem tradit: utlibet in citato capite *Enchiridi* dubitet non de Purgatorio, ſed de modo, quo torqueantur igne ne, an alio quoquam tormento. Nec Calvinus *Auguſtinum* irrideat, quòd votum Matris adimpleverit, ſed potiùs antiquitatem revereri debet, ac inſipientiam ſuam deflere.

128 OBJICIT 4. *Brentius*. Si Patres admitterent Purgatorium, daretur in alia vita locus ſatisfactionis; ſed hoc non datur: ergo. *Probatur minor*. Cyprianus tract. 1. contra Demetrianum verſus finem ait: *Quando hinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus*. Chryſoſtomus Hom. 2. de Lazaro: *Simul atque diſceſſerimus illuc, non eſt poſtea in nobis ſitum pœnitere, neque commiſſa diluere*. Ambroſius lib. de bono mortis cap. 2. *Qui hic non acceperit remiſſionem peccatorum, illic non erit, nimirum in Patria Beatorum*. Auguſtinus Epiſt. 88. ad Heſſichium: *In quocumque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc comprehendet mundi noviſſimus dies, quoniam qualis in die iſto moritur, talis in die illa judicabitur*.

RESPONDETUR, minimè Patres negare locum pro purgatione reatus pœnæ, aut peccati venialis. Negant illi locum ſatisfactionis, & pœnitentiæ pro mortalibus in hac vita non deletis. Et quidem quoad *Cyprianum*

patet ex præcedentibus, ubi ait: *Hortamur, dum adhuc aliquid de ſeculo ſupereſt, Deo ſatisfacere, & ad veræ religionis candidam lucem, de profundo tenebroſæ ſuperſtitionis emergere*. Deinde poſt allata verba in argumento ſubdit: *Hic vita aut emittitur, aut tenetur*. En ut loquitur de ſatisfactione pro mortalibus, quæ nulla eſt in alia vita. *Chryſoſtomus* item loquitur de remiſſione mortalium; nam exemplo Epulonis Fideles monet, ne pœnitentiam differant ultra mortem. *Ambroſii* mens ex contextu patet; *quia ſi hic non habeamus vitam æternam* (ſic gratiam ſanctificantem vocat, quæ eſt incohata vita æterna) *ad Beatorum Patriam utique pervenire non poterimus*. Auguſtinus in laudato texto loquitur de meritorum incremento, quod ceſſat cum vita; meriti namque terminus, & demeriti eſt vita præſens; unde quiſque erit juxta opera ante mortem peracta judicandus.

Locus meriti, & demeriti eſt vita præſens.

129 OBJICIT 5. idem *Calvinus*. Si Patres Purgatorium adſtruerent, locus eſſet tertius Paradiſum inter, & Geennam; ſed hoc repugnat: ergo. *Minor probatur* Auguſtinus tract. 49. in Joannem: *habent omnes animæ, cum de ſeculo exierint diverſas receptiones ſuas, habent gaudium boni, & mali tormenta*. Idem, ſive auctor alius lib. 5. Hypognoſtici c. 5. *Primum locum fides Catholicorum divinâ auctoritate credit Regnum eſſe Cœlorum: ſecundum Geennam, ubi omnis apoſtata, vel a fide Chriſti alienus, æterna ſupplicia experietur: tertium penitùs ignoramus*: idemque pluribus in locis repetit. Hieronymus *in cap. 9. Amos* aſſerit, animas a vinculis corporis ſeparatas vel ad cœleſtia ſublevari, vel ad infernalia detrudi. Theophilactus *in cap. 8. Matthæi* inquit, animam egreſſam a corpore non errare; ſed eſſe in mano Dei, ſi juſta: in Inferno, ſi criminoſa. Ergo Patres in alio ſeculo præter ea duo receptacula, nullum aliud cognoſcunt.

Poſſet hoc idem ratione confirmari: ſicuti ſe habet charitas ad præmium æternum; ita peccatum ad æternam pœnam. Sed quiſquis moritur in peccato mortali, ſtatim deducitur ad æternam pœnam; ergo omnis moriens in charitate ſtatim conſequitur præmium æternum. Et hoc a fortiori; quia pronior eſt ad miſerendum Deus, quàm ad puniendum. Deinde ſicut qui ſunt in charitate, aliquid malè agunt temporali dumtaxat ſupplicio dignum: Ita peccatores aliquid bene agunt æternali nequaquam, ſed temporanea ſolùm mercede donandum. Sed nihiloſecius iſti nullum recipiunt præmium in alio ſeculo; ergo neque illi pœnam.

RESPONDEO ad argumentum negando, Patres neſciiſſe abſolutè locum medium inter Paradiſum, & Geennam. Nam quando aſſerunt duo ſolummodo fore poſt mortem receptacula, gloriæ ſcilicet, ac pœnæ, loquuntur de receptaculis finalibus; non tamen negant intermedium pro non perfectè purgatis. Hi licèt in carcerem ad tempus deſcendant, ſecuri tamen de æterna ſalute, fortè gaudii quicquam capiunt; tametſi propter acerbitatem pœnarum, abſolutè dici nequeat locus conſolationis, & gaudii; atque in hoc ſenſu explicanda eſt prima *Auguſtini* ſententia. Ad aliam auctoritatem *Hypognoſtici* reſpondetor: ibi impugnat Auctor *Pelagium* docentem pueros ſine Baptiſmo decedentes locum obtinere, ubi gloriæ, & pacis compotes conquieſcerent. Mens ejuſdem eminet in eo, quod poſt allata verba in argumento, ſubdit: *Finge, Pelagiane, locum ex officina perverſi dogmatis tui, ubi alieni a Chriſti gratia vitam requiei, & gloriæ poſſidere parvuli poſſint*. Nec aliter reſpondendum ad alia *Auguſtini* verba: ſemper enim eſt idem ſenſus. Ad textum *Hieronymi* egregiè reſpondet *Bellarminus*, ſermonem eſſe non de morte naturali, ſed de ea ſolutione animæ, dum ſenſibus abſtracta, liberè ſpeculatur, quidquid lubet ſive infernalia, ſive cœleſtia. Et præſertim ſenſus eſt de Impio, qui quocumque ſe vertat cogitatione, inveniet Deum ultorem, idque ex contextu liquet: *Quando enim anima vinculis laxata corporeis volandi quò velit, ſive quò ire compellitur, propter tenuitatem ſubſtantiæ habuerit libertatem: aut ad inferna ducetur, de quibus ſcriptum eſt: Convertantur peccatores in Infernum: omnes gentes, quæ obliviſcuntur Deum. Et: In Inferno quis confitebitur tibi? Et: Deſcendit in Infernum gloria tua. Aut certè ad cœleſtia ſublevabitur, ubi ſunt ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus: & ſi ſibi veræ circumciſionis ſcientiam voluerit vendicare . . . , & humilitate contempta habitare in montibus, & ibi ſcrutantem manum Dei evadere non valebit. Quod ſi deſperans ſalutem oculos Domini vitare tentaverit, & in ultimos ſalſorum fluctuum terminos pervenire: etiam ibi mandabit Dominus ſerpenti tortuoſo, & antiquo, qui eſt inimicus & ultor, & mordebit eam. Capta quoque vitiis, atque peccatis, gladio Domini percutietur, & ponet oculos ſuos ſuper eam in malum, & non in bonum: ut per cruciatus atque ſupplicia ad Dominum revertatur*. Ad *Theophilactum* reſpondetur: utique animæ corporibus egreſſæ non errant per mundum, ſed reprobæ ſunt in mano dæmonis, juſtæ in manu Dei. Sed animæ purgantis cùm eſſe nequeant in manu dæmonis, & ſint charitate præditæ, fateamur, oportet eaſdem eſſe in manu Dei.

Auguſtinus locum intermedium negat contra Pelagianos.

Ad confirmationem recole dicta in hoc *Tract. Controv. I. n. 21. uſq. ad 25.*, ex quibus breviter ajo, perfectionem boni conſurgere ex integra cauſa, malum verò non habere cauſam perfectam; ſed ex quocumque defectu conſtare; atque ideo quilibet defectus impedit boni perfectionem: at non quodlibet bonum officit mali complemento. Quare cùm veniale peccatum ſit defectus, præpedit perfectam boni aſſecutionem, donec tollatur peccatum, ſicut èt reatus pœnæ. Bonum verò neutiquam mali complemento opponitur, nempe æternæ damnationis. Ad id, quod additur, fateor ultrò Deum faciliorem eſſe ad clementiam: at peccatum grave non ſolùm mortificat omne opus præteritum, ſed efficit, ut omne commiſſum in ſenſu compoſito ejuſdem peccati ſit mortuum, & nullatenus dignum præmio. Charitas deinde regulariter malum non expellit, niſi contrarium ſit; cùm autem veniale non ſit contrarium charitati, ideo non expellitur, ſed remanet in alia vita expurgandum.

Peccatū veniale impedit perfectam aſſecutionem boni.

130 OBJICIES ultimò. Si ex Fidelium, & Eccleſiæ precibus arguitur poſſe Animas eripi

eripi ignibus Purgatorii, argueretur etiam poſſe damnatorum animas ab inferis revocari, cùm etiam pro illis oret Eccleſia. Nam de facto in Miſſæ Offertorio precatur Sacerdos, ut Chriſtus *liberet animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, & liberet eas de ore Leonis, ne abſorbeat eas Tartarus, ne cadant in obſcurum*. Et in ſuis precibus orat, ut liberentur de morte æterna in die illa tremenda, quando Cœli movendi ſunt, & terra.

RESPONDEO. Hoc argumentum refellemus Parte III. Controverſia III. num. 39. & ſeq., ubi quæritur, an Purgantes ſint certi de ſua æterna ſalute. Cæterùm breviter aſſero ex PP. Salmaticenſ. *tract.* 20. *de Incarnat. diſp.* 7. *n.* 113. iis haudquaquam verbis ineſſe vim, ut Eccleſia de præſenti oret pro animabus in Inferno, ſed in Purgatorio detentis; continent enim ea verba quandam repræſentationem ſtatus earum pro tempore, quo unaquæque ſejungitur a corpore, & judicio Dei ſiſtitur; eæque preces offeruntur perinde ac ſi in illo terribili rerum articulo reus conſiſteret. Sed de his fuſiùs loco citato.

Eccleſia non orat pro dãnatis.

PARS SECUNDA,

DISPUTATIO II.

DE QUALITATE PŒNARUM, QUIBUS ANIMÆ PURGANTIUM TORQUENTUR.

CONTROVERSIA I.

AN PURGANTES IGNE TORQUEANTUR.

QUanquam Græci in Concilio Florentino Purgatorium ſint faſſi; negavere tamen animas ibidem igne excruciari. Fatentur ergo pœnam damni in eo poſitam, quod careant viſione beatifica ad tempus denegata, atque alia itidem confitentur genera ſuppliciorum, queis juxta Dei beneplacitum reatui ſatisfiat: qua de re diſputatum eſt in eodem Concilio, cùm adhuc Patres ſederent Ferrariæ.

1 DICO contra Græcos. *In Purgatorio animæ vero igne torquentur*. Qua ratione Græci aſſerunt animas Purgantium pati tenebras, & pœnam damni, eâdem nos aſſerimus pati per ignem. Sed primum Græci libenter concedunt: ergo ſecundum negare non debent. *Prob. maj.* ideo ipſi credunt tenebras, & pœnam damni, quia Græci, Latinique Patres aliqua Scripturæ loca in hunc ſenſum interpretantur. Sed iidem Patres plura item loca Scripturæ interpretantur pro igne Purgatorii, immò clariùs, & expreſsiùs: ergo. *Major eſt certa* apud omnes tam Græcos, quàm Latinos; non enim expromptum habemus textum in Scriptura, qui expreſsè Purgatorio caliginem inſpergat: ſed eam adſtruimus; quia aliquem Scripturæ textum Patres exponunt, ùt Matthæi 22. v. 13. *Mittite eum in tenebras exteriores*, qui locus etiam aliàs uſurpatur pro pœnis inferni: & cap. 5. verſ. 25. *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es cum eo in via, ne fortè tradat te adverſarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro, & mittaris in carcerem*. Item pœna damni eruitur ex Patrum expoſitione. *Minorem* ſupra fusè probavi in præallatis Scripturæ locis, Patrumque teſtimoniis. Hic unum, vel alterum innuo: 1. ad Corinth. 3. v. 15. *Paulus* de ædificante lignum, fœnum, & ſtipulam ait: *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit: ſic tamen quaſi per ignem*. Hæc Scriptura de Purgatorio ab innumeris Patribus intelligitur, quorum aliquos profero ex Græcis. *Origenes* Homil. 14. in Levit. ad *Pauli* verba habet: *In quo manifeſtè oſtenditur, eſſe quædam peccata ita levia, ut ſtipulæ comparentur, cui utique ignis illatus diu non poteſt immorari*. idem Hom. 6. in Exod. *Qui ſalvus fit per ignem, ſalvus fit, ut ſi quid de ſpecie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & reſolvat, ut efficiantur omnes aurum purum*: & in Epiſt. ad Rom. cap. 11. lib. 8. *Hæc ipſa purgatio, quæ per pœnam ignis adhibetur quantis temporibus, quantiſque ſeculis de peccatoribus exiget cruciatus, ſolus ſcire poteſt ille, cui Pater omne Judicium tradidit*.

Eodem ratione, qua Græci admittunt in Purgatorio tenebras, probatur ignis.

D. *Baſilius* in cap. 9. verſ. 19. *Iſaiæ* ad illa verba: *Et erit Populus quaſi eſca ignis*: ſcribit: *Si igitur per confeſſionem dexerimus, peccatum jam ſuccreſcens gramen areſecimus, dignum planè, quod depaſcatur, ac devoret Purgatorius ignis*: & infra. *Non interitum minatur, ſed Purgatorium oſtendit ſecundùm Apoſtoli dictum, quod ſi cujus opus comburetur, damnum patietur; ipſe verò ſalvabitur, ſi tamen per ignem*.

Gregorius Nazianzenus in oratione ad eos, qui cum primùm acciverant, nec poſtea occurrerunt: *Fundamento fidei ſuperſtruentes non fœnum, non ſtipulam (levem materiam, faciléque conſumendam, cùm actiones noſtræ igne judicabuntur, aut purgabuntur), ſed aurum, argentum, lapides pretioſos, res firmas, & ſtabiles; hæc velim faciatis*. Vide ſuperiùs n. 93. p. 1. Controv. III.

Luca 3. v. 16. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*. Hoc teſtimonium plures ex Patribus adaptant igni expiatorio. *Baſilius* in cap. 4. Iſaiæ declarans ſententiam illam v. 4. *ſi abluerit Dominus ſordes*, inſit. *Quin etiam tacitè innuit duas eſſe ſpecies Baptiſmatis, ne quando ad ternionem uſque progrediatur baptiſmus: illud quidem expurgatio facit ſordium, hoc autem eſt regeneratio per Spiritum Sanctum, idque*

ſiſque examen ſit per ignem Judicii : itaque ablutio quidem illa pro tali depoſitione peccati accipitur ; hoc autem in Spiritu judicii , & Spiritu ardoris , ad eam refertur probationem , ſive examen, quod per ignem ſit in ſæculo futuro : equidem peccata per ignorantiam admiſſa . Ubi applicatam habes ad rem noſtram *Iſaiæ* , & *Lucæ* Scripturam de igne piaculari .

2 PROBATUR *ſecundò concluſio* . In Sacra Scriptura ferè ſemper purgatio Juſtorum deſcribitur facienda per ignem . Ergo cùm in Purgatorio maximè purgentur Juſti , dicimus ibi eoſdem igne purgari . *Antecedens* habetur pluribus in locis ; ſed duo ſufficiant Iſaiæ 4. v. 4. *Si abluerit Dominus ſordes Filiarum Sion , & ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus in Spiritu judicii , & Spiritu ardoris* . Malachiæ 3. v. 3. *Ipſe enim quaſi ignis conflans , & quaſi herba fullonum : & ſedebit conflans , & emundans argentum , & purgabit filios Levi , & colabit eos* . Hæc duo loca de Purgatorio exponunt Auguſtinus *lib. 20. de Civit. cap. 20.* , *cap. 25.* Ambroſius *in Pſal. 36.* , Hieronymus ibidem : Origenes *Hom. 6. in Exodum* . Eccleſia itidem , ùt ſuperius demonſtravi , de igne capiatorio mentionem injicit . Præterea ignis eſt ad ſolida purganda aptiſſimus , atque in re præſenti quammaximè idoneus . Nam cùm animæ defunctorum non expientur per meritum , ſed per ſatispaſſionem , ignis ardor utpota acutiſſimus inſtrumentum eſt valde aptum ad compenſandam dolore voluptatem , quæ a peccato percipitur ; & ideò in apparitionibus animarum purgantium eædem frequenter occurrunt flammis involutæ .

Ignis aptum inſtrumentũ ad purgandas animas .

SOLVUNTUR GRÆCORUM ARGUMENTA .

3 OBJICIES 1. Non eſt confundendus ignis æternus cum temporaneo , ne Origeniſtarum error foveatur : ſed admittere ignem in Purgatorio eſt confundere ignem æternum cum temporaneo , & errorem fovere Origeniſtarum : ergo . *Minor probatur* . In Scripturis certò ponitur ignis æternus pro damnatis . Si ergo alius effingitur in Purgatorio , erit temporaneus , atque ita confunditur æternus cum temporaneo ; quo Origeniſtæ errorem tutari queant ſuum , nempe quòd ignis quilibet ſit temporaneus .

Hæc objectio refellitur *primò* ; quia ex poſitione unius non ſequitur confuſio , vel deſtructio alterius : ſicut ex poſitione ignis elementaris , non negatur ignis mixtus , nec unus cum alio confunditur . *Secundò* Græci ſtatuunt in Purgatorio carcerem , tenebras , & alia id genus ſupplicia . Sed hæc omnia collocant etiam in inferno ; ergo unum cum alio confundunt : ergo tollunt infernum . Non commiſcetur itaque unus ignis cum alio ; nam Scriptura dilucidè ſatis diſtinguit ignem Purgatorii temporaneum , & Inferni ſempiternum : immò validior hinc ſumitur confirmatio ; nam de igne Reproborum ſæpè addit Scriptura , quòd ſit æternus . Signum igitur eſt , non omnem ignem æternum fore ; aliter ſupervacanea foret additio . Nec Origeniſtæ inde capere aliquod argumentum queant , ut ſuos firment errores ; quandoquidem æternitas ignis reſpectu damnatorum luculenter exprimitur .

De igne Inferni ſæpe dicitur, quod ſit æternus .

4 OBJICIES 2. Ignis metaphoricus non eſt ignis ; ſed ignis Purgatorii eſt hujuſmodi : ergo non eſt verus ignis . *Major patet* ; quia metaphora non eſt ipſa res ſub realitate : Chriſtus enim , qui ſub metaphora dicitur *Petra* , *Leo* &c. , reapſe non eſt nec Leo , nec Petra.. *Minor oſtenditur primò* . Si daretur verus ignis in Purgatorio , Concilium Tridentinum de illo meminiſſet quicquam . Sed Concilium *Seſſ. 6. Can. 3. Seſſ. 22. cap. 2. Seſſ 21. cap. 1.* mentionem facit de Purgatorio : nullam de igne : ergo ibidem nullus eſt verus ignis , ſed metaphoricus . *Secundò* Patres ex Scripturis de igne metaphorico loquentibus , arguunt ignem in Purgatorio : ergo ùt ſimilitudo concludat , debet eſſe metaphoricus ignis Purgatorii . *Baſilius* , & *Nyſſenus* colligunt ex illo Chriſti *ignem veni mittere in terram* . Auguſtinus , Ambroſius , Hieronymus ex illo Malachiæ 3. *Ipſe enim quaſi ignis conflans* . Sed Deus non eſt ignis in proprietate . Ergo . *Tertiò* Patres negant eſſe ignem corporeum ; S. Gregorius *lib. 15. Mor. cap. 14.* ignem Geennæ , inquit , eſſe incorporeum . Et Auguſtinus *lib. 21. de Civitate cap. 10.* de hoc dubitat : ſed eſt idem ignis in inferno torquens , & in Purgatorio purgans : ergo . Item Auguſtinus *lib. 11. de Geneſ. cap. 33.* ſentit loca animarum non eſſe corporea : ergo neque corporeum ignem ; & apud *Maldonatum* in Luc. 16. ignes duo inuuuntur torquentes animas , unum ante diem Judicii , & hunc metaphoricum eſſe : alterum poſt diem Judicii , eumque verum affirmat .

RESP. *neg. min.* Ignem Purgatorii verum , & corporeum tenuerunt Patres Florentini , dictum *Pauli* referentes *ſalvus erit , ſed tamen quaſi per ignem* ; quibus adhærent univerſi ferè Doctores , & Scholaſtici . Utcunque autem Patres alicubi ea metaphora ſignificent ignem in Purgatorio ; alibi tamen abſolutè loquuntur de vera concrematione . Deinde ardor Geenæ citra dubium eſt realis corporeus ; nam Scripturæ tam diſertè loquuntur , ut non niſi violenter trahi queant ad ſenſus improprios . Auguſtinus *lib. 21. de Civit. cap. 11.* adſtipulatur ſententiæ admittenti ignem verum , & corporeum ; & Gregorius *cap. 4. Dialog. cap. 29.* manifeſtè ait ignem torquentem animas eſſe corporeum . Idem ſanè ignis torquens animas , torquebit etiam corpora , ùt habetur Matthæi 25. 41. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum , qui paratus eſt diabolo , & angelis ejus* . Ergo ignis , in quem deſcendere debent damnati cum corpore , eſt idem , qui jam paratus eſt , & in quo torquentur Dæmones , aliique ſpiritus ; ſed hic non eſt metaphoricus ; ergo nec ille . Cùm verò aliunde conſtet eundem ignem eſſe Purgatorii , & Inferni , ſequitur animas excruciari non igne metaphorico , ſed vero .

Ignis Purgatorii eſt verus .

Ignis, in quo torquentur Dæmones eſt verus ignis .

Accedunt apparitiones , quæ certam fidem adſtruunt veri incendii . Beda *lib. 3. Hiſt. Anglic.* refert ex revelationibus animas Purgatorii ab perfrigidis glaciebus jactari in æſtuo-

Ex revelationibus probatur.

æſtuoſos flammarum fluentium vortices. Neque in objectis quicquam laboro. Nam Tridentinum ſilens de igne, ſilet etiam de tenebris, pœniſque damni, triſtitiæ, &c. nec inde deduxeris hæc Purgatorio deeſſe. Concilium igitur prædicandam definit doctrinam de Purgatorio juxta Scripturas, & Patres. Hi verum ignem profitentur; ideoque a Concilio verus ignis admittitur ut Theologica concluſio, ſed non ut Fidei dogma. Ad ſecundum objectum dico: Patres ignem Purgatorii arguunt ex aliis Scripturis, quæ extra metaphoram loquuntur verè, & propriè; etſi utantur ſimilitudine, & exemplo purgantis aurum per ignem, atque ædificantis ſuper materiam, quæ facilè comburitur. Ex metaphora quandoque veritas deducitur, & non alia metaphora. Ex quo enim v. g. Chriſtus dicitur Petra angularis, verè ipſum arguitur eſſe primum fundamentum Eccleſiæ. Præterea alii Patres abſolutè loquuntur abſque metaphora, aut exemplo. Nec officit tertium objectum; etenim *Gregorius* non negat verum ignem corporeum; immò propalam docet corporaliter urere; ſed ei opponit ignem noſtrum ſubluaarem, quòd noſter indiget alimento craſſiore; ſecus ille ſubtilis ſine pabulo ſubſiſtens, utpote in ſua ſfera. Quare pro igne incorporeo intelligit ſubtilem, & tenuem. *Ignis corporeus*, ſunt verba Pontificis, *ut eſſe ignis valeat, corporeis indiget fomentis; at contra Geennæ ignis, cùm ſit incorporeus, & corporaliter exerceat* &c. *Augustinus* nuſquam dubitavit, an verus eſſet ignis Geennæ, licèt anceps fuerit, quonam modo in animas ſæviret; nec uſquam duos effinxit ignes ante, & poſt Judicium. Dubitavit quidem, an *Epulonis* narratio, & *Lazari* vera ſit hiſtoria, an parabola, cùm animæ nec digitus, nec lingua inſit. Itaque falſum *Maldonatus* imponit *Auguſtino*, qui etiam cùm dicit animam non eſſe in loco corporeo, intelligit de exiſtentia corporali.

Ex metaphora veritas quandoque deducitur.

Ignis in ſua ſfera non nutritur.

Vide Sixtum Senenſ. lib. 5. Biblioth. annot. 141.

Auguſtinus *dubitavit, an Epulonis narratio ſit hiſtoria.*

5 OBJICIES 3. Talis eſt afflictio per ignem in animabus, quæ purgantur, qualis delectatio per cibum in Beatis, de quibus Luc. 22. v. 29. dicitur: *Diſpono vobis Regnum, ut bibatis, & edatis ſuper menſam meam*; & cap. 14. v. 15. *Beatus, qui manducabit panem in Regno Dei*. Sed delectatio illa erit ſpiritualis, & non per panem, aut potum corporalem: ergo pariter afflictio erit ſpiritualis, non autem per ignem corporeum.

RESPONDEO *negando paritatem*; quia aliter Patres interpretantur Scripturas de cibo, & potu, ac de igne infernali, & purgante. Rationem diſparitatis aſſignat D *Thomas* in ſequenti referendus Controverſia. Anima peccavit plus juſto ſubdens ſeſe corpori; ideo juſtum eſt, eandem inſtrumento corporeo puniri. Secus accidit in Beatis; in his enim anima elevatur ſupra corporalia, & perficitur modo proprio excellentiæ ſuæ debito; proindeque ei competit delectatio omnino ſpiritualis. Poſt diem Judicii aliquid etiam capiet corporeæ voluptatis, Chriſtum intuens, & alia Beatorum corpora: dic idem de quoquo ſenſu demptis imperfectionibus. Itidem corpora damnatorum ſenſibili pœna affligentur per ignem; & quia ignis idem torquebit corpus, & animam, rectè inferimus animas damnatorum igne torqueri. Sed quod dicitur de damnatis, idem dicas de purgantibus animabus, cùm Scriptura de utriſque quoad afflictionem pariformiter loquatur. Immò plures ex Patribus eundem ignem Geennæ eſſe, ac Purgatorii ſentiunt. *Gregorius* apud D. Thom. diſt. 20. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. ait: *Sicut ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat; ita ſub eodem igne peccator crematur, & electus purgatur*. Hæc ſententia deſumpta eſt ab *Auguſtino* lib. 1. de Civit. Dei cap. 8. Præterea in ſententia ſchiſmaticorum animæ patiuntur tenebras, & carcerem; attamen Beatorum animæ luce corporea non fruuntur. Si igitur ex eo, quod corporaliter Beati non delectantur, colligunt Græci, animas igne vero non torqueri, infertur etiam tenebris corporalibus animas non affligi, quandoquidem corporali luce Beati minimè gaudeant.

Quare debeat anima puniri per ignem corporeum.

Beati per Judicium habebunt aliquam corporalem delectationem.

Idē eſt ignis Geennæ, ac Purgatorii.

6 OBJICIES 4. Si igne torquerentur Purgantes, miſericors Deus, qui punit infra condignum Impios, ſupra condignum puniret Electos. Sed hoc dici non poteſt: ergo neque illud. *Major declaratur*. Pœna debita mortali remiſſo, aut veniali, acerbitatem omnium pœnarum hujus vitæ non excedit v. g Jejunia, & flagella pœnitentium, carceres, triremes, aliaque ſupplicia reis a Judice inflicta, nuditatem, famem, paupertatem, cruces, ignes, aculeoſque Martyrum; quia ſi hæc tormenta pro delictis perferrent eximii peccatores, Deo prorſus ſatisfacerent; & ideò martyribus non eſt in Purgatorio locus. Sed ignis tormentum longè ſuperant omnia pœnarum genera hujus vitæ: ergo, ſi in igne Deus purgaret Electos, ſupra condignum puniret. *Min. prob.* ex communi Patrum ſententia, inter quos *Auguſtinus* Pſalm. 37. ait: *Quamvis ſalvi per ignem, gravior tamen eſt ille ignis, quàm quidquid poteſt homo pati in hac vita*. Item Ser. 4. de Animabus Defunctorum relatus a D. *Thoma* 4 Sent. diſt. 21. quæſt. 3. art. 1. *Ille ignis Purgatorii durior erit, quàm quidquid in hoc ſeculo pœnarum, aut ſentire, aut videre, aut cogitare quis poteſt*.

RESPONDEO. Hæc objectio quò durior, & flebilior, eò etiam eſt verior. Non unus enim *Auguſtinus* aſſerit purgantis flammæ cruciatum quoquo hujus ſeculi dolore longè majorem; ſed eadem omnium eſt concors Patrum ſententia, & probat ratio D. *Thomæ* 4. Sent. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. *Cum dolor non ſit læſio, ſed læſionis ſenſus, tanto magis aliquis dolet de aliquo læſivo, quanto magis eſt ſenſitivum: unde læſiones, quæ fiunt in locis maximè ſenſibilibus, ſunt maximum dolorem cauſantes, & quia totus corporis ſenſus eſt ab animo, ideò ſi in ipſam animam aliquod læſivum agat, de neceſſitate oportet, quod maximè affligatur*. Jam ad argumentum *nego minorem*; non enim propter hoc Deus punit ſupra condignum Electos, cùm minimum malum culpæ ſit majus quolibet malo pœnæ etiam æterno. Præterea hoc ſeculum *eſt dies noſter*, ut phraſi utar Scripturæ; ideo calamitates, doloreſque ex affectu charitatis libenter exantlati totum aliquan-

Acerbitas pœnarum Purgatorii excedit quodlibet genus pœnæ hujus vitæ.

Hoc ſeculum dies noſter eſt, alterum dies Domini.

Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit: ſic tamen quaſi per ignem. Luc. 16. v. 24. Dives in igne poſitus dicit: *quia crucior in hac flamma.* Job 20. verſ. 26. *Devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur.* Sed ardere per ignem, cruciari in flamma, devorari ab igne, veram ſignificat actionem ignis ſecundùm proprietatem ſermonis: ergo per veram actionem ignis animas torquet.

Confirmatur ex dictis Patrum D. *Gregorius* 15. *Moral.* explicans citatum textum Job ait: *Gehenna ignis, cùm ſit corporeus, & in ſemetipſa reprobos corporaliter exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur, ſed creatus ſemper durat inextinguibilis, & ſuccenſione non indiget, & ardore non caret.* 4. Mor. cap. 28. *Res corporea in corporeum exurit, dum ex igne viſibili ardor, ac dolor inviſibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporeá flammá cruciatur:* 4. Dial. c.28. *Ita credi neceſſe eſt, quod a die exitus ſui, ignis reprobos exurat:* ibidem cap. 29. *Colligere ex dictis Evangelicis poſſumus, quod incendium anima non ſolùm videndo, ſed etiam experiendo patiatur.* *Auguſtinus* lib. 21. de Civit. Dei cap. 10. *Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœná corporalis ignis affligi .... adhærebunt ergo, ſi eis nulla ſunt corpora, ſpiritus Dæmonum, immo ſpiritus Dæmonis licèt incorporei corporeis ignibus cruciendi ..... ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnas, non dantes ignibus vitam.* Sed hæc apprimè actionem ignis in animas ſignificant. Ergo ignis activè affligit animas. Licèt verò aliqui textus, ſivè Scripturæ, ſivè Patrum de igne Inferni loquantur, idem tamen ſentiendum de igne Purgatorii, vel quia idem eſt, vel propter identitatem rationis.

In aliquibus Codicibus legitur cum ſit incorporeus, ſed emendatè corporeus juxta Sixtum Senenſ. l.5. Bibliot. annot. 241.

9 PROBATUR 2. Si nihil implicat quominus dicatur ignis ſpiritum torquere, ita ſentiendum eſt. Sed implicat nihil. Ergo. *Majorem nemo negat*; ſic enim explicantur meliùs nec diſtorquentur Scripturæ. *Minor declaratur.* Implicantia vel oritur ex incompoſſibilitate contactus ignis ad ſpiritum, vel ex improportione elementi corporei ad ſubſtantiam ſpiritualem, vel ex incapacitate ſubjecti ad recipiendum diſconveniens; nec enim alia videtur aſſignanda ratio. *Primum* non obeſt; major enim eſt unio materiæ cum forma, quàm agentis ad paſſum; ſed diverſitas naturæ ſpiritualis, & corporalis non impedit unionem animæ ùt formæ ad corpus: ergo neque impedit unionem agentis ad paſſum. Deinde inter corpus, & animam ab omnibus admittitur contactus mobilis, & moti, loci, & locati. Cur igitur repugnet contactus agentis, & paſſi? præſertim quòd ignis ſit inſtrumentum Dei, qui eſt agens ſuperior ad ſpiritum. Non *ſecundum*; haud enim minus diſtat aqua ab anima, quàm ignis; ſed aqua in Baptiſmo effectivè agit producendo gratiam in anima: ergo ignis poterit agere in ſpiritum, producendo aliquam doloriferam qualitatem; maximè verò, quòd ea qualitas non debet eſſe tantæ excellentiæ, quantæ eſt gratia. Non *tertium*; quia ſpiritus ſicuti ſunt capaces qualitatis perficientis per modum eliciti vel objecti, vel recepti; ita èt qualitatis diſconvenientis per modum eliciti, ùt
A paret in actu triſtitiæ per modum objecti, ùt in apprehenſione contriſtantis. Cur ergo non etiam per modum recepti? Si ergo ſubjectivè poteſt benè affici per aliquod corporeum, cur non etiam malè? Inter ſpiritualia enim ſunt ſuo contraria, ùt inter corporalia, licèt iſta ſenſibiliora ſint.

10 PROBATUR 3. refellendo quotquot alios explicandi modos. Prima opinio docet, ignem torquere ùt viſum. Sed contra eſt; nam viſum eſt perfectio videntis, & quà viſum non poteſt nocere. Si aliquando cruciat, non eſt quia viſum, ſed quia apprehenditur, vel ſupponitur nocivum. Ergo
B præter rationem viſi, ſuperaddi debet aliquid, ratione cujus ignis nocuus ſit animæ ſeparatæ. Hinc altera opinio tenet ignem torquere animas; quatenus apprehenditur nocuus, licèt realiter non ſit. Alii explicant; quatenus immittitur a Deo ſpecies repræſentans ignem, ùt doloriferum. At neque hæc ſententia rem explicat; ait enim revera animas non igne torqueri, ſed ignis apprehenſione. Si verus ex falſa meditatione dolor aliquando oritur, non oritur a re, ſed a ſimilitudine rei; ignis autem affligit miris quidem, ſed veris modis. Deinde magis diſtat a realitate paſſionis modus hic, quàm
C qui accidit per viſiones imaginarias; is enim fit per veras rerum imagines; ille per falſas apprehenſiones animæ errantis, & fingentis. Inſuper animæ ſaltem purgantium nequeunt efformare hoc judicium, quo credat ſe ab igne torqueri, & revera non torqueatur: hoc enim judicium in ipſis debet fieri a Deo ſpecialiter concurrente; quia Deus eſt principalis puniens per ignem; Deus autem nequit ſpecialiter concurrere ad judicium erroneum, præſertim quòd animabus in Purgatorio propter ſtatum gratiæ repugnat illuſio.

Anima non torquetur ex viſione ignis.

Nec affligitur ab igne, ùt apprehenſo.

Animabus in Purgatorio repugnat deceptio.

Tertia opinio eſt, animam revera ab igne pati dolorem ejuſdem rationis, quem
D pateretur unita corpori; anima unita patitur, quatenus ignis diſſolvit temperamentum qualitatum, & hinc in animam qualitas dolorifera reſultat, quæ qualitas eſt objectum apprehenſionis in intellectu, & fugæ in voluntate. Igitur virtute divina fit eadem apprehenſio in anima ſeparata, quæ per tactum in anima corpori unita. Sed ne iſta quidem ſubſiſtit; *primò* quia non explicat realitatem paſſionis ab objecto præſenti, & ab inſtrumento actuali Divinæ Juſtitiæ; cùm verè non agat ignis neque in corpus, neque in animam. *Secundò* non explicat exceſſum gravitatis a Patribus poſitæ in animabus Pur-
E gatorii ſupra quodquod tormentum hujus vitæ. *Tertiò* revera intervenit deceptio; nam anima ſeparata apprehendit ſe eo modo torqueri, quo torquetur unita, cùm tamen ita non torqueatur: & hæc deceptio eſſet ſpecialiter a Deo, cui repugnat, ùt mox dictum eſt. Percipi non poteſt, quomodo anima ſeparata cognoſcens ſe non eſſe in corpore, apprehendat ſe torqueri perinde, ac ſi eſſet in corpore. Præterea hic modus non ſalvat, quomodo Angeli reprobi torqueantur, cùm non habeant corpus nec habuerint unquam, ad cujus comparationem ſpiritu com-

Si torquerentur per apprehenſionem ignis, deciperentur.

burantur . Ex Scriptura ennſtat eodem animas , qno Dœmones , igne torqneri . Igitur concludeodnm eſt cnm D. *Gregorio* 9. Mor. c. 45. ad illud *Job* 10. *v.* 21. Vadam & non revertar , ad terram tenebroſam : *rectè inferni clauſtra tenebroſa terra nominatur , quia quos puniendos accipiunt , nequaquam pœnâ tranſitoriâ, & phantaſtica imaginatione cruciant , ſed ultione ſolida perpetuæ damnationis ſervant :* adeoqne per veram ignis actinnem affliguntur animæ .

In animabus datur magnitudo virtutis ,

Quoniam antem modo id fiat, breviſſimè explico . Jam ſupponn in animabus , & ſpiritibns juxta *Auguſtinum* , dari magnitudinem, non quidem molis , ſed virtutis , & perfectionis ; quæ magnitudo duplex eſt , *eſſendi* , & *operandi* ; nam virtus , & perfectio operativa ſupponit virtntem , & perfectionem in eſſe , ſicut in magnitudine molis datur magnitudo pertinens ad eſſe , & operari . Suppono *ſecundò* ignem corporalem corpora torquentem imprimere qualitatem diſconvenientem temperamento qualitatum , quod eſt potentiarum ſnbtractum , ratione cujus ſentitur dolor , & impediuntur nrgana , & potentiæ a ſuis debitis operationibus . His poſitis aſſero ignem corporenm imprimere divina virtute qualitatem perinſenſam per ſe primò temperamento , ùt ita dicam , ſpirituali ſnbſtantiæ ſeparatæ , ratione cujus dolet , & malè ſe habet . Deinde impedit potentias , alligat ad certas , & determinatas operationes , ſubjicit igni tanquam viliori , eaſqne defigit in objectum magis , minnſve doloriferum jnxta menſuram Divinæ Juſtitiæ ; ex quibus reſultat afflictio Inexplicabilis , ùt ex his , quæ accidunt in nobis , facilè deducitur . Quomodo autem vncanda ſit illa qualitas , dico a D. *Gregorio* , *Cyrillo* , & aliis Patribus appellari ; *flammam incorpoream* , *ardorem inviſibilem* , *exuſtionem intentionalem* .

Explicatur quomodo igne torqueantur ,

OBJECTA SOLVUNTUR .

Miſſa facio plurima , quæ paſſim objici ſolent contra elevationem corporei inſtrumenti ad effectus ſuperioris ordinis .

11 OBJICIES 1. S. *Thomas* ſentit, ignem corporeum activè non inflnere in ſubſtantias ſeparatas : ergo ignis effectivè non torquet . *Ant. hab.* 4. Sent. diſt. 44. quæſt. 3. art. 1. quæſtiunc. 3. ad qoartum : *Dicendum , quod ignis non agit in animam per modum influentis , ſed per modum detinentis* . Et refellens ibidem modum dieentium ignem affligere per actionem , affirmat eſſe inſufficientem ; quia nmne inſtrumentum in id , eirea quod operatur inſtrumentaliter , habet actionem propriam ſibi natnralem , & non ſolùm actionem , ſecundùm quam agit in virtute agentis principalis : ergo D. *Thomas* negat igni effectivam vim torquendi .

RESP. *negando ant.* , qnnd non evincitur ex allatis auctoritatibus : non primam ; qnia , nt paret , *in corpore articuli* non negat, ſed poſitivè concedit ignem agere ; quare *in reſp. ad* 4 , nobis explicare vult per effectum notiorem , qualis eſt detentio , munus qualitatis productæ , non verò negat productionem formæ diſcnuvenientis ; & ideo *quæſt.* 2. *de anima art.* 21. *in ſolut. ad primum* , quod continet eandem difficultatem , quam loco citato ſibi objectat , inſit : *Non enim dicimus , quod anima patiatur ab igne corporeo , recipiendo tantum , vel per alterationem* . Viden' ? manifeſtè admittit ignis influxum , quo non ſolùm anima excrucietur , ſed per apprehenſionem ligetur etiam ad objectum contriſtans . Nec ſecunda inſtantia nrget ; quia ùt ibidem , & ex ſequentibns elucet , ex natnrali negat , & concedit ex divina virtute ignem in ſpiritum agere , aſſignatque actionem connaturalem igni corporeo : hæc ut percipiatur , duo conſiderat S. Doctor in igne , aptitudinem contingendi ſpiritum per modum loci , & locati ; certum enim eſt ſpiritus eſſe poſſe in lnco corporeo , & detentionem violentam pati ſpiritui repugnantem ; ſpiritus enim licèt eſſe queat in loco corporeo , naturaliter tamen eſt ſuper ipſum . Hinc quando ſpiritus pnnitur in igne tanquam in loco , ignis naturaliter exercet actionem , & contactum locantis . Virtute poſtea Divinâ detinet violenter ſpiritnm , in cumque agit adurendo , & inflammando .

Ignis agit Divina virtute .

Quomodo ignis exerceat actionem propriam .

12 OBJICIES 2. Si qnalitas dolorifera ab igne producta recipitur in ſpiritu , erit ſupernaturalis , & ordinis Divini ; non enim poteſt eſſe natnralis , ſic enim naturaliter ignis ſpiritum combureret ; ſed abſurdum eſt dicere qualitatem ſupernaturalem torquere animas , cùm ſupernaturalia ſint perfectiora , & de genere boni : ergo . *Explicatur* . Vel illa qnalitas eſt corporea , & non recipitur in ſpiritu , vel ſpiritnalis , & vim non habet aduſtivam ignis materialis .

RESPONDEO ſupernaturale dupliciter intelligi *modaliter* , & *ſubſtantialiter* . Supernaturale *ex modo* dicitur , quod nnn fit juxta curſum naturalem , ſed in ſno conſtitntivo non eſt participinm Divinæ perfectionis , ùt eſt in re : id genns ſunt mortuornm reſurrectio , illuminatio cæcorum . Supernaturale *ex ſubſtantia* dicitur , quod non ſolùm non fit ab agente creato naturaliter , ſed in ſno conſtitntivo eſt participium Deitatis , ùt eſt in ſe . His poſitis : illa qnalitas ſupernaturalis dicitur *ex modo* ; quia viribus ſolius agentis creati corporei non producitur : entitativè tamen eſt natnralis : & quamvis ſit aliqood ens poſitivum de genere boni phyſici , tamen eſt dolorifera , utpote diſconveniens naturali animarum conditioni . Sicuti calor materialis eſt ens poſitivum de genere boni phyſici ; attamen utpote diſconveniens temperamento corporis , illud cruciat . *Ad explicationem* : ſi quis diceret illam qualitatem eſſe entitativè ſpiritualem , & *ùt quo* corpoream , ideoque proportionatam animæ , quæ entitativè ſpiritualis eſt , & corporea *ùt quo* , ad rem loqueretur ; ſed , ut ſolutio accommodetur etiam Angelis, ajo , ſpiritualem eſſe ét qnando dicitur : *ergo non habet vim aduſtivam ignis materialis* : diſtinguo aduſtivam alterativè , *concedo* , aduſtivam intentionaliter , hoc eſt afflictivè diſconvenienter , *nego* . Hoc infrà uberiùs explicabitur .

Duplex ſupernaturale, modale , & ſubſtantiale .

13 OBJICIES 3. Omnis qualitas diſconveniens immediatè recepta in ſubſtantia animæ ,

mæ, vel ideò eſt diſconveniens; quia tollit aliquid benè diſponens ad eſſe, & conſervari; vel quia impedit inclinationem operativam, eamque comprimit. Primum dici nequit; quia ab anima nihil tollitur: ſin autem dixeris ſecundum; ergo illa qualitas effectum ſuum dumtaxat exercet in potentiis; ergo non eſt aduſtiva ſubſtantiæ animæ.

Urgetur argumentum ex Doctrina Thomiſtarum, & præcipuè PP. Salmaticenſ. *de vitiis, & peccatis diſp.* 16. *dub.* 3. §. 2. In ſubſtantia animæ nullum poſitivum immediatè recipi poteſt; quia ſubſtantia, cùm non ſit immediatè operativa, quidquid immediatè recipit, debet ordinari ad eſſe; ſed nihil pertinens ad eſſe poteſt in ea recipi: ergo. *Minor declaratur*. Vel illud poſitivum dat novum eſſe naturale; & hoc non; habet enim jam ſuum eſſe naturale ab intrinſecis: vel novum eſſe ſupernaturale per gratiam, & jam conſtituitur in ordine divino, & elevatur ſuper naturalia: vel illud poſitivum diſponit ad benè eſſe naturale; & hoc etiam repugnat; nam anima utpotè æviterna inamiſſibiliter conjungitur cum ſuo eſſe: vel diſponit ad malè eſſe, & ne hoc quidem dici poteſt; ex quo enim inamiſſibiliter conjungitur anima cum ſuo eſſe, non eſt capax malæ diſpoſitionis removentis perfectionem a tali eſſe.

Urgebis *ſecundò*. Ideò ponitur qualitas recepta in ſubſtantia, ut anima loco alligetur, & ſic per talem alligationem deprimatur. Sed ut hunc præſtet effectum, qualitas illa debet recipi in potentiis: ergo. *Probatur min.* Ratio eſſendi in loco in ſubſtantiis ſeparatis eſt operatio; ergo impedimentum ligans, ne ab hoc loco exeat, debet eſſe in principiis operativis.

RESPONDEO. Qualitatem ab igne productam diſconvenire, & ſubſtantiæ, & potentiis animæ, & ſpiritus, ut ſuperiùs dictum eſt, & modò explicabitur. Nego autem neceſſarium eſſe, quòd aliquid tollat, vel alterationem gignat. Ad cujus intelligentiam noto Doctrinam S. Thomæ *in* 4. *Sent. diſt.* 44 *quaſt.* 3. *art.* 1. *quaſtiunc.* 2., *&* 3.: ubi inquirit, an in corporibus damnatorum poſt diem Judicii ſit futura alteratio, & corruptio, & cur non corrumpentur, & alterabuntur, cùm ab igne proprio, & corporali perpetuò cremabuntur; & ſtatuit nullam futuram alterationem, neque corruptionem: ſtatimque ſibi objicit fieri vix poſſe veram paſſionem ſine aliqua alteratione, & corruptione, & reſpondet negativè: *Nec tamen oportet, quòd quia corpora damnatorum ab igne inferni per corruptionem aliquam non læduntur, propter hoc ab igne non affligantur, quia ſenſibile non ſolùm natum eſt delectare, vel affligere ſenſum, ſecundùm quod agit actione natura confortando, vel corrumpendo organum, ſed etiam ſecundum quod agit actione ſpirituali; quia quando ſenſibile eſt indebita proportione ad ſentientem, delectat: è contrario autem, quando ſe habet in ſuperabundantia, aut defectu: unde & colores medii, & voces conſonantes ſunt delectabiles, & inconſonantes offendunt auditum*. Non eſt ergo neceſſaria alicujus ablatio, ut qualitas ignis dolorifera animas affligat, cùm non requiratur in afflictione corporis.

Qualitas diſconvenit ſubſtantiæ, & potentiis.

A Ibidem ſcilicet *quaſtiunc.* 3. explicat duplicem modum paſſionis: alterum per modum naturæ, alterum viâ intentionis. Paſſio per modum naturæ eſt materialis, ex modo quantitativo alterando, & corrumpendo. Paſſio viâ intentionis fit per diſconvenientiam læſivi cum ſubjecto abſque alteratione, & corruptione; non quia ſit aliquid purè intentionale; ſed quia modo velut intentionali qualitas recipitur, non alterando. Igitur ſicut ignis corporeus erit aduſtivus corporum poſt diem Judicii; quia producet qualitatem doloriferam, utpote diſconvenientem naturali, & debito temperamento quantitativo illorum, & hoc quin aliquid tollat: B ſic idem ignis corporeus urit animas, ſpirituſque excruciat gignens qualitatem doloriferam, quæ ſcilicet diſconvenit temperamento ſubſtantiæ ſeparatæ. Hanc qualitatem ſenſibilem appellamus, *ardorem*, *calorem*, *flammam materialem*; eandemque vocitant Patres *ardorem inviſibilem*, *flammam incorpoream*, uti ex dictis pateſcit. Præter aduſtionem habet qualitas vim, ut potentias deprimat, alliget, totumque ſubigat ſpiritum.

Ignis urit, & affligit producendo qualitatem doloriferam.

Ad objectam Thomiſtarum doctrinam reſpondeo primùm id dumtaxat valere in ordine ad agens naturale, non autem ſupernaturale: ſicuti nullum agens creatum poteſt C agere intra terminos eſſentiæ; attamen inſtrumentum elevatum hoc poteſt; quod eluceſcit in Sacramentis; eaquepropter rectè concludunt Salmaticenſes per peccatum originale nullum poſitivum productum in anima; cæterùm non concludunt divinitùs non poſſe produci. Nec valet argumentum de inamiſſibili conjunctione animæ ad ſuum eſſe: quia ceſſante motu Cæli, poſt diem Judicii corpus erit inamiſſibiliter conjunctum cum ſuo eſſe: attamen recipiet qualitatem benè, vel malè afficientem. Deinde ut aliquid ſit diſconveniens, non eſt neceſſe aliquid tollere, aut aliquid ab eſſe ſeparare: D ſufficit diſconveniens naturali magnitudini virtutis animæ. *Secundò* reſpondeo cum iiſdem Patribus nihil poſſe recipi in animæ ſubſtantia immediatè per modum formæ abſolutæ dantis eſſe præter gratiam: non autem per modum alicujus modificationis per modum convenientis, vel diſconvenientis; ſicut non implicat receptio entis relativi, ut eſt relatio creaturæ ad Creatorem.

Ad ſecundum nego qualitatem illam recipi præcisè in ſubſtantia, ut eam loco alliget, ſed inſuper ut contriſtet, & affligat. Concedo equidem habere etiam hunc effe- E ctum, ſed hoc non probat recipi in potentiis: non ſolùm enim potentiæ alligantur, ſed & ſubſtantia, utpotè potentiis excellentior, ut ea maximè deprimitur. Nec in loco violento detinetur per operationem naturalem, ſed per paſſivam applicationem; adeoque in ſolis potentiis qualitas adhuc, ut ligativa tantùm non debet recipi, ſed inſuper in ſubſtantia; atque hoc ad majus tormentum conducit.

Qualitas recipitur in anima, ut eã contriſtet, & affligat.

24 OBJICIES 4. Si per qualitatem doloriferam, & alligativam torquerentur ſpiritus, in Inferno minùs iniquus deberet puniri

graviùs , quàm iniquior : hoc eſt contra juſtitiam : ergo . *Sequela declaratur* . Ponamus peccata hominis alicujus eſſe graviora peccatis alicujus Angeli : tunc tortura per ignem in Angelo erit ſemper gravior , & pœna hominis , quomodocumque creſcat , nunquam poterit illius æquare ſupplicium ; quia ſubſtantia Angelica ſemper eſt excellentior , & nobilior quàm anima ; adeoque magis capax afflictionis , magiſque cruciabitur dolorifero ardore ; quia ratione majoris excellentiæ magis ſentiet alligationem , & depreſſionem : ergo malè explicatur cruciatus per ignem .

In aliquibus qualitas eſt magis intenſa , quàm in aliis .

RESPONDEO . Utvis ſit nobilior ſubſtantia Angeli ; qualitas recepta poterit eſſe minus intenſa , minuſque comprimet operativæ virtutis extenſivam latitudinem . Secus in anima eſſe poterit magis intenſa , magiſque compreſſiva virtutis operativæ , ſic attemperante Divinâ juſtitiâ ad proportionem pœnæ , & demeriti ſervandam . Id exemplo in humanis declaratur . Quamvis delicatior verbera magis ſentiat ; tamen in eo eſſe poteſt remiſſior pœna propter verberum minorem vim . Addo : in damnatis poſt diem Judicii, accedet dolor , & aduſtio corporum , cujus expertes ſunt Angeli ; & hinc etiam poteſt Nequioris pœna incrementum capere .

15 OBJICIES 5. ſpecialiter contra alligationem potentiarum , & maximè intellectus . Iſta qualitas alligativa vel pertinet ad genus habitus boni , vel mali , vel ſe tenet ex parte ſpecierum . Sed ex nullo capite eſt afflictiva , & poſſibilis : ergo . *Minor declaratur* : ſi eſt de genere habitus boni , ſeu diſpoſitionis , erit perfectiva : ſi dicatur de genere mali, erit impoſſibilis; cùm Deus ſpecialiter nequeat habitum malum cauſare : nec poteſt ſe tenere ex parte ſpecierum . Nam ſpecies intelligibiles ſunt perfectivæ intellectus : deinde nequit ignis novas ſpecies gignere in ſpiritibus Angelicis, cùm omnes fuerint inditæ ab initio creationis , animæque intelligant per ſpecies intra corpus acquiſitas .

Qualitas iſta ſe tenet ex parte diſpoſitionis , & ſpecierum .

RESPONDEO . Illa qualitas ſe tenet ex parte diſpoſitionis per modum determinatæ applicationis ad hoc objectum , ad hanc operationem potius , quàm ad aliam , ita cogendo potentiam , ut nequeat aliter operari . Hæc qualitas determinativa utique eſt a Deo , & eſt bona phyſicè ; ſed quia diſconveniens naturali diſpoſitioni animæ , & ſpiritus ; ideo eſt afflictiva , illiſque phyſicè mala . Se tenet etiam ea qualitas ex parte ſpecierum , quas ita diſponit , ut objecta ſolummodo repræſentent triſtia , & deprimentia juxta Divinæ Juſtitiæ ordinationem . Quamobrem non eſt neceſſaria productio novæ ſpeciei ; quâ etiam datâ neceſſitate , poſſet utique ignis virtute divina illam gignere ; a principio ſiquidem ſpiritibus omnes inditæ ſpecies fuerunt congruæ proprio ſtatui , ad operationes ſibi convenientes ratione naturæ , & fortaſſis etiam gratiæ : non tamen pro poſſibili quocumque objecto , & cognitione .

DICES . Animæ Purgantium , & ſpiritus aliquando exeunt : ergo ignis non torquet alligando . SED CONTRA . Jam dictum eſt , ejus qualitatis munus non eſſe dumtaxat alligare , ſed adurere . Deinde *nego conſeq.* Licèt enim anima , & ſpiritus paululùm , & ad tempus elongentur a loco ignis , nihilominus ei illigantur ; cùm non niſi ad diſpoſitionem , & dependentiam ab eo huc , vel illuc moveantur , eidemque jugiter ſe deſtinatos ſciant , & ubicunque ſint , ab eo patiantur . Nam inſtrumentum divinæ virtutis etiam operatur in diſtans .

Etiam in diſtans animæ patiuntur ab igne .

DICES *ſecundò* . In Lymbo pueri illigantur loco tenebroſo, qui nullatenus patiuntur : ergo alligatio non eſt pœna . *Sed contra* . Concedo , pueros haud pati pœnam ſenſus ; *nego* tamen alligationem non eſſe pœnam . Pueri , cùm priventur gloriâ utpote expertes gratiæ propter naturæ crimen , non autem perſonæ , ideo ſunt ligati ; quia ab aditu ad gloriam diſtracti . Sed hæc non eſt propria alligatio , cui ſunt obnoxii peccantes perſonaliter , qui a gloria ad præſtitutum tempus , vel æternum arcentur , ſimulque ſenſus pœnam ſuſtinent , ubi flammis ſubduntur in eos agentibus . Pueros non tangit pœna ſenſus ; quia hæc correſpondet converſioni ad bonum commutabile , cujus omnino ſunt illi inſontes , cùm peccaverint non propria voluntate , ſed Adami .

Quare Pueri non puniuntur pœnâ ſenſus.

DICES *tertiò* . Hæc alligatio , & depreſſio fieri poteſt per quodcumque elementum : ergo non eſt propria ignis . Sed quidquid ſit , voluit Deus hoc genere pœnæ animas afficere , & ideo hujuſmodi inſtrumentum aſſumpſit ; eſt enim ignis maximè ad dolorem efficiendum aptus , & congruens qualitati aduſtivæ divinâ virtute productæ , & etiam firmæ , fixæque illigationi , quæ aduſtionem ſequitur .

DICES *quartò* . Hæc qualitas coincidit cum illa , quam commentus eſt *Suarez* a Thomiſtis impugnatam : ergo . Reſpondeo : a *Suarez* ponitur qualitas fœdans per oppoſitionem ad gratiam , nullumque aliud munus præſtans . Nos verò qualitatem ponimus , quæ inſuper munus præſtat alligationis depreſſionis , &c. , neque per nos ea qualitas fœdat , ſed diſconvenit per modum caloris aduſtivi ſuperiùs explicatum . Item a Thomiſtis impugnatur ; quia deberet aliquid tollere a ſubſtantia ; nos autem ea D. *Thoma* jam oſtendimus non omnem qualitatem aduſtivam tollere aliquid de ſubjecto ; hujus autem generis eſt qualitas jam deſcripta , quæ ex objectis nullatenus infringitur , ſi modò ſalvam D. *Thomæ* auctoritatem velimus .

CON-

CONTROVERSIA III.

AN IN PURGATORIO DETUR POENA DAMNI.

ANimas in Purgatorio degentes Dei conſpectu carere, apud omnes in confeſſo eſt; inibi enim detinentur, utpote cœleſtis gloriæ aditu præpeditæ. Difficultas eſt, an hæc beatificæ viſionis privatio rationem habeat pœnæ, quam nuncupamus damni. Videtur autem id eſſe negandum; quandoquidem nos viatores beatifica hujuſmodi viſione deſtituti, haudquaquam dicimur affici pœnâ damni. Nihilo tamen ſecius

16 DICO: *Animæ purgantes patiuntur pœnam damni*. Concluſio eſt communis Doctorum, qui et aſſerunt pœnam hanc eſſe potiſſimam, multòque graviorem quaqua hujus ſeculi pœna. Omiſſis Patrum teſtimoniis, ſic arguo. Carentia boni debiti a Judice inflicta propter culpam habet rationem pœnæ propriè dictæ. Carentia autem viſionis beatificæ eſt hujuſmodi; nam ratione ſtatus, & ex natura ſua, viſio debetur animæ Juſti a corpore ſeparatæ; ac proinde negatio illius eſt privatio boni debiti. Eſt etiam a Judice inflicta ob culpam; quia Deus judicans in morte electos, needum perfectè purgatos, flammis piacularibus deſtinat juxta illud Matth. 5. v. 25. *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es cum eo in via: ne forte tradat te adverſarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro: & in carcerem mittaris.*

Privatio boni gignens triſtitiam eſt pœna.

Confirmatur. Carentia boni, quæ rationabilem inducit triſtitiam, ſi Judice infligitur ob commiſſum crimen, eſt pœna, & eò gravior, quò bonum eſt præſtantius. Sed carentia viſionis beatificæ utpote præſtantiſſimi boni, in purgantibus rationabilem inducit triſtitiam: ergo habet rationem pœnæ, & quidem graviſſimæ. *Minor explicatur*. Carentia boni vehementer exeupientem affligit. Sed animæ Purgatorii vehementer avent, & excupiunt beatitudinem, ad quam toto niſu contendentes retrahuntur ex propria culpa. Ergo eximiè dolent. Etenim afflictio, & dolor ſequuntur imeoſionem deſiderii; quæ tanta eſt, quantus eſt amor, quo in Deum feruntur, & ad menſuram magnitudinis boni, quo cognoſcunt ſe privari: actus hujuſmodi ſunt in iis puri, & valdè intenſi; & proinde pœna, & triſtitia eſt acerrima.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

17 OBJICIES 1. Sicut pœna ſenſus correſpondet converſioni ad bonum commutabile; ita pœna damni debetur averſioni a Deo. Sed in purgantibus non eſt averſio a Deo: ergo nec pœna damni. Major eſt D. Thomæ. *Probatur minor*. Vel purgantes detinentur propter reatum peccati mortalis, vel venialis; primum jam fuit remiſſum ante mortem, adeoque ablata eſt averſio; ſecundum non avertit a Deo: ergo.

RESP. *diſtinguendo*: pœna damni ſimpliciter talis debetur averſioni, *concedo*; ſecundùm quid, *nego maj.* Igitur pœna damni ſimpliciter talis, ſcilicet ſempiterna eſt propria

Pœna damni alia æterna, alia temporalis.

A damnatorum, & conveniens averſioni a Deo; pœna damni ſecundùm quid, ſcilicet temporalis, hæc non debetur averſioni, ſed reatui pœnæ. Unde S. *Thomas*, cùm dicit pœnam damni convenire averſioni a Deo, loquitur de pœna damni propriè dicta, quæ correſpondet privationi gratiæ ſanctificantis, non autem de pœna damni ad tempus deſtinata. Præterea ſufficit in peccato mortali, cujus reatus pœnæ remanet in Purgatorio, adfuiſſe *in fieri* averſionem a Deo, & in peccato veniali diverſionem, & carentiam extrinſecæ terminationis, ut puniatur pœnâ damni temporalis.

B 18 OBJICIES 2. Carentia boni, ut ſit pœna, debet eſſe involuntaria. Sed in purgantibus non eſt involuntaria: ergo non eſt pœna. *Prob. min.* Animæ in Purgatorio ſunt perfectè conformes divinæ voluntati: ergo voluntariæ ſuſtinent dilationem Beatitudinis: ergo non eſt illis involuntaria privatio gloriæ.

RESP. *nego min.*, *ad prob. diſt. ant.* Sunt perfecti conformes, & cum tali conformitate ſtat maxima triſtitia, *concedo*: aliter, *nego*. Chriſtus in Horto erat perfectiſſimè Deo conformis; attamen triſtis erat anima illius uſque ad mortem. Licèt ergo illa carentia ſit

C voluntaria, utpote libenter accepta; nihilominus eſt violenta, quatenus opponitur inclinationi, gratiæ, charitati, & deſiderio: gratia enim eſt fons aquæ ſalientis in vitam æternam, nempe tendens ad uniendam animam cum Deo; quæ cùm retardetur, inde ſequitur afflictio maxima.

19 OBJICIES 3. Purgantes habent ſpem firmam, & certitudinem Beatitudinis conſequendæ: ergo non triſtantur, dicente Paulo, *ſpe gaudentes*, & maximè, quia noſcunt hanc purgationem juſtam, & utilem fore.

Spes, quæ differtur affligit animam.

RESP. *diſt. ant.* habent ſpem, quæ tollat triſtitiam, *nego*, ſecus, *concedo*. Spes de

D Beatitudine non modò haud minuit, ſed exacuit dolorem. Prov. 13. v. 12. *Spes, quæ differtur, affligit animam*. Atque hoc evenit potiſſimè cùm bonum ſperatum enixè concupiſcitur, & ex propria culpa retardatur; ſicut in caſu noſtro contingit. Ubi animæ aſſiduè meditantur diſtractam ſibi gloriam eſſe ex culpâ; & ex Divinâ Juſtitiâ ſe haud poſſe ab hac meditatione mentem avertere, & gaudium capere a certitudine ſpei. *Paulus* verò, cùm dicit *ſpe gaudentes*, loquitur de Martyribus, aliiſque viris perfectioribus, qui Tyrannorum ſævitiem immeritò, ac pro-

Animæ continuò meditantur dilationẽ gloriæ.

E pter juſtitiam ferunt.

20 OBJICIES 4. Degentes in ſinu Abrahæ, & in Lymbo carent ob Adæ peccatum viſione beatifica; ſed hi non patiuntur triſtitiam: ergo neque illi, qui ſunt in Purgatorio: ergo carentia beatitudinis non eſt læſiva: ergo neque habet rationem pœnæ.

RESP. Aliqui aſſerunt, degentes in Lymbo, & in ſinu Abrahæ pati quidem triſtitiam, leviorem tamen pœnis hujus ſæculi. Sed *admiſſo antecedenti*, *negatur conſequentia*. Patres veteris Teſtamenti non detinebantur in ſinu Abrahæ propter culpam perſonalem,

Patres in ſinu Abrahæ nullam habebant triſtitiã; ſicut nec pueri in Lymbo.

ſed

ſed propter eatrioſecum impedimentum, Cœlo ſcilicet necdum aperto. Poeri autem in Lymbo, ſeu ubicunque detineantur, non mœrent; quia ſupernaturalis Beatitudinis ut ſibi debitæ cognitione carent: ſecus evenit animabus Purgatorii retardatis ex propria culpa, & optimè cognoſcentibus beatitudinem ſibi debitam.

21 OBJICIES 5. Carentia viſionis ſi haberet rationem pœnæ, deberet eſſe inæqualis juxta demeritorum inæqualitatem; ſicut beatitudo inæqualis eſt ob inæqualia merita; ſed carentia viſionis beatificæ eſt in omnibus æqualis, eſt enim privatio in facto eſſe, quæ non ſuſcipit magis, & minus; ergo.

RESP. *concedo maj.*, & *diſting. min.* Carentia beatificæ viſionis eſt in omnibus æqualis extenſivè, *concedo*, ſubjectivè, *neg. min.*

Carentia viſionis extenſivè æqualis, ſubjectivè inæqualis.

Quamvis carentia viſionis beatificæ extenſivè ſit privatio Dei totalis; in uno tamen ſubjectivè magis intenditur, quàm in alio, & habet latitudinem; quia in uno magis radicatur ob reatum pœnæ graviorem; & qui habet eam magis radicatam fortiùs dolet, cogitans id ex negligentia profectum, & ex majori culpa in ſatisfaciendo pro peccatis, vel ab illis non abſtinendo. Quòd autem privatio in facto eſſe habeat inæqualitatem ſubjectivam, patet exemplo privationis gratiæ, quæ extenſivè eſt eadem in omni peccatore; ſed in illo, qui habet plura peccata, eſt major propter majorem elongationem ab illa: ſic in noſtro caſu.

22 DICES. Si valet ratio concluſionis, ſequitur magis juſtum, & minoribus peccatis reum plus pati, & triſtari; quia vehementiùs amat Deum, & ordinatè appetit beatitudinem. RESPONDETUR ex hoc capite rectè probari illatum; ſed quia recogitat ſe minoris culpæ reum, majoremque ſibi gloriam deberi, citiuſque ſe Deo amato, & excupito potiturum; ideò attemperatur triſtitia ad reatus menſuram, minùſque affligitur.

CONTROVERSIA IV.

AN PURGANTIUM POENA DURET USQUE AD DIEM JUDICII.

Græci Schiſmatici docent animas eſſe in Purgatorio uſque ad diem Judicii.

23 SChiſmatici quidam ex Græcis aiunt neminem ante diem Judicii exſolvi, omnes detineri in cruciatu uſque ad reſurrectionem. Hoſce impugnat *Euſtratius* Presbyter Conſtantinopolitanus apud *Allatium* de Purgatorio, cui errori anſam præbuit *Origenes* Homil. 14. in Lucam: *Ego puto, quod & poſt reſurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos, atque purgante; nemo enim abſque ſordibus reſurgere poteſt.*

Error Origenis.

Errorem hunc unà cum pluribus aliis inſolenti calamo tutatur quidam *Thomas Anglicus* in lib. de medio ſtatu anim. Londini impreſſo; ubi diſtinguens morientes in peccato veniali, (quod conſtituit in quodam conditionato affectu hactenus inaudito) a morientibus in mortali, primos aſſerit in eo ſtatu medio, qui Purgatorium dicitur, uſque ad diem Judicii detentum iri.

Alius error Dominico a Soto attributus.

24 Ex adverſo conflatur error *Dominico a Soto* attributus in 4. *Sentent. diſtinct.* 19. *q.* 3. *art.* 2., ubi ſentit ultra decennium neminem in Purgatorio manere; quæ pietas inaniſſima eſt tum contra Eccleſiæ praxim, ut ſuffragia pro defunctis ultra decennium offerantur: tum contra probatiſſimas animarum apparitiones, quæ ſupra id tempus piacolari carcere tenebantur. Miſſa igitur hac opinione, præcipuum in hac difficultate nodum exſolvam.

Ultra decennium poſſunt detineri in Purgatorio animæ fidelium.

25 Poſt diem Judicii, nullum fore Purgatorium ſuppono cum *Auguſtino* lib. 21. de Civit. Dei c. 16. *Purgatorias pœnas nullas futuras opinetur, niſi ante illud ultimum, tremendumque judicium.* Et ratio eſt; quia teſte Scriptura *Matth.* 23., die Judicii omnes finaliter judicabuntur; adeoque Juſti perpetuæ Beatitudinis ſententiam recipient; reprobi verò in æternum apud Inferos relegabuntur. Quòd ſi aliquis ante diem reſurrectionis perfectè purgatus non eſſet, majori pœnarum intenſione, ſed minori temporis ſpatio a Deo emundabitur.

Qui ante diē Judicii non eſt perfectè purgatus, intenſiori pœna purgabitur.

26 Suppono *ſecundò*, aliquos uſque ad Judicii diem detinendos fore, de quo habemus plures revelationes apud *Bedam* lib. 5. Hiſt. Anglic. cap. 13., apud *Dionyſium Carthuſianum* in Dial. de Judicio particulari; & nota eſt revelatio de *Innocentio* III., qui patrocinio Deiparæ, cui Templum dedicaverat, æterno ſupplicio prærepeus, uſque ad diem Judicii Purgatorio addictus eſt. Quæ hiſtoria an vera ſit, viderint alii; ſufficit eam pro ſtatu controverſiæ innuiſſe. Difficultas in eo vertitur, an omnes uſque ad præſtitutum diem detineantur in Purgatorio, ſicuti primæ opinionis tenent.

Aliqui detinendi in Purgatorio uſque ad diem Judicii.

27 DICO. *Non omnes detenti in Purgatorio ibi erunt uſque ad Judicii diem.* Eccleſia ita ſuffragiis, & Indulgentiis defunctorum animas juvat, ut doceat eas a pœnis liberari. Ergo non omnes uſque ad diem Judicii ibi detinentur. *Ant. patet*; ſic enim defunctos adjuvat Eccleſia, ut a Deo petat eos Purgatorio liberandos: ad hoc elargitur plenarias Indulgentias, quæ omnia in irritum caderent, ſi ante diem Judicii a ſuppliciis educi haud poſſent.

Preces Eccleſiæ docēt aliquos ante diē Judicii a pœnis liberari.

28 PROBATUR *ſecundò*. Juſtitia Dei non excedit æquitatis jura. Sed ſi omnes detinerentur uſque ad finalem diem excederet jura æquitatis. Ergo. *Minor declaratur*. Jura æquitatis petunt, ut qui inæqualiter peccaverint, inæqualiter puniantur. Sed qui ſunt in Purgatorio, non æqualiter omnes peccaverunt. Ergo non ſunt æqualiter puniendi. Sed æqualiter punirentur, ſi omnes detinerentur uſque ad diem Judicii. Ergo. *Minor. ſupplicatur*. Pœna illa quoad intenſionem eſt finita; ideoque omnes æqualiter afficeret, ſi eadem omnium eſſet duratio. Præterea (& hinc ſolve, quod objici poteſt) fundans intenſionem cùm ſit intenſivè inæquale; ideo animæ inæqualiter puniuntur. Sed etiam fundans durationem eſt inæquale; ergo etiam duratione inæqualiter puniuntur. *Min. oſtenditur*. Intenſio pœnæ correſpondet quantitati culpæ: duratio correſpondet radicationi in ſubjecto, ut egregiè D. Thomas 4. *Sent. diſt.* 21. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 3. *quæſtiunc.* 1. Sed radicatio peccati

Qui inæqualiter peccant, inæqualiter debent puniri.

peccati in ſubjecto eſt inæqualis; ergo fundans durationem pœnæ eſt inæquale. Hoc complectitur argumeutum *Auguſtinus* Homil. 16. in libro 50. Homiliarum: *Nam quanta fuerit peccati materia, tanta erit tranſeundi mora; quantum exegerit culpa, tantum ſibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationalis diſciplina.*

29 PROB. 3. Materia, quæ igne comburitur piaculari, juxta Apoſtolum loco citato *eſt lignum, fœnum, ſtipula*. Sed ignis inæquali duratione conſumit lignum, fœnum, & ſtipulam; nam diutiùs immoratur in ligno, quàm in fœno, & ſtipula: ergo inæquali duratione defunctorum animæ puniuntur. Ergo non æqualiter omnes detinentur uſque ad diem Judicii. Planè Sancti Patres ſuprà allegati, ſicut inæqualitatem colligunt venialium ex hoc teſtimonio; ita inæqualitatem pœnarum in duratione, & intenſione. Hoc ipſum probavit *Origenes* Hom. 14. in Levit., ubi ad textum Pauli: *In quo manifeſtè oſtenditur eſſe quædam peccata ita levia, ut ſtipulæ comparentur, cui utique ignis illatus diu non poteſt immorari: alia verò fœno eſſe ſimilia, quæ ipſa difficulter ignis abſumat, verum aliquanto tardiùs, quàm in ſtipulis immoratur: alia verò eſſe, quæ lignis conferantur, in quibus pro qualitate criminum diutinum, & grande pabulum ignis inveniat.*

Ignis inæqualiter conſumit lignum, fœnum, & ſtipulam.

30 PROB. 4. Locus Purgatorii eſt carcer, a quo quis exit ſoluto debito juxta illud Matth. 5. v. 25. *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te adverſarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro: & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Sed plures ante diem Judicii, ſolvunt debitum reatus pœnæ; ergo inde plures exeunt. *Minor declaratur*. Finge virum Sanctum mori cum reatu venialium, cui conveniat intenſio pœnæ ùt quatuor: alter cum reatu plurium mortalium dimiſſorum, & venialium, cui debita ſit pœnæ intenſio ùt decem; uterque patiendo quotidie in Purgatorio, aliquid exolvit de debito v. g. dimidium dimidii pro quolibet anno, maximè accedentibus ſuffragiis. Si enim nulla foret debiti remiſſio ex quotidiano cruciatu, non eſſet locus ſolutionis, neque pœna eſſet injuncta ad ſatisfactionem: ergo decurſu, puta, triginta annorum, Vir Sanctus extinguit intenſionem debiti ùt quatuor: ergo totus reatus extinguitur; extincta enim tota intenſione, & radicatione formæ in ſubjecto, forma deſinit. Adde revelationes apud *Bedam*, & alios apud *Bellarminum*, quibus patet frequentes animas exire in diem pœnis abſolutas propter ſuffragia a viventibus oblata.

Inæqualitas pœnæ importat inæqualē durationem.

SOLVUNTUR SCHISMATICORUM ARGUMENTA.

31 OBJICIES 1. Nullus exit a Purgatorio, niſi perfunctus ſolutione debiti; ſed ante diem Judicii nullus perfectè defungitur: ergo nullus exit ante diem Judicii. *Minor prob.* 1. ad Corinth. 3. v. 13. Die Judicii ignis purgabit opus cujuslibet: dicit enim Apoſtolus: *Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit*: ergo ante diem Judicii nullus complet ſatisfactionem: ergo qui cadunt in Purgatorium, ibi detinentur uſque ad extremum diem.

RESP. *neg. min.*, & ad probationem omiſſa explicatione in hoc Tract. *Part. I. Controv. III. n.* 84., *& ſeq.*, reſpondeo diem Domini eſſe diem mortis juxta illud 1. Theſſalonicenſes 5. v. 2. *Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet*; & 2. ad Timoth. 4. verſ. 8. *Quam reddet mihi Dominus in illa die*. Dies verò mortis declarat, quale opus ſit; tunc enim quiſque ſingillatim peracto examine judicatur. Ignis cujuſque opus probat; nam ignis virtute eluceſcit qualitas operis. Si bonum undequaque eſt, & dignum vitâ, igne intactum evadet. Sin malum, & æviterno dignum ſupplicio, igne experimentum fiet; opus enim, & operantem immortalis abſumet flamma. Si verò improbum quidem opus, ſed non perenni cruciatu mulctandum; ignis oſtendet, quem abſumpto opere ſoſpes, & incolumis tandem effugiet idem operans tranſeundo per ignem, hoc eſt patiendo ab igne tranſitorio; qui utpote magis, minuſve ad comburendum ſtipulam, fœnum, lignumque idoneus, haud æque durabit in ſingulis uſque ad noviſſimum diem.

Dies Domini eſt dies mortis.

Ignis quomodo probat animas.

32 OBJICIES 2. Ante diem Judicii, nullius integra eſſe poteſt ſolutio; ergo nullus ante illum diem è Purgatorio evadet. *Probatur ant.* Ante diem Judicii corpus non patitur. Niſi verò & ipſum corpus emundetur, quod fuit organum peccati, & inordinatè in ſenſibilibus delectatum, non erit integra ſolutio.

RESPONDEO *negando antecedens*. Ad probationem dico: etſi corpus ſit organum peccati; ratio tamen malitiæ formalis in ſola anima conſiſtit, quæ culpæ eſt principalis cauſa. Eaquepropter cùm ipſa peccaverit ſubjiciendo ſeſe corpori ad voluptatem; ita mulctatur per ſubjectionem igni corporeo affligenti: nec corpus erit pœnæ expers, qualis eſt incineratio, & ſepultura.

Formalis malitia peccati in ſola anima.

33 OBIJCIES 3. Omne receptaculum alterius vitæ cum intenſiva inæqualitate ſervat æqualitatem durationis: ergo etiam Purgatorium. *Antecedens oſtenditur inductione*. In ſinu Abrahæ ſtabat inæqualitas meritorum: attamen omnes detenti fuere uſque ad Chriſti mortem. In Inferno adeſt inæqualitas demeritorum, & æqualis duratio; ſic in Cœlo; ergo.

RESPONDEO *neganda paritatem*. In Inferno degentes immobiliter perſeverant in privatione gratiæ; & ideò etiam immobiliter perſiſtent in privationa Dei. Beati immobiliter perſeverant in charitate, ac gloria.

Sinus

Purgatorium eſt locus ſolutionis.

Sinus Abrabæ Patres detinuit extrinſeco impedimento, cùm Cœlum eſſet clauſum; quod modò quotidie patet clectis. Purgatorium eſt locus ſolutionis debiti, quod cùm inæqualiter ſolvant, inæqualiter liberantur.

34 OBJICIES 4. Ideò non omnes detinentur uſque ad diem Judicii; quia non ſalvaretur Divina Juſtitia: ſed optimè ſalvatur: ergo. *Probatur. minor*. SI minuatur pœnæ acerbitas in habente minora peccata, ſtat æqualitas Juſtitiæ, etiamſi duratio ſit æqualis; ſicuti adaucta pœnarum intenſione, ſtat æqualitas Juſtitiæ, tametſi duratio ſit inæqualis: ùt patet in iis, qui prope diem Judicii in Purgatorium delapſi, diuturnitatem penſabunt acerbitate ſupplicii.

Ordo juſtitiæ importat inæqualitatem in duratione.

RESP. *nego min.* Ex revelatis Divina Juſtitia in puniendo rerum exigentiæ accommodat ſeſe. Cùm pœna Purgatorii ex utraque parte durationis, & intenſionis ſit finita, & peccata purgantium ſint inæqualia non modò in quantitate peccati, cui correſpondet pœnæ acerbitas, verùm etiam ex parte radicationis in ſubjecto, quam reſpicit duratio; hinc ſit, ut ex parte utrâque debeat ſecundùm juſtitiam minui. Quod ipſum congruit charitati, qua Deus amicos ſuos ibi detentos diligit; & aliàs notabiliter creſceret pœna damni in omnibus, qui ſe excluſos ſcirent uſque ad diem Judicii a Cœleſti Beatitudine. Minuitur ergo reatus quoad intenſionem ſimul, & durationem. Nec officit intenſio pœnæ in morientibus proximè ad diem Judicii; militat enim ſpecialis ratio ad hoc aſſerendum, ſcilicet ablario Purgatorii poſt Judicium; quamobrem major acerbitas compenſet diuturnitatem.

35 OBJICIES 5. Haod aliter ſe habent detenti in Purgatorio a Chriſti morte uſque ad diem Judicii; atque ab initio Mundi uſque ad Chriſti mortem, & ſepulturam. Sed a principio Mundi uſque ad Chriſtum, nullus è Purgatorio emerſit, omneſque inibi fuere in triſtitia, utpotè in privatione gloriæ: ergo itidem a Chriſto uſque ad Judicii diem.

In lege veteri animæ poſt purgationem ad ſinũ Abrahæ tranſibãt, & nunc in Cœlum.

RESP. *neg. min.* Ab initio Mundi uſque ad Chriſtum, animæ perfectè mundatæ emigrabant in ſinum Abrahæ, ubi conſolabantur, ùt de *Lazaro* dicitur; licèt aliquali afficerentur triſtitia ob dilationem gloriæ perſonaliter minimè culpabilem. Potiùs nobis arridet paritas; nam expiatione defuncti cùm modò nequeant ad ſinum Abrahæ, debent omninò patefactas jam Cœli portas inſcendere.

36 OBJICIES 6. Carceri incluſus non exſolvitur abſque decreto Judicis, etiamſi jam ſupponatur lata prior ſententia. Ergo nullus exit è Purgatorio abſque nova Judicis ſententia. Sed poſt ſententiam Judicii particularis, non datur alia niſi Judicii univerſalis: ergo uſque ad illud tempus purgantes carceri includuntur.

Non requiritur duplex ſententia ad liberationem.

RESP. Non ſemper ad finiendam pœnam a Judice præſtitutam nova eſt opus ſententia, ùt in pœna exilii ad decennium, quo exacto, proſcriptus, quin placitum Judicis expectet, in patriam redit. Satis ergo eſt, conſtitutam a Deo fuiſſe in particulari Judicio durationem, & qualitatem purgationis, quâ peractâ in Paradiſum ilicèt Angeli animam traducent.

CONTROVERSIA V.

AN DOEMONES TORQUEANT PURGANTIUM ANIMAS.

QUæſtio hæc, an Dœmones inſerviant Deo tanquam miniſtri in torquendis animabus, cùm nullum habeat ſolidum fundamentum in Scriptura, vel traditionibus, procedit ex principiis congruentiæ cum qualitate loci ejus comparatis.

Qui de aliquo triũphavit, illi non debet ſubjici.

37 DICO: *Electi in Purgatorio a Dæmonibus non torquentur*: Probatur concluſio primò ratione D. Thomæ 4. *ſent. diſtin.* 21. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 5. Incongruum eſt, ut qui de aliquo triumphavit, ei ſubjiciatur poſt triumphum. Sed animæ electorum Purgatorio addictæ de Dæmonibus triumphaverunt. Ergo incongruum eſt, ut illis ſubjiciantur ad pœnam.

Cives Sanctorum, & filii Dei non debent a Dæmonibus torqueri.

38 *Secundò*. Non convenit, ut filii Dei, & concives Sanctorum a tam indignis miniſtris torqueantur; quanquam enim purgantes animæ aliqua pœna dignæ ſint, decor tamen ipſarum petit, ut cum honore emendentur.

Dæmones ſunt valdè ſuperbi, & invidi.

39 *Tertiò*. Non eſt rationi conſonum, ut Dœmones lætentur, & exultent ſuper electis, a quibus fuerunt depreſſi; ſed Dœmones lætarentur, & electis inſultarent: ergo. *Explicatur:* Dœmones ſuperbi, invidique, cùm in tentatione repelluntur, dolent, fremunt, & niſi a Deo continerentur, juſtos contrucidarent. Si ergo Deus ipſos Dœmones in electorum purgantium tortores deſtinaret, profectò lætarentur, ſuamque explerent iram.

Non eſt aſſignabile, quomodo Dæmones animas torqueant.

40 *Quartò*. Non apparet, quomodo Dæmones defunctos torqueant: ergo non eſt credibile ab illis puniri. *Ant. oſtenditur*: vel torquent medio igne, vel aliis actionibus: non igne; hic enim a ſolo Deo in animas ſeparatas accendi poteſt, nec ab alio indiget applicari, aut nutriri pabulo, nec ut in eo detineantur: tum quia qualitas alligativa ſufficienter detinet: tum quia ſpontè ibi animæ degunt utpote divino beneplacito obſequentiſſimæ. Neque eaſdem alio quoquam modo ab oſcenis Spiritibus vexari putem, horrido aſpectu, convitiis, blaſphemmiis; quia ex hoc potiùs ſolatium caperent illæ recogitantes, quàm feris beſtiis æternùm ſubditæ fuiſſent, ſi impuris earum ſuggeſtionibus aliquando geſſiſſent morem.

Neque Angeli boni affligunt animas.

41 Quid autem de bonis Angelis ſentiendum? D. *Thomas* loco citato contrarium docet. Moleſtum eſſet Angelis tam graviter ſævire in ſuos propediem futuros concives, quos maximoperè diligunt. Sed Deus non infert moleſtiam Angelis bonis: ergo ipſorum operâ nequaquam utitur in tormentis animarum. Deinde non eſt è dignitate Ordinis Angelici, tortoris miniſterio fungi. Rurſus iiſdem electorum animabus improbum foret ab amicis torqueri, abs quibus opem, & ſolatium ſperant, & accipiunt.

AD-

ADVERSARIORUM OBJECTIONES SOLVUNTUR.

42 OBJICIES 1. Æquum eſt, ut animæ iu pœnis eos habeant tortores, quos incentores habuerunt ad culpam; ſed animæ inceutores habuerunt Dœmones: ergo. *Maj.* habetur ex axiomate: *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*. Minor declaratur. Qui ſuut in Purgatorio puuioutur vel ob reatum culpæ mortalis, vel venialis. Ad utrumque Dœmones incitant primariâ intentioue ad grave, ſecundariâ ad leve; nam quoquomodo poſſuut, hominibus malum, Deo offeuſam inteudunt: ergo.

RESP. Majorem veram eſſe de reprobis, ſecus de electis. Ratio eſt; quia primi per peccatum mortale dediti ſunt Dœmonibus: electi verò, ſi venialiter tantùm deliqoeriut, Deum ſuum nou dereliqoerunt; ſi verò aliquando mortaliter; per pœniteutiam a Dœmonibus receſsére, & ad Deum ſunt reverſi; quorum propterea jugo liberati neutiquam ſuut iiſdem tanquam triumphantibus ſubdeudi.

Electi non debent tradi Dæmonibus.

43 OBJICIES 2. Non miuùs in hac vita, quàm in altera purgantur electi; ſed iu hac vita tribulatioue per Dœmoues purgantur; ergo etiam in alia.

RESP. In hoc ſeculo nou tam pugnamus, qoàm exerceemur; eſt enim ſtatus loctæ, & pugnæ, & incerta victoria ex parte juſti; adeoque uou repugnat a Dœmonibus impognari, cum quibus eſt nobis colloctatio, ùt docet Apoſtolus *ad Ephes. 6.*, quæ in utilitatem meriti, & præmii victoribus cedit: ſecus accidit in purgantibus, quibos pœna non eſt utilis ad meritum, ſed pura debiti ſolotio, qui cùm jam certò hoſtem vicerint, indignè ſubderentur victis.

Non eodĕ modo purgantur electi in hoc ſeculo, ac in alio.

44 OBJICIES 3. Ejuſdem rationis, demptâ æternitatis duratioue, eſt pœna Inferni, ac Porgatorii, idemque locus, penes accidentalem differentiam inferioris ſitus, & ſoperioris: ſed pœna Iuferni aute diem Judicii a Dœmonibus iuſligitur: ergo etiam Purgatorii. *Prob. min.* Primò ad Dœmoues ſpectat miniſteriom iræ Dei, utpote viles, abjectos, & crudeles: ſed in Inferno eſt ira Dei. Pſal. 77. v. 49. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ*: ergo. *Secundò* Dœmon eſt Priuceps impiorum juxta illud *Joan.* 14. v. 30: *Venit enim Princeps Mundi hujus, & in me non habet quidpiam*: & Apoſt. *ad Ephes. 6.* vocat eos Principes tenebrarum; ſed damnati ſout maximè impii; ergo. *Tertiò* in hoc ſeculo Dœmones torquent malos, ubi non eſt deſperata ſalus, ſicut habemus 1. Reg. 16. v. 14. *Spiritus autem Domini receſſit a Saul, & exagitabat eum Spiritus nequam*; ergo a fortiori iu ſeculo damnationis, ubi eorum dominium aufugere haudquaquam poſſunt.

RESP. Nou eſt ejuſdem adæqoatæ rationis pœna Inferni, ac Purgatorii etiam demptâ duratione; quia nou datur identitas perſonarum. In Inferno ſob dominio Dœmonum ſunt; quia victi a Dœmouibus fuere: iu Purgatorio autem ſunt filii Dei, Sanctorum concives, Diaboli triumphatores, adeoque incongruum eſt his ſubjici ad pœnam. An verò poſt judicium a Dœmonibus torquendi ſint damnati, reſpondetur negativè; quia 1. *ad. Corinth.* 15. *v.* 24. ſatis innuitur, quòd in die Jodicii finem habebit Dœmonia poteſtas. Uude ſicut homines nou punient Dœmoues illos ſobjugando; ita econtra: ſed ſimul erunt in tormentis deſperati. Hoc infra magis eluceſcet.

Diverſitas inter eos, qui ſunt in Inferno, ac in Purgatorio.

45 OBJICIES 4. Non poteſt negari in animabos Purgatorii aliqua ſobjectio Dœmonibus: ergo. *Prob. ant.* Dœmones illis iu obitu aſſiſtunt, ut rapiant, trahantqoe ad Purgatorium, qoò cæteroqui ire, utpote in locum pœnarom animæ reluctantor.

RESP. *nego ant.* Equidem morientibus adſtant Dœmones; tuue enim lucta eſt vehementior; ſed falſum eſt eas trahi ad Purgatorium, quò ſpontè volant conformes divinæ voluntati, & ea ſpe certa beatitudinis conſequendæ, ubi poſſunt impedimentum amovere, & eum hac conformitate, ùt dixi, ſtat ratio involuntarii, & pœnæ.

Non deducitur ad Purgatorium per Dæmones.

46 OBJICIES 5. Deum, nec Angelos bonos decet torquere purgantes: ergo ad Dœmones ſpectat. *Ant. prob.* Sævire in amicum vile, & crudele miniſterium eſt. Ergo non decet nec Deum, nec Angelos, qui Juſtorum animas diligunt; ergo ſpectat ad Dœmones.

RESP. *neg. antec.* Deus puuit, ùt Judex deffiniens per modum Imperii, cui tota natura ſubditur; in hoc aotem maxima eſt dignitas, cùm ad divinam excellentiam ſpectet operatio juſtitiæ, quòd eſt attributum cæteris æqoale: Angelis verò & indecorum, & durum eſſet ejuſmodi miniſterium.

Deus medio igne torquet animas.

Poſſent afferri revelationes animarum, quæ a Dœmouibus torquebantur; ſed intelligendum eſt id contingere de via extraordinaria. Vide infra Par. III. Controv. III. num. 42.

TERTIA PARS.

DE STATU PURGATORII.

CONTROVERSIA I.

AN SOLI JUSTI AD PURGATORIUM DESCENDANT.

1 HActenus contra eos, qui Purgatorium de medio tollunt, & ad fabulas projiciunt, tanquam inane hoc ignis expiatorii terriculamentum, quo dictitant nihil aliud ardere, nihil ebullire, præter ollas, cacaboſque Papiſtarum. Jam modò eſt aliquid dicendum adverſus eos, qui Purgatorio nimiùm faventes, illud extendunt etiam ad reprobos ita, ut aſſerant lethali etiam peccato coinquinatos poſſe igne purgatorio emundari: quamobrem negant ipſi æterna Inferni ſupplicia; ſicut alii ex adverſo temporalia negabant.

Errores circa illos, qui deſcendunt in Purgatoriū.

Igitur ad Purgatorii ſtatum omnino ſpectat perſonarum qualitas, quæ illuc releganтur: qua in re multimodi verſantur errores. *Origenes* apud *Epiphanium* Epiſt. ad *Joannem* Jeroſolymitanum in Purgatorio collocat etiam Dæmones, quos ait ſalvandos. Alii omnium hominum pœnas ſtato tempore finiendas cenſuere: alii ſolùm Baptizatorum, utcumque ſint Hæretici: alii etiam in peccato morientium: eorum denique omnium, qui peractâ eleemoſynâ vitam flagitiis utcunque graviſſimis exegerint: quos errores impugnat Auguſtinus *lib.* 20. *de Civit. Dei cap.* 23. *ad* 27. Ejus ego veſtigiis inhærens.

Sola juſtorū pœnæ ſunt purgatoriæ.

2 DICO. *Solummodo pœnæ Juſtorum purgatoriæ ſunt*. Prob. concluſio. Eorum pœnæ non ſunt purgatoriæ, quorum nunquam finem habebunt. Sed ſolummodo Juſtorum pœnæ finem habebunt. Ergo ſolummodo Juſtorum pœnæ purgatoriæ ſunt. *Min. oſtenditur*. Illorum pœnæ finiuntur, quibus Judicii die dicit Dominus Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum Regnum vobis a conſtitutione Mundi*. At ſolis juſtis ſtantibus a dextris hæc dicet Dominus: ergo. *Prob. ant.* Illis dicet, *poſſidete Regnum*; ſed iſti ſolummodo Juſti ſunt: ergo. Subdit enim Scriptura: *& ibunt hi in ſupplicium æternum: Juſti autem in vitam æternam*. v. 46.

Explicatur ex oppoſito. Hominum malorum quorumcumque, & etiam Dæmonum pœnæ nunquam deſinent. Ergo ſolummodo pœnæ Juſtorum ſunt temporales. Ant. habetur ibidem v. 41. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus*; & in fine ſubdit; *& ibunt hi in ſupplicium æternum*. Ecce quomodo homines æquè, ac Dæmones tradit Deus igni ſempiterno. Similiter Apoc. 20. v. 9., & 10. *Diabolus, qui ſeducebat eos miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi beſtia, & pſeudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in ſecula ſeculorum*. Hic etiam ponuntur mali homines, & angeli ma-

Damnati puniuntur in æternum.

li: ubi advertendum mirum prorſus *Auguſtini*
A acumen; ſcilicet æternum dici ſupplicium malorum, & præmium bonorum: ſed præmium bonorum ita æternum dicitur, quòd finem nunquam ſit habiturum: ergo ſupplicium ita æternum dicitur, quòd nunquam finietur.

Confirmatur. Si alicujus hominis mali pœna aliquando ceſſaret, maximè peccatoris baptizati; ſed hoc eſt apertè falſum: ergo nullius reprobi pœna eſt purgatoria. *Probatur min.* pluribus, clariſque Scripturæ teſtimoniis: Iſajas 66. v. 24. loquens de lege nova
B ait: *Et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati ſunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Marc. 9. v. 42. de ſcandalizantibus pupillos credentes habetur. *Et ſi ſcandalizaverit te manus tua, abſcinde illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem:* & ſicut advertit *Auguſtinus* ter idem repetitur, ne ignorantiæ, & errori detur locus. De malis fidelibus univerſaliter Matth. 3. v. 12. dicitur: *Paleas autem comburet igni inextinguibili*. 1. ad
C Corinth. 6. v. 9. Fidelibus ſcribit Apoſtolus, cùm dicit: *Nolite errare: neque fornicari, neque Idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures* &c. *Regnum Dei poſſidebunt*. Ad Galatas 5. v. 19. *Manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui
D talia agunt, Regnum Dei non conſequentur*; & ad Epheſios 5. verſ. 5. enumeratis iſtis, aliiſque vitiis ait: *non habet hæreditatem in Regno Chriſti, & Dei*. Si ergo Regnum Dei non poſſidebunt, dicit *Auguſtinus*, utique ſemper in ſuppliciis erunt.

CONFIRM. *ſecundò*. Si Fidelium pœnæ finiuntur, & ſalvantur, maximè qui aliqua pietatis opera exercuerunt. Sed hoc non ſufficit ad ſalutem. Ergo ſolùm Juſtorum eſt gloria æterna, ac proindè ſolummodo ipſorum pœnæ ſunt temporales. *Minor declaratur*. Fides ſine operibus mortua eſt apud *Jacobum*;
E tunc autem Fides operatur, quando Deum diligit, ùt teſtantur *Paulus*, & *Joannes*: Qui non diligit, manet in morte. Ergo ut opera, & fides vivant, debent cum Dei dilectione conjungi: ſed plurimi fideles quædam opera exercent abſque charitate Dei: ergo non vivunt: ergo non debetur illis vita æterna, quæ dilectionis eſt fructus. Hinc *Paulus* ad Corinth. 1. cap. 13. v. 3. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*;

Qui non facit opera un charitate, non habebit vitā æternam.

deſt ; ſi nihil prodeſt , utique ad gloriam non prodeſt . Ulteriùs ex Evangelio : *Si vis ad vitam ingredi , ſerva mandata* : hoc dicitur , ut intelligamus ad ſalutem non ſufficere unam , vel aliud præceptum adimplere, ſed omnia ; ſicut non ſufficit aliqua bona opera fidei exercere , niſi de peccatis commiſſis agatur pęnitentia, dicente Domino Luc. 13. v. 5. *niſi pænitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis* . Ad ſalutem igitur neceſſaria eſt perſeverantia in juſtitia , & ſanctitate ; ſcriptum eſt enim , *qui perſeveraverit uſque in finem , ſalvus erit* .

3 DICES . Hæc ad terrorem exaggerantur ; cæterùm ad ſalutem impiorum miſericordia ſuperexaltat judicium .

Si in Scriptura admittimus mendacia , ruit firmitas fidei , & ſpei .

Hæc reſponſio ſonat impietatem . Semel admiſſo (ùt animadvertit *Auguſtinus* ad *Hieronymum*) mendacio in Scripturis utcunque officioſo , labitur ipſarum auctoritas : nil certi reliquum eſt : nulla ſpei firmitas , nulla fidei . Si Scriptura loquitur non ad veritatem , ſed ad terrorem , certè mentitur , ac fallit . Statim corruit ſimul ſpes noſtra . Nam ſi quæ ſcripta de impiis fuere , interpretamur ad augendam terrificationem ſcripta ; cur non etiam , quæ de præmio Juſtorum tradita ſunt , intelligamus ita tradita , ut blandiente mendacio ad virtutem alliciamur ? Hujuſmodi præpoſteri interpretes increpandi ſunt , qui ut Deum faciant miſericordem , fallacem faciunt .

HÆRETICORUM ARGUMENTA SOLVUNTUR .

4 OBJICIES 1. Apud *Auguſtinum* de Civit. Dei lib. 21. cap. 11. Pęna , ut juſta ſit , debet delicto commenſurari . Deuter. 25. v. 2. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus* . Sed omne peccatum ab homine commiſſum fuit temporale : ergo nullum debet æternùm puniri . Et ſanè veritas non conſtat verbo Chriſti , *in qua menſura menſi fueritis , remetietur vobis* . Matth. 7 v. 2. , ſi delectatio brevis punitur ſupplicio ſempiterno .

Explicatur . Ex lethalibus peccatis unum ſi fuerit altero majus , debet magis puniri ; ſed nulla eſt pęna major æternâ : ergo puniri debet leviùs , pęnâ ſcilicet minori , quàm ſit æterna : ergo nullum punitur pęnâ æternâ . *Prob. hæc conſeq.* Nullum eſt peccatum , quod tantum ab alio diſtet , quantum diſtat infinitum a finito : ergo ſi unum peccatum punitur pęnâ minori , quàm ſit æterna , nullum omnino debet æternâ pęna puniri ; aliàs unum peccatum diſtaret ab alio , ſicut finitum ab infinito . Quòd unum peccatum leviùs alio puniatur , docet Chriſtus Luc. 10. verſ. 14. *Veruntamen Tyro , & Sidoni remiſſius erit in judicio , quàm vobis* .

Pęna debet delicto commenſurari.

RESPONDETUR . Verè pęna , ut juſta ſit , debet delicto coaptari ; ſed hæc commenſuratio non reſpicit durationem . Pęnâ carceris , triremis , exilii , mortis punitur delictum uvis momento temporis perpetratum . Non ergo juſtitiæ leges violat Deus , ſi temporali delicto æternum infligit ſupplicium . Ratio eſt ; quia pęna correſpondere debet gravitati culpæ ſecundùm ſe ; cùm autem peccatum ſit Dei offenſa , averſio a ſummo bono , ponens ultimum finem in creatura , & ex vi ſua immobiliter (excludit enim principium reſurgendi , quod eſt gratia) ; ideò juſtiſſimè ſempiterno cruciatu damnatur ; nec in duratione unum alio mitiùs punitur , ſed in acerbitate , & intenſione : undè ſervabitur proportio pęnæ ad culpam . Illud verò *in qua menſura menſi fueritis* , non attenditur ſecundùm tempus , ſed ſecundùm viciſſitudinem mali ; hoc eſt , qui malum alteri intulit , malum patietur . Quoniam ergo in peccato mortali morientes immobiliter manent in malo ; ideò omnes manet pęna immobilis , & æterna .

5 OBJICIES 2. Apud eundem ibidem cap. 24. Nullus damnabitur , pro quo efficaciter orant Sancti ; ſed in die Judicii Sancti efficaciter orabunt pro damnatis : ergo omnes ſalvabuntur . *Minor declaratur* . Sancti oraverunt in hoc ſeculo pro inimicis ſuis juxta Domini mandatum , & pro peccatorum ſaluta : ergo a fortiori orabunt in Cęlo , ubi majori ardent charitate ; & quidem efficaciter orabunt , ſiquidem exaudiet illos Deus , cùm ſint dilecti valdè : ergo .

Nullus Sanctus orabit in judicio pro damnatis .

RESP. Nullus Sanctorum pro damnatis orat , nec orabit unquam pro iis , quorum nulla eſt redemptio . Neque mos unquam Eccleſiæ fuit , ut pro damnatis oraret , teſte *Auguſtino* ibidem : *Denique , ſi de aliquibus , ita Eccleſia certa eſſet , ut qui ſint illi , etiam noſſet , qui licèt adhuc in hac vita ſint conſtituti , tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum Diabolo : tam pro eis non oraret , quam nec pro ipſo* . Si autem Sancti in die Judicii orabunt , & omnes ſalvabuntur , quomodo prolata Judicis ſententia poſſet dici : *Ibunt hi in ſupplicium æternum ?*

6 OBJICIES 3. Apud eundem cap. 24. *Deus in æternum non projiciet , nec in finem miſericordiam ſuam abſcindet a generatione in generationem , nec obliviſcetur miſereri Deus , nec continebit in ira ſua miſericordias ſuas* : ùt clarè habetur Pſal. 76. verſ. 9. 10. . Sed ſi in malos ſæviret æterno cruciatu , & projiceret eos in æternum , abſcinderet miſericordiam in finem , & obliviſceretur miſereri , & in ira ſua miſericordias ſuas contineret : ergo . Quibus illud *Pauli* conſonat ad Romanos 11. v. 32. *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate : ut omnium miſereatur* . Si omnibus miſeretur , nullum æternaliter damnat .

In præſenti iraſcitur Deus , ſed miſericordiam non abſcindit .

RESP. ſenſum Prophetæ eſſe de hominibus in ſtatu pœnitentiæ degentibus , in quos ita Deus iraſcitur , ut miſericordiam non abſcindat ; quia Solem ſuum oriri facit ſuper bonos , & malos , omnibuſque auxilia impertitur ad reſurgendum . Hæc legitima textus intelligentia patet ex ſupr. v. 11. *Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelſi* . Quòd ſi ea Prophetæ verba trahere placet ad damnatos , adhuc adverſariis non favent . Etiam apud Inferos miſericordiæ non obliviſcetur , Deus puniens citra condignum peccatores .

Citra condignum puniuntur damnati.

Cæterùm abs re adducitur textus Apoſtoli loquentis de vocatione gentium ; ſiquidem omnes nationes ſivè Judæos , ſivè Græcos ,

ſivè Gentiles per Apoſtolorum prædicationem vocavit Deus ad fidem, & ideò omnium eſt miſertus; ubi ly *omnium* intelligitur pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum.

7 OBJICIES 4. Apud eundem cap. 24. Omne, quod non eſt per ſe volitum, nemo vult, niſi propter aliquam utilitatem: ſed Deus per ſe non vult pœnas; quia Sap. 1. v. 13. *Deus non fecit mortem, nec lætatur in perditione vivorum*: ergo vult pœnas propter aliquam utilitatem; ſed pœna æterna nihil prodeſt: ergo Deus non vult pœnam æternam: ac proindè comminatur æterna ſupplicia, ut declaret peccatores æternâ pœnâ dignos eſſe, non autem, ut reipſa illam velit inferre. Sicut Jonæ 3. v. 4. dicitur: *adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*; & tamen revera non eſt ſubverſa.

RESP. negando ſubſumptum. Pœna æterna utilis eſt ad manifeſtandam Dei juſtitiam, cujus perfectio eſt a Deo per ſe volita, & ad Beatorum gloriam deſervit, quatenus lætantur cogitantes ab ea evaſiſſe, ſicut dicitur Pſalm. 57. v. 10. *Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam*. Exemplo Ninivitarum, Sodomitarum exemplum opponitur, quibus non ſolùm Deus pœnam comminatus eſt; ſed revera intulit. Sæpè in ſtatu pœnitentiæ intentantur a Deo nobis mala, ut convertamur ad ipſum: ideò ſi peccator intra tempus reſurgat, multoties Deus ſuſpendit ſupplicium; cæterum in alio ſeculo nullus eſt emendationi locus. Apud inferos enim nec ſcientia, nec ratio, nec opus erunt; ideoque pœna infallibiliter incurritur. Præterea Jonæ prophetia veriſſima eſt; *Everſa eſt enim*, dicit cit. cap. Auguſtinus: *Ninive, quæ mala erat, & bona ædificata eſt, quæ non erat*. Cæterùm ùt ait Gregorius: *Omnipotens Deus, quoniam pius eſt, miſerorum cruciatu non paſcitur; quia autem juſtus eſt, ab iniquorum ultione non ſedatur*. lib 34. moral. cap. 16.

Lætitur Beati de Impiorum pœna,

8 OBJICIES 5. Apud eundem cap. 25., & 26. Nullus, qui ſemel Chriſtum ſuſcepit per Baptiſmum, ſivè redeat ad hæreſes, ſivè malè vivat, in æternum damnabitur: ergo non ſolæ Juſtorum pœnæ ſunt purgatoriæ. *Antec. probatur* Joan. 6. v. 51. *Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Sed manducare hunc panem, nihil aliud eſt, quàm incorporari cum Chriſto per Baptiſmum; ergo Chriſto ſemel incorporatus, quomodocumque vivat, ſalvabitur. Minor eſt *Pauli* Apoſt. 1. ad Corint. 10. v. 17. *Unus panis, unum corpus multi ſumus*. Explicatur argumentum. Superædificans fundamento fidei (hoc eſt, non recedens ab Eccleſiæ unitate) lignum, fœnum, & ſtipulam ſalvus erit licèt per ignem; ſed Chriſtiani peſſimam vitam agentes ſuperædificant lignum, fœnum, & ſtipulam; ergo ſalvantur.

RESP. *neg. ant.* quod non evincitur inducta probatione; quia de incorporatis cum Chriſto dixit Apoſtolus ad Galat. 5. verſ. 21 *Qui talia agunt*, ſcilicet peccata, quæ ibidem enumerat, *Regnum Dei non conſequentur*. Nec ideò vera minùs eſt Chriſti promiſſio: *ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Nam de illis loquitur, qui manducant
A modo, quod dixit eſſe manducandum, ſcilicet manendo in Chriſto, & Chriſtus in eo; ideò ſubdit *in me manet, & ego in eo*; non manet autem in Chriſto, qui, ùt ait Apoſtolus, fit membrum meretricis. Hic autem notandum eſt, quomodo intelligendæ ſint aliquæ promiſſiones, & enunciationes Sacræ Scripturæ. Si promiſſio, ſeu enunciatio ſit per verba affirmativa; non ſufficit rem ponere enunciatam, ſed plura alia requiruntur præter ea, quæ in tali enunciatione indicantur; ſi autem promiſſio, ſeu enunciatio ſit per verba negativa, ſufficit poſitio rei, quæ enunciatur. Sit exemplum in laudato *Joannis* capi-
B te: ibi enim dicitur: *ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*: & infra: *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. De eadem manducatione fit ſermo in utroque textu; ſed in primo per verba affirmativa, in ſecundo per negativa. Unde ſequitur, ut ad veritatem primæ propoſitionis non ſufficiat ponere rem enunciatam; ſed ulteriùs omnia alia requirantur, quæ ad vitam æternam conducunt, ſcilicet adimpletio aliorum præceptorum: per hoc enim, quod quis panem Euchariſticum manducet, ſi nihil aliud faciat, vitam æternam non conſequetur. Se-
C cunda autem, quæ negativa eſt, ſine ulla limitatione ſumenda eſt; quia licèt quis omnia adimpleat, ad quæ tenetur, ſi tamen, cùm poſſit, Angelorum panem non manducat, non habebit vitam in ſemetipſo. Quæ doctrina illuſtrari poteſt etiam pro ſequenti argumento. *Ad explicationem dico*: non ſalvat fides, niſi perſeveranter uſque in finem dilectionem operetur: dilectio autem malum non operatur. Audiant Jacob. 2. v. 14. *Si Fidem dicat ſe quis habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides ſalvare eum?* Ex his ſolvitur ſecundus textus. Sed placet *Auguſtinum* adducere c. 26. ergo non habet in corde funda-
D mentum Chriſtum: ergo non ſuperædificat: ergo mortalium Rei non ſalvantur per ignem.

Fides, quæ per dilectionem operatur, ſalvat.

Peccans mortaliter illicita præponit Chriſto.

9 OBJICIUNT 6. apud eundem c. 27. ii, qui dictitant quemque liberalem in pauperes, utvis peſſimè vixerit, ſalvandum. Matth. 25. v. 34. In die Judicii omnis, qui ſedet ad dexteram, adjudicatur gloriæ propter eleemoſynam: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum a conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me*: & econtra, qui in ſupplicium relegantur æternum, ex defectu elee-
E moſynæ id contingit v. 41. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum* &c. *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare, ſitivi, & non dediſtis mihi potum* &c., cui conſonat illud *Jacobi* 2. v. 13. *Judicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam*: ergo contraria erit vera; Judicium cum miſericordia illi, qui facit miſericordiam.

RESP. Eleemoſyna ſalvat charitati conjuncta; inquit enim Apoſtolus in priori ad Cor. 13. v. 3. *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas* &c. *charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Hinc Auguſtinus ibidem; „ Qui ergo dignas pro ſuis
„ pec-

Eleemoſyna ſine charitate nulla eſt.

„ peccatis eleemoſynas facit, priùs eas fa-
„ cere incipiat a ſe ipſo. Indiguum eſt
„ euim, nt in ſe non faciat, quod facit in
„ proximum, cùm audiat dicentem Domi-
„ num; diliges proximum tuum tamquam
„ te ipſum: itemque audiat: miſerere tuæ
„ animæ placeus Deo: hanc ergo eleemoſy-
„ nam, ideſt, nt Deo placeat, non faciens
„ animæ ſuæ, quo modo dignas pro pecca-
„ tis ſnis eleemoſynas facere dicendus eſt? — Nec ex eo, quod in judicio peculiaris mentio iujicitur de eleemosyna a bonis exercita, ab improbis neglecta, inſeras eleemoſynam ſe ſola ad ſalutem ſufficere. *Origenes* in hunc locum, nomine eleemoſynæ Chriſto impenſæ intelligit omue opus juſtitiæ, includens perfectionis plenitudinem. Chriſtum cibat, & potat, qui Chriſti legem obſervat, & Chriſtum veſtit, qui pluralitate virtutum animam exornat, & hæc quidem eleemoſyna ſalvos facit.

Nomine eleemosynæ venit omne opus juſtitiæ.

10 OBJICIES 7. Apud eundem c. 27. Omnes baptizati quotidie oraut Dominica Oratione, quæ delet omnia peccata: ergo omnis baptizatus moritur abſque peccato. *Prob. min.* ibi dicitur: *dimitte nobis debita nobita noſtra*; hæc noſtra ſunt peccata: ergo dimittit Deus omne peccatum indiſcriminatim & leve, & grave.

RESP. cum *Auguſtino*, ibi Chriſtum loqui de debitis quotidianis, ideſt levibus, quæ etiam Sancti in diem contrahunt. Hinc communiter Doctores tenent Orationem Dominicam devotè recitatam eſſe adinſtar Sacramentalis venialinm deletivi. Præterquamquod Deus nou dimittit nobis debita noſtra, niſi dependenter a conditione, quòd nos debitoribus noſtris dimittamus; ſed ex baptizatis plures non dimittunt debitoribus ſuis: ergo. Prætereo ſceleratiſſimos homines, qui rarò admodum Dominicam Orationem devotè recitant: eos ſaltem noſtri afficiat vis argumenti.

Oratio Dominica eſt Sacramentale.

11 OBJICIES 8. Juſtus Judex nou caſtigat, niſi ad correctionem; quare 2. *Ethic.* dicitur: *pœnæ ſunt quædam medicinæ*; ſed quòd impii damnentur in æternum, non eſt ad correctionem, cùm nec ipſi, nec alii redire queant ad bonam frugem: ergo Deus non punit in æternum. Adde nihil, quod ſit per accideus, eſſe perpetuum; ſed pœna eſt quid per accidens, cùm ſit contra naturam: ergo.

RESP. Argumentum probare in ſenſu de pœna inflicta in hoc ſeculo; illam enim Judex infligit vel ad emeudationem delinquentis, vel ad aliorum exemplum. Sin autem ſermo fuerit de pœua æterua reprobis irroganda, ante diem Judicii deſervit, ut homines abſterreantur a malo: poſt diem Judicii ad oſtenſionem Divinæ Juſtitiæ. Ad id, qnod additur: pœna conſiderari poteſt vel reſpectu animæ ſecundùm ſe, vel reſpectu animæ ùt peccatu infectæ. Si primum, eſt per accidens: reſpectu verò animæ ùt peccato infectæ eſt per ſe; quia peccato hærenti in anima, pœna per ſe eſt debita, ſicuti gloria charitati; inhæret autem damnatis ſemper peccatum: ergo pœna ſemper eſt per ſe debita.

Pœna æterna infligitur vel ad emendationē, vel ad oſtenſionem juſtitiæ.

12 OBJICIES 9. Peccatum meretur ani-
A hilationis pœnam: ſed poſitâ anihilatione ceſſat pœna æterna: ergo peccatum non meretur pœnam æternam: ergo injuſtè infligitur; Deus enim non infligens auibilationem uon debet æternaliter punire. *Major declaratur*. Peccans offendit Deum, a quo omnia beneficia accepit, inter quæ magnum eſt beneficinm eſſendi: ergo meretur omnibus privari; adeòque privari beneficio eſſendi.

RESP. *neg. maj.* Auihilatio de facto non eſt pœna peccati; tum quia Deus eam pro peccato non taxavit; tum quia per ſe peccatum meretur pœnam æternam; ablato autem eſſe, tollitur pœnæ æternitas: ergo
B non meretur anihilationem, ſed conſervationem, nt ſit ſubſtratnm pœnæ debitæ; eſt enim longe graviùs pati æterna ſupplicia, quam deſtrui ipſum eſſe. Præterea pœna correſpondet deordinationi culpæ; deordinatio autem peccati tollit aliquod bonum, ſed non omne, unde neque trahit amiſſionem totius boni eſſendi; cùm verò peccati deordiuatio conſiſtat in ablatione boui divini, privari debet divino eſſe, quod per gratiam participatur.

Peccatum nō meretur anihilationem.

13 OBJICIES 10. S. *Hieronymus* docet omnes fideles ſalvandos: ergo. *Ant. oſtenditur*. Dialogo primo contra Pelagianos vult
C omnes in Chriſto regeneratos, & in fide morieutes tandem purgandos. Idem in Commentariis *Iſaiæ* ultimo; in cap. 7. *Amos* ad illud: *me vocabit judicium ad ignem*; In Commentariis 1. ad Corinth. 3., quæ D. *Ambroſio* attribuuntur; unde hunc errorem *Hieronymo* tribuit *Ruffinus* in Apologia ad *Hieronymum*, Sed abſit tanto fidei defenſore tantus error, quem tantopere impugnat cap. 3. *Jonæ*, & *Matth.* 25. habet: *Prudens lector attende, quod & ſupplicia æterna ſint, & vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum*; & ad Galat. 5. *Putamus nos Regnum Dei conſequi, ſi a fornicatione, Idololatria, veneficiis immunes ſimus;*
D *ecce inimicitia, contentio, ira, rixa, diſſenſio, ebrietas quoque, & cætera, quæ parva arbitramur, excludunt nos a Regno Dei*. Et Epiſt. 148. ad *Marcellam* eandem doctrinam de æternis ſuppliciis confirmat, cui *Marcella* reſcribens ſe aliter in ejuſdem opuſculis legiſſe reſpondit: *Non memini me hoc aliquando dixiſſe, & ſi dixiſſem, non eſſem in errore pertinax*; & refert ſe ad lib. 2. contra *Jovinianum*, ubi docet propter peccata gravia omnes puniri perpetuò, quos ſalutaris pœuitentia non emendet. Quare cùm dixit Chriſtianos ſalvandos, eos ſolummodo intendit, quos peccatorum in tempore pœnituerit. Loco autem
E citato Iſaiæ videtur loqui comparativè, & vult nullum, qui non fuerit Chriſtiauus, poſt pœnas ſalvari, quia omnes, qui Chriſtiani non ſunt, certò damnantur: Sic enim habet: *Sicut Diaboli, & omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde ſuo, non eſt Deus, credimus æterna tormenta, ſic peccatorum, atque impiorum, & tamen Chriſtianorum, quorum opera in igne probanda ſunt, atque purganda moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ ſententiam Judicis*. Ubi illa exceptio, *quorum opera probanda ſunt*, ad eos limitat, qui ante mortem reſipuerit: quæ limitatio colli-

Vindicatur Hieronym.

colligitur etiam ex eo, quod de Infidelibus loquens, poſuit expreſsè univerſalem propoſitionem *omnium*; & de Chriſtianis agens, ponit indefinitam propoſitionem *Chriſtianorum*; quæ cùm ſit in materia accidentali, particulari æquivalet. Cætera eodem modo loca explicemus oportet. Vide aliam reſponſionem apud *Bellarminum*.

14 OBJICIES 11. *Gregorius Nyſſenus* in orat. catechetica c. 26. — Cùm per longum „ temporis ambitum, ablatum fuerit naturæ „ malum, quod nunc eſt iis immixtum, & „ & coalitum, & eorum, qui nunc jacent „ in malis, in antiquum ſtatum facta fuerit „ reſtitutio, una voce agentur gratiæ eb „ univerſa creatura, & ab iis, qui caſtiga„ ti fuerint in purgatione —: & lib. de anima, & reſurrectione ad illa verba 1. ad Corinth. 15. *Deus erit omnia in omnibus* : hæc habet: — Hoc in loco mihi videtur perfe„ ctum, & abſolutum interitum vitioſitatis, „ ac nequitiæ tradere Scriptura. Si enim in „ omnibus Deus erit, vitioſitas, nequitia„ que in rerum natura non erit; nam ſi „ quis vitioſitatem etiam, & nequitiam eſſe „ poſuerit, quomodo ſervabitur ea ſenten„ tia, qua dicitur, quod in omnibus Deus „ ſit? — S. *Gregorius* igitur aſſerit aliquando deſtruendam omnem nequitiam, ut varè pateat Deum ineſſe omnibus.

RESP. Adducti textus ſunt ab *Origeniſtis* vitiati; opera enim tanti Doctoris ii violaverunt, ùt refert S. *Germanus* Patriarcha Conſtantinopol. Libro, qui inſcribitur *Retribuens*, *& legitimus* a *Photio* relatus in Bibliotheca; cùm enim Hæretici maximum pondus erroribus ſuis a *Nyſſeni* auctoritate ſpetarent, *partim additamentis falſis, partim veſtis argumentis violenter detortis, multa ex irreprehenſibilibus ejus monumentis calumniari conati ſunt*. Cæterùm oratione *In illos, qui differunt Baptiſmu*, aſſerit, quòd iſtis non eſt *omninò vetita ſalus ex certa, & definita ſententia*.

15 OBJICIES 12. *Nazianzenus* orat. 39. *in Sancta lumina* de hæreticis loquens: *In altero Ævo*, inquit, *igne fortaſſe baptizabuntur, qui poſtremus eſt Baptiſmus, nec ſolùm acerbior, ſed & diuturnior, qui craſſam materiam inſtar fœni depaſcitur, vitiique omnis levitatem abſumit*.

RESP. cum *Niceta* in Commentariis. Obſcurè quidem effatus eſt *Nazianzenus*; neutiquam tamen diffitetur æternitatem pœnarum. Utvis loquatur de Baptiſmo; nihiloſecius aſſerit ejuſmodi Baptiſmum fore ſempiternum, qui caret, ſicut ignis fœnum: quæ comparatio tenet in hoc, quod ſicut fœnum eſt materia arida, haud aliter peccatores ſint aridi, omnique gratia deſtituti, & ſic ignis fortiùs agit. Neque huic explicationi adverſatur, quod alibi nomine fœni veniat peccatum veniale; inibi enim fœnum ædificatur ſuper Chriſtum, Hæretici autem Chriſto non ſuperædificant; eaque propter in ipſis nomen fœni peccatum connotat mortale.

16 OBJICIES 13. *Ambroſius* in Pſ. 118. octonario 20. v. 2. aſſerit Diaboli æterna eſſe ſupplicia, hominum temporaria: *Dives ille in Evangelio, licèt peccator pœnalibus urgetur ærumnis, ut citiùs poſſit evadere, Diabolus autem nequaquam*.

Confirmatur ex Auctore Commentariorum in Epiſt. s. Pauli *Ambroſio* adſcriptorum in 3. cap. Epiſt. ad Epheſios: *Dicetur ergo his Principibus, qui in errore ſunt in Cæleſtibus, ſivè Miniſtris ejus in terris, ut auferant portas Principis ſui, ideſt Diaboli, de montibus ſuis*. Si ergo tolli debet error, tolletur peccatum, & ſic ceſſante culpâ deſinet pœna, quæ proinde non erit æterna.

RESP. *Ambroſius* non comparat pœnas Dæmonum cum pœnis hominum quoad durationem, ſed præcisè quoad pœnas, quæ aliquando in hominibus ſunt purgatoriæ. Nec urget exemplum de Divite Evangelico; cujus nomine non intelligit Epulonem, ſed divitem avarum, de quo Luc. 12. 20 *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te*, quem proindè ſic a Deo objurgatum S. *Ambroſius* ſupponit in alia vita dumtaxat affectum pœnâ temporali.

Ad confirmat. Eruditi autumant commentaria ea fuiſſe *Hilarii* Diaconi Luciferiani; deinde non dicuntur Dæmones liberati ab igne, ſed ſolùm errorem depoſuiſſe; quia creduntur ea errore peccaſſe, cum quo ſtat eos non converti ad Deum, & immortali igne torqueri. Vide Tract. III. Pars I. Controv. X., & in eodem Tract. Pars II. Controv. VI. n. 143. & ſeq.

CONTROVERSIA II.

AN IN PURGATORIO SIT MERITUM, ET DEMERITUM.

L*Utherus*, quando Purgatorium needum apertè deleverat, ajebat in eo animas tanquam in via ad merendum, & demerendum poſitas poſſe damnari, immò etiam damnatum iri; quia ſemper lethaliter peccent, dum pœnas exhorreant ſibi a Deo inditas.

17 DICO. *Animæ in Purgatorio nec merentur, nec demerentur*. Concluſio eſt de fide. Status meriti, & demeriti eſt ſtatus unionis animæ ad corpus in hoc ſeculo; ſed degentes in Purgatorio non ſunt in ſtatu unionis animæ ad corpus: ergo non ſunt in ſtatu meriti, & demeriti. *Probatur maj.*, quæ ſolà probatione indiget. *Primò* ex Scripturis veteris Teſtamenti, Eccleſiaſt. 9. v. 5. *mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*: ideſt, ùt exponit Hieronymus: *mortui nihil valet ad id adjicere, quod ſemel ſecum tulerunt de vita*: & Eccli. 14. verſ. 17. *Ante obitum tuum operare juſtitiam, quoniam non eſt apud inferos invenire cibos*, meritum ſcilicet, & progreſſum: & cap. 18. v. 22. *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari: quoniam merces Dei manet in æternum*. Uſque ad mortem dicit Scriptura; ergo poſt mortem non datur locus proficiendi ulteriùs in juſtificatione: Eccleſ. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundùm vias ſuas.

18 PROB.

18 PROB. *ſecundò*. Ex novo Teſtamento Joan. 9. v. 4. *Me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari*. Patres, *Chryſoſtomus*, *Auguſtinus*, & *Theophilactus* hoc loco per noctem intelligunt mortem, in qua nemo poteſt operari, ideſt opera exequi meritoria. Luc. 16. v. 2. *Redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare*. Ubi Patres intelligunt de Domini adventu ad judicandum die mortis, quà redditur ratio vitæ noſtræ, nec amplius erit facultas merendi, ut conſtat ex ſequentibus v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Quod & clariſſimè docet Chriſtus in aliis parabolis, de quinque talentis, de operariis in vinea, ubi declaratur in morte ſententiam ferri, qua quiſque prout ſe geſſit æterno præmio, vel ſupplicio addicitur. 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſivè bonum, ſivè malum*. Plura alia teſtimonia videri poſſunt apud Doctores.

19 PROB. *tertiò* ex Patribus: *Hieronymus* in cap. 9. Eccleſiaſtes. *Donec vivunt homines, poſſunt fieri Juſti, poſt mortem verò nulla datur boni operis occaſio*. Item: *Mortui nec juſtè poſſunt agere, nec peccare*: ad Galatas 6. *Tempus meſſis, ut diximus, eſt tempus præſens, & vita, quam currimus, in hac licet nobis, quod volumus, ſeminare, cùm iſta vita tranſierit, operandi tempus aufertur*. Auguſtinus in *Enchirid.* cap. 110. *Quocirca omne meritum comparatur, quo poſſit poſt hanc vitam relevari quiſquam, vel gravari; nemo autem ſe ſperet, quod hic neglexerit, cùm obierit apud Dominum mereri*; & apud D. *Proſperum* eſt ſententia Auguſtini 72. *Fruſtra ſibi homo poſt hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit*. Chryſoſtomus Homil. 37. in Matth. *Fratres nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitiâ parvuli eſtote: præſens enim hac vita rectè vivendi occaſionem, & opportunitatem habet, poſtquam verò diem tuum obieris, judicium, & pœnam conſequitur*. Cyprianus apud *Auguſtinum* lib. de prædeſtin. Sanctorum cap. 14. ubi idem *Auguſtinus* fatetur neminem ex Catholicis de hoc ambigere: *Damaſcenus* lib. 2. de Fide Ortodoxa cap. 4. *Quod eſt Angelis caſus, idem hominibus mors*. Plura aliorum Patrum effata in promptu ſunt. Veritatis hujuſce ratio aſſignari haud poteſt alia, quàm divina voluntas per Scripturas, & Eccleſiam revelata. Congruit autem, ut, cùm anima uniatur corpori ad operandam æternam ſalutem, hac unione ſolutâ, ceſſet facultas meritoria operandi, & e contrario.

HÆRETICORUM ARGUMENTA DILUUNTUR.

20 OBJICIES 1. ex *Luthero*: Animæ imperfectâ charitate præditæ indigent mereri, ut perficiantur, juxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 13. v. 10. *Cùm venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*; ſed in Purgatorio degentes, ſunt imperfecta charitate: ergo indigent mereri, ut perficiantur. *Minorem probat* Pſeudomagiſter. *Primò*. Spiritus perfecti non puniuntur, ut Deo ſatisfaciant; *quia charitas operit multitudinem peccatorum*. 1. Petri 4. v. 8.: ſed degentes in Purgatorio puniuntur: ergo non ſunt in charitate perfectæ. *Secundò*. Si non eſſent in charitate imperfectæ, non timerent pœnas; quia 1. Jo. 4. v. 18. *perfecta charitas foras mittit timorem*. Sed purgantes timent pœnas, aliter non punirentur; nam quod amatur, dulceſcit, & non affligit: ergo non ſunt charitate perfectæ.

RESP. Charitatem dici imperfectam dupliciter. *Primò* quia caret conſummationis ſtatu; hoc eſt, necdum actualiter unitur fruitivè ultimo fini. *Secundò* eſſentialiter, quatenus caret eſſentiâ charitatis, & appretiatione Dei ſuper omnia. Charitas purgantium eſt imperfecta primo modo; nam actu nondum fruitur Deo, & indiget perfici non per meritum, ſed per actualem poſſeſſionem ultimi finis fruitivè: & in hoc ſenſu procedit Apoſtoli dictum in majori. Cæterùm non eſt eorum charitas imperfecta ſecundo modo; diligunt ſiquidem Deum ſuper omnia, & mandata Dei ſervant, quod ſufficit ad ſubſtantialem charitatis perfectionem, juxta illud 1. Jo. 2. v. 5. *Qui autem ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt*. Ad primam minoris probationem dico: Spiritus perfectus dicitur dupliciter, loquendo de perfectis ſola perfectione eſſentiali. Alii ſunt plenè purgati, & hi nullum habent reatum in Purgatorio diluendum. Alii non plenè mundi expiantur in Purgatorio; & quando audis: *Charitas operit multitudinem peccatorum*, intellige in ordine ad culpam, non verò ad omnem pœnam. Ad ſecundam probationem *nego major.* Afflictio, timor, triſtitia componuntur optimè cùm dilectione, & voluntaria acceptatione pœnarum, ùt patet exemplo Chriſti orantis in horto. Sententia verò *Joannis* loquitur de timore ſervili, non autem filiali hoc eſt, diligentes Deum timent peccatum; non quatenus præcisè pœnam inducit; ſed quia contra Deum.

Charitas dupliciter dicitur imperfecta.

21 OBJICIES 2. Purgantes ſunt in via: ergo merentur. Ex Apoſtolo *Virtus in infirmitate perficitur*; ſed in Purgatorio eſt maxima infirmitas: ergo in Purgatorio eſt profectus.

RESP. *diſtinguo maj.* in via augmenti, *nego*: in via ſatisfactionis, *concedo maj.* Mereri pertinet ad viam augmenti, proficiunt tamen purgantes viâ ſatisfactionis; quia quotidie minuitur pœnæ reatus ex eo, quòd fiat vel brevior, vel levior pœna. Illud Apoſtoli *Virtus in infirmitate perficitur*, intellige de potentia Dei, quæ tunc magis elucet, quando mirabilia operatur per inſtrumenta debiliora, quibus plura reſiſtunt. Deinde intellige de charitate viventis in corpore, quæ occaſionaliter ex infirmitate augeſcit. Si quis autem interpretari velit de infirmitate pœnas Purgatorii, adhuc verum eſt animam perfici; quia tollitur rubigo peccatorum, quin fiat augmentum illud, quod Hæretici intendunt: ſicuti aurum in fornace rubigine ablatâ perficitur, ſed non augetur.

Purgantes ſunt in via ſatisfactionis, non augmenti.

22 OBJICIES 3. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* ad Rom. 8. verſ. 28. Sed Purgantes diligunt Deum: ergo ſupplicia illis

illis cooperantur in bonum : ergo merentur . Prætetea impoſſibile eſt creaturam perſeverare in eſſe, quin magis, ac magis a Deo accipiat : ſed purgantes perſeverant in charitate : ergo magis, magiſque accipiunt, & augeſcunt.

Omnia cooperantur in bonum cæleſtis gloriæ.

RESP. Diligentibus Deum omnia cooperari in bonum cæleſtis Beatitudinis : & ita in Purgatorio omnia cooperantur in bonum cæleſtis Patriæ ; quia magis ad illud appropinquant . Ad ſecundum *magis*, *ac magis* poteſt accipi intenſivè, quoad rem acceptam, ſcilicet quod aliquid majus accipiat, & in hoc ſenſu major eſt falſa ; conſervantur enim res abſque augmento . Vel extenſivè, ideſt niſi diutiùs res perſeveret, & ſub hac ratione eſt vera . Niſi enim res perſiſteret in eſſe, in nihilum rediret ; ſed quid hoc ad meritum ?

23 OBJICIES 4. Ubi eſt facultas demerendi, adeſt etiam merendi poteſtas ; ſed Purgantes peccando demerentur : ergo etiam poſſunt mereri . *Minor oſtenditur* . Purgantes refugiunt pœnas, quærunt requiem, & ideò ſuffragia excupiunt ; ſed refugiendo pœnas peccant : ergo . *Prob. min.* Amare, quæ ſua ſunt, per Apoſtolum peccatum eſt ; ſed refugiendo pœnas, quærunt, quæ ſua ſunt : ergo . Secundò : *Qui non tollit crucem ſuam, non eſt me dignus*, ait Chriſtus ; ſed Purgantes non tollunt, immò exhorrent ſuam crucem : ergo . *Tertiò* pœnas refugere eſt ſe ipſum diligere amore concupiſcentiæ ; ſed amor concupiſcentiæ peccatum eſt : ergo .

Purgantes ordinatè quærunt requiē.

RESP. *nego min. ad probat. diſtinguo* . Purgantes refugiunt pœnas, & quærunt requiem ordinatè, *concedo maj.* : inordinatè, *nego maj.*, & diſtincta ſimiliter minore, *nego conſeq.* Purgantes refugiunt pœnas ùt naturæ contrarias, ſed cum ſubordinatione ad divinam voluntatem . Etiam Chriſtus refugiebat crucem, & calicem paſſionis : nec niſi impiè quis dixerit eum peccaſſe ; etenim divinæ voluntati cæteroqui morem gerebat . Neque proinde quærunt, quæ ſua ſunt, ſed quæ ſunt Dei, & ordinatè ſe ipſas ad Deum referunt

Optant requiem, ut fruitivè uniātur Deo.

Utique ſuam tollunt crucem, cùm divinæ voluntati conformes, de manu Domini pœnas acceptent, tametſi anhelantes adſpirent ad requiem in Deo capiendam, quem maximopere diligunt . Nec propterea dulceſcerent pœnæ lubenti animo acceptæ ; quia infirmus ſentit amaritudinem medicinæ, quam libenter prævalente ſanitatis deſiderio ebibit : 2. *Machab.* 6. *v.* 30. Eleazar orabat : *Tu ſcis, Domine, quia, cùm a morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo labores : ſecundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior* . Percipiebant SS. Martyres ſenſum doloris, utvis ad ſupplicia feſtinarent . Ad tertium negatur in iis amor concupiſcentiæ ſe, ſuaque in Deum omnia referentibus .

Non ſe amāt amore concupiſcentiæ.

24 OBJICIES 5. In purgantibus dantur omnia requiſita ad meritum ; Fides, Spes, Charitas : ergo.

Quid requiratur ad meritum.

RESP. *negando antecedens* ; nec enim omnia in eo ad meritum requiſita accenſentur : deficit conditio unionis animæ ad corpus . Anima Chriſti pluribus condecorata privilegiis, ut meriti eſſet capax, corpori unienda fuit paſſibili .

Adverte : aliqui Sanctum *Thomam* in contrariam partem diſtrahunt quaſi 4. *Sent. diſt.* 21. *quæſt.* 1. *art.* 3. admittentem meritum præmii ſaltem accidentalis . Falsò tamen ; nec enim admittit verum meritum, ſed quandam meriti ſimilitudinem, quatenus ſatispatiendo removent impedimentum retardans a conſecutione gloriæ ; cæterum *quæſt.* 7. *de malo art.* 11. negat apertè quodcunque meritum in Purgatorio in ordine ad præmium tum eſſentiale, tum accidentale .

25 Aſt ne videamur gratis exponere D. *Thomam*, vide, quid idem pergat ibidem ratiocinari : — Dicendum eſt, quod poſt „ hanc vitam non poteſt eſſe meritum reſpectu præmii eſſentialis, ſed reſpectu alicujus accidentalis poteſt eſſe, quamdiu manet homo in ſtatu viæ aliquo modo ; & „ ideo in purgatorio poteſt eſſe actus meritorius, quantum ad remiſſionem culpæ venialis, — *&* 4. *diſt.* 50. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 6. — Poteſt tamen hoc eſſe reſpectu „ præmii accidentalis, vel pœnæ ſecundariæ, „ quæ poſſunt augeri uſque ad diem Judicii, „ & hoc præcipuè in Dæmonibus, vel Angelis bonis, quorum officio aliqui trahuntur ad ſalutem, ex quo bonorum Angelorum gaudium creſcit, vel ad damnationem, ex quo creſcit pœna Dæmonum.

26 Ad noſtram verò concluſionem ſic habet 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. *art.* 4. *quæſtiunc.* 3. *in corpore* . — Sed illi, qui in Purgatorio „ ſunt, habent dolorem de peccatis gratiâ „ informatum, ſed non meritorium ; quia „ non ſunt in ſtatu merendi : in hac autem „ via omnia tria inveniri poſſunt ; — *& ad* 2. „ dicendum, quòd pœna illa, quam animæ „ in Purgatorio ſuſtinent, non poteſt propriè dici ſatisfactio, ſed pœnæ debitæ ſolutio : — *de malo art.* 1. *quæſt.* 7. *ad* 6. „ dicendum, quòd meritum gloriæ eſſentialis, vel accidentalis pertinet per ſe ad „ profectum ſpiritualem, qui eſt per augmentum ſpiritualis boni ; unde non eſt „ ſimilis ratio . — *& ad* 9. Sed quantum ad „ culpam non remittitur per pœnam, neque „ ſecundùm quod actu ſuſtinetur ; quia non „ eſt meritoria, neque ſecundùm quod recogitatur . — 1. *p. q.* 62. *art.* 9. *ad* 3. Undo „ quidam dicunt, quòd quantum ad præmium „ accidentale mereri poſſunt, ſed meliùs „ eſt, ut dicatur, quòd nullo modo Beatus „ mereri poteſt, niſi ſit ſimul viator, & „ comprehenſor ùt Chriſtus &c. prædictum enim gaudium magis acquirunt ex „ virtute beatitudinis, quàm illud mereantur . — 2. 2. *q.* 13. *art.* 4. *ad* 2. Mereri, „ & demereri pertinet ad ſtatum viæ ; unde „ bona in viatoribus ſunt meritoria, mala „ verò demeritoria ; in Beatis autem bona „ non ſunt meritoria, ſed pertinentia ad „ beatitudinis præmium, & ſimiliter mala „ in damnatis non ſunt demeritoria, ſed „ pertinent ad damnationis pœnam . — Ut autem videas ipſum Doctorem in prioribus locis ſuiſſe locutum de merito præmii accidentalis improprio *quæſt.* 7. *de malo art.* 11. *ad* „ 5. dicendum, *ait*, quòd remiſſio culpæ „ venialis non facit profectum ſpiritualem „ per ſe, ſcilicet quantum ad augmentum „ ſpiri-

„ ſpiritualis boni, ſed ſolùm per accidens, „ quantum ad remotionem impedimenti. — Vides, quonam modo dicatur meritum præmii accidentalis, quatenus ponendo actum incompoſſibilem cum peccato veniali, abraditur ejus macula, & per ſatispaſſionem abolenr pœnæ reatus, qui gloriæ conſequendæ impedimento erat? Alio modo dicitur impropriè, videlicet terminativè: quatenus ſtatus remiſſibilitatis eſt terminus meriti procedentis ex via, ùt inſit ibidem ad 10. *Dicendum, quòd nullus poteſt mereri remiſſionem futuræ culpæ; poteſt tamen mereri ſtatum purgatorii, in quo ſit ſibi culpa remiſſibilis.*

Quomodo ſit meritum impropriè in Purgatorio.

27 DICES. Solutio non convenit menti D. *Thomæ* dicentis: *Quamdiu manet homo in ſtatu viæ aliquo modo.* Unde ſic inſtauratur argumentum. Status Purgatorii eſt medius inter ſtatum unionis ad corpus, & fruitionis in gloria: ſed in ſtatu unionis datur meritum reſpectu præmii eſſentialis, & accidentalis: in ſtatu fruitionis ad neutrum datur: ergo in Purgatorio admittendum eſt aliquod meritum non præmii eſſentialis: ergo accidentalis. Et benè ſtat relatio ut reſpectu præmii ſimpliciter talis, ſeu eſſentialis exigatur ſtatus viæ ſimpliciter talis: reſpectu verò præmii *ſecundùm quid*, quale eſt præmium accidentale, ſufficiat ſtatus viæ *ſecundùm quid*. Sicut in Sancto Patre *Elia* eſſe *ſecundùm quid* extra viam non impedit, quin mereatur ſimpliciter; haud aliter in Purgantibus eſſe *ſecundùm quid* in via proficere debet ad meritum *ſecundùm quid*.

RESP. Iy *aliquo modo in via* non aliundè oritur, quàm ab impedimento retardante ingreſſum ad gloriam; undè non eſt neceſſe alius motus, præterquam qui impedimentum removeat; talis eſt enim motus, qualis via; non enim eſt via proficiendi, neque *ſecundùm quid*; quia ſtatim ab exitu è corpore gloria debetur ſecundùm jura hæreditatis. Hinc eſt, ut qui moritur, ſi habeat minorem gratiam, quam qui eſt in Purgatorio, niſi obſit reatus pœnæ, ſtatim convolat ad gloriam: neque juſtum videtur, ut ex ſua negligentia lucretur, qui non perſolvit totaliter debitum. Die obitus peracto judicio finalis ſententia dicitur, nec aliud Tribunal reſtat ante Judicium Univerſale. Finitâ causâ, jam omnis præcluditur ad lucrandum via; quòd ſi in Purgatorio quis mereretur, certè meritum illud ſubſequens injudicatum abiret. Præterea ſemel dato merendi loco, id eſſe oporteret reſpectu præmii eſſentialis; quia animæ Purgantium perfectiſſimos charitatis actus eliciunt. Rationi autem in argumento adductæ reſpondet D. *Thomas* quæſt. laudatâ de malo ad 13. *Dicendum, quòd non oportet illud, quod eſt medium quantum ad aliquid, eſſe medium, quantum ad omnia; ſtatus ergo Purgatorii medius eſt quidem quantum ad aliqua inter ſtatum præſentis vitæ, & ſtatum gloriæ: non tamen quantum ad hoc, quòd ſit ibi culpa ſine pœna, vel pœna ſine culpa.* Ita pariter dicendum non dari meritum quoad hoc, quod eſt mereri, & demereri. Exemplum S. *Eliæ* non officit. Ille ſiquidem eſt omninò ſimpliciter in via, moriturus pro fide; ſolùm quoad modum vivendi habet aliquid ſupra communem conditionem hujus mortalitatis, utpote ærumnarum expers, altiſſima abreptus contemplatione.

S. Elias in ſtatu viæ ſimpliciter.

28 DICES. Scripturæ probantes meritum duntaxat in via unionis animæ ad corpus non pertinent ad purgantes, ſed ad damnatos, ùt c. 9. v. 5. Eccleſ. *Mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita eſt memoria eorum:* Purgantium autem animæ non ſunt traditæ oblivioni; & ibid. v. 10. *Inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos;* porrò apud Purgantes datur & ratio, & ſcientia: ergo.

RESP. hæc inſtantia eſt enervis; aliæ enim extant Scripturæ univerſaliores; & quando dicitur, *oblivioni tradita eſt memoria eorum* hoc verum eſt de Purgantibus præciſè in ſuo ſtatu conſideratis. Cæterum in ordine ad fideles, qui charitate moti illos adjuvant, non eſt verum; quare optimè applicatur ad excludendum meritum; quia non habent ultra mercedem. Secundus textus loquitur de ſcientia, & opere, quæ ordinari poſſunt ad aliquid de novo acquirendum, & lucrandum; quæ utique in Purgatorio non ſunt. S. *Thomas* de malo cit. quæſt., & art. ad 11. *Poſt mortem non erit aliquis motus novus voluntatis, qui non præceſſit in hac vita in aliqua radice vel naturæ, vel gratiæ. Multi tamen actuales motus voluntatis erunt poſt hanc vitam, qui non ſunt modò; quia alii etiam erunt, ſecundùm ea, quæ tunc cognoſcent, & experientur.*

Quomodo Animæ Purgatorii dicũtur traditæ oblivioni.

CONTROVERSIA III.

AN ANIMÆ PURGANTIUM CERTÆ SINT DE SUA SALUTE.

29 LUtherus in articulis a *Leone* X. damnatis tenet animas in Purgatorio de æterna ſalute incertas veſanæ deſperationis motibus agitari; unde quotidie peccent: habet enim art. 38. *Animæ in Purgatorio non ſunt ſecuræ de earum ſalute, ſaltem omnes: nec probatum eſt ullis aut rationibus, aut Scripturis ipſas eſſe extra ſtatum merendi, aut augendæ Charitatis*: art. 9. *Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione, quamdiù quærunt requiem, & horrent pœnas.* Motibus deſperationis agi demonſtrant ipſius argumenta a *Cardinali Roffenſi* in confutatione articulorum *Lutheri* relata: *Michael Bajus* lib. 2. de meritis bonorum operum cap. 8. docet pariter animas purgantium eſſe de ſalute ancipites *Lutheri* ſententiæ adhærens ſcilicet peccatum veniale mereri æternam pœnam; cùmque purgantes venialibus ſint inquinati, inde trahitur incertitudo ſalutis. *Carthuſianus* lib. 4. cap. 47. de quatuor Noviſſimis: *Gerſon.* lect. pr. de vita ſpirituali concedere videntur aliquas ſaltem eſſe de ſalute incertas; quam incertitudinem intendit Deus in graviſſimam earum pœnam. Idem colligere quis poſſet ex doctrina S. *Birgittæ* in ſuis revelationibus.

30 DICENDUM *tamen animas Purgantium omnes, & ſingulas eſſe de ſalute certas.* PROB. 1. Omnes, & ſinguli articuli *Lutheri* in Bulla *Leonis* X. ſunt contra Eccleſiæ doctrinam, quæ errare nequit; ſed eos inter

articulos unus eſt, quo tenet aliquas ſaltem Purgantium animas incertas eſſe de ſalute: ergo doctrina Eccleſiæ eſt, quòd omnes, & ſingulæ ſint certæ de ſalute. Oſtenditur aſſumptum verbis Bullæ: — Reperimus eoſdem
Bulla Leonis X. contra Lutherum.
„ errores reſpectivè (ùt præfertur) aut ar-
„ ticulos non eſſe Catholicos, nec tanquam
„ tales eſſe dogmatizandos, ſed contra Ec-
„ cleſiæ Catholicæ doctrinam, ſive traditio-
„ nem, atque ab ea veram Divinarum Scri-
„ pturarum receptam interpretationem &c.
„ Nam ex eiſdem erroribus, vel eorum ali-
„ quo, vel aliquibus palam ſequitur ean-
„ dem Eccleſiam, quæ Spiritu Sancto regi-
„ tur errare, & ſemper erraſſe: quod eſt
„ utique contra illud, quod Chriſtus diſci-
„ pulis ſuis in Aſcenſione ſua, ùt in S. *Mat-*
„ *thæi* Evangelio legitur, promiſit dicens:
„ *ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæ-*
„ *culi* &c. De eorum itaque Venerabilium
„ Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu,
„ ac omnium, & ſingulorum prædictorum
„ matura deliberatione prædicta auctoritate
„ Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſto-
„ lorum Petri, & Pauli, & noſtrâ, præfatos
„ omnes, & ſingulos articulos, ſeù errores
„ tamquam (ut præmittitur) reſpectivè hæ-
„ reticos, aut ſcandaloſos, aut falſos, aut
„ piarum aurium offenſivos, vel ſimplicium
„ mentes ſeductivos, & veritati catholicæ
„ obviantes, damnamus, reprobamus.

Anno 1528 Concilium Senonenſe doctrinâ Fidei decreto 12. eandem veritatem docet his verbis: — Cum autem hu-
„ juſmodi pœnæ temporalis, aut venialis
„ tantùm peccati reus repentè nonnunquam
„ intereat, de omni verbo etiam otioſo ra-
„ tionem redditurus, nec illi pateat aditus
„ in Cæleſtem illam Jeruſalem, in quam ni-
„ hil intrat coinquinatum. Neque item ge-
„ hennæ ſubjiciat, quippe qui gratiæ ſit par-
„ ticeps, ac pœnæ temporalis tantùm de-
„ bitor: fit, ut primum purgetur ex iis,
„ quæ geſſit in corpore, ſalvus tandem ali-
„ quando futurus, *ſic tamen quaſi per ignem*;
„ de ſua ſemper interim ſalute, ex remanen-
„ tibus in eo Fide, Spe, & Charitate, ſe-
„ curus. —

31 PROB. 2. Doctrina, quæ evidenter opponitur articulo fidei, eſt aperiſſimè falſa; ſed quòd aliquæ ſaltem animæ purgatorii incertæ ſint de ſalute opponitur directè,
Morientes judicantur.
& evidenter articulo fidei; ergo. *Oſtenditur aſſumptum*. Omnes & ſinguli decedentes ex hoc ſeculo judicio particulari judicantur, & contra illos ſententia profertur, ùt ex ſacris litteris patet; Eccleſiaſtici 11. v. 28. *Quoniam facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas. Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ, & in fine hominis denudatio operum illius*. Denudatio operum examen eſt eorum, quæ quis in vita fecit; retributio autem nihil aliud eſt, quàm decernere unicuique pœnam, vel præmium juxta menſuram eorum, quæ geſſit in corpore ſivè bonum, ſivè malum: cùm finitur tempus merendi, tunc reddenda eſt ratio Deo de actibus noſtris. Luc. 16. v. 2. *Redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare*; aufertur autem tempus merendi in inſtanti mortis: Joan. 9. v. 4. *Venit nox, quando nemo*
A *poteſt operari*: & Apoc. 10. v. 6. *Tempus non erit ampliùs*: unde *Hieronymus* in 6. ad Galatas. *Tempus ſementis eſt præſens vitæ, quam currimus, in hac licet nobis, quod volumus, ſeminare: cùm hæc tranſierit, operandi occaſio auferretur*. In morte igitur redditur ratio de bonis, & malis operibus, & fit particulare judicium. Hinc *Chryſoſtomus* Homil. 14. in Matth. *Omnes animæ cùm hinc fuerint variis peccatorum veſtibus circumamictæ, ad terribile illud ducentur Tribunal*; & D. *Auguſtinus* lib. 2. de origine anim. cap. 4 habet: *Illud rectiſſimè, & valdè ſalubriter credi, judicari animas cùm de corporibus exierint, antequam veniant ad illud ju-*
B *dicium, quo eas oportet, jam redditis corporibus, judicari*. Si ergo unaquæque anima judicatur die mortis, & in eam dicitur ſententia, proculdubio eidem innoteſcit ſtatus ſibi debitus. Judicium ad diſcuſſionem indicitur, nec punitur judicatus, niſi intimatâ ſententiâ; & juſtus Judex, qualis eſt Deus, hanc regulam ſervat. Judicium particulare non fit, ut cauſa Deo innoteſcat omnia noſcenti; non ut aliis hominibus, qui judicio non interſunt: non Angelis, qui hominum conditionem aliunde cognoſcunt. Igitur fit, ut homini morienti innoteſcat proprius ſtatus;
Ad quid ordinetur particulare judicium.
& ita eſt ſecundùm fidem. Quemadmodum
C enim in univerſali Judicio cujuſque ſententia manifeſtatur omnibus; ita in particulari intimatur cuique judicato.

32 PROB. 3. Æqualis eſt omnium, qui moriuntur, ſtatus immutabilitatis quoad ſubſtantiam, juxta illud Eccleſiaſtes 11. verſ. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*: ſed morientes in peccato mortali ſtatim ad Inferna deſcendunt; ſi in gratia perfectè purgati ad Cælum evolant cum certa cognitione ſuæ conditionis. Hinc prudentes Virgines ſtatim ad nuptias recipiuntur, fatuæ verò repelluntur. Non habens veſtem nuptialem ejicitur
Status cujuſcumq; quoad ſubſtantiam eſt immutabilis.
D in exteriores tenebras; ſecus decorè veſtiti ad convivium intromittuntur. Latroni juſtificato dicitur: *Hodie mecum eris in Paradiſo*; de *Epulone* ſcriptum eſt: *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in Inferno*: de reprobis habemus Job 21. verſ. 13. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad Inferna deſcendunt*. Servo autem fideli Matth 25. v. 21. dicitur: *Intra in gaudium tuum*: de qua veritate plura infrà. Hinc propalam fit in morte judicium particulare inſtitui, ut certa detur ſententia judicatiſque certò innoteſcat proprius ſtatus. Si ergo Deus cum omnibus ſervat juſtitiam; cur juſtis ad expiandum deſtinatis celatur ſtatus,
E qui & reprobis, & electis compertiſſimus eſt? In omnibus defunctis quoad ſubſtantiam datur ſtatus immobilitas: immobilitati convenit certitudo in ſubjecto. In hoc ſeculo cùm ſtatus ſalutis ſit mutabilis, ideo viatores incerti fluctuant. Tranſitus ab hoc in illud ſeculum, ſicut evacuat mobilitatem ſtatus, ita incertitudinem tollit è ſubjecto.

33 PROB. 4. In animabus Purgatorii reſidet Fides, Spes, Charitas: ſed cum hiſce virtutibus non ſtat incertitudo ſalutis: ergo animæ purgantium ſunt de ſalute certiſſimæ. *Oſtenditur aſſumptum primò ad hominem*
In Purgantibus ex fide datur certitudo.

contra

by Google

contra Lutherum . Docet ipſe omnes Juſtos eſſe in hoc ſeculo certos de ſua ſalute media fide: ergo a fortiori purgantes certi eſſe debent , cùm iiſdem inſit fides purior , & firmior . *Secundò* . Damnati omnes plaſphemiis furunt contra Deum : ſed omnes in Purgatorio evidenter experiuntur ſe in Deum blaſphemiis non ſævire : ergo omnes , & ſinguli experimentaliter cognoſcunt ſe non eſſe damnatos . *Tertiò* . Recta fides docet omnem defunctum, ſi Deum adoret , eſſe ſalvum ; ſed Purgantes certò ſciunt ſe non eſſe mortales , nec peregrinari in corpore , Deumque adorare : ad Philipp. 2. v. 10. habetur : *Ut in nomine Jeſu omne genufleƈtatur cæleſtium , terreſtrium , & infernorum* . Apoc. 5. v. 3. *Et nemo poterat neque in cœlo , neque in terra , neque ſubtus terram aperire librum* ; & v. 13. *Et omnem creaturam , quæ in Cœlo eſt , & ſuper terram , & ſub terra , & quæ ſunt in Mari , & quæ in eo : omnes audivi dicentes : ſedenti in throno , & Agno , benedictio , & honor , & gloria , & poteſtas in ſecula ſeculorum* . Nomine Infernorum , & nomine creaturæ , quæ ſubtus terram eſt , veniunt Animæ purgantium, ùt ſuperiùs demonſtratum eſt ; in hac enim diſtributione non venit Infernus damnatorum, cùm inibi non adoretur numen Dei : ergo Purgantes laudant Deum . *Quartò* . Juxta *Lutherum* purgantes Animæ non ſunt certæ de ſua ſalute ; ſed animi fluctuant : ergo non ſunt certæ de damnatione ; ſed hoc ipſo ſunt certæ de ſua ſalute : nam recta fides docet reprobos in Inferno certiores eſſe de ſua damnatione ; iſti non ſunt certi de ſua damnatione ; adeoque lumine fidei ſciunt ſe in ſtatu ſalutis : non enim datur medium inter ſalutem , & damnationem . *Ultimò* tandem . Ideo non ſunt certæ de ſua ſalute, licèt ſint in ſtatu gratiæ; quia neſciunt , an ſint perſeveraturæ ; ſed recta fides docet , defunctum non poſſe cadere ab eo ſtatu , in quo reperitur : ergo Purgantes ſciunt ſe gratiâ , & charitate non poſſe privari : ergo ſi in illis perſeverat fides , nulla eſſe poteſt de æterna ſalute dubitatio .

34 PROB. 5. Ideo excluditur certa ſalutis ſcientia ; quia animæ tantâ triſtitiâ obruuntur , ut ad ſtatum ſuum non poſſint reflectere ; ſed hoc futile eſſe oſtenditur *primò* ; quia juſtitia excludit a viatore Juſto triſtitiam , quæ rationem abſorbeat , juxta illud Prov. 12. v. 21. *Non contriſtabit juſtum quidquid ei acciderit* : ergo multo magis eliminabit a Juſto non viatore . *Secundò* . Fruens quiete non ſubjacet tantæ perturbationi , quæ mentem dejiciat a ſede rationis ; ſed Purgantium animæ hujuſmodi quiete fruuntur ; nam ab Eccleſia dicitur : *Memento Domine famulorum , famularumque tuarum , quæ nos præceſſerunt in ſigno fidei , & dormiunt in ſomno pacis* . *Tertiò* . Longè major eſt pœna Damnatorum, & deſperatio , & confuſio ; ſed nihilominus Damnati non ignorant proprium ſtatum : ergo . *Quartò* . Dolor abſorbens rationem oritur ex læſione organi corporei ; ſed in Animabus Purgatorii non datur hæc læſio : ergo remanet libera ratio , ut advertant ad proprium ſtatum . *Quintò* demùm . Non eſt poſſibilis triſtitia abſorbens totaliter rationem ubi præſens conſolatio , & refrigerium ex viſitatione Angelorum , ex ſuffragiis Eccleſiæ Militantis temperat acerbitatem pœnarum .

35 PROB. 6. Ideò ambigunt de ſalute ; quia hæc incertitudo eis in pœnam infligitur ; ſed hoc eſt contra Eccleſiæ doctrinam ; quod ſic oſtenditur *primò* . Fingere animam Juſti pejus ſe habentem poſt mortem , quàm in vita , eſt contrarium doctrinæ Eccleſiæ judicantis Beatos , qui in Domino moriuntur . Sed incertitudo æternitatis , & ſalutis poneret animas in pejori ſtatu poſt mortem ; carent enim ibi omni facultate congrua ad illam depellendam , cùm deſit Sacramentorum uſus , bonorumque operum exercitatio ; neque vivorum ſuffragia hanc trepidationem ſedant , quandoquidem ea incertitudo fingitur carceri purgatorio ſemper inſita . *Secundò* Eccleſia docet Purgantes caſtigari more filiorum, qui ſunt ad hæreditatem vocati , juxta illud Iſai 4. v. 4. quod Purgatorio Patres adaptant: *Si abluerit Dominus ſordes Filiarum Sion , & ſanguinem Jeruſalem laverit in medio ejus in ſpiritu judicii , & ſpiritu ardoris* . Sed incertitudo ſalutis eſſet pœna Filii jam exhæredati ; nam quæque pœna a Patre venit , eâ ſemper filius ùt hæres , non ùt ſervus propediem ejiciendus punitur : & filius dum paterna correctione plectitur , ſemper de hæreditate certus eſt. *Tertiò* Doctrina Eccleſiæ a Patribus enunciata perhibet pœnam damni in eo conſiſtere , ut animabus beatitudo differatur , & in eo creſcat pœna , quòd ſibi cognoſcant deſtinatam Dei viſionem , atque ea impedimento diſtractam : juxta illud : *Spes , quæ differtur , affligit animam* . Reponit hanc Patrum doctrinam S. *Thomas* 4. Sent. diſt. 21. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. dicens : *Quanto enim aliquid magis deſideratur , tanto ejus abſentia eſt moleſtior , & quia affectus , quo deſideratur ſummum bonum , poſt hanc vitam in animabus ſanctis , eſt intenſiſſimus ; quia non retardatur affectus mole corporis ; & etiam , quia terminus fruendi ſummo bono jam advenisſet , niſi aliquid impediret , & ideò de retardatione maximè dolent* . Hujuſmodi expiatio congruit ſtatui animarum purgantium , quas inter & Deum mutuus amor eſt .

36 PROB. 7. Non eſt Purgatorio adſtruenda pœna a Scripturarum mente abhorrens ; ſed ſalutis incertitudo eſſet pœna hujuſmodi ; ergo . *Probatur aſſumptum* . Michex 7. v. 8. *Ne læteris inimica mea ſuper me , quia cecidi : conſurgam , cùm ſedero in tenebris , Dominus lux mea eſt . Iram Domini portabo , quoniam peccavi ei , donec cauſam meam judicet , & faciat judicium meum : educat me in lucem , videbo juſtitiam ejus* . Hunc locum de Purgatorio explicant Sanctus *Hieronymus* , *Gloſſa ordinaria* , & alii plures ; In eo ſiquidem ſatis clarè aſſeritur , *portantes iram Domini* , hoc eſt purgantes certos eſſe de ſalute , cùm dicitur : *Educet me , & videbo juſtitiam ejus* . In priori ad Corinth. 3. v. 13. *Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit : dies enim Domini declarabit , quia in igne revelabitur : & uniuſcujuſque opus quale ſit , ignis probabit* : quæ verba Patres, & Tridentinum de Purgatorio interpretantur . Hinc autem compertiſſimum fit , ſicut dies Domini , ideſt dies Judicii particularis revelabit unicuique ſtatum ſuum : *Uniuſcujuſque opus ma-*

Salutis incertitudo non conſonat Scripturis .

aifeſtum erit : dies enim Domini declarabit. Eidem firmandæ veritati congruont verba Job *Miſeremini mei ſaltem vos amici mei* : quæ ab Eccleſia Animabus Purgatorii adaptantur. Niſi aotem de miſericordia conſequenda certæ eiſent, non adeò confidenter apod amicos Ingeminarent, ut a pœuis eruantur. *Epulo* in Inſerno ſepoltus rogat *Abraham*, ut miſſo *Lazaro* ſibi linguam refrigeret, non aotem ut educat. Secus animæ Purgatorii liberationem petunt & refrigerium, quod ab Eccleſia eiſdem ſolet impendi; & *Epuloni* damnato, & miſericordiæ impoti denegatum eſt. Huc recidunt omnia Patrum teſtimonia aſſerentium animas ibi divinæ voluntati conſormes æquo animo tormenta perpeti, cui certè æquanimitati repugnat ea ſalotis incertitudo, quam *Lutherus* comminiſcitur.

Differentia inter Epulonis, & purgantium pœnas.

LUTHERI ARGUMENTA SOLVUNTUR.

37 OBJICIES 1. Spiritus vehementiſſimè turbatus ad ſui ſtatus conditionem non reflectit; ſed purgantes ſunt ſpiritu vehementiſſimè torbato : ergo non reflectunt ad ſui ſtatus conditionem. *Aſſumptom oſtenditur*. Eccleſia animabus defunctorum Pſalmum ſextom applicat; qoo pariter utitur D. *Auguſtinus* verſic. 1. aſſumens : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Ita exponens, ot in furore argui, ſit in æternom damnari; in ira autem corripi, ſit poſt mortem ſeverè caſtigari ad emeodationem. Sed in dicto Pſalmo dicitur *Sana me, Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata eſt valdè* &c. *turbatus eſt a furore oculus meus* : quæ expreſſiones ſtylo vehementiori alibi replicantur; igitur præ triſtitia abſorbentur, na locum ſuum videant.

RESP. Caligaveruot oculi *Luthero*, ne videret lumen, & poſitum eſt velamen ſuper intellectum ejus, ne ſanam reciperet Scripturæ intelligentiam. Ex omni ſiqoidem parte ruit argumentatio. In primis ex eo quod Eccleſia onum Pſalmom aſſumat, non ſequitur omnes illius verſiculos ad rem facere : ſufficit aliquos ad intentum pertinere; ſicuti cùm pro aliqoa feſtiva ſolemuitate caput aliquod Evangelil proponit, non omnia neceſſe eſt, ut ad ipſam colliment ſolemoitatem. Pro ieſto Aſſumptionis legitor hiſtoria de Magdalena, & Martha, etſi ad rem faciant ea tantùm verba : *Maria optimam partem elegit*. Ratio eſt; quia hic Pſalmus, vel illud caput Scripturæ plura cootinet myſteria, pluresque ſenſus in diverſis verſiculis occurrunt. Si *Auguſtino* quicquam fidit *Lutherus*, legat ſecuodam partem verſicoli primi, obi optimè Purgatorii pœna deſcribitur. *Arguuntur enim in die Judicii omnes, qui non habent fundamentum, quod eſt Chriſtus; emendantur autem, ideſt purgantur; quia huic fundamento ſuperadificant lignum, fœnum, ſtipulam; detrimentum enim patientur, ſed ſalvi erunt tanquam per ignem. Quid ergo iſte orat, qui non vult in ira Domini vel argui, vel emendari? Quid niſi ut ſanetur? Ubi enim ſanitas eſt, nec mors metuenda eſt, nec urentis, aut ſecantis Medici manus*. Priora verba notant ſecuritatem eorum, qui in Chriſto moriuntur : ſubſeqoentia poſtulationem illam eſſe Juſti viatoris, qoi Deom precatur, ot eom liberet, ne ad Infernom deſcendat, & ne deſcendat ad Purgatorium; adeoque ſubſeqoens enarrata perturbatio ad viventes refertur, & ideò poſt illam, *tanquam inhærentem perplexitatibus hujus ſeculi*, ſic proſequitur laudatus Doctor, *& ſpinas quaſdam dilacerantium deſideriorum in ipſa converſione patientem ſalvum me fac, inquit, propter miſericordiam tuam*.

Unus Pſalmus, & unum caput Scripturæ plures continet ſenſus.

Sed pertineant otconque ii verſiculi ad Purgantium animas, negatur ea perturbatione ita dejici a ſede rationis, ut ſtatum ignorent ſuum. Nam idem Chriſtus Jo. 12. v. 27. *Nunc*, ait, *anima mea turbata eſt*; & tamen ratio neutiquam illi defuit, nec olla ipſum obruit fluctuatio, incertitodo, aot deſperatio. Voces ergo illæ acerbitatem doloris exprimunt. Cæterùm ex eodem Pſalmo ſic intellecto patet in turbatis, quorum perſonam gerit Pſalmiſta, ſpem conſiſtere, & ſalotis certitudinem; cupiunt enim a pœnis liberari, & anguſtiis erui : quod eſſe nequit in damnatis. *Convertere, Domine, & eripe animam meam* &c. *in Inferno autem quis confitebitur tibi?* quibus indicatur, ſupplicantem cognoſcere ſe haudquaquam in Inferno eſſe, ubi non eſt cooſeſſio.

Perturbatio animabus non tollit rationem.

DICES. *Auguſtinus* lib. 21. de Civitate Dei cap. 24. admittit in animabus hanc incertitudinem. -- Nam pro defunctis quibuſdam, vel ipſius Eccleſiæ, vel quorundam piorum exauditor oratio, ſed pro his, quorum in Chriſto regeoeratorum, nec uſque adeo vita in corpore malè geſta eſt, ut tali miſericordia judicentur digni non eſſe, nec uſqoe adeò benè, ut talem miſericordiam reperiantur neceſſariam non habere : ſicut etiam facta reſurrectione mortuorum non deerunt, quibus poſt pœnas, qoas patiuntur ſpiritus mortuorum, impertiatur miſericordia, ut in ignem non mittantur æternum. -- Ergo S. Doctor Animæ, qoibos impertitur miſericordia, ne in ignem mittantor æternom, debent eſſe de ſua ſalute incertæ uſque ad diem Judicii.

RESP. *ex Ludovico Vive* in Commentariis ejuſdem capitis : *In antiquis libris Brugen., & Colonien. minimè leguntur iſti decem, aut duodecim, qui ſequuntur, verſus: ſic enim ſcribitur : nam pro defunctis quibuſdam, vel ipſius Eccleſia, vel quorundam piorum exauditur oratio, ſed pro iis, quorum in Chriſto regeneratorum, nec uſque adeo vita in corpore malè geſta eſt : reliqua non habentur, ac neque in exemplaribus Triburgi excuſſis*. Et licèt addat ſtylum non abhorrere ab *Auguſtino*; tamen ipſum potuit qoiſqoam imitari; maximè cùm in editione *Eraſmi* plura in hoc capite addita ſint, qoæ commoniter rejiciuntur, ut a Benedectinis Congregationis S. *Mauri* adnotatur : olteriùs jam ſupra num. 31. vidimus ex *Auguſtino* dari Judicium particulare, cum quo incertitudo ſalotis miniınè cohæret.

38 OBJICIES 2. Deſperantis ſunt voces illæ Pſal. 114. v. 3. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula Inferni invenerunt me*; ſed qui ſic loquitur, juxta Eccleſiæ ſenſum

eſt

eſt anima in Purgatorio timens pericula Inferni: ergo non eſt certa de ſua ſalute; aliter infernalia non formidaret.

Pericula Inferni ſunt peccatorum reliquiæ.

RESP. contra *Lutherum*. Ea verba ſive defunctorum ſint, ſive viventium, nihil hæretico favent. Ad viventem referri poſſunt, non tamen deſperantem, ſed prudenter timentem, non adhuc extra corpus conſtitutum, ſed peregrinantem in corpore, ubi propter peccata, quæ neſcit, an ſibi fuerint condonata, ſapienter reformidat mortis anguſtias, Divini Judicii examen, & promeritam damnationem; ideo miſericordiam a Domino expoſtulat. Eccleſia verò Pſalmum illum aſſumit ad repræſentandum mortis articulum, in quo moribundus de ſalute trepidus ignorat, odio ne, an amore dignus ſit. Sed demus ea eſſe verba defuncti, non tamen deſperantis, ſed afflicti, & de ſalute ſecuri. Nomen Inferni non ſonat partem eam, quæ gehenna dicitur, & eſt Reproborum carcer, ſed aliam, quæ carcer eſt Juſtorum. Pericula ſunt mala, & ſupplicia queis affligantur Purgantes; & ideò in verſiculo ſequenti ait: *Tribulationem, & dolorem inveni*. Et fortè ſatiùs dixeris, ea Inferni pericula eſſe purgandorum criminum reliquias, quæ adinventæ ſint, queis non obſtantibus pergit Pſalmiſta; *& nomen Domini invocabo. O Domine libera animam meam, miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur, cuſtodiens parvulos Dominus: Humiliatus ſum, & liberavit me; convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi; quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapſu. Placebo Domino in regione vivorum*: ecce ſecuritas Purgantium.

39 OBJICIES 3. Si animas Purgantium teneret certæ ſpes æternæ ſalutis, Eccleſia pro illis non oraret metuens damnationem; ſed orat de earumdem ſalute metuens: *Libera, Domine, animas omnium Fidelium defunctorum de pœnis Inferni, & de profundo Lacu, libera eas de ore Leonis, ne abſorbeat eas Tartarus, ne cadant in obſcurum*. Sentit ergo Eccleſia Purgantes in Infernum cadere poſſe, & ab illo abſorberi: trepidat igitur de earum ſalute.

Eccleſiæ ordinis conſuetudo.

RESPONDEO. Ecce inanis *Lutheri* triumphus, nequaquam advertentis ritum Eccleſiæ, quæ præterita, vel futura Religionis myſteria ſolet oculis ſubjicere, perinde acſi forent præſentia. In Officio Adventus perinde orat, ac ſi Chriſtus eſſet adventurus: poſt Adventum, ac ſi eſſet recenter natus: in triduo Majoris Hebdomadæ ſe gerit non ſecus ac Chriſtus tunc a Judæis crucifigeretur. Pio hoc artificio divinorum beneficiorum memoriam ferventiùs excitat, ſtudetque ſpiritualiter eadem myſteria actu renovari per effectus bonorum operum, & imitationis in Fidelium cordibus. Nec aliter pro defunctis Eccleſia eas preces refert ad id tempus præſens, quo proferuntur, verùm illud, quo anima a corpore ſeparatur, &

Quomodo excitentur Fideles ad orãdum pro defunctis.

tremendo Dei Judicio ſiſtitur, qua repræſentatione proponens ante oculos terrorem Divini Judicii, excitat memoriam criminum, quæ eo tempore luenda remanent, & ſic ad ferendas animabus ſuppetias inflammemur. Ita fert vulgatior Catholicorum ſententia. Nec cujuſdam Doctoris approbanda expoſitio eſt, Deum ſcilicet per præſcientiam orationes agnoſcere, ad illarum prævisionem mitiùs ſe habere erga animas, pro quibus funduntur. Deus ſicuti propter peccata prævisa non punit, & propter præcognita bona opera non donat præmium: ita nec propter eas preces ſubinde porrigendas mitiùs agit cum moribundis. Attamen vix eſt credibile Eccleſiam per eas orationes nihil mortuis opitulari; orat enim non reſpectivè ad præſens, ſed relativè ad præcedens tempus, ideſt ad inſtans mortis; quare autumant aliqui precationem illam veram eſſe de præſenti pro animabus actu in Purgatorio demerſis. Supponunt enim a Dæmonibus torqueri, & juxta hanc ſuppoſitionem rem explicant: ſed abſque illa ſuppoſitione, tota precatio planè vera eſt, & ſine violentiâ verborum. Particula illa *de pœnis Inferni*, nil faceſſit negotii; quia Purgatorium eſt pars Inferni; nec alia *de profundo Lacu*; quia eſt carcer ſubterraneus; neque alia *de ore Leonis*; os ſiquidem Leonis eſt rigor Divinæ Juſtitiæ. *Ne abſorbeat eas Tartarus, ne cadant in obſcurum*; optima hæc locutio explicat omnimodæ pœnæ mitigationem; quaſi dicat, ne omnino, & omnem ſubeant pœnam, ne ita oblivioni tradas, ut abſque ulla miſeratione totam omnino pœnam luant, ſed parce, libera, mitiga; quæ locutiones nullam in animabus dubitationem ſalutis ſonant.

39 DICES. Hæc precatio alteri conſonat, quam in Defunctorum Officio recitat Eccleſia: *Libera me, Domine, de morte æterna in die illa tremenda, quando Cœli movendi ſunt, & terra, dum veneris judicare ſæculum per ignem; tremens factus ſum ego, & timeo, dum diſcuſſio venerit, atque ventura ira*. Sed in hac evidenter exprimitur timor, & incertitudo ſalutis; & manifeſtè ſupponitur animas non judicari in mortis articulo; ſed præſtolari finale judicium: ergo animæ Purgantium ſecundùm Eccleſiæ ſenſum ambigunt de ſua ipſarum incolumitate.

Eccleſia gerit perſonam peccatoris.

RESP. *negando aſſumptum*. In hac altera precatione ſibi Eccleſia perſonam peccatoris induit criminibus onerati, & futuram exhorreſcentis damnationem; & proinde miſericordem ſibi Deum efficere cupit: Judicii ultimi injicit mentionem, non quia ſupponat in articulo mortis ſingillatim non judicari homines; ſed quia in ultimo judicio, cui ſubordinatur particulare, confirmatur ſententia quoad totum hominem coram Angelis, & hominibus; & hæc utpote ſenſibilior, ad movendum quoque eſt aptior. Ultrò fatebatur *Hieronymus* peculiare Judicium; ipſum tamen aſſidua exercebat de finali Judicio tremenda contemplatio. *Breviùs*. Judicium particulare, & univerſale, quoad ſubſtantiam ſententiæ non ponunt in numero; quia unum eſt confirmatio, & alterius complementum. Sed quoniam quoad nos terribiliori apparatu illud ultimum eſt exequendum; ideo frequentiùs proponitur ad contemplandum. Non ergo directè Eccleſia precationem illam ad defunctos dirigit,

rigit, ſed ad vivos. Verùm ut aliæ id genus objectiones dilucidè reſolvantur.

Ad quid ordinetur Divini Officii.

Moneo cum Sanctis Patribus Horarum Canonicarum Officium eſſe quoddam compoſitum ex variis partibus ad diverſa ſpectantibus. In eo ſunt Cantica, Hymni, Antiphonæ, Hiſtoriæ Divinæ, tum humanæ lectiones, Capitula, quorum ſingula ſuum peculiare myſterium, & finem continent; ſicut contra Hæreticos in controverſiis de particularibus muneribus gradum Hierarchiæ oſtenditur; v. g. Cantica, & Hymni ad gratiarum actiones præcipuè ordinantur: Hiſtoriæ ad inſtructionem per exempla: Lectiones ad eruditionem morum per doctrinam: Antiphonæ ad mutuam, & alternatam Dei laudem: Verſiculi ad adſpirationes ad Deum dirigendas, & poſtulationes miſcendas: Pſalmi ad varios excitandos affectus, & petitiones omnibus ſtatibus accommodatas, incipientibus ſcilicet, proficientibus, & perfectis, juſtis, & peccatoribus, divitibus, pauperibus, & afflictis. Inibi ſunt affectus compunctionis ardentiſſimi amoris Dei, caſtiſſimi timoris, contemplationis perfectiſſimæ, & excellentiſſimæ unionis. Ibidem frequens humanæ fragilitatis cogitatio, divini auxilii poſtulatio: ibi tandem reperitur omne genus affectuum ad orationem pertinentium. Mirifica profert ad rem *Chryſoſtomus* Hom. 6. de pœnitentia: ubi poſtquam per varios affectus dulciſſimè rem amplificavit, exclamans ſubdit: *O magnam Citharam hominum totius Orbis animas, veluti nervos quoſdam unam in conſonantiam, unum gloriæ ſermonem concrepantem, & congregantem!* Eccleſia ergo cùm ſit Fidelium omnium Mater, omnium myſticorum perſonas membrorum aſſumit, & pro animabus proportionatos miſcet affectus; unde omnes, & ſingulæ Officii partes directè, & immediatè non reſpiciunt eundem finem, ſed complexivè acceptæ ad totum myſticum corporis ordinantur. Ea quidem induſtria eſt Eccleſiæ, ut quantum licet, partes Officii ad diem, qui celebratur, accommodet, non tamen ſingulas, & minoris, ut ita loquar, momenti. Ita in Defunctorum Officio ſelegit, quæ ad compaſſionem erga defunctos movendam accommodatiora ſunt, ad placandum Deum, ad oſtenſionem Divinæ Juſtitiæ adversùs peccata. Miſcuit quoque aptiſſima ad peccatores inſtruendos, ut reſipiſcant: inſerit etiam affectus peccatoris ad Deum converſi, divina exhorreſcentis judicia. Non omnis igitur verſiculus, vel Antiphona immediatè, & directè Purgantes reſpicit, licèt omnis labor, tota vis ſatisfactionis in eo recitando ad eorum ſuffragium ordinetur.

Quæ continentur in Divino Officio.

Eccleſia aſſumit perſonam omnium Fidelium.

Non omnia in Defunctorum Officio reſpiciunt defunctos,

40 OBJICIES 4. Pœna, quam ſuſtinent Purgantes, delicto correſpondet; ſed incertitudo ſalutis eſt delicto proportionata; nam correſpondet audaciæ, qua homo peccans periculo ſe expoſuit amittendæ ſalutis, juxta illud Sap. 11., *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*. Si autem incertitudo ſalutis non infligeretur in pœnam, nulla correſponderet delicto, prout peccator voluntariè ſe conjecit in dubium ſalutis diſcrimen; pœna ſiquidem damni congruit averſioni ab ultimo fine: pœna ſenſus converſioni ad bonum commutabile.

RESP. Minor propoſitio eſt falſa: etenim ſalutis incertitudo eſt pœna delicto congrua hominis injudicati, & exiſtentis in ſtatu mobilitatis arbitrii; non autem eſt proportionata homini judicato, cùm in judicio certa pronuncietur ſententia, & intimetur. Quinimmo juſtorum major pœna efficitur, quòd ſint de ſalute certi; ſic enim intenſiùs cruciantur, quò diutiùs impediuntur ab aſſequenda Dei viſione; convenit etiam ſtatui amicitiæ, & filiationis inter Deum, & Juſtos. Amicitia enim præſentem amicum exigit, quo ſi careas ex tua culpa, doles. Incertitudo ſalutis in peccatore oritur ex averſione a bono incommutabili, & converſione ad bonum commutabile; ablatâ per finalem pœnitentiam utrâque illâ formalitate ſive adæquatè, ſive inadæquatè, incertitudo ſalutis non ampliùs congruit, ſed amicorum Dei diſonat ſtatui.

Major pœna ex certitudine ſalutis.

Incertitudo diſonat ſtatui amicorum Dei.

41 OBJICIES 5. Ubi adeſt rationabilis cauſa timendi de æterna ſalute, ibi non datur certitudo; ſed in animabus Purgatorii datur rationabilis cauſa timendi de æterna ſalute; ergo in eis datur incertitudo ſalutis. *Prob. min.* Identitas loci cum reproborum animabus, quotidiana Dæmonum viſio, cum iiſdem converſatio, ab iiſdem conculcatio, blaſphemiarum ſonitus, quos Damnati evomunt, ſunt juſtiſſima timoris ratio, ne è ipſæ de illorum numero ſint. Quod hæc omnia Purgantibus eveniant, fidem faciunt *Cantipatranus* lib. 2. Apum cap. 51. referens militem ſub exitum vitæ converſum duobus traditum Dæmonibus eſſe: *Conſalvus Durantus* in Commentariis revelationum S. *Birgittæ* lib. 4. cap. 8.; auctor vitæ S. *Bernardi* lib. 1. cap. 10., narrans quendam eidem Sancto Doctori apparuiſſe quatuor Dæmonibus exagitatum. S. *Audoenus* apud Baronium *ad ann. 647.* tradit *Dagobertum* purgandum a Dæmonibus fuiſſe ex revelatione venerabili *Anſualda* facta. Similia paſſim apud Auctores facile eſt adinvenire.

Revelationes, quod animæ a Dæmonibus torquantur.

RESP. poſſe inſtari ſic. Major eſt in Inferno damnatorum vexatio, quàm purgantium; attamen ii cognoſcunt ſe damnatos, nec deſperatio eos impedit ab hac cognitione. Eſto, videant Purgantes animæ reproborum agitationes; inde capiunt argumentum ſalutis; quandoquidem ipſæ conformes Divinæ voluntati æquo animo patiuntur, & (quod docent Patres) ſi optio daretur inde evadendi, nollent minùs defæcatæ cœleſtem Sponſum adire. Quidquid autem ſit, an Purgantium animæ ſubſint Dæmonum tyrannidi, de quo plura ſuperiùs P. II. Controv. V., & infrà aliqua dicentur: ex illis aſſertionibus colligitur, certa animarum cognitio de ſtatu ſalutis; poſtulant enim opem contra Dæmonum vexationem. Miles, de quo laudatus Auctor, nomen Dei invocat, & a Dæmonum poteſtate eripitur. *Dagobertus* Galliæ Rex apud prælibatos Auctores Sanctorum ſuppetias implorat, eique præſto fuere SS. *Dionyſius*, *Maurilius*, & *Martinus*, quorum precibus apud Deum incolumis evaſit. Religioſus, de quo in vita S. *Bernardi*, ejuſdem interceſſione ſoſpes e Purgatorio exceſſit.

Damnati certi ſunt de ſua damnatione,

Hinc

Hinc aliod argumentum evidens ſalutis ſuæ concipiunt videntes in diem plerosque e Purgatorio , ex Inferno neminem unquam evadere . Demus ergo in Purgatorio Dæmonum aſſultus blaſphemantium , damnatorum horribiles ſonos , & quicqnid ab adverſariis fingi poteſt ; tamen ita ſe habet anima electi , ſicuti qui propè patibolum , qno Latroues ſuſpenduntur , palo illigatos jam audita Judicis ſententiâ certò intellexit , ſe ad patibulum fore ducendum , haud tamen ut in eo mori debeat .

42 OBJICIES 6. Qui recedit ab Eccleſiæ doctrina , a veritate recedit ; ſed Eccleſia approbat doctrinam de incertitudine ſalutis in Purgatorii animabus : ergo qui id negat , a veritate recedit . *Probatur* . *S. Birgittæ* revelationes ab Eccleſia probatæ ſunt ; ſed in laudatis revelationibus habetur aliquas ſaltem Purgantium animas incertas eſſe de ſalote ; narratur enim de Latrone , qoi in obito ad Deum per contritionem converſus , graviſſimis Purgatorii pœnis ſub incertitudine ſalutis fuit deputatus . *Dionyſius Carthuſianus* lib. de quatuor Noviſſimis cap. 47. , & alibi revelationes affert animarum , quas eadem ſalutis incertitudo vehementer excruciabat .

Huic argumento *Cajetanus* tom. 1. Opuſc. tract. 23. p. 2. ad 2. *Luthero* ſic reſpondet : Eccleſiæ Doctrina ſingularibus non innititur revelationibus , queis ſalſum ſubeſſe poteſt . S. *Thomas* 4. Sent. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 4. habet : *Quidam autem dicunt , quòd non eſt aliquo modo voluntaria ; quia ſunt ita abſorpti pœnis , quòd neſciunt ſe per pœnam purgari , ſed putant ſe eſſe damnatos : ſed hoc eſt falſum ; quia niſi ſcirent ſe liberandos , ſuffragia non peterent , quod frequenter faciant* : & ita revelationes revelationibus opponit . Hoc ipſo quod in illis apparitionibus ſuffragium petant , certò ſciunt , ſe non eſſe damnatos ; quia certa fide ſciunt ſuffragia damnatis non prodeſſe . Hiſtoria *Cartuſiani* habet , *quæ quaſi deſperabiliter torquentur* : hæc locutio pœnæ acerbitatem exprimit , ſed abſolutam negat deſperationem .

Si incertæ eſſent de ſalute , ſuffragia non peterent .

Duplex eſt incertitodo ſalutis : nempe *abſoluta* , quòd aliquis nunqoam ſalvabitur : & *ſecundum quid* , quòd non ſalvabitor , niſi poſt longum tempus . Hac incertitudine Purgantes laborant . Inter conditiones , ſeu inter modos pœnam Porgatorii aggravantes eſt diotornitas ; ſingula eius pœnæ momenta reputantur longiſſima temporum ſpatia . Huc eruditi adducunt illud Petri 3. v. 8. *Unus dies apud Dominum , ſicut mille anni* . Quod ſpectat ad Eccleſiæ approbationem circa revelationes diligenter adverte . Multiplex eſt modus , quo Doctor, Liber , Doctrina approbatur . Primos eſt ordinarius , qoo conceditur facultas edendi aliquem librum ; & hic eſt permiſſionis , nullumque confert pondus poſitivæ auctoritatis . Secundos grados , quando ſpecialis aliquis Doctor in publicum alicujus Univerſitatis Magiſtrum deputatur , v. g. S. *Bonaventuræ* Cathedra in Lugdunenſi Univerſitate erigitur , & in hac approbatione ſecundùm ſe nullum intervenit judicium Apoſtolicæ Sedis , præterquam approbatio erigendæ Cathedræ , & Privilegiorum collatio . Tertius gradus , cùm deputatur aliquis in univerſalem Eccleſiæ Doctorem : & tunc requiritur diſcuſſio , & particulare judicium tom circa perſonam , tum circa doctrinam . Quartus gradus eſt per ſingularem commiſſionem , quando Apoſtolica Sedes ſpeciali examini librum committit , & examinatum judicat Eccleſiæ proficuum vel abſolutè , & abſque alia qualificatione , vel cum qualificatione aliqua , quòd ſcilicet ejus doctrina præ cæteris ſolidior ſit , vel probabilior , vel ſine errore . Quintus , & ultimus gradus definitivus eſt , quando Pontifex ex Cathedra loquens definit doctrinam de fide recipiendam eſſe ; vel etiam quando definitivè procedens illam præ oppoſita tutiorem , & probabiliorem eſſe declarat : tunc qui id dogma reſpuit , ab Eccleſiæ doctrina recedere dicitur , Revelationes D. *Birgittæ* ad hunc approbationis gradum non pertinent ; ſed ad commiſſorium , quatenus ex commiſſione examinatæ , tanquam utiles approbatæ fuerunt , cum qua approbatione ſtat , aliquot poſſe non eſſe veras . In noſtro autem caſu non eſt neceſſe ad falſitatem recurrere ; quandoquidem ſatis explicatur incertitudo illa quoad tempus juxta illud *Auguſtini* Serm. 41. de Sanctis : *Et cùm de die Judicii ſcriptum ſit , quòd erit unus dies tamquam mille anni , & mille anni tamquam dies unus ; unde ſcit unuſquiſque utrum diebus , ac menſibus , an fortè etiam annis per illum ignem ſit tranſiturus ?* Quo medio omnia conciliantur , ut Purgantes ſciant ſe aliquando exituros , neſciant , quandonam exibunt ; ſicuti Damnati certi ſunt , quòd ab Inferno nunquam exibunt , incerti quouſque eorum accidentalis pœna augebitur ; cùm uſque ad Judicii diem propter reproborum numerum , qui quotidiè ad Inferna deſcendunt , creſcat . Et quidem Purgantium ſtatui hæc moderatio congruit , qui immutabilis eſt quoad ſubſtantiam , cùm nequeat gratiâ ſpoliari ; ſed mutabilis quoad accidentia , cùm pœna ſit totaliter remiſſibilis , & remiſſibilis ex cauſa non omninò cognita , immò & variabili . Deus enim taxavit pœnam ſub conditione remittendam per ſuffragia , quæ plura , aut pauciora citiùs , ſeriùſve ſolent offerri . Itaque certi ſunt quoad ſubſtantiam ſalutis , dubii quoad tempus .

Gradus approbationis Eccleſiæ circa revelationes .

Ad quē gradum approbationis pertinent revelationes D. Birgittæ .

Damnatorū pœna creſcet uſque ad diē Judicii .

43 DICES . Juſtus Judex ſententiam profert , & Reo intimat non ſolùm quoad ſubſtantiam , ſed etiam quoad tempus . Condemnat ad triremes , ſed ad quinque , vel decem annos : tradit carceri , ſed ad determinatum tempus : ergo Deus juſtus Judex certam fert ſententiam etiam quoad temporis determinationem .

RESP. Non ſemper in humanis determinatur quantitas temporis in ſpecie . Uſuvenit hoc in reatu pecuniario a caſibus contingentibus dependenti ; donec ſolvantur debita , cuſtodiatur in carcere . Impeditur aliquis adeunda hæreditate , quoad oneribus ſatisfactum ſit , quæ omnia plus , minuſque temporis exigunt . Quoniam verò debitis hiſce temporalibus comparatur pœna Purgatorii , conſonat Divinæ Juſtitiæ , ſi ei placet , temporis diuturnitatem in ſpecie non intimare .

Aliquando nō determinatur in ſpecie tempus pœnæ .

Diſſo-

Diſſonat tamen incertitudo ſententiæ circa ſubſtantiam; namque in humanis juſtus Judex ſaltem determinat in genere finiendum aliquando eſſe carcerem, vel exilium, quando reatus perpetuitatem non meretur; præſertim Judex ſimul etiam ſit Pater maximè diligens filium. *Ulterius*. Finitâ cauſâ, abſolutè non poteſt ferri ſententia, quoad ſubſtantiam ſuſpenſa. Cùm igitur in particulari Judicio (quoad animam ſaltem) totaliter ſit cauſa finita, non poteſt abſolutè proferri ſententia ſuſpenſa: cujuſmodi foret, ſi animæ de æternitate ſalutis in ancipiti penderent. Adde: omnes, & ſingulæ Purgantes animæ in eo æquales ſunt, quòd ſint Filii Dei, & gloriæ cohæredes abſque culpæ mortalis reatu: quòd ſimpliciter, licèt non totaliter, conſtituantur in termino: quòd recipiant immutabilitatem tranſeundi a juſtitiæ ad injuſtitiæ ſtatum; unde æqualiter debent certò moneri de ſua ſalute, cùm hæc certitudo prælaudatis dotibus ſit debita. Sed quia non omnes, & ſingulæ æquales ſunt in reatu pœnæ accidentalis; ideò inæqualiter ſunt in circumſtantiis recipiendi ſuffragia a vivis; ideoque quantum ad hoc non eſt neceſſe, ut æqualiter moneantur, quanta erit duratio pœnarum; ſed aliquas latet, quantum tempus divina ſententia reatui commenſurata expoſtulet.

Finitâ cauſâ debet ferri ſententia quoad ſubſtantiã determinata.

Qua ratione Animæ purgantes dicantur æquales, & inæquales.

44 OBJICIES 7. Communi Patrum calculo ad lancem ſeverioris juſtitiæ in Purgatorio defuncti puniuntur. Hoc juſtitiæ pondus a Patribus deſcribitur, ut Purgatorii pœnæ in quolibet Juſto majores ſint, & graviores omnibus hujus ſeculi pœnis completivè acceptis. Hoc aſſertum fusè probatum habes tom. 2. legationis Eccleſiæ Triumphantis ad Militantem pro liberandis animabus Purgatorii auctore Patre *Elia a S. Thereſia* Carmelita Diſcalceato; ubi quidquid de Purgatorii pœnis dici poteſt, fusè, & eruditè perſequitur. Unam ego, aut alteram ſubjiciam auctoritatem. D. *Auguſtinus* Serm. 41. de Sanctis. -- Sed dicit aliquis; non pertinet ad „ me, quamdiù moras habeam; ſi tamen ad „ vitam æternam perexero: nemo hoc dicat, „ Fratres chariſſimi; quia ille purgatorius „ ignis durior erit, quàm quidquid poteſt „ in hoc ſeculo pœnarum videri, aut cogi„ tari, aut ſentiri. -- *Et Pſalm.* 37. inter alia habet: -- Et quia dicitur, *ſalvus erit*, „ contemnitur ille ignis. Ita planè quamvis „ ſalvi per ignem, gravior tamen erit ille „ ignis, quàm quidquid poteſt homo pati in „ hac vita. -- Apud *Cyrillum* Epiſt. ad *Auguſtinum*. Defunctus meritis D. *Hieronymi* ad vitam revocatus interroganti Sancto Patri, cur jugiter fleret? -- Si ſcires, *ait*, quæ „ pridem expertus ſum, jugiter fleres. Qua„ les enim pœnas putas eſſe paratas, non „ ſolùm damnatis, ſed etiam in Purgatorio „ exiſtentibus? Ad quod ego puto, quod „ majores ſint pœnis præſentis vitæ. Et ille, „ ſi omnes, inquit, quæ in Mundo ſunt pœ„ næ, tormenta, afflictiones comparentur „ minori pœnæ, quæ illic habetur, ſolatia „ erunt; mallet namque viventium quilibet, „ ſi illas per experientiam noſceret, omni„ bus pœnis hìc ſimul ſine remedio cruciari „ uſque ad finem Mundi, quas omnes ho„ mines ab Adam uſque in præſens ſigillatim „ perpeſſi ſunt, quàm uno die in Inferno, „ aut Purgatorio affligi minori pœnâ, quæ „ ibi habetur. -- S. *Bernardus* Ser. in obitu Humberti: -- Volat irrevocabile tempus, „ & dum creditis vos cavere pœnam iſtam „ minimam, incurritis ampliorem. Illud „ enim ſcitote; quia poſt hanc vitam in „ purgabilibus locis centupliciter, quæ fue„ runt hic neglecta, redduntur uſque ad no„ viſſimum quadrantem. -- Plura omitto: ſed inter anguſtias in hoc ſeculo viros juſtos affligentes eſt ſalutis incertitudo: ergo neceſſe eſt, ut omnimodæ Purgantium animæ de ſalute ſint incertæ.

Hæc Cyrilli epiſtola apocripha cenſetur, ſed narratio adducitur; quia paſſim ſimilia apud Auctores reperiuntur.

Huic argumento, quod a noſtris quidem, ſed non a *Luthero* boni ſit, reſpondetur, majorem veram eſſe in ſenſu æquivalenti, non autem in formali, ideſt cruciatus alterius vitæ afflictionis magnitudine, & acerbitate æquivalent, & ſuperant quantitatem afflictionum, quas perpeti in hoc ſeculo homines queunt: non tamen in eo loco congeſtæ omnes illæ pœnæ numero, & ſpecie fuerunt, quas in Mundo exantlamus. Hoc ipſo enim, quòd ibi non eſt anima conjuncta corpori, deſunt ſpecificæ afflictiones hujus vitæ, ſed eſt aliquid majus illi ſtatui conſentaneum. Abſunt ibi formales flagellationes, ſed adeſt gravius: ibi haud ſunt dentium ſtridores, ſed quid vehementius. Perperam ergo fingitur ibidem timor ſalutis, qui viatores angit; ſed cum ſalutis certitudine ſtat magnitudo pœnarum, omnes hujus ſeculi angores ſuperantium. Rationem reddit *Angelicus*; quia pœna ſenſus tantò major eſt, quantò patiens magis eſt ſenſitivum. Eadem plaga homini delicato inflicta gravior eſt, quàm ſi infligatur duriori: & idem numero vulnus parti ſenſibiliori corporis inditum majorem infert dolorem, ut experientia clarè demonſtrat. En diſcurſus S. Doctoris 4. *Sent. diſt.* 21. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 3. -- Simi„ liter etiam, cùm dolor non ſit læſio, ſed „ læſionis ſenſus, tantò aliquis magis dolet „ de aliquo læſivo, quantò magis eſt ſenſi„ tivum: unde læſiones, quæ fiunt in locis „ maximè ſenſibilibus, ſunt maximum dolo„ rem cauſantes; & quia totus ſenſus cor„ poris eſt ab anima; ideo ſi in ipſam ani„ mam aliquod læſivum agat, de neceſſitate „ oportet, quòd maxime affligatur. Quòd „ autem anima ab igne corporali patiatur, „ hoc ad præſens ſupponimus; quia de hoc „ infra *diſt.* 44. dicetur, -- & ideo oportet, „ quòd pœna Purgatorii quantùm ad pœ„ nam damni, & ſenſus excedat omnem pœ„ nam iſtius vitæ. -- Eandem doctrinam repetens primam, & alteram objectionem refellit. Hac doctrina 3. *p. quæſt.* 46. *art.* 6. *ad* 3. probat dolorem animæ ſeparatæ eò graviorem, quem Chriſtus in paſſione ſuſtinuit; tametſi jam dixerit Chriſti dolorem maximum fuiſſe ſupra aliorum quemque hominum. Igitur pœna Purgatorii quamlibet hujus ſeculi pœnam vincit ex parte ſubjecti, quod ſenſibilius eſt, & ex parte punitivæ ſententiæ, quæ eſt ex toto rigore juſtitiæ, cum quo ſtat ſalutis certitudo ratione ſtatus amicitiæ Dei, in quo ſunt Purgantium animæ. Præterquam

Omnes pœnæ hujus vitæ æquivalenter ſunt in Purgatorio.

Exceſſus pœnarũ in Purgatorio ſtat cum certitudine ſalutis.

Major eſt pœna, quantò ſubjectum ſenſibilius eſt.

quod

quod iocertitodo eſt propria hujus vitæ, & non alterius.

45 DICES. Effata Patrum vera ſint oportet in ſenſu formali in eo genere, quod eſt maximè congruum ſubjecto ſenſibili; ſed pœna incertitudinis eſt maximè propria ſenſibilis cognoſcitivi, qualis eſt anima: ergo talis pœna eſt omnioo admittenda; ſecus eſſet falſa propoſitio D. *Gregorii* in *Pſal.* 37. — „ Et quia poſt mortem carnis alii æternis „ deputantur ſupplicils, alii ad vitam per „ ignem tranſeunt purgationis. Fidelix anima „ non ſolùm furorem timet, ſed iram abhor- „ ret. — Et *Beda* ibidem poſt plura: — Nec „ immeritò tantùm timet iſta hanc correctio- „ nem; quia attendit eam eſſe graviorem, „ quàm quidquid unquam paſſi ſunt latrones, „ vel Sancti Martyres. — Ne ſim moroſior in hujuſmodi Patrum aſſertionibus; nna omnium inſtar ſit *Dionyſii Cartuſiani*, qui lib. de quatuor Noviſſimix in recenſitis appatitionibus ſubdit: — Parum eſt, teſtor Deum, „ immò tamquam nihil eſt, quidquid dicere „ nitimor de pœnis loci illius; in breviſſimo „ enim temporis ſpatio intuebar eox centum, „ vel amplius pœnarum diverſitatibux quaſi „ anihilatos, & moa reſtauraros, & iterum „ ferè in nihilum redactos, & rurſux inte- „ graros. Tantux fuit fervor, & edacitas „ illius ignis, nt tepidum crederes omne „ incendium hujus Mundi. Vermex quoque „ dirupti, ac mortui, & per fruſtra com- „ minuti ſub infelicibus cumulatim jacebant, „ qui fętore execrandæ putredinis in tantum „ cuncta replebant, nt fęculentia illa om- „ oium prædictarum pœnarum excederet cru- „ ciatum. — Si ergo in Purgatorio congeruntur omnium tormentorum genera cuique ſenſui, quo anima peccavit, correſpondentia, cùm anima peccans abuſa ſit cognitione æternæ ſalutix, debet per ejuſdem cognitionis incertitudinem plecti. Si cumulus illarum pęnarum longè omnes exuperat pœnas hujus ſeculi, pernceceſſaria eſt omnino pœna timoris, quæ in ſeculo Juſtix eſt maxima; aliter noo erit abſolutus exceſſus.

In Purgatorio admittenda pœna, cujus ſubjectum eſt capax.

RESPONDERI poſſet omnia prædicta pertinere ad pœnam ſenſus, non damni, cui innectitur ambiguitas ſalutis. Sed quoniam Patres plerique ita amplificant pęnam damni, ut eam anteferant queiſcunque hujus vitæ doloribus, cogimur pęnam admittere ſenſibili competentem ſecluſo ſtatus impedimento. At pęna incertitudinis competit animæ in ſtatu mobilitatix, cujuſmodi certè non eſt ſtatus Purgatorii. Corpus humanum non modò eſt obnoxium aduſtioni per ignem, ſed etiam corruptioni; nihilominus poſt diem Judicii damnatorum corpora affligentur ab igne, ſed non diſſolventur; quia ceſſante motu cœleſti, erunt in ſtatu incorruptibilitatix extrinſecæ. Omnex Theologi inter hujux ſeculi pœnas accenſent tentationes, & peccatorum permiſſiones; nemo tamen Purgatorio intrudit hoc pęnæ genus, cui animæ ſeparatæ conditio repugnat. Utique fateor culparum qualitati correſpondere qualitatem pęnæ, ut non ſolùm de propriis caſtigentur, ſed etiam de alienix, quorum curam neglexerunt, & diutior fiat pęna, ſi adhoc influxus aliquis per-

Etiam de alienis puniuntur.

ſeveret in affectu relictus, quod ex præcitata apparitione apud *Carthuſianum* eruitur; ibidem etenim ſubditur: — Inſuper io primo „ loco pœnarum vidi Rectorem cnjuſdam „ Religioſæ Congregationis, & in maximis „ loci illius tormentis, & nunc in igne, „ nunc in balneis fœdix ſulphure, & pice „ mixtim ferventibus graviſſima toleravit „ ſupplicia, qui ioterrogatus a me, cur ta- „ lia ſuſtineret? reſpondit potiùs propter „ ſubditorum meorum peccata, quàm prop- „ ter peccata propria ſuſtineo iſta. Propria „ enim peccata crebrâ confeſſione, diſcipli- „ narum perceptione, orationibus aſſiduis, „ & aliix plurimis modix redimere, & ca- „ ſtigare conſuevi. Subditis verò non ad- „ hibui debitam diſciplinam ex vana quadam „ formidine, ne privarer Primatn ex reſi- „ ſtentia eorundem. Idcirco pœna mea au- „ getur quotidie; quia illorum peccata, „ quæ ex mea negligentia adhuc incidunt, „ in me redundant, nec aliquem finem pœ- „ narum agnoſco. — Haud diffiteor abuſum cognitæ ſalutis Deo injurium eſſe; pœnitentia tamen ipſum reparat non qualitercomque, ſed immobiliter, & immutabiliter, ut ambiguitas ſalutis non ampliùs ſit pœna congruenx ſtatui Juſtorum, immò potiùs repugnans.

Augetur aliquando redditus pœna.

46 INSTABIS. Statui Purgantium convenit pœna proximior inſernali dempta æternitate; eſt enim communix doctrina, Purgantium ſupplicia, & damnatorum ejuſdem eſſe rationix. Hinc D. *Thomas* 3. p. q. 46. art. 6. ad 3. inquirens, an dolor Chriſti in ſua paſſione fuerit maximus, ſibimet objicit, ac reſpondet: *Dolor animæ ſeparatæ patientis pertinet ad ſtatum futuræ damnationis, quæ excedit omne malum hujus vitæ, ſicut Sanctorum gloria excedit omne bonum præſentis vitæ: unde cùm dicimus Chriſti dolorem eſſe maximum, non comparamus ipſum dolori animæ ſeparatæ.* His videtur indicare Purgatorii, & Inferni tormenta quandam inter ſe habere affinitatem; ſed incertitodinix pœna ſimilior eſt pœnâ damnatorum, qnos ſummopere excruciat ſecuritas damnationis: ergo.

Major dolor animæ ſeparatæ, quam Chriſti in Paſſione.

Sed contra; nam hoc ipſo quod pœnarum æternitas excluditur, Purgatorio repugnat capacitas Incertitudiois; admittenda eſt enim ibi ſpes, quæ non amittitur niſi per actualem poſſeſſionem boni ſperati, vel per Fidei amiſſionem, aut per peccatum deſperationix, quæ inibi locum non habet. Porrò eadem ſpex conjuncta cum immobilitate gratiæ nunquam perituræ, elimioat omnem ſalutis formidinem. Atque in hoc ſtat proportio damnatos inter, & Juſtos purgantes, quod quemadmodum illox torquet indubia damnatio, cujus eſſent pœnæ expertes, ſi damnationem ignorarent; non enim affligit, quod voluntati non repugnat, nec repugnat voluntati, quod neſcitur: ſic juſtos tenet ſpes, & certitudo ſalutix, ex qua conſurgit afflictio maxima; quia ex impedimento retardantur a conſecutione boni vehementiſſimè experiti. Quæ afflictio tanta eſt, ut eam Patres affirmeot ioexplicabilem, & quocunque hujus vitæ cruciatu, immò etiam pœnâ ſenſus longè graviorem.

Spes tollit incertitudinē.

47 URGEBIS. Ex dictis Patrum pœna damni quemcumque cruciatum vincit; ſed hoc minimè eſt verum, niſi in Purgantibus ſit admixta incertitudo ſalutis; magis enim affligitur, qui vehementiùs aliquod bonum repetit incertus de conſecutione, quàm qui ſcit illud ſibi aliquando conſequendum.

Sed contra. Jam dixi pœnam eſſe ſtatui coaptandam. Dubietas de ſalute abhorret a ſtatu firmato in bono, & exiſtenti in termino, ſed eſt conditio propria ſtatus mutabilitatis de bono in malum, de amicitia ad inimicitiam Dei. Licèt ergo timor ſalutis abſtractivè conſideratus maximam præſeferat pœnam; tamen concretivè non convenit ſubjecto, quod eſt firmatum in bono. Et aliunde certitudo ipſa doloris ſenſum exacuit conſideranti ſe a beatitudine tandiu arceri propter obicem, quem ſibi quiſque induxit ex breviuſcula voluptate.

48 REPLICABIS. Non poteſt abſolutè defendi ſuppoſita magnitudo pœnarum, niſi immittitur animabus Purgatorii aliqua mentis confuſio, aliqua ſpecies deſperationis, adeoque incertitudo ſalutis. Si enim admittitur virtus mentis, quieta conformitas ad divinum beneplacitum, ferè omnis triſtitia diluitur, nulla propemodum fuerit pœna damni. Nam juxta adagia Stoichorum virtus mentis eſt moderativa triſtitiæ, quam negabant in Sapientis mente cadere. Et ex Philoſopho virtus moralis ponit medium in paſſionibus. Semel igitur data in Purgantibus virtute mentis, mœror exulat, quem Sancti Patres iiſdem ingerunt neceſſariò. Admittenda eſt igitur conſternatio animi, mentiſque confuſio, ut quo loco ſint, haud planè cognoſcant.

Inſtantiam optimè reſolvit S. *Thomas* 3. p. quæſt. 46. art. 6. ad 2. — Virtus moralis
„ aliter mitigat triſtitiam interiorem, &
„ aliter exteriorem dolorem ſenſibilem.
„ Triſtitiam enim interiorem diminuit di-
„ rectè, in ea medium conſtituendo,
„ ſicut in propria materia. Medium autem
„ in paſſionibus virtus moralis conſtituit,
„ non ſecundùm quantitatem rei, ſed ſe-
„ cundùm quantitatem proportionis, ut ſci-
„ licet paſſio non excedat regulam rationis.
„ Et quia Stoici reputabant, quòd nulla
„ triſtitia eſſet ad aliquid utilis, ideò cre-
„ debant, quòd totaliter a ratione diſcorda-
„ ret, & per conſequens, quòd totaliter
„ eſſet ſapienti vitanda. Sed ſecundùm rei
„ veritatem triſtitia aliqua laudabilis eſt,
„ quando ſcilicet procedit ex ſancto amore,
„ utpote, cùm aliquis triſtatur de peccatis
„ propriis, vel alienis. Aſſumitur etiam
„ ùt utilis ad finem ſatisfactionis pro pecca-
„ to &c. Dolorem autem exteriorem ſenſus
„ virtus moralis directè non minuit; quia
„ talis dolor non obedit rationi, ſed ſequi-
„ tur corporis naturam; diminuit tamen
„ ipſum indirectè per redundantiam ex ſu-
„ perioribus viribus in inferiores. — Virtus ergo mentis non minuit quantitatem triſtitiæ ortæ ex dilatione beatitudinis, nec paſſio in eis excedit rationis regulam; quia certiſſimè pœnam illam noſcunt juſtiſſimam eſſe, & debitam reatui ab ipſis in vita contracto; eaque propter tam æquo ſuſtinent animo, ut gemere in Purgatorio mallent, quàm in Cœlo jucundari needum exſoluto Juſtitiæ Divinæ debito. Pœnam verò ſenſus directè non minuit; quia hæc pœna ſequitur naturam ipſius ſenſibilis patientis, & aliundè ex ſuperiori animi portione nihil redundat, quod dolorem mitigat, aut extinguat.

Cum virtus mentis ſtat dolor in Purgantibus.

49 SUBSUMES. Ita ſe habet malum futurum ad timoris, & triſtitiæ motus, ſicuti futurum bonum ad motus ſpei, & gaudii; ſed malum futurum vehementer apprehenſum ùt certum non generat timorem, ſed triſtitiam; quia apprehenditur tanquam præſens: ergo futurum bonum apprehenſum certiſſimè, & infallibiliter ùt futurum parere debet non ſpem, ſed gaudium: adeoque in Purgatorio non erit afflictio ob retardatam beatitudinem. Ut ergo animæ vehementer doleant, neceſſaria eſt incertitudo ſalutis. Quòd verò malum apprehenſum ùt certum non gignat timorem, ſed triſtitiam, patet ex D. *Thoma* 1. 2. q. 42. art. 2. *Aliquo modo æſtimatur aliquod malum, quod eſt futurum, ùt non futurum propter neceſſitatem, quæ facit ipſum æſtimare ùt præſens. Unde Philoſoph. dicit 2. Rethoric.: quòd illi, qui jam decapitantur, non timent, videntes ſibi neceſſitatem mortis imminere; ſed ad hoc ut aliquis timeat, oportet adeſſe aliquam ſpem ſalutis.*

RESPONDEO. Quando objectum apprehenditur ùt futurum, ſi eſt malum, incutit timorem: ſi eſt bonum arduum, indit ſpem, etiamſi adſit certitudo de ejus futuritione. In Purgatorio bonum beatitudinis eſt revera, & abſolutè futurum, & ùt futurum rectè apprehenditur: aliundè eſt arduum; quia mediis piacularibus pœnis conſequendum; ideo gignit ſpem ſimul, & afflictionem; quia *ſpes, quæ differtur, affligit animam*; affligit, quia aſſecutio boni eximii impeditur ob defectum voluntariè poſitum ex leviſſimo motivo. Et cùm dilucidè cognoſcatur improportio inter ſummi boni poſſeſſionem, & impedientes culpas, dolor exacuitur eò magis, quò cognitio eſt clarior, & actu ſemper inſiſtit, & cor penetrat, ùt conſtat in infirmis imaginariis, ideſt fixis cum imaginatione ad morbum læſivum.

Objectū malū apprehenſum revera ut futurum efficit timorē, ſicut bonum ſpem.

50 OBJICIES 8. Elapſo inſtanti Judicii particularis, in quo animæ, auditâ ſententiâ, certiores fiunt de æterna ſalute, & mox deducuntur in locum ſatisfactionis; poteſt Deus ſuſpendere ſpecies rememorativas latæ ſententiæ, & reflexivas circa conditiones loci, & ſtatus. In Actis pro Sanctificatione S. *Roſæ* Limenſis habetur: ea divinitùs ſic figebatur in Inferni meditatione, ut crederet ſe verè in termino eſſe, nec indè unquam ad ſtatum viæ reverſuram. Nec hujuſmodi illuſiones dedecent, ſicut non dedecet animam in eo decipi, & illudi, quòd horæ ſpatium credatur annus. Nota eſt Hiſtoria apud *Thomam Cantipratenſem* lib. 2. de Apibus cap. 14. *Albertus* ex Ordine Dominicano, & poſtea Ratiſponenſis Epiſcopus gravi morbo laborans, Dominum cum lachrymis rogavit, ut ab eo languore per mortem eriperetur: cui Angelus apparens optionem dedit, an triduum mallet

S. Roſæ Limenſis dubietas.

mallet in Purgatorio eſſe, vel ad annum in lectulo morbi ejus vim proferre, & inde rectà ad Cœleſtem Patriam vià tranſire. Cùm ille triduum in Purgatorio elegiſſet, prima die necdum elapſa Angelus eum viſitans, ait, *quid nunc agis, o anima, quæ præ languore unius anni tribus diebus elegiſti detineri in Purgatorio? Cui anima: o ſeductor, inquit, non Angele, qui me in pœnis multis annorum curriculis pro trium dierum ſpatio fefelliſti. Et Angelus non morâ, inquit, ſed inæſtimabili torturâ decepta es; quia non niſi unum diem de tribus in Purgatorio perfeciſti*: & data iterum optione, an redire vellet ad priſtinum languorem, libentiſſimè ſubſcripſit, etiamſi in dolore acriore uſque ad finem mundi eſſet detinendus: ecce deceptio circa temporis ſpatium.

Duplex ſuſpenſio.

Breviter reſolvitur argumentum. Illa ſuſpenſio eſt impoſſibilis, attenta conditione ſtatus. Nam vel ea ſuſpenſio eſt poſitiva, ideſt conjuncta cum judicio, ſeu aſſenſu, quòd revera non ſit tuta ſalus, & hoc repugnat; quia admitteretur error in intellectu Juſtorum, quod implicat; & maximè quia in Deum refundendus eſſet tamquam in auctorem particularem. Vel illa ſuſpenſio eſt merè negativa, ideſt non permittens actus reflexivos ad motiva certificantia de ſalute, & tunc non eſt magna pœna; ſed abſtractio quædam a motivis lenientibus ſecundùm ſe, & impediretur propria ratio pœnæ damni, quæ conſiſtit in retardata beatitudine ſibi proximè debita. Attamen ne hæc quidem ſuſpenſio poteſt admitti. Indelenda inhæret menti cognitio latæ in particulari Judicio ſententiæ, ſcientia ſui ſtatus primò impreſſa, & hoc propter conditionem animæ ſeparatæ, in qua ſpecies immobiliter obfirmatæ nunquam obliterantur, nec perturbantur. Quemadmodum enim Dæmones propter obſtinationem in malo, & damnatorum animæ ſemper actualiter incumbunt in pravam voluntatem Deo inſenſiſſimam, quam a primo damnationis momento conceperunt; ita Juſtorum animæ propter obfirmationem in bono jugiter permanent in iiſdem cogitationibus, quas cùm a corpore ſeceſſerunt, habuere; & ideo remanet in eis viva reflexio ad prolatam ſententiam. Deinde ex Patrum doctrina Juſti purgantes poſitivos patientiæ, & conformitatis actus ad divinam voluntatem eliciunt, rectèque judicant, nullam ſibi injuriam fieri, æquiſſimam eſſe punitionis inflictæ rationem, & ſpe firmiſſima ſuſtinent, ac nutriunt charitatis affectus. Quamobrem fugatur omnis pavor, & ambiguitas ſalutis. Neque obſtat exemplum de B. *Roſa*; quia cùm eſſet adhuc in via, non repugnabat ſuſpenſio ſaltem negativa, ideſt, non permittens actus reflexivos ad motiva certificantia de proprio ſtatu. Idem dicendum eſt de B. *Alberto*, cujus anima non erat a corpore ſejuncta, ſed alienata a ſenſibus tormenta Purgatorii patiebatur. In noſtro caſu autem nihil horum verificari poteſt; quia ſuppoſitâ Judicis ſententiâ in particulari judicio prolatâ, intellectus nec poteſt decipi, nec poteſt remanere ſuſpenſus a cognitione proprii ſtatus.

In Juſtis poſt mortem non poteſt dari ſuſpenſio poſitiva, nec negativa.

51 OBJIC. 9. In Purgatorio ſunt tenebræ Job 5. 14. *Per diem incurrent tenebras*; & cap. 10. 22. *Terram miſeriæ, & tenebrarum*: Pſal. 106. *Sedentes in tenebris, & umbra mortis*, & alibi: ſed tenebrarum nomine venit privatio cognitionis: ergo animæ Purgatorii carent cognitione ſalutis.

RESP. Majorem eſſe damnatorum caliginem; attamen non excluditur certa cognitio damnationis; unde a fortiori cognitio ſalutis in Purgatorio ſubſiſtit. Quòd autem tenebræ in Inferno non ita affundantur, ut impediant cognitionem ejuſdem perpetui carceris, liquet ex *Gregor.* l. 9. Moral. 49. *Flamma comburit, ſed nequaquam tenebras diſcutit, quantum per notitiam præſentis vitæ colligitur, ſupplicia ordinem non habent, quæ non ſuam per omnia qualitatem tenent, quamvis illic ignis & ad conſolationem non lucet, & tamen, ut magis torqueat, ad aliquid lucet*. Sic in Purgatorio tenebræ, queis punitur fortaſſe culpa per oculos contracta, non excludunt lumen, quo ſuam quiſque conditionem certò cognoſcat. Immò in diſcurſu *Gregorii* includitur optima ratio noſtræ favens ſententiæ. Mœſtitia oritur ex amiſſione boni ſibi debiti; bonum tamen, quod ammittitur, ſi ignoretur, non parit dolorem. Docent Theologi pueros in Lymbo non mœrere, quandoquidem ſe beatitudinis perpetuò caſſos fore neſciunt. Ut ergo dolorifera ſit boni privatio, debet cognoſci non quidem cognitione falſa, quæ eſſe nequit in eo rectitudinis, & ſanctitatis loco. Cognitio autem, ut vera ſit, debet attingere privationem beatitudinis non ùt æternam, ſed ad tempus a Deo determinatum. Sicut autem reprobi cognoſcunt cauſam ſuæ damnationis, & reatum pœnæ æternæ non falſa, ſed vera cognitione; ſic etiam Juſti compertam habent conditionem ſui ſtatus, cui debita ſit pœna tantummodo temporalis. Vide Tract. III. Par. I. Controv. II. num. 35. & ſeq.

Purgatorii tenebræ non impediunt rectam cognitionem.

CONTROVERSIA IV.

AN PURGATORIUM SIT LOCUS PECULIARIS DETERMINATUS.

52 C*Alvinus* lib. 2. Inſtit. cap. 16. §. 1. *Beza* in cap. 2. Act. *Bucerus* ejus Magiſter in cap. 25. *Matthæi* inſtar fabulæ derident ea, quæ circa locum Purgatorii a Catholicis perhibentur. Veruntamen ad ipſos non eſt directa hæc diſputatio, cùm nihil certi definitum ſit ab Eccleſia, an aliquam Deus ſtatuerit purgandis animabus ſedem. Catholici in varias opiniones abeunt. *Origenes* apud Hieronymum Epiſt. ad Avitum, & *Philo* propriam cuique conſcientiam Purgatorii loco ponunt; ſed hæc opinio ab omnibus rejicitur; nam etiam vivis hujuſmodi Purgatorium eſſet commune. Nonnulli docuere locum ſupplicii eſſe hunc mundum, ubi animæ in corpore tamquam in carcere detinentur: quam ſententiam velut abſurdam impugnat *Irenæus* lib. 5. ex eo quod Scriptura docet animas hac vita functas ad Inferos deſcendere. Alii Purgatorium figunt in quocunque loco homines peccant. Contra hos omnes.

Diverſæ opiniones de Purgatorii loco.

Purgatorium eſt locus determinatus intra terræ viſcera.

51 DICO. *Purgatorium eſt locus juxta ordinariam Dei Providentiam determinatus intra viſcera terræ.* A Ita S. *Thomas* 4. Sent. diſt. 21. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. PROBATUR *primò*. Ubicunque Eccleſia nihil definit, diſcurrere debemus juxta Divinæ Providentiæ congruentiam ex connexis certò revelatis; nec enim meliorem in obſcuris habemus regulam; ſed ex certo revelatis congruit Divinæ Providentiæ animas in determinato loco purgari: ergo Purgatorium eſt locus determinatus. *Minor explicatur*. Certò nobis revelatum eſt loca Damnatorum, & Beatorum eſſe determinata. Certò etiam nobis eſt revelatum, ſtata fuiſſe quædam pœnarum genera. Ergo ad Divinam quoque Providentiam B ſpectat certam ſtatuere Purgantium ſedem, quæ ſe habeat ad modum carceris, ubi coactæ ſimul dolentes animæ ex ipſa ſocietate doloris capiant incrementum, ſicuti gaudium econtra augetur ex hilari congaudentium conſeſſu.

Sicut ex amicorum bono gaudium; ita ex malo triſtitia conſurgit.

54 PROB. *ſecundò*. Ideò dicitur locus non eſſe determinatus; quia unuſquiſque patitur, ubi peccavit; ſed id nullo modo veriſimile eſt: ergo. *Minor explicatur*. Primò Juſtitiæ ordo non exigit, ut quis puniatur in loco delicti commiſſi, niſi in caſu extraordinario ad aliorum exemplum, ſed in loco malefactoribus deſtinato. *Secundò*, C eadem anima pluribi peccavit; quòd autem a loco in locum diſcurrat ad capeſſendam pœnam, videtur non ita facilè confingendum. *Tertiò* nobis favent ipſæ revelationes pro oppoſita ſententia ab auctoribus adductæ; v. g. *Paſchaſius* Romæ, ùt dicitur, peccaverat in Pontificis electione contra *Symmacum Laurentio* favens; attamen in Thermis Angulanis *Germano* Capuano Epiſcopo apparuit. S. *Severinus* in Palatio Imperatoris peccaverat Canonicas ſimul horas manè recitando; attamen a S. *Petro Damiano* lib. de Miraculis fertur in flumine purgari.

Ordinariè nō puniuntur quis, ubi delictum patravit.

D

55 PROB. *tertiò*. Scripturæ ſatis clarè indicant Purgatorium eſſe locum ſtabilem ſub terra. Act. 2. v. 24. de Chriſto dicitur: *Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni*. Infernus idem eſt ac infra nos, antrum videlicet ſubterraneum, ad quod Chriſtus deſcendit, unde aliquas Purgantium animas eduxit. Immò apud eundem omnia pœnarum loca apud Inferos ſunt; unde *Auguſtinus* lib. 2. retract. cap. 24. ait: *De inferis magis mihi videor, docere debuiſſe, quòd ſub terris ſint, quàm rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur, ſivè dicantur, quaſi non ità ſit*: deindè Eccleſiaſtici 24. v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes,* E *& illuminabo omnes ſperantes in Domino*: ergo animæ Purgantium ſunt infra terram; non enim damnati ſperant in Domino. Apoc. 5. v. 3. *Nemo poterat neque in Cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum*: ergo ſubtus terram aliqui degunt, ad quos reflecteret *Joannes*; ſed non potuit reflectere ad Damnatos, neque ad creaturas irrationales, quarum non erat librum aperire: ergo ad Juſtos, qui ſunt incolæ cœli, terræque. Ecquinam ii ſunt præterquam mortui?

Ex Scripturis poteſt colligi Purgatorium eſſe locum determinatum intra terram.

56 DICES. Hæ Scripturæ ad Patres referuntur in ſinu Abrahæ.

A

ESTO; ſed hoc ipſo admittitur carcer ſub terra conſtitutus. Sancti Patres tenebantur ſubterraneo ſpecu, quoad originalis culpæ reatum ſolverent. Quantò magis id idem fatendum de perſonalis culpæ ſontibus?

57 Communis Doctorum ſententia eſt, Infernum eſſe intra viſcera terræ antrum quoddam quatuor carcerea comprehendens. Pars inferior eſt ſedes Damnatorum, & propriè dicitur Infernus, de qua Luc. 16. v. 22. *Mortuus eſt Dives, & ſepultus eſt in Inferno*: & a qua ſe liberatum fatetur Pſalmiſta: *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori* B Pſal. 85. v. 13.; non quia illuc aliquando deſcenderit, ſed quia propter peccata deſcendere debuerat. Secunda Puerorum Lymbus vocatur, ubi ob culpam originalem viſionis beatificæ ſunt expertes. Hoſce duos carceres conjungit Concilium Florentinum in litteris Sanctæ Unionis agens de morientibus in actuali, vel originali peccato mortali, ubi aſſerit hos in Infernum deſcendere pœnis imparibus puniendos. Tertia ſpecus Purgatorium vocatur, de qua in præſentiarum eſt ſermo, ubi actualis culpæ ſontes pœnam luunt. Quarta dicitur Lymbus Patrum, ſeu Abrahæ ſinus, quam ſub terra eſſe, & Infernum vocari de fide eſt; C nam exprimitur in Symbolo per illa verba *deſcendit ad Inferos*. Huc reſpexit *Jacob* Gen. 42. v. 38. *Deducetis canos meos cum dolore ad Inferos*. Huc *Job* 17. verſ. 16. *In profundiſſimum Infernum deſcendent omnia mea*. Profundiſſimum vocat non reſpectivè ad alia Inferni antra, ſed comparativè ad ſuperiora terræ loca. Et de hac ſuprema Inferorum ſpelunca ait *Gloſſa* ad 30. caput *Job* v. 23. *Ubi conſtituta eſt Domus omni viventi*. Infernus erat domus omnium viventium ante adventum Chriſti. Si ergo Sanctos Patres ſubterraneus tenebat locus, quamvis ſolo peccati originalis reatu præpediti; D a fortiori idem fatendum de perſonalis flagitii conſciis. Si cuilibet hominum ſtatui determinata aſſegnantur receptacula, cur vagum, & indeterminatum erit purgantium?

Quatuor inferiorum animarū receptacula poſt mortem.

58 Veruntamen de ſitu hujuſmodi carcerum aliquid diſputant Doctores. Primus dicendi modus explicat loci naturam tanquam ſuperioris, & inferioris, quo modo cœleſtia corpora diſponuntur. In infimo loco circularem ponunt concavitatem, in qua damnati recipiuntur, & hæc proprio nomine eſt Infernus. Collocant ſecundo loco concavitatem pro pueris ſine baptiſmo decedentibus. Tertio Purgatorium. Quarto in ſuperiori parte ſinum Abrahæ. E Sed hujus ſententiæ diſcrepant auctores in poſitione ſecundæ concavitatis. Quidam Inferno ſtatim conjungunt Purgatorium ea ducti ratione, quòd actuale peccatum utpote a propria voluntate pendens ſit deformius, quàm originale, quamvis aliunde gravius; & quia D. Thomas 4. *Sentent. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 2.* eundem eſſe ignem docet Purgatorii, & Inferni; propterea neceſſe eſt illa duo loca continuari. Alii ſecundo loco Puerorum Lymbum ponunt. Et hæc opinio videtur tenenda tum propter Concilium Florentinum,

Deſcribitur ſitus concavitatum ſecundum varias opiniones.

Prima opinio

quod

quod utrumque copulat, tum propter D. *Thomam*, qui 4. *Sentent. diſt.* 45. *quæſt.* 1. *art.* 3. poſt Infernum Lymbum enumerat. Attamen ſive Lymbo, ſive Purgatorio ſecundus locus adſcribitur, deberent deſcendentes in gehennam tranſire per omnia hæc ſubordinata loca; & damnati ante Chriſti adventum tranſiiſſent per Lymbum, ubi Sancti Patres degebant, quod videtur incongruum.

Secunda opinio.

59 Secundus modus non explicat illas concavitates per ſubordinationem inferioris, & ſuperioris penes locum, ſed per contiguitatem omnium concavitatum ad eandem ſuperficiem Infernalis cavernæ in hunc modum. In centro terræ ſtatuit amplam, & profundiſſimam voraginem gehennæ, & circa illius circumferentiam reliqua receptacula diſtribuit; unum verſus unam Mundi partem; aliud verſus aliam; quo diſtributionis modo veritatem ſalvat communis locutionis Scripturæ, & Patrum, qui uno hæc omnia loca vocabulo complectuntur: & revera poſt diem Judicii omnia damnatorum plena erunt.

Verùm diſtributio hæc non congruit Luc. 16. v. 26. dicenti: *Inter nos, & vos chaos magnum*, ideſt inter damnatos, & exiſtentes in Abrahæ ſinu. Quæ phraſis innuit grande intervallum inter hæc loca, quod non ſalvat præſens explicandi modus. Præterea ibidem v. 23. habetur: *Elevans autem oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham a longè*, quæ verba notant Infernalem ſpecum in parte inferiori; Lymbum verò Patrum ſitu eminentiore.

Tertia, & quarta opinio.

60 Tertius modus aſſerit Infernum eſſe in medio terræ ad inſtar circularis magnæ concavitatis, de qua figura non eſt dubium, cùm Orbis terrarum circularis ſit. In ejus circumferentia Purgatorium conſtituit, & optimè ſalvatur, quomodo idem ſit ignis Inferni, & Purgatorii. In altero ſphæræ ejuſdem latere Puerorum Lymbum ſtatuit: in altero, ſed altiori parte, & verſus nos Lymbum Patrum collocat: ſeu & fortè melius. Superius ſuper Inferni circumferentiam collocantur alia loca, Purgatorium, & Puerorum Lymbus contigua ita, ut Purgatorium formet unum ſemicirculum, alium Lymbus. Nec major amplitudo ante Judicii diem neceſſaria eſt, cùm ſolæ animæ contineantur, quæ non occupant ſpatium; tum quia ex Purgatorio fit tranſitus ad Cœlum, & pueri ſunt longè minores numero damnatorum. Lymbus verò Patrum elevatur in ſuperiori parte verſus nos, alium formans ſemicirculum verſus latus aliquod Mundi, ad quem ex Purgatorio dabatur tranſitus ante Chriſti adventum. Quartus modus ferè in idem reddit.

Animarum omnium receptacula nõ ſūt niſi quinque.

61 Quæritur hìc, an animarum receptacula ſint plura quinque; quia tamen hinc nihil proficuum emanat, ſufficit S. *Thomæ* auctoritas 3. p. quæſt. 69. ſupplement. art. 7. — „ Dicendum, quod receptacula animarum „ diſtinguuntur ſecundum diverſos ſtatus earum; anima autem juncta mortali corpori habet ſtatum merendi, ſed exuta corpore eſt in ſtatu recipiendi pro merito bonum, vel malum: ergo poſt mortem, „ vel eſt in ſtatu recipiendi finale præmium, vel eſt in ſtatu, in quo impeditur ab illo; ſi autem eſt in ſtatu recipiendi finalem retributionem, hoc eſt dupliciter; vel quantum ad bonum, & ſic eſt Paradiſus, vel quantum ad malum, & ſic ratione actualis culpæ eſt Infernus, ratione autem originalis eſt Lymbus Puerorum. Si verò eſt in ſtatu, quo impeditur a finali retributione conſequenda; vel eſt propter defectum perſonæ, & ſic eſt Purgatorium, in quo detinentur animæ, ne ſtatim præmia conſequantur propter peccata, quæ commiſerunt; vel propter defectum naturæ, & ſic eſt Lymbus Patrum, in quo detinebantur Patres a conſecutione gloriæ propter reatum humanæ naturæ, quæ nondum poterat expiari.

CONTARIORUM ARGUMENTA SOLVUNTUR.

62 OBJICIES 1. Pœna Purgatorii nihil eſt aliud, niſi conſcientia remordens: ergo. *Probatur ant.* Iſaiæ 66. verſ. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Hic locus applicatur tam Gehennæ, quàm Purgatorio: ſed vermis eſt conſcientia remordens: undè Prov. 25. v. 20. dicitur: *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno; ita triſtitia viri nocet cordi*, & ſanè vermis nequit propriè intelligi, ſed tropicè, & eſt mœror ex delicto conſurgens, qui dente rabido lacerat animam.

Conſcientiæ remorſus nõ cõſtituit Purgatorium.

RESP. *neg. antec.* Non ſolus conſcientiæ remorſus conſtituit Purgatorium. Matth. ſiquidem 5. v. 25. habetur: *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te adverſarius Judici, & Judex tradat te miniſtro; & in carcerem mittaris*. Qui locus explicatur de Purgatorio, & per adverſarium intelligitur conſcientia, quæ legem Dei ſenſibus contrariam proponit. Attamen vides conſcientiam diſtingui & a Judice, & a carcere. Non ergo Purgatorium ſolo conſtat conſcientiæ motu. Locus verò *Iſaiæ* de gehennæ pœna apertè loquitur, & ad hanc explicandam aſſumitur a D. *Marco* cap. 9. Cui explicandæ S. *Auguſtinus* lib. 2. de Civitate Dei cap. 9. triplicem affert ſententiam. Prima ponit ignem propriè, & tropicè vermem ad animam pertinere, prout a Scriptura ſumitur pro triſtitia, & dolore. Secunda vermem, & ignem ait ſpectare ad corpus damnatorum poſt Judicii diem, & in ſenſu omninò proprio, cùm miraculosè vermes in igne vivere nemo neget poſſe. Tertia docet ignem ad corpus propriè, vermem ad animam. Nullum dicendi modum improbat laudatus Doctor. Ex quo habetur, quod ſicut *Iſaiæ* textus non excludit juxta quamcumque explicationem determinatum locum pro damnatis, idem pariter dicendum erit, ſi purgantibus animabus applicetur.

Vermes in igne vivere ſaltem miraculosè.

63 OBJICIES 2. Omne, quod habet determinatum locum, magis convenit cum illo loco, quàm cum alio. Sed animæ ſeparatæ indiſcriminatim ſe habent ad omnia loca, nec magis uni conveniunt, quàm alteri.

Ergo

Ergo non ſunt in determinato loco, præſertim quod nullam vel pœnam, vel delectationem ſumunt a loco, cùm a corporibus nihil recipiant. Quare *Boetius* lib. de Hebdomadibus ait: *Communis animæ conceptio eſt apud Sapientes incorporalia in loco non eſſe*. Cui conſonat illud *Auguſtini* lib. 12. ſuper Geneſim ad litteram cap. 32. *Citò quidem reſponderim, ad corporalia loca animam non ferri, niſi cum aliquo corpore*.

Anima dicitur convenientiâ proportionalitatis ad Purgatorii.

RESP. *diſt. min.* Non magis animæ conveniunt convenientiâ participationis *concedo*: convenientiâ proportionalitatis, *nego min.* Convenientia duplex eſt, alia participationis in eadem qualitate, ſicut calida ad invicem conveniunt: alia proportionalitatis, ùt cùm Deus dicitur Sol; quia eſt principium vitæ ſpiritualis, ſicut Sol corporalis: & ſecundùm hanc convenientiam quædam animæ quibuſdam locis magis conveniunt, ſicut animæ ſpiritualiter illuminatæ cum corporibus luminoſis: animæ verò obtenebratæ per culpam locis tenebroſis: dari autem hujuſmodi proportionem, nec apud Philoſophos dubium fuit, cùm juxta ordinem mobilium ſubſtantiarum ſeparatarum, ordinem poſuerint. Et certum eſt corporalia à Deo mediis ſpiritualibus gubernari: & quamvis a corporibus locantibus nihil recipiant, ibi tamen ligantur, & ibi torquentur velut in carcere. Ad ſecundum *Auguſtinus*, & Patres ſimilia loquentes ſolùm intendunt animas modo quantitativo nobis noto non eſſe in loco, nec localiter ferri, quo modo corpora materialia feruntur; ſubdit enim Auguſtinus: *Jam utrum habeat aliquod corpus, cum de hoc corpore exierit, oſtendat, qui poteſt, ego autem non puto*.

64 OBJICIES 3. Ex revelationibus fide dignis conſtat Purgatorium non eſſe locum determinatum: ergo nulla eſt aſſertio noſtra. *Probatur ant.* D. Gregorius 4. *Dialog. cap.* 40. deſcribit revelationem factam Sancto *Germano* Epiſcopo Capuano de *Paſchaſii* anima, quæ in balneis calidis *Angulanis* apparens denunciavit ſe ibi detineri, undè ſuffragia expoſtulavit. S. Petrus Damianus *lib. de Miraculis ſui temporis* narrat oſtentum animæ S. *Severini*, quæ in flumine purgabatur. Alia hujuſmodi miſſa facio. Patres ſuſtinent peccatis diſſimilibus coaptari diſſimiles pœnas; quamobrem aliud manet avaris ſupplicium: aliud ſuperbis. Ergo idem dic de locorum diſcrimine, in quibus peccatur.

RESP. *Neg. anteced.* Ad probationem communiter reſpondetur, Deum aliquando diſpenſaſſe cum quibuſdam animabus ad eruditionem viventium. Cæterùm aliud eſt animas ibi apparuiſſe, aliud ibi Purgatorium habuiſſe; ſicut in Epiſtola S. *Petri Damiani* 13. deſcribuntur damnatorum revelationes, nec inde colligitur earundem ibi animarum fuiſſe Infernum.

65 DICES. Apud *Gregorium* defunctus dixit: *Hic deſtinatus ſum*: ergo non ſolùm ibi apparuit, ſed etiam ibi degit ad ſupplicium.

RESP. Ibi ſanè patiebatur; quia erat divinæ expers gloriæ, & igni alligatus piaculari, ut eſſet vera propoſitio: *Hic deſtinatus ſum*; ideſt in hoc igne, in hoc loco pœnarum, ubi ſum, qui in hoc balneo tibi oſtenditur. Nec aliter damnati ubicunque appareant, ibidem torquentur, cùm ſuum præſeferant Inferni ſupplicium. Nec ratione quicquam moveor in contrarium adducta; licèt enim peccaverint pluribi, non ſunt tamen ubique torquendi, ùt patet in humanis: & etiam liquet ex eo, quod ut vis in corpore peccaverint, in corpore tamen non purgantur. Fateor quidem graviùs puniri, ſi qualitas loci peccatum aggravet.

Quando animæ apparent, ibi etiã vere torquentur.

66 OBJICIES 4. Videtur Purgatorium in noſtro aere poſitum; ergo ſub terram falsò compellitur. *Antecedens probatur*. Status Purgantium eſt inter damnatos medius, & beatos: ergo medius debetur locus; medius autem eſt noſter aer: ergo in noſtro aere purgantur.

Puniuntur propter peccatum, quod eſt infra nos.

RESP. *Neg. ant.* ad probationem reſpondet S. *Thomas* animas in Purgatorio puniri non propter illud, quod ſunt ſupra nos, ſed propter peccatum, quod eſt infra nos, ac ideo non eſſe plectendas ſupra nos in noſtro æthere. Quanquam Ven. *Beda* narret quemdam, cùm ad Cœlos per Angelum duceretur, magnos per aerem ignes ſibi conſpectos eſſe, quos Angelus dixit ibi reſervatos tum ad Mundi conflagrationem, tum ut examinarentur opera hominum; hinc tamen ſolummodo voluit Deus nos edocere, quemadmodum igne purgati cœlum ſcandimus. Sed hæc oſtenta, ùt ſæpè dixi, extra ordinem ſunt providentiæ communis.

67 OBJICIES 5. contra numerum locorum. Cuique Peccatorum ſtatui aſſignandus eſt pœnarum locus. At ſi quis cum ſolo originali, & veniali decedat, nullus ex prænotatis locis ei competeret: ergo. Frequenter enim accidit, ut pueri ſine baptiſmate moriantur etiam cum veniali peccato. *Minor declaratur*. His non correſpondet nec Paradiſus, nec Purgatorium, nec Lymbus Patrum, cùm careant gratiâ: nec Lymbus Puerorum, cùm ibi nulla ſit pœna ſenſus, quæ tamen eſt veniali debita: nec Infernus damnatorum, quandoquidem careant gravi peccato actuali.

Puer perveniens ad uſũ rationis tenetur ſe cõvertere ad Deũ.

RESP. Apud Thomiſtas negatur hypotheſis; cùm enim ſtatuant quemque, cùm primùm fuerit compos rationis, teneri ad Deum ſe convertere tanquam ad ultimum finem, non poteſt venialiter priùs peccare, quàm mortaliter; præceptum enim illud obligat ſub gravi. In ſententia verò ejuſmodi præceptum excludente, dico puniendum eſſe in Inferno; veniale enim punitur temporaliter in Purgatorio; quia adjunctam habet gratiam; quâ ſeclusâ congruit ſubjecto Dei inimico pœna ſempiterna.

* * * * *
* * * *

CON-

CONTROVERSIA V.

AN ANIMÆ PURGATORII IDENTIDEM EXEANT AB ERGASTULO.

SEnſus quæſtionis eſt, an Purgantium animæ ità exeant ad nos, ut revertantur ad locum ſuum; nam quod inde ad gloriam demigrent nullatenus ad Purgatorium reverſuræ, non eſt quæſtio. Hujus difficultatis reſolutio valdè juvat doctrinam Patrum, & alia fidei dogmata. Eapropter recentiores Hæretici, & præcipuè Centuriatores Magdeburgenſes ſummo conatu animarum exitum ab Inferis obſtruunt, ſicque ad alios errores tuendos viam ſternunt.

68 DICO. Animæ Purgantium, Deo diſpenſante, aliquando exeunt. *Probatur primò ratione.* Animæ Purgatorii manent ſub libera Dei poteſtate. Ergo Deo diſpenſante poſſunt exire, ſicut in humanis incluſi carcere, quoniam parent mandato Judicis, poſſunt aliquando Judice diſpenſante ad tempus a carcere dimitti. Ant. nulli dubium eſſe poteſt; tum quia Scriptura aſſerit, quod *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt*; tum quia Deus univerſale, & abſolutum in omnem creaturam habet imperium. Sed licèt hæc ratio efficaciſſima ſit ad probandam hujuſmodi exitus facultatem, haud tamen confert ad praxim (Plura enim fieri poſſunt, quæ nec fiunt, nec futura ſunt) ideò aliter probatur concluſio.

Animæ in Purgatorio manent ſub libera Dei poteſtate.

69 Toties admittendus eſt practicus uſus poſſibilitatis alicujus rei, quoties plura exempla fide digna illum afferant; ſed animas Purgatorii aliquando exire exempla fide digna demonſtrant: ergo ita ſentiendum. *Minor declaratur inductione.* Gregorius Magnus *lib.* 4. *Dialogi cap.* 40. affert exemplum *Paſchaſii*, qui apparuit Sancto *Germano*, & *cap.* 55. aliud ſimile deſcribit. S. *Severinus* Colonienſis Epiſcopus cuidam Preſbytero apparens affirmavit ſe in Purgatorio puniri propter Horas Canonicas ſimul mane recitatas, ùt *Petrus Damianus* Epiſt. ad *Deſiderium*. Beato *Malachiæ* pluries è Purgatorio Soror apparuit Eucharistico tandem Sacrificio liberata, ùt teſtatur S. *Bernardus* in Vita ejuſdem *Malachiæ*. Monachus Ciſtercienſis S. *Bernardo* apparuit: fuſis ad Deum precibus liberatus eſt: ita *Guillelmus* in Vita S. *Bernardi* lib. 1. cap. 10. Plurima hujuſmodi oſtenta legere eſt apud *Bedam* lib. 3. & 5. Hiſtoriæ Anglicanæ apud *Bloſium* in Monili Spirituali, in revelationibus S. *Birgittæ* &c.

Animas e Purgatorio exiſſe, exemplis comprobatur.

CONFIRM. Aliquando animæ a Paradiſo deſcendunt. Ergo etiam aſcendunt è Purgatorio. Conſequentia tenet a paritate, immò a fortiori; cùm animæ Beatorum jam in termino ſint, & immobiliter ſuo ultimo fini unitæ. *Antec. conſtat* innumeris exemplis apud D. *Auguſtinum* lib. de Cura pro Mortuis cap. 16. *Euſebium* lib. 6. Hiſtoriæ cap. 5. *Sulpitium* in Vita S. *Martini*, *Paulinum* in in Vita S. *Ambroſii* &c. Ergo.

70 Huic argumento obtrudunt *Magdeburgenſes* omnia ea fuiſſe ludibria oculorum, & Dæmonum ſpectra, nec non phantaſticas illuſiones, nullumque ex Scripturis exemplum poſſe depromi.

Verùm quamvis inter apparitiones, & revelationes, quæ hominibus factæ dicuntur, plures falſæ habeantur; nihilominus magnæ impudentiæ eſt, ait *Auguſtinus* lib. de Cura pro Mortuis, negare animas identidem è ſuis ſedibus ad nos emitti; cùm tot Viri ſapientes, & Deo pleni idipſum ratione, & experimento comprobent ſuo. Nequiquam Deus in re tam gravi fineret illudi, & errare Eccleſiæ Doctores, qui ejuſmodi apparitionibus utuntur ad confirmanda myſteria Fidei de reſurrectione, de animæ immortalitate, de pœnis, & præmiis hominibus poſt mortem ſtatutis, maximè quòd Divinæ Providentiæ ſit mos revelata miraculis comprobare.

Authoritas Doctorum fidem facit de veritate.

71 Nec Scripturæ deſunt teſtimonia. Poſſet adduci exemplum *Oniæ*, & *Jeremiæ*, qui *Judæ Machabæo* apparuerunt 2. Mach. 15., ſed quia dicitur ſomnium vidiſſe, ideò contra Hæreticos non multum probat: alia duo ſubjungam. *Moyſis* animam inquit Scriptura è Lymbo eductam, ſuoque corpori, vel aereo conjunctam Dominicæ transfigurationis myſterio adfuiſſe. Matth. 17. v. 3. *Et ecce apparuerunt ei Moyſes, & Elias cum eo loquentes.* Quiſnam ea dixerit imaginaria ſpectra in teſtimonium veritatis a Chriſto fuiſſe evocata? Præſertim quod D. *Thomas* poſt *Chryſoſtomum* Homil. 57. ſuper Matthæum, doceat ideo Chriſtum evocaſſe *Moyſem*, & *Eliam*, ut ſe mortuorum æquè oſtenderet, ac vivorum Dominum, *Moyſem* ab inferis eiens, vivumque *Eliam* advocans è longinquo. Nulla autem videretur in vitam, & mortem poteſtas, ſi omnia fictitiè evenirent. Solet afferri quædam *Gloſſa*, quæ negat animam, & corpus fuiſſe *Moyſis*, & *Eliæ*; ſed apocripha eſt, & deſumpta ex lib. de Mirabilibus Sacræ Scripturæ, quæ S. *Auguſtino* perperam adfingitur.

Moyſes apparuit in transfiguratione.

72 Alterum exemplum habetur 1. *Reg. cap.* 28. de anima *Samuelis*, quæ *Sauli* ſe ſe oſtendit, dum a *Pythoniſſa* divinationem petiit. Veram fuiſſe animam *Samuelis*, ſequentia demonſtrant. Scriptura Sacra laudato capite perpetuò vocat *Samuelem* eum, qui apparuit, & quinquies ibidem nominans eum, qui *Sauli* viſus eſt, quinquies pariter *Samuelem* appellat. Sed ſi non fuiſſet vera anima *Samuelis*, non ſemper uteretur propria ſignificatione nominis; cederet ſiquidem in Dæmonis gloriam, quod Spiritus Sanctus tot vicibus illud nomen repeteret in ordine ad finem honorificum, qualis eſt veritatis cognitio. Nec tale quicquam habetur in Scriptura, nempè toties ſub magni viri nomine Dæmonem indicari, præſertim cùm videamus in Sacro Textu ad honorem veritatis etiam allegorias explicari: ùt patet de Angelo *Tobiæ* comite, qui *Azariæ* perſonam repræſentans, in fine tandem ſe ſe Angelum prodidit.

Vera anima Samuelis Sauli apparuit.

73 DICES ex regula *Auguſtini* lib. 2. ad *Simplicianum* quæſt. 3. Sacra Scriptura imagines rerum frequenter appellat eorum nomine, quorum imagines ſunt. Hine dicitur *Pharaonem* vidiſſe ſpicas, & boves; & certè

itos

nos intuentes pictam imaginem Virginis, dicimus hæc eſt Virgo Maria.

Regula Auguſtini circa intelligentiã Scripturæ.

RESP. Regula vera eſt; ſed In Scriptura quoties rerum Imagines proprio appellantur nomine, ſemper aliquid adjungitur, ex quo deduci poteſt negatio realitatis. Deducitur autem ex contextu, vel ex verbo prævio, vel ſequenti, vel quia alibi Scriptura illud exponit, vel ex evidenti abſurdo, vel repugnantia; ſic in allato exemplo ponitur in ſomniis vidiſſe ſpicas: ſicut Exod. 25. verſ. 22. habetur. *Loquar ad te de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuper arcam*: attamen patet verè non loqui de Cherubim, quia prius Exod. 25. v. 18. dixerat; *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies*; ex quibus certè non loquebatur Deus. Sed in noſtro caſu nihil eſt, quod ſenſum limitet, vel explicet: ergo Scriptura intelligenda eſt juxta verborum proprietatem.

Saul quæſivit reſponſa per medium extraordinarium.

74 Ut clarior res fiat, examinetur textus Scripturæ. & In omnibus ferè partibus Sacræ Hiſtoriæ deducetur argumentum pro vera anima *Samuelis*. Igitur 1. Reg. 28. v. 6. de *Saule* legitur: *Conſuluitque Dominum, & non reſpondit ei neq; per ſomnia, neq; per Sacerdotes, neq; per Prophetas*: is erat uſitatus mos, quo Deus reſponſa dabat. Hinc *Saul* motus eſt ad certam notitiam extraordinario modo exquirendam. Nec ei mens erat a Dæmone patre mendacii expetere, ſed a Viro fideli, cùmque experimento didiciſſet *Samuelem* fuiſſe veracem Dei Prophetam; Ideò v. 11. ait: *Samuelem mihi ſuſcita*. Dixerat quidem priùs v. 8. *Divina mihi in Pythone*, errans in eo, quod crederet *Samuelis* animam magicis poſſe incantationibus evocare; ſed non a Dæmone reſponſa ſcitabatur, proindè ſtatim ſubdidit, *& ſuſcita mihi, quem dixero tibi*.

Non per Dæmonem, ſed per Samuelẽ petiit reſponſa.

Verſ. 12. *Cùm autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamavit voce magna*. Cùm *Pythoniſſa* ſpectris aſſueta foret terribilibus, cur timuit? cur exclamavit? Certè quia inuſitatum quiddam acciderat, apparitio ſcilicet *Samuelis*, antequam incantationes perficeret, ſuaque proferret carmina. Quomodo ergo Dæmon fuiſſe dicitur; ſi magica necdum fuerat arte provocatus? Prævenit *Samuel*, jubente Domino, incantationes, apparuitque *Sauli*. Haud aliter 2. Num. 22. 32. *Balaam* Dæmonem conſulens pro *Balac* Rege Moab, Angelus præveniens ſublimem illam de Iſraele, & Chriſto prophetiam protulit; & 4. Reg. 1. v. 16. Legatis ab *Ochozia* Rege ad *Beelzebub* ſcitandum miſſis ſuper ejus ſalute occurrens *Elias* mortem denunciavit.

Samuel prævenit Pythoniſſæ incantationes.

75 Dices verſ. 21. Mulier ingreſſa ad Saulem ait: *Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ*: ergo ſuas circulationes peregerat: ergo falſò dicitur *Samuel* præveniſſe incantationes.

Sed contra: ex dicto verſiculo non eruitur, quod *Pythoniſſa* jam ſuis functa magicis artibus foret, ſed dixit, obediviſſe; quia paratam ſe exhibuit ad illas eſſormandas; ſicut *Balaam* ibat obediens *Balaac*; maximè quod poterat dicere ſe obedientem præſtitiſſe; quia Id quod exoptaverat *Saul*, apparitio ſcilicet *Samuelis*, evenerat. Proſequor textus expoſitionem: v. 12. *Et dixit ad*

A *Saul: quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saul*: hic malefica cognovit *Saulem*, quem priùs non cognoverat. Cur hoc? Quia nimirum *Samuel* apparuit non ea ſpecie, qua ſolent alii. Etenim *Rabini* aſſerunt eos, qui per magicas incantationes evocabantur, tranſverſo corpore apparuiſſe, & capite ad terram inclinato; *Samuel* autem præſeferebat eundem corporis habitum, quo ſolebat Regem aſſari. Cùm ergo apparitio hæc diverſa omninò fuerit ab aliis, ſivè quia prævenit incantationes, ſivè quia diverſimodè contigit; ideò dicendum non fuiſſe phantaſma, ſed veram animam *Samuelis*, quæ ſe videndam obtulit *Pythoniſſæ*.

Diverſimodè ab aliis apparuit Samuel.

B Verſ. 13. *Deos vidi aſcendentes de terra*. Hoc nomine appellabantur Viri excellentiores apud Hebræos, & Gentiles; & quia virtute præcelleret *Samuel*, propterea Deum appellavit, quo nomine cæteros, quos per magiam excitaret, inſignire non conſuevit.

Verſ. 14. *Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio*: hic deſcribitur pacifica, ſuaviſque præter conſuetudinem apparitio; in aliis namque magicis incantationibus miſcetur confuſio, terror, & horror. Hinc ſubditur, *& intellexit Saul, quòd eſſet Samuel*. Non enim illum vidit, ſed peculiari inſtinctu pro certo cognovit Samuelem eſſe: *Intellexit*, ideſt cognovit, non autem putavit,
C aut arbitratus eſt. Quando res eſt vel ficta, vel dubia, utitur verbis, quæ ſignificant imaginem, vel dubietatem, ùt quando *Magdalena* Chriſtum credidit ſub ſpecie Hortulani, verbum adbibet *exiſtimare*, non autem intelligere: 4. *Reg.* 5. Naaman putavit quòd Eliſeus egrederetur: & Sap. 12. 27. de falſis Diis dicitur: *Per hæc quos putabant Deos; & inclinavit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adoravit* *. His deſcribitur Regis obſequium erga *Samuelem*; tum quia illum venerabatur tamquam Dei Prophetam; tum
D ut honore illum ad reſpondendum alliceret. Dæmon autem non indiget ſpeciali cultu, ut reſpondeat, cùm hoc libenter faciat, ut principatum, & dominium in homines exerceat.

* 1. Reg. c. 28. v. 14.

Verſ. 15. *Quare inquietaſti me ut ſuſcitarer?* Per modum increpantis hoc dixit Propheta; cæterùm lubenti animo venerat obediens mandato Dei, a quo non fuiſſet miſſus, niſi *Saul* poſtulaſſet. Suſcitari eſt venire, ſeu exire de loco, in quo erat; & quia *Samuelis* receptaculum erat locus quietis, non tormentorum, ideò apparitio cum objurgatione conjungitur *quare inquietaſti me*? Non igitur fuit
E Dæmon; quandoquidem ſtatio Dæmonum non eſt locus quietis: *Deus receſſit a me*, ſic Saul, *& exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum* viventium ſcilicet, *neque per ſomnia: vocavi ergo te* Prophetam mortuum, & mihi fidelem, *ut oſtenderes mihi, quid faciam*, quomodo ſcilicet prævalere poſſim contra Philiſthiim. Porrò Dæmon neſcit modum prævalendi contra Deum pugnantem ad punitionem impiorum. Noverat enim *Saul* ſe ab hoſtibus premi propter ſua ſcelera, quamobrem dixit: *Deus receſſit a me*.

Spiritus, qui apparent, nõ ſunt alligati loco.

Verſ. 16. *Quid interrogas me, cùm Do-*

minus

minus receſſerit a te ? Ideſt nequicquam me percunctaris, cùm ſcias Deum eſſe contra-
A re: Deus a te receſſit, & ego a te; quia Dei ſum: Deus decrevit te punire, & ego Dei decretum revereor. Planè in ore Dæmonis hæc cauſalis eſt falſa, quippequi ſtet cum illis, a quibus receſſit Deus, nec ſtet pro Deo, ſed contra ipſum; & quidquid a Deo Impii non obtinent, ultrò Dæmon ſpondet, ut ſibi conciliet aſſeclas, & cultores.

Dæmon liberior eſt cum impiis.

Verſ. 17. *Faciat tibi Dominus, ſicut locutus eſt in manu mea.* Hoc non poterat Dæmon nec per ſe dicere, nec ſub figura *Samuelis*. Siquidem prædixerat *Samuel*, & prædicit infortunia aſſignans cauſam; quâ puniebatur, crimen nempe in *Amalech*, & alia
B 1. *Paralipom.* 10. recenſita. Noſſe non poterat Dæmon determinatè cauſam, ſeu peccatum, quod Deus puniendum intenderet; non enim Dæmon ſcrutator eſt divinæ voluntatis. In hac prædictione illud recollendum occurrit, quod res fuerunt omninò determinatè, abſolutè, & cum individuis circumſtantiis, prout ſubinde contigerunt, prænunciatæ: aſſequi non poteſt Dæmonis virtus, quæ dumtaxat conjectando probabiliter, & obſcurè aliqua portendit aſſumens verba amphibologica, quæ ſi eventus fallit, in alio queant ſenſu ab interrogantibus explicari. In
C noſtro caſu omnia certò, & abſolutè prænunciata ſunt; quapropter in terram cecidit *Saul* præ metu, & certitudine prædictionis; ſciebat enim fatidica eſſe verba, nec poſſe quæ *Samuel* prænarraverat, effugi; tamque verax fuit ejus locutio futurorum prænuncia, ut exinde magnum ei Prophetæ nomen extiterit: Eccleſiaſtici 46. v. 23., *& poſt hoc dormivit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ejus de terra in prophetia delere impietatem gentis*; & 1. Paralip. 10. v. 13. juxta 70. Interpretes: *interrogavit Saul in Ventriloqua ad quærendum, & reſpondit ei Samuel Propheta.* Porrò Dæmoni
D etiam vera divinanti Prophetæ nomen non convenit; aliter nutaret fides, dum ad cognoſcendam doctrinæ veritatem aſſumitur futurorum prædictio, ſicuti Chriſtus ſolet in Evangelio: undè Iſajæ 41. v. 23. habetur: *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis.* Ecquid abſurdiùs, quàm quòd mendacii ſummus auctor Prophetæ nomen gerat. S. Thomas *quæſt. 6. de potentia art. 5. in corpore* ait, ſi Deus poteſtatem peragendi cujuſquam miraculi Dæmonibus concederet, falſimonii foret teſtis: — Ad hu-

Samuel prædicit cauſam punitionis.

Nomen Prophetæ Dæmoni non poteſt convenire.

„ juſmodi, quæ ſunt ſupra facultatem naturæ
„ ipſorum, ideſt Dæmonum, a Deo nulla
E „ datur poteſtas; quia cùm operatio mira-
„ culoſa ſit quoddam divinum teſtimonium
„ indicativum divinæ virtutis, & veritatis,
„ ſi Dæmonibus, quorum eſt tota voluntas
„ ad malum, aliqua poteſtas daretur facien-
„ di miraculum, Deus falſitatis eorum teſtis
„ exiſteret, quod divinam bonitatem non de-
„ cet. — Prophetare nihil eſt aliud, quàm futura prædicere ex inſtinctu Dei; quod quia piorum hominum peculiare eſt, qui plura ad Dei honorem operantur, ad ſignificanda etiam alia ſolet extendi; hinc prophetare eſt aliquando idem, ac do-
A cere 1. *Corinth.* 17. Prophetæ ſunt ipſi Doctores, vel Dei laudatores 1. *Paralip.* 25. vel qui miracula operantur, ut veritatem confirment, quo ſenſu Eccleſiaſtici 48. v. 14. de *Eliſeo* legitur, *& mortuum prophetavit corpus ejus*; quia reſurrectionis miraculo prædicationem de vero Dei cultu comprobavit; & cap. 49. v. 18. de *Joſeph* mortuo dicitur: *Et oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt*; ideſt confirmarunt prophetiam, quam vivens fecerat de Hebræorum exitu ab Ægypto. Nullo autem ex his modo Dæmoni convenit prophetare. Non ergo Dæmonis ſpectrum Sauli apparuit, ſed verus Samuel.
B Scio equidem quandoque Dæmonem, Deo cogente, veritatem fateri; ùt Marci 1. verſ. 24. *Quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio qui ſis Sanctus Dei*; & Act. 16. verſ. 17. Puella quædam habens Pythonem clamabat poſt *Paulum*, ſocioſque: *Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam Dei.* Sed clara in primis ſigna Dæmonem produnt loquentem, ſicut in adductis exemplis. Præterea etiam ſubjectum veritatis eſt de præſenti, ùt ex dictis conſtat; deinde utvis Dæmon ſit aliquando veridicus, nunquam inſigniendus eſt prophetæ nomine, nec fidem meretur; quia obſti-
C natus in malo etiam vera dicens, decipere intendit, & ea veritatis ſpecie ſibi conciliat fidem, ut tutiùs fallat. Conſonant hæc D. Thomæ 2. 2. *q.* 110. *art.* 1. *in corpore*. — Si
„ aliquis formaliter falſum dicat, habens
„ voluntatem falſum dicendi, licèt ſit ve-
„ rum id, quod dicitur, in quantum ta-
„ men hujuſmodi actus eſt voluntarius, &
„ moralis, habet per ſe falſitatem, & per
„ accidens veritatem; unde ad ſpeciem
„ mendacii pertingit. — quod repugnat Prophetæ.

Prophetare pluribus modis dicitur.

Dæmon loquens veritatem intendit decipere.

76 Neque minus roboris præſefert argumentum ex eo deductum, quod plerique
D Patrum ex Samuelis apparitione approbant animæ immortalitatem. Sic Juſtinus Martyr *in Dialogo cum Tryphone Judæo pag.* 333. —
„ Animas ſuperſtites manere, etiam ex de-
„ monſtraverim, quod & Samuelis animam
„ Ventriloqua Pythoniſſa, ita ut Saul petie-
„ rat, evocavit. — D. Auguſtinus *lib. de*
„ *Cura pro Mortuis gerenda cap.* 15. — Mitti
„ quoque ad vivos aliquos ex mortuis, ſicut
„ e contrario, quod Paulus ex vivis in Pa-
„ radiſum raptus eſt, Divina Scriptura te-
„ ſtatur: nam Samuel Propheta defunctus
„ vivo Sauli etiam Regi futura prædixit. —

Ex facto Samuelis probatur animæ immortalitas.

77 Accedunt alii Patres aſſertam verita-
E tem confirmantes. Ambroſius *in cap.* 1. *Luc. v.* 5. — Eliſeus mortuus defunctum cadaver
„ hominis tactu ſui corporis ſuſcitavit, &
„ Samuel poſt mortem ſecundùm Scripturæ
„ teſtimonium futura non tacuit. — S. Zeno Veronenſis, ſeu alius auctor *Serm. de reſurrect.* — Samuel ille Sacerdos egregius mortis
„ jam lege diſpunctus, Sauli Regi deſide-
„ ranti ſine ambiguitate non tantùm ſuam
„ præſentiam exhibet, ſed etiam ad conſulta
„ reſpondit. — Origenes *Lib.* 1. *Reg. cap.* 28. probat aſſumptum; quia Spiritus Sanctus, a quo divinas litteras ſcriptas eſſe credimus,

 dicat:

dicat : *Et vidit mulier Samuelem , & exclamavit*
voce magna , vocetque Samuelem Illum , quem
A Saul collocutus eſt ; quia futura prædixit ,
quæ Dæmoni innoteſcere non poterant . Et
mirum eſt , quòd omnia ibi enumerata vera
ſint , & quòd ſolummodo falſum illud ſit ,
quod de Samuelis apparitione dicitur ; cùm
ſine ambiguitate Scriptura loquatur : uti-
que æquè poſſemus dicere falſa eſſe cæte-
ra , quæ ibi dicuntur , & quæ de Samuelis
laude *Eccleſiaſtici* 48. recenſentur .

78 DICES . Diſparitas in eo eſt , quod
anima Samuelis juſti evocari non potuit a
Pythoniſſa , ùt docet S. Pionius Presbyter ,
& Martyr *contra Judæos* : — Quomodo potuit
B „ impius Dæmon , qui in illius mulieris
„ ventre loquebatur ; Sancti Prophetæ ani-
„ mam in ſinu Abrahæ quieſcentem in hanc
„ vitam revocare ? quod enim inferius eſt ,
„ ſuperioris imperio paret . — Tertull, *lib.*
de Anima cap. 57. — Nec enim Pythonico
„ tunc ſpiritui minus licuit animam Samuelis
„ effingere , poſt Deum mortuos conſulente
„ Saule , abſit alioqui , ut animam cujuslibet
„ Sancti , ne dum Prophetæ a Dæmonio cre-
„ damus extractam . — S. *Euſtachius* Antio-
chenus Epiſcopus in Diſſert. de Engaſtrimy-
tho contra Origenem : *Fatendum eſt eam* (ſup-
ple Pythoniſſam) *non potuiſſe propheticam ani-*
C *mam evocare* . Gregorius Magnus *in c.* 8. *Iſaja*:
Gregorius Niſſenus Epiſt. ad *Theodoſium* Epiſ-
copum ; Hieronymus *in cap.* 7. *Iſaja* ; Cyril-
lus Alexandrinus *lib.* 6. *de adoratione in ſpiri-*
tu , & veritate: Theodoretus *quæſt.* 63. *in lib.*
1. *Reg.* Pluresque alii , qui ſpectrum appa-
ruiſſe exiſtimant . Quare hæc opinio proba-
bilitate non caret .

RESP. In primis falſum eſt non potuiſ-
ſe , Deo diſpenſante , per Dæmonem evocari
Samuelis animam . Audiatur *Auguſtinus* ; qui
egregiè *Simpliciano* reſpondet *lib.* 2. *de diverſis*
quæſtionibus quæſt. 3. — Item quæris , utrum
„ ſpiritus immundus , qui erat in Pytho-
D „ niſſa , potuerit agere , ut Samuel a Saule
„ videretur , & loqueretur cum eo : ſed
„ multo majoris miraculi eſt , quod ipſe Sa-
„ tanas Princeps omnium immundorum ſpi-
„ rituum potuit loqui cum Deo , & petere
„ ad tentandum Job juſtiſſimum virum , qui
„ etiam tentandos Apoſtolos petiit . Aut ſi
„ hoc non ideo habet difficilem quæſtionem ;
„ quia per quam voluerit creaturam , cui
„ voluerit creaturæ , ubique præſens veritas
„ loquitur , nec propterea magni meriti eſt ,
„ cui loquitur Deus . Intereſt enim quid lo-
„ quatur ; quia & Imperator multis inno-
„ centibus non loquitur , quibus providen-
E „ tiſſimè conſulit ad ſalutem ; & cùm mul-
„ tis innocentibus loquitur , quos jubet in-
„ terfici . Si ergo hinc propterea nulla quæ-
„ ſtio eſt , nulla ſit quæſtio , quomodo etiam
„ immundus ſpiritus cum anima Sancti Viri
„ loqui potuerit . Omnibus enim Sanctis ,
„ Deus Creator , & Sanctificator longè uti-
„ que major eſt . Quod ſi hoc movet , quod
„ licuerit ſpiritui maligno excitare animam
„ Juſti , & tanquam de abditis mortuorum
„ receptaculis revocare , nonne magis mi-
„ randum eſt , quod Satanas ipſum Domi-
„ num aſſumpſit , & conſtituit ſupra pinna-
„ culum Templi ? Quolibet enim modo fe-
„ cerit , ille etiam modus , quo Samueli fa-
„ ctum eſt , ut excitaretur , ſimiliter latet .
„ Niſi fortè quis dixerit , faciliorem Diabo-
„ lo fuiſſe licentiam ad Dominum vivum ,
„ undè voluit , aſſumendum , & ubi voluit
„ conſtituendum , quam ad Samuelis defun-
„ cti ſpiritum a ſuis ſedibus excitandum .
„ Quod ſi illud in Evangelio nos ideò non
„ perturbat ; quia Dominus voluit , atque
„ permiſſit nulla diminutione ſuæ Poteſtatis ,
„ & Divinitatis id fieri , ſicut ab Ipſis Ju-
„ dæis quamquam perverſis , atque immun-
„ dis , & facta Diaboli facientibus , & te-
„ neri ſe , & vinciri , & illudi , & cru-
„ cifigi , atque interfici paſſus eſt . Non eſt
„ abſurdum credere , ea aliqua diſpenſatio-
„ ne divinæ voluntatis permiſſum fuiſſe , ut
„ non invitus , nec dominante , atque ſub-
„ jugante magicâ potentiâ , ſed volens , at-
„ que obtemperans occultæ diſpenſationi
„ Dei , quæ & Pythoniſſam illam , & Sau-
„ lem latebat , conſentiret ſpiritus Prophe-
„ tæ Sancti ſe oſtendi adſpectibus Regis Di-
„ vinâ eum ſententiâ percuſſurus . Cur enim
„ anima boni hominis a malis vivis evoca-
„ ta , ſi venerit , ammittere videatur digni-
„ tatem ſuam , cùm & viri plerumque
„ boni vocati ad malos veniant , & agant
„ cum eis , quod officium poſtulat æquitatis
„ ſervato , atque inconcuſſo decore virtutis
„ ſuæ , & illorum vitiis pro rerum præſen-
„ tium vel uſu , vel neceſſitate tractatis ? —
Adde : faciliùs per ea tempora evenire id
poterat , dum Viri Sancti necdum frue-
bantur Deo viſo , & erant aliqualiter in
via , & concluſi in ſubterranea ſpecu , quæ
eſt pars quædam Inferni , de quo dicitur in
Symbolo *deſcendit ad Inferos* . Quare Sancti
Patres non negant , Deo annuente , potuiſſe
fieri , ſed eo tendunt , ut negent factum eſ-
ſe , & magica vi poſſe fieri , quod utique
non eſt concedendum . Plurimi hoc Scriptu-
ræ exemplo probabant Dæmonibus ſubdi de-
functorum animas , quem ut errorem Patres
evellerent , negarunt animam Samuelis Dæ-
monis ope evocatam .

Animæ defunctorū non ſunt ſub Dæmonis poteſtate .

79 Verùm tamen Samuelis anima non
fuit a Dæmone , nec Pythoniſſæ artibus ex-
citata , ſed Deo præcipienti paruit Vir Dei ,
atque Regi apparuit , ùt ſuperiùs n. 74. de-
monſtratum eſt . Quanquam verò de hac ap-
paritione anceps aliquando pependerit Pa-
trum ſententia , nunc omnis dubitatio eva-
nuit . Ratio , quæ olim Patrum ſententiam
in ancipiti tenebat , ea fuit , quòd Liber Ec-
cleſiaſtici pro certo non haberetur ùt Cano-
nicus , cùm in Hebræorum Canone non ex-
taret . *Auguſtinus* poſtquam in ea quæſtione
ad *Simplicianum* problemmaticè controverſiam
utramque diſcuſſit , Eccleſiaſtici auctoritate
adactus ita rem determinat . In lib. de Cura
pro Mortuis cap. 15. — Mitti quoque ad
„ vivos aliquos ex mortuis , ſicut e contra-
„ rio , quod Paulus ex vivis in Paradiſum
„ raptus eſt , Divina Scriptura teſtatur :
„ nam Samuel Propheta defunctus vivo Sauli
„ etiam Regi futura prædixit , quamvis non-
„ nulli non ipſum fuiſſe , qui potuiſſet magi-
„ cis artibus evocari , ſed aliquem ſpiritum
„ tam

Aliàs liber Eccleſiaſtici *non admittebatur ùt Canonicus .*

Auguſtini *opinio .*

,, tam malis operibus congruentem illius
,, exiſtiment ſimilitudinem figuraſſe : cùm A
,, liber Eccleſiaſticus , quem Jeſus Filius Si-
,, rach ſcripſiſſe traditur , & propter eloquii
,, nonnullam ſimilitudinem Salomonis pro-
,, nunciatur , contineat in laude Patrum ,
,, quòd Samuel etiam mortuus prophetave-
,, rit . Sed ſi huic libro ex Hebræorum
,, (quia in eorum non eſt Canone) contra-
,, dicitur . Quid de Moyſe dicturi ſumus ,
,, qui certè , & in Deuteronomio mortuus ,
,, & in Evangelio cum Elia , qui mortuus
,, non eſt , legitur apparuiſſe viventibus ? —
Idem lib. de octo Dulcitii quæſtionibus q. 6.
repetitis his , quæ ſuper hoc ad *Simplicianum*
ſcripſerat , ita concludit : — Sed quam non B
,, fruſtra dixerim , pede tentim nos in hoc
,, genere ſimulatam Samuelis imaginem , ma-
,, ligno Pythoniſſæ miniſterio præſentatam
,, exiſtimare debere , ne inquiſitionibus dili-
,, gentiotibus præſcribamus , mea poſterior
,, inquiſitio declaravit , quando inveni in
,, Libro Eccleſiaſtico , ubi Patres laudantur,
,, ex ordine ipſum Samuelem ſic fuiſſe lau-
,, datum , ut prophetaſſe etiam mortuus di-
,, ceretur : — Fidiſſimus *Auguſtini* diſcipulus
Thomas rationabilem cenſuit utramque theſim ;
ſed *1. p. quæſt.* 89. *art.* 8. *ad* 2. tota oppoſitæ
ſententiæ pendet ratio ob controverſam Eccle-
ſiaſtici Libri auctoritatem — Ad ſecundum di- C
,, cendum : quòd mortui viventibus apparent
,, qualitercumque vel contingit per ſpecialem
,, Dei diſpenſationem , ut animæ mortuorum
,, rebus viventium interſint , & eſt inter di-
,, vina miracula computandum , vel hujuſ-
,, modi apparitiones fiunt per operationes
,, bonorum Angelorum , vel malorum , etiam
,, ignorantibus mortuis , ſicut etiam vivi
,, ignorantes aliis viventibus apparent in
,, ſomnis , ùt *Auguſtinus* docet in lib. præ-
,, dicto : unde & de Samuele dici poteſt ,
,, quòd ipſe apparuit per revelationem divi-
,, nam ſecundùm hoc , quod dicitur Eccle-
,, ſiaſtici 46. quòd *obdormivit* , *&* *notum* D
,, *fecit Regi finem vitæ ſuæ* ; vel illa appa-
,, ritio fuit procurata per Dæmones , ſi ta-
,, men Eccleſiaſtici auctoritas non recipia-
,, tur , propter hoc quod inter canonicas
,, Scripturas apud Hebræos non habetur : —
Subſiſtit nihilominus veritas apparitionis ex
libro Regum , ſi quæ diximus , perpendan-
tur .

80 Neque objicias primò , fidei abſo-
num videri , quòd Propheta ſit miſſus ad
eum , qui vexabatur ſpiritu Diaboli , cùm ab
eo Deus receſſiſſet , renuiſſetque eidem re-
ſponſa dare .

Fateor , hoc argumento uti *Tertullianum* . E
Ad Principes impios ſæpè Deus miſit Prophetas .
Verùm jam novimus in Scripturis a Deo ple-
roſque ex Prophetis miſſos fuiſſe ad ſceleſtiſ-
ſimos Principes redarguendi causâ , vel
emendandi . Quòd autem Sauli viâ ordina-
riâ interroganti non reſponderit Dominus ,
non probat ne per Samuelem quidem reſpon-
diſſe . Nam ſolet Deus non ſtatim reſponde-
re , & exaudire : nec ſemper eâdem viâ ,
eodemque modo reſpondet ; & hoc ut ſuam
exerceat dominationem , ſimulque noſtram
Diverſimodè Deus punit , & miſeretur .
periclitetur voluntatem . In Eccleſiaſtica hi-
ſtoria legimus homines ad Deum diverſimodè
converſos prædicatione , apparitione , illu-
ſtratione , terrore Dæmonum , admonitio-
nibus Angelorum . Noluit Deus aliquando
per viventes Prophetas reſpondere , per mor-
tuum reſponſurus . Intendebat ſilentio oſten-
dere Sauli indignationem ſuam ; ſed ut ma-
niſeſtaret completam ipſius malitiam , miſit
Samuelem , quem Saul timebat , veraciſſi-
mumque redderet , ne de comminatione hæ-
reret anceps , & a quo in Regem inauguratus
fuerat , ab Eodem Regni finiendi nuncium
acciperet .

81 OBJICIES 2. argumentum , & ver-
ba ipſa *Gregorii Niſſeni* . — Quo pacto ſtabi-
,, liant , quod ad Hiſtoriam attinet , qui
,, ſervi ſunt litteræ ? Si enim verè Samuel eſt
,, ille , qui viſus eſt , planè igitur veri ſunt
,, etiam Dii , qui a venefica ſunt viſi : nam
,, & Dæmonia Deos dicit Scriptura , omnes
,, enim Dii Gentium Dæmonia ; num igitur
,, cum Dæmonibus erit & anima Samuelis ?
,, Abſit ; verùm illud , quod ſemper Veneficæ
,, obſequebatur , Dæmonium aſſumpſit ſecum
,, èt alia Dæmonia , ut cùm mulierem fal-
,, leret , tum eum , qui ab ipſa fallebatur ,
,, Saulem . — Dæmonium ergo fuit is , qui
putabatur Samuel . Sicut in Hiſtoria *Balaam*
Deus dicitur , qui putabatur ab ipſis auſpi-
ciis conſultus , Dæmon . Argumentum eſt *Nyſ-
ſeni* Epiſtola ad *Theodoſium* Epiſcopum ; cui
adhærent *Euſtachius* Antiochenus , *Cyrillus* Ale-
xandrinus , *Procopius* Gazeus .

RESP. vel difficultas in eo vertitur ,
quòd Ventriloqua dixerit Deos vidiſſe ; vel
quia in plurali dixerit Deos : ex neutro ca-
pite probat argumentum , ſed incertum om-
In Scriptura Dæmones , & excellentes Viri vocãtur Dii .
ninò eſt . Incertum ex primo capite ; nam
in Scriptura ſicut quandoque Dii vocantur
Dæmones , ita etiam quandoque excellentes
viri vocantur Dii . Pſal. 46. v. 10. *Quoniam
Dii fortes terræ* : Pſal 81. v. 6. *Ego dixi Dii
eſtis* : Exodi 22. v. 28. *Diis non detrahes* ; &
alibi : ergo poteſt intelligi illud de Dæmoni-
bus , & de hominibus , & hinc nihil certi
habetur , ſed aliundè veritas deſumenda eſt .
Incertum pariter ex altero capite ; omiſſâ
enim plurium Rabbinorum ſententiâ aſſe-
rentium cùm Samuele Moyſem apparuiſſe ,
Hebræi pluralem ſæpè numerum pro ſingula-
ri uſurpabant ; ut Exod. 32. verſ. 8. *Iſti ſunt
Dii tui Iſrael* ; attamen unus erat Vitulus
Plurale pro ſingulari uſurpatur a Scriptura .
aureus , qui objiciebatur ; & apud Gentiles ,
Latinoſque uſus iſte recipitur maximè ad ma-
gnificandam excellentiam alicujus Perſonæ ,
ſicut accidit in præſenti . Videndus eſt igitur
contextus : Ipſe enim manifeſtat , quid Deo-
rum importet nomen . Saul auditâ muliere
dicente : *Deos vidi aſcendentes de terra* , ſta-
tim interrogavit : *Qualis eſt forma ejus* , cui
mulier : *vir ſenex aſcendit* &c. Nomine igitur
Deorum ſignificare voluit homines ; immò
unum hominem , & hunc Samuelem ; Ba-
laam exemplum non facit ad rem . Ipſe enim
ait : *Reſpondebo quidquid mihi dixerit Dominus* ;
quia Dæmonium volebat interrogare ; undè
directè mens ejus tendebat in Dæmonem .
Hic verò Ventriloqua intendebat petere a
Dæmone Samuelem : undè directè mens mu-
lieris fertur in Samuelis excitationem ; quare
non eſt par ratio ; quin etiam exemplum no-

bis obſecundat ; volenti enim Balaam conſulere Dæmonem, occurrit prius Dei Angelus, qui èt ibi Deus vocatur, & colligitur, qui vocabatur Deus, Angelum eſſe, nam idem infrà dicitur Angelus. Sic in noſtro caſu, qui fuerint Dii, clarè explicatur, cùm inibi pluries nominetur Samuel : ergo.

82 OBJICIES 3. ex eodem Nyſſeno : *Porrò ſeipſum volens nolens arguit Dæmon veritate probata dum dixit : Cras tu, & Jonathan mecum ; ſi enim verè Samuel erat, quomodo fieri poterat, ut it, qui omnium ſcelerum reus erat, cum illo eſſet ?* Nequit ergo ſubſiſtere veritas apparitionis.

Aliqui volũt Saulem pœnituiſſe.

Huic argumento reſpondeant priùs adverſarii ; ſi enim Samuel dicere non potuit *hodie mecum eritis* ; quia Saul impius erat, nec Dæmon poterat idem dicere ; quia Jonathas erat juſtus. Si quis autem ſuſtineat quorundam ſententiam, qui autumant Saulem audita comminatione mortis pœnituiſſe, idque arguunt ex eo, quod *excidit porrectus in terram* ; nempè ſua amarè deflens crimina, conformis divino decreto tota nocte ambulavit, ut ad caſtra properaret ſummo mane, cùm aliter mortis effugium quærere poſſet ſe pugnæ ſubtrahens. Et cùm dicitur ſemetipſum occidiſſe in deſperationem prolapſum ; reſpondent vel non peccaſſe, ratum ſe poſſe manu ſua perimi, ne Rex chriſmate divino ſacer pollueretur incirconciſi cujuſquam manu, vel quoniam non ilicet animam efflaverit, pœnituiſſe, dum experimento nimiùm vero cognoſceret prædictam ſibi necem. Qui hanc ineunt viam, omnem argumenti eludunt vim. Communis reſponſio eſt, ly *mecum eris hodie*, idem eſſe ac ſi dixerit : *morieris, & eris, ubi ego ſum*, videlicet inter mortuos. Sic *Auguſtinus* lib. 2. quæſt. ad *Simplicianum* quæſt. 4. *ut non ad æqualitatem felicitatis, ſed ad parem conditionem mortis referatur*. Ita Chriſtus ad Latronem : *hodie mecum eris in Paradiſo* : ly *Paradiſo* non ſtat adæquatè pro identitate loci, cùm niſi poſt 40. dies in Cœlum Dominus aſcenderit, ſed inadæquatè, ideſt pro fruitione divinæ viſionis.

83 DICES. Licèt verum ſit fortaſſe ly *mecum*, falſum eſt tamen ly *cras* ; plures enim ab apparitione ad mortem interlapſi dies ; plura ſiquidem interjicit Scriptura, quæ peragi haud citiùs potuerint quinque dierum ſpatio, ſicut exiſtimat *Leo Allatius* in Syntagmate de Engaſtrimytho cap. 17. Porrò anima Prophetæ non poteſt falſa prædicere.

Sed contra. *Primò* adverbium *cras* non ſemper ſumitur pro die immediatè ſequenti, ſed pro tempore futuro. Sic *Hieronymus* in cap. 6. Matthæi : *Cras in Scripturis futurum tempus intelligitur dicente Jacob ; exaudiat me cras juſtitia mea*. *Secundò* : revera die ſequenti mortuus eſt Saul : contextus ſiquidem indicat omnia ad prælium parata ; & ideò Saul inquit, *coarctor nimis* ; & ſtatim poſt apparitionem Prophetæ ſumpto cibo, tota nocte ambulavit, ut ſummo mane ad exercitum pugnaturus adeſſet. Porrò hiſtorico more in narrationibus plura Innectuntur prævia, vel ſubſecuta. Sic Theodoretus *quæſt. 63. in lib.*

Cras ſumitur pro tempore futuro.

1. *Reg.* — Sed ſuſpicantur plures interceſſiſſe
„ dies, & Scriptorem juxta morem Scripturæ
„ narrationem belli reſumpſiſſe : & nollunt
„ conſiderare, quod cum Samuelis quoque
„ mortem dixiſſet Hiſtoriographus, dixit rur-
„ ſus poſt multas narrationes. Et Samuel eſt
„ mortuus, & planxit eum totus Iſrael, &
„ ſepelierunt eum in Armathaim Civitate ejus.
„ Repetiit autem hanc narrationem, ùt
„ ſicut dixi, narraret de Ventriloqua ; ita
„ etiam de bello repetiit . . . . . His geſtis,
„ Saul relictis Caſtris abiit ad Ventrilo-
„ quam. Acceptâ autem ſententiâ, poſt-
„ quam cum dolore cœnavit, per totam no-
„ ctem iter fecit, manè autem pervenit
„ ad exercitum : deinde commiſſo prælio
„ fuit interſectus : vera igitur fuit prædi-
„ ctio : fuit enim divina. —

84 OBJICIES 4. Qua ratione inquit Hiſtoria Sauli innotuiſſe Samuelem, eâdem ait : *Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio* ; ſed non poteſt intelligi de vero pallio : ergo.

RESP. Nullum fore abſurdum, quod Deus excitarit idem corpus eodem circumamictum pallio, quo fuerat ſepulturæ traditum biennio antè, ſed adhuc fortè incorruptum, vel denuò excitatum è pulvere ; cùm non repugnet per modum tranſeuntis vera reſurrectio ; ſiquidem èt Paulus viator factus eſt ad breve tempus comprehenſor, & Catholicorum nemo negat multa Corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexiſſe. *Matth.* 27. *v.* 52., & multis apparuiſſe. Ecquid vetat etiam opinari veram apparuiſſe animam Samuelis abſque vero corpore, ac vero pallio, ſicut in pluribus ejuſmodi oſtentis, ſola dicitur anima adfuiſſe non aſſumpto corpore, & ſcripturale nobis occurrit exemplum, dum Moyſes in transfiguratione apparuit.

Non eſt incõveniens admittere Samuelem cum ſuo corpore apparuiſſe.

Poteſt dici, quòd apparuerit Samuel inaſſumpto corpore.

85 OBJICIES 5. 1. Paralip. 10. v. 13. habetur : *Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quod prævaricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodivit illud : ſed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperaverit in Domino, propter quod interfecerit eum*. Si ergo non ſperavit in Domino conſulens Pythoniſſam, quomodo illi Deus Samuelem miſit ?

RESP. nihil inde colligi nobis adverſum : tantùm aſſeritur Saul a Deo punitus propter ſua crimina, quod ultrò conceditur : volenti Balaam maledicere dedit in ore verba benedictionis, & confidenti in Dæmonibus, quos conſultum ibat, miſit Deus Angelum obſiſtentem. Quænam in hoc igitur implicantia fingitur, quòd deſperanti contra Dominum, mittatur Propheta dignam impio ſententiam dicturus ?

86 OBJICIES 6. Qui apparuit, permiſit ſe adorari a Saule. 1. *Reg.* 28., ſed verus Samuel non permiſiſſet ejuſmodi adorationem ; ſciebat enim cultum ſoli Deo eſſe debitum : ergo non fuit Samuel, ſed Dæmon.

RESP. Ut ſupra dictum eſt in explicatione v. 14. Saul adoravit Samuelem ùt Dei Prophetam, non quidem cultu Latriæ, ſed obſervantiæ civilis : cujus exempla paſſim occurrunt in Scriptura 1. Reg. 25. *Cum autem vidiſſet Abigail David, feſtinavit, & deſcendit*

Adoratio ſumitur aliquando in ſignum cultus civilis.

de

de Aſino, & procidit coram David ſuper faciem ſuam, & adoravit ſuper terram, & cecidit ad pedes ejus: Sic David Saulem adoravit 1. Reg. 24. *Et reſpexit Saul poſt ſe: & inclinans ſe David pronus in terram, adoravit* 3. Reg. 1. *Inclinavit ſe Bethſabee, & adoravit Regem*; & alibi.

87 OBJICIES 7. Qui apparuit, ſubjectus erat poteſtati magicæ, & ideò lamentatus eſt dicens: *quare me inquietaſti?* Sed verus Samuel, utpote juſtus, non erat magicæ obnoxius poteſtati, vel ſi fuit, approbata ſuiſſe videtur miraculo magia.

Samuel prævenit incantationes.

RESPONDEO, quæ jam dial. Samuel prævenit magicas incantationes. Pythoniſſa extimuit propter inuſitatum apparendi modum, priùs ſcilicet, quàm ſuis cæremoniis fungeretur. Porrò ſi res ea eveniſſet ſuorum virtute carminum, ut quid exhorreſceret ipſa jam mortuorum, & Dæmonum apparitionibus aſſueta? Quamobrem S. Thomas 2. 2. *q.* 95. *art.* 4. *ad* 2. negat oſtentum illud vi necromantica peractum fuiſſe: *&* 1. *p. q.* 89. *art.* 8. *ad* 2. Veras mortuorum apparitiones inter miracula accenſet, quæ a Dæmonibus effici nequeunt. Tertullianus *lib. de Anim. c.* 57. negat animas Prophetarum, & Juſtorum Dæmonibus ſubjici, quem ſequuntur communiter Patres. Quid plura? Dæmonem prorſus excludit ipſa reprehenſio, *quare inquietaſti me?* Non inquietatur Dæmon, ſed exultat in noſtra damna voce phythonica evocatus. Verba ergo illa objurgantis ſenſum habent, quòd Saul pertinax inſtabat modis improbis a Domino reſponſum efflagitans, a quo ſciebat eſſe abdicatum: venit ergo libenter obediens Deo; ſed Regis iniquitatem increpavit. Vide explicationem verſ. 15.

88 OBJICIES 8. Id obtinuit Saul, quod petiit; ſed Dæmonis reſponſum petiit: ergo. *Minor prob.* Saul expreſsè Dæmonem conſuluit dicens: *Divina mihi in Pythone*. Scitatus eſt Dæmonem de futuris ad mulierem accedens; quia obſurdeſcentem quodammodo expertus fuerat Deum.

Saul petiit animam Samuelis.

RESP. ut ſup. n.74. Saul petiit Samuelem magica arte e mortuis revocandum errans in eo, quod crederet ſubdi Prophetam incantationibus. Statim ac dixit: *Divina mihi in Pythone*, addidit, *& ſuſcita mihi, quem dixero tibi*: perinde ac ſi dixerit: arte tua fungere: avoca mihi Samuelem, ratus ope Dæmonis Prophetam adigi poſſe ad reſpondendum.

89 OBJICIES 9. Per mortem Samuel amiſit donum prophetiæ, ùt docet *Origenes* in hunc locum: *Samuel Propheta fuit, eoque mortuo prophetia ab eo diſceſſit*. Ratio eſt; quia ex D. Thoma 3. *p. quæſt.* 7. *art.* 8. de ratione Prophetæ eſt, quòd nobiſcum vivat, & eà, quæ procul ſunt, divinat. Rurſus prophetia datur per modum tranſeuntis; dona verò tranſeuntia non manent in animabus ſeparatis. Si ergo non fuit verus Propheta, neque verus fuit Samuel.

Samuel poſt mortē habuit munus prophetandi ex divina ordinatione.

RESPONDETUR *negando conſequentiam*. Utvis enim non eſſet poſt mortem Propheta ex officio, eſſe tamen potuit per modum tranſeuntis, & hoc prophetandi munere a Deo donari; quia licèt non eſſet inter vivos, nundum erat omninò extra ſtatum viæ: utpote nondum Beatus. Ita D. *Thomas* 2. 2. quæſt.
A 174. art. 5. ad 4.

90 OBJICIES 10. Contra Eccleſiam dicitur vera fuiſſe anima Samuelis. In jure ſiquidem Canonico cap. *Illud* quæſt. 2., & cap. *Nec mirum* 26. quæſt. 5. expreſsè dicitur Dæmonis ſpectrum. Corpus autem Juris Canonici a *Gratiano* collectum, emendatum, & correctum fuit a *Pio* IV., & V., a *Gregorio* XIII. Ergo illa doctrina approbatur ab Eccleſia, cui ſententiæ adſtipulatur *Hieronymus* lib. Comment. in Matth. cap. 6. *In Samuelis phantaſmate Pythoniſſa loquitur ad Saulem*.

Auguſtinus mutavit ſententiam.

RESP. *Nega ant.* ad probationem dico, inibi allegari a *Gratiano Auguſtinum* ad *Simpli-*
B *cianum*, & lib. 2. de Vita Chriſtiana, ubi veram negavit fuiſſe animam Samuelis. Mutatà verò ſententià *Auguſtinus* nullam vim nobis faceſſit. Pontifices autem dumtaxat curarunt expurgandum a mendis corpus Canonicum, & ſententias ibi relatas conferre cum ſuis auctoribus. De opinione S. *Hieronymi* pluribi diverſimodè loquentis nil certi habetur. Cap. 7. Iſajæ notat pleroſque admittere veram animam Samuelis. Et in cap. 13. Ezechielis ait: *Viſa eſt* (ſupple Pythonyſſa) *ſuſcitaſſe animam Samuelis*. Cæteri Patres in oppoſitam ſententiam inclinabant, ut faciliùs opponerentur errori dicentium animas Juſtorum ſubjectas eſſe Dæmonis poteſtati: & etiam
C quia, ùt ſupra notatum eſt, Liber *Eccleſiaſticus* non habebatur univerſaliter ùt Canonicus.

Hieronymi dubia ſententia.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRA PRINCIPALEM QUÆSTIONEM.

91 OBJIC. 1. Immobiliter animæ ſuis receptaculis includuntur; ergo non exeunt. *Ant. prob.* Pſal. 26. v. 4. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*: & Job. 7. v. 9. *Qui deſcenderit ad Inferos, non*
D *aſcendet*: ergo ſivè boni, ſivè mali immobiliter ſuis locis inhærent, ut veritati conſonet illud *Davidis* Pſal. 77. v. 39. *Spiritus vadens, & non rediens*.

Finaliter deſtinati ad gloriam, vel ad pœnam non exeunt permanenter.

RESP. *Neganda ant.* loquendo de immobilitate, quæ non permittat exitum ad tempus. Nec Scripturæ officiunt; nam primam aliqui interpretantur de Templo Domini, cui excuperet David omnibus vitæ ſuæ diebus inſervire, atque in eo Deum perpetuo cultu proſequi. Deindè utraque ſententia explicatur in ſenſu ſimpliciter abſoluto; hoc eſt, qui finaliter deſtinati ſunt ad gloriam, vel ad infernum, ita exeunt a corpore, ut nunquam ſint reverſuri ad ſtatum ſimpliciter, &
E abſolutè viatoris.

92 OBJIC. 2. Defuncti vel exeunt ſuæ ipſorum utilitatis causà, vel noſtræ: neutrum dici poteſt: ergo. *Probatur min.* Nobis prodeſſe nequeunt converſando; cùm eorum ſtatus, & modus operandi ſit prorſus a noſtro alienus; nam ſolùm intellectualiter operantur, non ſenſibiliter. Ipſorum verò utilitas quænam profectò excogitari poteſt? Vel ſunt animæ Damnatorum, queis nulla ſupereſt levaminis ſpes: vel Beatorum augendæ gloriæ impotes: vel Purgantium, atque hæ divinæ conformes voluntati haud expetunt citiùs

exire;

exire ; aliter pœnam a Deo tantam ægriùs ferrent , & Dei beneplacito obſiſterent .

A

RESP. *Nego min.* Tum ob noſtram , tum ob ſuam earundem utilitatem aliquando ad nos emigrant purgantes animæ . Experimentum ſenſibus perceptum nos efficit ſolertiores in cavendis criminibus , & pœnis ; & licèt animæ non operentur modo noſtræ conditioni congruo , operantur tamen ſenſibiliter corporibus quodammodo indutæ ; & humano velut habitu . Propria utilitas quandoque eaſdem ad nos deducit , ut fortiùs moveamur neceſſitatem ferendæ opis , & ſuffragia perſolvendi .

Exeunt animæ ob ſuam , & noſtram utilitatem .

B

93 OBJIC. 3. Contra hanc ſolutionem : *Luc. cap.* 16. Lazarus a Divite rogatus nec ad ipſum mittitur , nec ad fratres . Non ad primum ; quia Abraham reſpondit , id fieri non poſſe : non ad Fratres ; quia nulla eſt neceſſitas ; nam Prophetas habent , & legem . Sed hæc omnia obſtant , ne veniant ad nos ; nam ſi a Lymbo nequeunt deſcendere ad Inferos , qui eſt locus proximior , multo minùs ad nos , qui plurimùm diſtamus ; & legem habemus , & Doctores , a quibus capeſſere neceſſaria documenta poſſumus .

C

RESP. *Neg. min.* diſpar enim eſt ratio . Ad Divitem non mittitur Lazarus utpote æternaliter damnatum nec dignum , nec capacem refrigerii : & hanc rationem reddidit Abraham : *Recordare , quod recepiſti bona in vita tua : hic autem mala* : nec dixit impoſſibilem exitum , ſed magnum chaos intercapedinem facere . Nec mittitur ad fratres ; quia inſtructio vivorum per mortuos eſt medium extraordinarium , quod non tenetur Deus adhibere . Adde miſſionem illam inutilem fuiſſe futuram ; quod eruitur ex Luc. cap. 16. verſ. 31. *Si Moyſen , & Prophetas non audiunt ; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit , credent* . Hinc perperam præcluditur animabus quicunque exitus ; non enim ubique pugnant eædem rationes ; & Deus aliquando per incomprehenſibilia judicia ordinariæ diſpenſat providentiæ .

Epulo recepit bona in vita ſua .

A

94 OBJIC. 4. *Tertullianus* lib. de Anim. cap. 152. *Chryſoſtomus* Homil. 29. in Matth. , *Athanaſius* quæſt. 11. ad *Antiochenum* negant cum aliis animas a ſuis receptaculis exire . *Auguſtinus* lib. de Cura pro Mort. hanc veritatem ex eo deducit , quòd ſi animæ aliquando exirent a ſua matre , nunquam deſererentur .

B

RESP. Patres negant animabus egreſſum pro ipſarum arbitratu liberum eſſe , & de via ordinaria . *Auguſtini* mens eſt : ſi pro libito mater inde poſſet evadere , nunquam *Auguſtino* abfuturam .

Animæ non poſſunt exire de ſuis receptaculis pro libito .

95 OBJIC. 5. Animæ ſeparatæ nequeunt ſe movere localiter , cùm ſint ſubſtantiæ incompletæ ; non poſſunt moveri a ſpiritibus ſivè bonis , ſivè malis ; quia illis minimè ſubduntur : nec a Deo , quia invariabiliter ſententiam tulit vel de pœna , vel de præmio : ergo non excedunt a ſuis receptaculis ; maximè quòd in exitu diminueretur pœna , vel gaudium , quod abſurdum videtur .

C

RESP. Antecedens ex omni capite eſt falſum . Animæ ſeparatæ in probabili ſententia poſſunt naturali virtute localiter moveri . Sunt enim ſpiritus per ſe ſubſiſtentes , licèt ſit pars compoſiti . Poſſunt defuncti a bonis Angelis moveri , ſi juſti ſint , tanquam adminiſtratoriis ſpiritibus miſſis in ſalutem animarum : ſi damnati , a malis Angelis , quia ſunt Divinæ Juſtitiæ executores , poſſunt evocari a Deo ; quia invariabiliter ſententiam tulit pro exitu ſimpliciter abſoluto , non verò ad tempus . Nec minuitur pœna , aut gaudium : nam ubicumque ſunt , ſua præſeferunt vel gaudia , vel tormenta .

Animæ ſeparatæ poſſunt localiter moveri .

PARS

PARS IV.

DE SUFFRAGIIS.

GRæci, & Armeni Purgatorium è medio tollunt, atque ideo etiam ſuffragia mortuorum iidem derident. Hos ſecuti Waldenſes, & Albigenſes, quorum principem *Aërium* nuncupat *Auguſtinus* lib. de Hæreſibus cap. 55. ùt alibi dictum eſt. *Lutherus*, cunctique fermè Novatores impii hoc Fidei dogma explodunt, ùt infra dicam. Ergo in Hæreticos argumentationis aciem diſtringimus, ut Catholica Veritas eluceſcat, & membra, quæ in uno Eccleſiæ corpore coaleſcunt, ſe ſe adinvicem juvent.

CONTROVERSIA I.

AN INTER FIDELES SUFFRAGIA UNIUS ALTERI PROSINT.

1 SUffragia ſunt auxilium quoddam ab uno Fideli præſtitum alteri, ad obtinendum aliquod ſpirituale bonum. Duplex autem eſt eorum genus: aliud enim juvat ex opere operato, aliud ex opere operantia. Primum genus dividitur in adjutorium per modum Sacramenti, & Indulgentiæ: alterum, nempe ex opere operantia, ſubdividitur in auxilium per modum meriti, & per modum orationis, ſeu impetrationis. In præſentiarum non agitur de ſuffragio ex opere operato per modum Sacramenti; hoc enim pertinet ad materiam Sacramentorum; agam tamen infrà de eo, quod ſpectat ad Indulgentias. Diſputandum eſt nunc de ſuffragio ex opere operantis per modum meriti, orationis, & impetrationis. Adverte diverſimodam ſuffragii rationem per modum meriti, & orationis. Meritum ſimpliciter tale fundat jus juſtitiæ, & confert infallibiliter effectum. Per modum autem orationis non habet infallibilem connexionem cum effectu, nec jus inducit juſtitiæ, ſed ſolius gratiæ, & liberalis beneficii.

Aliud eſt bonum conſtituens ſtatum, aliud ſtatui adveniens.

2 Bonum ſpirituale, quod per ſuffragium intenditur, bipharìam divido. Aliud conſtituit ſtatum bonum: aliud ſtatui advenit. Bonum ſtatum conſtituens, illud dicitur, quod animæ tribuit eſſe ſupernaturale, & ſubjectum Deo gratum; hujuſmodi eſt charitas, & gratia ſanctificans. Bonum ſtatui adveniens eſt, quod gratiam præſupponit, qualia ſunt augmentum gratiæ, remiſſio pœnæ temporalis, fervens Deo obſequendi devotio, & his ſimilia. In prima Controverſia generaliter quæritur, *an inter Fideles ſuffragia unius proſint alteri*: In ſequentibus ad peculiaria deſcendam obſequens Scripturæ, Patribus, & S. *Thoma* 3. p. q. 71. Supplementi. Nulla quidem hæreſis eſt in hoc; ſed ad claritatem ſequentium.

3 DICO: *Suffragia unius Fidelis alteri proſunt*. Probatur primò Scripturis: Job ult. v. 8. Dixit Deus: *Job autem Servus meus orabit pro vobis*: 1. Machab. 12. verſ. 11. *Nos ergo in omni tempore, ſine intermiſſione in diebus ſolemnibus, & cæteris, quibus oportet, memores ſumus veſtri in Sacrificiis, quæ offerimus, & in obſervationibus, ſicut fas eſt, & decet meminiſſe fratrum*: 2. Machab. 1. verſ. 6. *Et nunc hic ſumus orantes pro vobis*; ad Rom. 15. v. 30. *Obſecro vos fratres . . . ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum*: Jacob. 5. v. 16. *Orate pro invicem ut ſalvemini*. Sed Spiritus Sanctus non commendaret mutuam orationem inter Fideles, ſi oratio unius alteri non prodeſſet; ergo mutua Fidelium ſuffragia adinvicem proſunt.

Spiritus Sanctus mutuam orationem commendat;

4 PROB. 2. 1. Corint. 12. v. 12. Omnes Fideles ſunt membra corporis myſtici: *Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm multa ſint, unum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus*. Sed membrum corporis non ſolùm operatur in utilitatem propriam, ſed aliorum etiam membrorum; ergo membrum corporis myſtici non ſolùm merito ſibi, & orationibus, ſed aliis etiam prodeſt; & ideo ſubdit Apoſtolus verſ. 26., *& ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: ſivè gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra*; & v. 25. *ſed idipſum pro invicem ſolicita ſint membra*: ergo.

Membrum operatur tum in propriam, tum in aliorū utilitatem.

Explicatur: Natura charitatis petit ab intrinſeco aliis ſua bona communicare; ergo ab intrinſeco ſuffragium unius Fidelis petit alteri prodeſſe. *Ant. patet* 1. Joan. 4. v. 21. dicitur, *& hoc mandatum habemus a Deo: ut qui diligit Deum, diligat fratrem ſuum*; ac proinde diligens Deum debet fratri ſuo bona charitatis deſiderare, atque a Deo petere. *Conſeq. eſt certa*. Si enim unius ſuffragium non ſuffragaretur alteri, non vigeret intrinſeca inclinatio in charitate ad communicanda bona ſua aliis.

Charitas petit aliis communicari.

5 PROB. 3. Modus orandi a Chriſto inſtitutus nequit utilis non eſſe; atqui toties foret inutilis, quoties unius non prodeſſet alteri ſuffragium: ergo. *Minor declaratur*. Quælibet petitio Dominicæ Orationis etiam privatim recitatæ profertur in plurali: *Pater noſter; panem noſtrum: da nobis: debita noſtra*; nec aliam ob cauſam niſi, ùt ait S. *Cyprianus* lib. de Oratione Dominica: *Veritatis Magiſter noluit privatim precem fieri, ſcilicet ut quis tantùm pro ſe precetur*. Si ergo tua nulli, præter quam tibi prodeſſet oratio, inutilem docti fuiſſemus a Chriſto orandi methodum. Itaque hæc in Symboli articulo de Sanctorum communione veritas comprehenditur.

Chriſtus docuit nos orare pro aliis.

SOL.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Ratio potiſſima ſuffragiis eſt in oratione.

6 OBJICIES 1. Ratio potiſſima ſuffragii conſiſtit iu oratioue; ſed oratio nullis, præterquam lpſis orantibus eſt proficua: ergo. *Minor probatur*. Iuter requiſitas conditiones, ut oratio queat exaudiri, hæc eſt, ut fiat pro ſe lpſo: Jo. 16. v. 23. *Si quis petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: non abſolutè dicitur *dabit*, ſed *dabit vobis*. Hinc ibidem Auguſtinus: *Exaudiuntur quippe omnes Sancti, pro ſe ipſis, non autem pro omnibus*: & Jerem. 7. v. 16. *Tu ergo noli orare pro Populo hoc .... & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te*.

Chriſtus oravit pro bonis, & malis.

RESP. *neg. min.*, cujus oppoſitum conſtat non ſolùm ex dictis, ſed etiam quia Chriſtus oravit pro bonis, & malis dicens, *non rogo pro eis tantùm, ſed etiam pro Mundo*. Oratio Chriſti eſt inſtructio noſtra. Omnes Eccleſiæ exemplo Chriſti orationes ſtatuit communes. Ad primam probationem repono. Aliis quandoque noſtra inutilis eſt oratio propter obicem a nobis poſitum. Deus in pœnam præcedentium peccatorum aures obſtruit, teſte Jeremia 15. verſ. 1. *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad Populum iſtum*. Sed hinc perperam arguitur inutilem fore quamcunque orationem, cùm non omnes obicem ponant, nec ſemper aures Deus avertat. Illud autem Joannis: *dabit vobis* idem eſt, ac *vos exaudiet*. Haudquaquam negat *Auguſtinus* mutuam orantium utilitatem, ſed tantùm aſſerit orationem pro aliis factam non ſemper eſſe infallibiliter impetratoriam. Secunda probatio veritati Catholicæ conſentanea eſt; nam Deus peculiariter vetat Prophetam pro Populo orare, negans ſibi exaudiendum. Ergo pro aliis abſolutè orare poſſumus, & aliquando exaudiri; aliter nec Propheta voluiſſet pro populo, nec fuiſſet a Deo vetitus orare, ſi nihil eſſet profuturus tam orans, quàm non orans. Oratio igitur prodeſt malis, ut emendentur; bonis, ut perſeverent, & proficiant.

7 OBJCIES 2. Ad Galatas 6. v. 8. *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet*; ſed ſi alter capit fructum ex oratione alterius, metit ab aliis ſeminata: ergo.

Vita æterna immediatè aliis non meretur.

RESP. Meſſis, de qua *Paulus*, eſt vita æterna: juxta illud Jo. 4. v. 36., *& qui metit ... congregat fructum in vitam æternam*. Vita æterna pro operibus propriis datur non alienis; undè unus non meretur alteri immediatè vitam æternam, ſed mediatè dumtaxar, quatenus hic impetrat, ut ille benè operetur, & vitæ compos fiat æternæ.

8 OBJICIES 3. Ex divina juſtitia eſt pro meritis cuique retribuere, Pſalm. 61. verſ. 13. *Tu reddes unicuique juxta opera ſua*. Sed Dei Juſtitia deficere non poteſt: ergo neque ex operibus unius juvari alter poteſt.

Opus quod pro alio efficitur fit illius pro quo efficitur.

RESP. Opus pro alio factum fit ejus, pro quo efficitur. Qui ſolvit debitum Petri pro Petro, ſolutio efficitur Petri. Non eſt igitur contra Juſtitiam, ſi ego fructum percipiam ex alienis operibus pro me exercitis: ſicuti poteſt ipſe a carcere exſolvi ſolutione æris alieni, quo ipſe onerabatur; a me facta. In noſtro antem caſu opus unius Fidelis non ſolùm fit alterius; quia in ejuſdem utilitatem exercetur, ſed etiam propter unionem in charitate, quâ opus unius quodammodo fit alterius, qui modò ſit per charitatem conjunctus.

9 OBJICIES 4. Ex eodem principio ſcilicet voluntarietatis, quòd opus bonum eſt laudabile, eſt etiam meritorium; ſed nullos laudatur ex bono opere alieno: ergo nec recipit ex eo fructum meriti.

Laus, & meritum non prodeunt ex eodem principio.

RESP. Sicut laudatur aliquis ex eo, quod principium fuerit boni operis alieni, bono videlicet conſilio, & impulſu ad bene operandum: ita poteſt recipere fructum meriti tamquam terminus, & finis, cui alterius bonum opus dirigitur. Deinde negatur ex eodem principio omninò procedere laudem, & meritum. Laus ex eo gignitur, quod operans dicat ordinem ad actum, ſeu ex eo, quod operetur ſecundùm regulas rationis, & prudentiæ. Meritum verò præcipuè naſcitur a radice charitatis, quæ inclinat in communicationem bonorum ad alios; ideo laus totaliter manet in operante, meritum deſcendit etiam ad proximum.

10 OBJICIES 5. E' juſtitia eſt pro bonis reddere, & pro malis; ſed nemo punitur pro malo alterius; nam Ezech. 18. v. 4. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*: ergo neque ex bono unius alter præmium expectet.

Dare alteri, quod non debetur cōgruit liberalitati.

RESP. Cuiquam auferre, quod eſt debitum, repugnat juſtitiæ; dare autem alteri, quod non debetur, charitati congruit, & liberalitati. Nullus autem læditur ex malo alterius, niſi aliquid ei ſubtrahatur, ſcilicet rectitudo; undè non convenit divinæ juſtitiæ aliquem punire in bonis ſpiritualibus ob delictum alterius: dixi in bonis ſpiritualibus; quia in corporalibus ſæpè ob Patrum peccata filii puniuntur. Hæc D. *Thomas*.

CONTROVERSIA II.

AN SUFFRAGIA UNIUS FIDELIS PER MODUM MERITI DE CONDIGNO ALTERI PROSINT AD ACQUIRENDUM STATUM GRATIÆ.

§ PRIMUS.

11 BOna conſtituentia ſtatum, ſicut in priori Controverſia diximus, ſunt in duplici claſſe: alia dant primum eſſe ſupernaturale homini, cujuſmodi ſunt gratia ſanctificans, & charitas: alia tribuunt ultimum eſſe ordinis ſupernaturalis, quod vocatur gloria, & fruitio Dei. Rurſus ſuffragium per modum meriti duplex eſt: aliud eſt juvans de condigno, nempe ex debito juſtitiæ, & infallibiliter: aliud de congruo, hoc eſt fundans titulum congruentiæ, & fallibiliter. In præſenti Controverſia nobis eſt diſputandum, an ſuffragia unius Fidelis proſit alteri ad acquirendum ſtatum gratiæ per modum meriti de condigno. Senſum hujuſce differ-

diſſertationis clariùs explico. Pro Saulo peccatore, v. g. oret Stephanus, qui eſt juſtus. Quæro, an hic poſſit Saulo mereri primam gratiam deletivam peccati? In hanc materiem nulla intruditur hæreſis, niſi indirectè, quatenus ex eo, quod negent Catholici poſſe alteri quemquam mereri primam gratiam, quæ deleat reatum culpæ, ducant Hæretici improbam rationem ad negandum nos poſſe Vivis, & Mortuis prodeſſe ad remiſſionem pœnæ. Cæterùm iidem Novatores omne a noſtris operibus excludunt meritum. Plures ex Catholicis affirmant ſecundùm ſe, attenta virtute bonorum operum, poſſe quemquam alteri gratiam ſanctificantem mereri; quamvis de facto ex defectu divinæ ordinationis extrinſecæ non fiat; contra quos

Hæretici nullum meritum admittunt.

12 DICO ABSOLUTE', *ſuffragium unius Fidelis prodeſſe non poteſt alteri per viam meriti de condigno quoad bona gratiæ exercitè ſanctificantis.* Probatur concluſio unico fundamento. Valor operis de condigno meritorii debet eſſe tantæ æſtimabilitatis, quantæ eſt collatio gratiæ exercitè ſanctificantis (Hæc propoſitio ipſam continet definitionem meriti de condigno) Sed ſuffragio unius Fidelis pro altero non eſt tantæ æſtimabilitatis, quantæ collatio gratiæ exercitè ſanctificantis: ergo. *Probatur minor.* Gratia ùt exercitè ſanctificans eſſentialiter expellit maculam peccati mortalis; ſed nullum opus puri hominis tanti valet, quanti forma excludens eſſentialiter maculam peccati mortalis: ergo. *Prob. min.* Gratia ùt expellens eſſentialiter maculam, includit Deum peccatori rationabiliter placatum; ſed nullus homo tantum Deo offerre poteſt, ut Deus reconcilietur peccatori, & rationabiliter jus odii deponat. Nam jus odii oritur a gravitate offenſæ divinæ, quæ ſivè ſit infinitæ, ſivè finitæ malitiæ, incomparabiliter excedit valorem cujuſcumque boni operis puri hominis: ergo nullum opus hominis tanti valet, quanti infuſio gratiæ exercitè ſanctificantis.

Ad excludendum peccatū requiritur gratia.

Nullum opus puri hominis tanti valet, quanti gratia exercitè juſtificans.

Explicatur primò. Ut opus mereatur de condigno gratiam ùt remiſſivam peccati, debet Deus per id opus obligari debito morali juſtitiæ, ut cedat juri rationabilis odii in creaturam, & exigendi debitum, & æqualem ſatisfactionem pro injuria. Nequit enim infundi gratia expulſiva peccati, niſi Deus his juribus cedat; quouſque enim Deus non pacatur homini, gratia non infunditur: ergo, ut infundat gratiam exercitè extrudentem peccatum, debet ex juſtitia obligari ad deponenda hæc duo jura; ſed ceſſio duplicis illius juris non eſt æquabilis ab ullo valore operis puri hominis; quia nullus purus homo poteſt bonis operibus æquare gravitatem offenſæ Dei, quæ eſt ſimpliciter infiniti, vel ſuperioris ordinis: ergo.

Quouſque Deus non pacatur, homini non infunditur gratia.

Explicatur ſecundò. Qui de condigno meretur collationem alicujus præmii, meretur quoque remotionem cujuslibet impedimenti; ſed rationabile odium, & jus æqualis ſatisfactionis eſt impedimentum conferendæ gratiæ: ergo qui meretur gratiæ collationem, meretur quoque remotionem utriuſque prædicti juris; quod cùm oriatur ea ipſa gravitate offenſæ omnino excedentis valorem cujuslibet operis puri hominis, non poteſt cadere ſub meritum condigno; & quia implicat jus ad gloriam ſine gratia ſanctificante, ſuffragium unius non prodeſt alteri, neque ad obtinendam gratiam exercitè ſanctificantem, & per conſequens neque ad gloriam conſequendam.

Qui meretur de condigno aliquid alteri, meretur etiam remotionem impedimenti.

§. SECUNDUS.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

QUæ partim probant de facto juſtum alteri ùt peccatori primam gratiam poſſe mereri: partim bona opera mereri poſſe, ſi Dei pactum accedat.

13 OBJICIES 1. *pro prima Sententia.* Suppoſita gratuita condonatione offenſæ per merita Chriſti, de facto gratia peccatori danda non excedit proportionem meriti exiſtentis in ſuffragio juſti Fidelis: ergo de facto ſuffragium unius prodeſt alteri quoad bona ſtatus; ideſt ad acquirendum ſtatum gratiæ exercitè juſtificantis. *Antecedens declaratur.* Gratia ùt remiſſiva peccati eſt ejuſdem ordinis, ac gratia exiſtens in Fideli jam juſtificato, & etiam poteſt eſſe excellens in intenſione: ergo non excedit proportionem valoris boni operis. *Conſequentia oſtenditur.* Quia augmentum gratiæ, & gloriæ non excedunt valorem boni operis, reipſa cadunt ſub meritum de condigno: ergo ſi gratia alteri communicanda non excedit proportionem valoris boni operis, cadet ſub meritum de condigno.

RESPOND. *tranſeat antecedens, & nego conſequentiam.* Ad meritum de condigno non ſufficit proportio præmii ad valorem operis, ſed requiritur extrinſeca Dei ordinatio; ſicut ad hoc ut Dominus Vineæ obligetur ex juſtitia ad ſolvendam mercedem operario, non ſufficit labor præſtitus, ſed etiam eſt neceſſe, ut inter operantem, & ſolventem interceſſerit pactum. Quòd autem tale quicquam pepigerit Deus de acceptando valore boni operis pro prima gratia peccatori impertienda, nuſquam legere eſt in Scripturis.

Ad meritum de condigno pro prima gratia danda peccatori, requiritur pactum Dei.

14 OBJICIES 2. *contra datam ſolutionem.* Ex Scriptura conſtat pactum, quo Deus acceptat bona opera unius pro ſalute alterius: ergo cùm prima gratia cæteroqui non excedat valorem boni operis, præmium erit condignum: *Ant. prob.* Jacob. ultimo v. 16. *Orate pro invicem, ut ſalvemini*: ergo acceptat Deus bonum opus unius pro ſalute alterius. Eccleſiaſtes 4. v. 10. *Si unus ceciderit, ab altero fulcietur: Væ ſoli: quia cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe!* Ergo opus bonum Juſti valet, ut alius a peccato liberetur: Jerem. 15. v. 1. *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Hìc excipit Deus peculiariter populum Hebræorum ob duritiem cordis: ergo datur aliundè pactum pro aliis; exceptio enim non fit, niſi ubi datur lex univerſalis. Ulteriùs: in Oratione Dominica edocemur dicere: *dimitte nobis debita noſtra*, in plurali; quia non ſolùm pro noſtrorum venia criminum, ſed

etiam pro condonatione aliorum orandum nobis eſt: ergo vult Deus, ut oremus pro ſalute aliorum: ergo datur pactum de acceptatione.

Juſtificatio peccatoris eſt gratuita.

RESP. *nego antec.* Ubique Scriptura clamat gratuitam eſſe cujuſcumque peccatoris juſtificationem; non eſſet autem omnino gratuita, ſi Deum valor bonorum operum cogeret ex juſtitia impertiri peccatori gratiam juſtificantem: ſicut licèt gloria, quæ Juſto confertur, ſit gratuita in radice, quatenus ob merita Chriſti gratis Deus homini gratiam clargitur, ſuppoſita tamen gratia gratis donata trahit gloriam ex titulo juſtitiæ: ſic gratia danda peccatori, quamvis eſſet gratuita in radice, quatenus Deus dedit gratis alteri principium merendi, & gratìs moverit voluntatem illius ad orandum pro peccatore, ſuppoſita tamen applicatione boni operis, collatio gratiæ peccatori eſſet titulo juſtitiæ debita. Cæterùm allegati Scripturarum textus ſolummodo loquuntur de merito congruo, quod alter queat alterum juvare. Sanè textus *Jacobi* diſertè loquitur de mutuo Juſtorum adjumento; ſtatim enim ſubdit: *multum enim valet oratio Juſti aſſidua.* Quocirca nequit accipi in ſenſu de prima gratia Impio conferenda: & quando dicitur, *orate, ut ſalvemini*, intelligitur de profectu, & perſeverantia in bono. Locus *Eccleſiaſtes* indicat adjutorium, quod præſtatur bonis exemplis, conſiliis, exhortationibus, non autem ex merito de condigno. Exceptio autem, quæ innuitur in textu *Jeremiæ*, non ſupponit pactum, de quo eſt ſermo; ſed tantùm indicat nolle Deum exaudire pro populo etiam amicos, quos cæteroqui ex ſua quadam ſuavitate ſæpè numero exaudit. Oratio Dominica intelligenda eſt de quotidianis defectibus, ùt alibi vidimus, & ſolùm de congruo in ordine ad alios.

15 OBJICIES 3. Secundùm præſentem providentiam Incarnatio cadit ſub merito congruo Sanctorum Patrum: ergo gratia alteri danda cadit ſub merito condigno. *Probatur conſequentia.* Beneficium commune Incarnationis longè magis exuperat meritum cujuslibet juſti (cùm Unio Hypoſtatica ſit ordinis altioris, & Divini) quàm prima gratia danda peccatori: ergo ſi illa cadit ſub merito congrui, hæc cadet ſub merito condigni, maximè quòd juſtificatio peccatoris ſit effectus Incarnationis.

Meritum congrui attenditur penes amicitiam.

RESP. *Neg. conſeq.* Meritum congrui non attenditur penes proportionem valoris ad valorem, ſed penes amicitiam: cùm ergo Patres veteris Teſtamenti Sancti eſſent, & Amici Dei, ideo Incarnationis beneficium expoſtulantes debito congruentiæ exauditi ſunt. At meritum condignum fundat jus juſtitiæ, ad quod non ſufficit proportio æqualitatis inter datum, & acceptum; ſed inſuper requiritur conditio acceptationis, & conventionis, quæ in caſu deficit.

16 OBJICIES 4., & eſt inſtantia contra dicta. In præſenti providentia Deus habet voluntatem charitati convenientem; ſed charitas ab intrinſeco inclinat ad ſuffragandum peccatori quoad bona ſtatus: ergo Deus habet voluntatem acceptandi bonum opus unius, ut prima gratia alteri conferatur. *Minor explicatur.* Charitas inclinat per ſe in bonum proximi, & non ſolùm in bonum accidentale, ſed ſubſtantiale; quia inclinat ad communicanda bona ſibi propria: undè Apoſtolus ad Rom. 9. v. 3. *Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis:* & Moyſes Exod. 32. v. 31. *Aut dimitte ei hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo:* ergo perfecta charitas bona propria bono proximi poſtponit, vel illud ſaltem tantidem facit. Ergo perfecta charitas inclinat ab intrinſeco ad ſuffragandum peccatori quoad bona ſtatus.

Debitum congruentiæ fundatur in jure amicabili.

RESP. Argumentum hoc infert duntaxat debitum congruentiæ inſitum jure amicabili; hoc enim ipſo quod voluntas Dei eſt ſecundùm inclinationem charitatis, quæ ex juſtitia non obligat, non eſt voluntas inclinans ad ſuffragandum ex merito condigni. Et quamvis charitas verè ab intrinſeco inclinet ad communicanda, & deſideranda alteri bona ſtatus; nihilominus effectus illi adducti ex *Paulo*, & *Moyſe* non ita ſunt accipiendi, quaſi voluerint ipſi privari bonis ſpiritualibus, ut alios ditarent; hujuſmodi enim charitas devia eſſet a recto ordine; ſed *Paulus* tantummodo oſtendere voluit ſe paratum ad omnia perpetienda, ut animas lucrifaceret. Et *Moyſes* avebat ſatiùs mori, quàm Populum habere Deo infenſum.

17 OBJICIES 5. Juſtus ſecundùm præſentem providentiam, & multò magis abſolutè poteſt ſibi mereri reparationem poſt lapſum: ergo etiam alteri primam gratiam. *Ant. oſtenditur:* Ad Hebr. 6. v. 9. *Paulus* ita ad quoſdam peccatores ſcribit: *Confidimus autem de vobis dilectiſſimi, meliora, & viciniora ſaluti: tametſi ita loquimur. Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis, & miniſtratis.* En quomodò clarè inducit ad confidentiam reſurgendi a peccato in præmium ex juſtitia præcedentis gratiæ, & charitatis: 2. Paralip. 19. v. 2. Propheta *Jehu* dixit ad *Joſaphat* Regem Judæ: *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum amicitia jungeris, & idcircò iram quidem Domini merebaris: ſed bona opera inventa ſunt in te.* Ecce quomodo Deus propter præcedentia opera remittit peccatum: & Pſal. 70. v. 9. *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Hoc eſt, cùm lapſus fuero in peccatum, revoca me ab illo; ſacri Interpretes. Petiit ergo reparationem poſt lapſum, dum juſtus erat: ergo talis reparatio cadere poteſt ſub merito; ſecus fruſtranea eſſet petitio: & ratio eſt; quia juſtus mereri poteſt de condigno vitam æternam: ergo reparationem poſt lapſum; nam qui meretur conſecutionem finis, meretur remotionem impedimentorum; ſed peccatum impedimento eſt conſequendæ æternæ vitæ: ergo qui de condigno meretur vitam æternam, meretur reparationem a peccato. Prima autem conſequentia videtur conſtare ex paritate.

Juſtificatio non cadit ſub merito operũ præcedentiũ.

RESP. *negando antec.* Ex Scripturis, & Conciliis juſtificatio impii eſt omninò gratuita: non eſſet autem hujuſmodi, ſi de condi-

gno

gno caderet ſub merito præcedentium bonorum operum ; debita enim ſoret ex juſtitia, nec aliter eſſe poteſt ; nam ad hoc ut aliquid detur ea meritis, dans moveri debet virtute meritorum, quando dat ; & meritum tunc debet movere moraliter. Sed quando confertur peccati remiſſio, non movent merita præcedentia, nec influunt ; quia ſont per peccatom mortificata, & mortificatio in eo conſiſtit, quod vim meritorum impedit : ergo ab intrinſeco nequit reparatio ob præcedentia merita conferri poſt lapſum. Hinc *ad probationem* DICO, *Pauli* ſententiam, ſecundùm Interpretes intelligendam eſſe de reviviſcentia meritorum, eoſque propterea hortatur ad confidendum ; quòd ſi pertæſi criminum reſipiſcant, froctom bonorum, quæ in gratiam peregerint, non amittent. *Ad ſecundum*. *Joſaphat*, non peccavit graviter, ſed ea quadam infirmitate ; ideo Deus pepercit ; quia non ea malitia auxiliatus impio fuerat. Ita D. *Thomas* 2. 2. q. 188. art. 10. ad 2. peccatum igitur non fuit remiſſom præmio bonorum operum, quæ præceſſerant. *Ad tertium*. Ideo *David* precabatur auxilium reſorgendi, ſi fortè in peccatum laberetur ; qoia ex qoadam impropria congruitate ſolet quandoqoe miſericors Dominus poſt lapſum concedere auxilia ad reſurgendum, motus bonis operibus antecedenter factis. Neque hæc implicant ; cùm etiam aliquando peccatores nonnulla impetrent dona. Ratio demum adducta non convincit ; quia illud axioma, *qui meretur aliquem finem, meretur etiam amotionem impedimentorum*, verum eſt de impedimentis ſe tenentibus ex parte finis, non autem ex parte principii. Perſeverantia verò in gratia eſt connotatum eſſentialiter requiſitum ex parte principii meritorii, ac proinde non cadit ſub illo axiomate, & conſequenter nec reparatio poſt lapſum ; hic enim eſt interruptio perſeverantiæ, & gratia collata eſt cauſa meritoria præmii ; ſi verò caderet ſub merito, idem eſſet meritum ſui, & præmium.

Merita per peccatū mortificantur.

Joſaphat nõ peccavit graviter.

Lapſus eſt interruptio perſeverantiæ.

§. TERTIUS.

SOLVUNTUR RELIQUA ARGUMENTA.

18 NOn huc obtrudam argomenta omnia, quibus impetitur noſtra doctrina, ſicoti nec omnia adduxi in præcedenti paragrapho ; tum quia alibi eadem jam retudimus ; tum quia directè pars altera noſtræ concluſionis non reſpicit hanc materiam.

OBJICIES 1. Juſtus poteſt alteri primam gratiam mereri ſecundùm ſe : ergo etiam ùt remiſſivam maculæ. *Ant.* non videtur poſſe negari ; quia prima gratia ſecundùm ſe accepta præciſivè a remiſſione maculæ non excedit proportionem gratiæ exiſtentis in Juſto : ergo accedente pacto Dei, poterit cadere ſob merito condigni. *Conſequentia oſtenditur*. Qui poteſt mereri de condigno aliquam formam, meretur etiam effectus formales formæ eidem intrinſecos ; ſed remiſſio culpæ eſt effectus formalis gratiæ : ergo deſtructio maculæ venire poteſt ſub merito condigni : ergo etiam deſtructio offenſæ ; quia hujus deſtructio ſequitur per ſe deſtructionem maculæ.

RESP. *tranſeat antecedens* (a pluribus enim negatur) & *nego conſequens*. Gratia ùt expulſiva maculæ excedit in eſſe præmii vim meritorum gratiæ operantis in juſto ; includit enim eſſentialiter hoc, quod Deus obligetur ad remiſſionem offenſæ, quæ obligatio excedit ordinem puræ gratiæ, ſicut excedit offenſa. Nec ea valet doctrina, quod qui meretur formam, effectus quoque mereatur formales ejuſdem, niſi illi effectus formam ſequantur ſecundùm ſe, & ubicumque reperitur. Remiſſio autem maculæ non ſequitur gratiam in quolibet ſubjecto, ſed in Peccatore tantùm ; proindèque gratia ùt remiſſiva maculæ ſupponit eſſentialiter pro connotato ſubjectum Deo averſum, ac ideo creſcit in eſſe præmii, ſicuti gratia radicat per modum naturæ juſtitiam commutativam per ſe, at non in omni ſubjecto, ſed in Chriſto dumtaxat, & propter hanc conditionem explicat majorem æſtimabilitatem ſupra ſe ipſam conſideratam ſecundùm ſe.

Qui meretur formam, meretur effectus formales illius.

19 OBJICIES 2. Adam ſuo peccato meruit nobis privationem gratiæ : ergo mereri de condigno potuiſſet tranſfuſionem gratiæ remiſſivæ peccati. *Prob. conſeq.* Sicut ex natura rei peccatum Adæ eſt de condigno meritorium privationis gratiæ in ipſo ; ita bonum opus eſt meritorium de condigno gratiæ, ſoli ſoppoſito merenti conſerendæ ; ſed accedente pacto Dei, peccatum Adæ extendit vim ſuam ad alios : ergo accedente etiam pacto Dei, bonum upus extendi poteſt ad remiſſivam gratiam aliis promerendam.

RESP. *nego conſeq.*, ſi meritum intelligas de condigno : & ratio eſt ; qoia peccatum ea ſuo conceptu importat offenſam Dei, quæ eſt ſecundùm ſe vel infinitæ gravitatis, vel in omnium ſententia ordinis ſuperioris, & propterea ex natura ſua potens fundare demeritum cujuſcomque boni ; unde accedente pacto, quo Adam conſtituebatur caput aliorum, valebat omnes inficere. Cæterum quodlibet bonom opus puri hominis caret non modo infinitate bonitatis, ſed etiam ſuperioritate ordinis ; adeoque non poteſt æquare remiſſionem offenſæ, nedum peccati alieni ſuppoſiti, verum etiam peccati illius ſuppoſiti, quod meretur, v. g. Adæ.

Peccatum ex ſuo conceptu importat Dei offenſam.

20 OBJICIES 3. Gratia ùt inferens expulſionem maculæ deſtructivam offenſæ non excedit ſe ipſam ùt dandam non Peccatori exceſſu infinito, nam eſt aliquid extra Deum ; ſed præmiom, quod non eſt infinitum, poteſt cadere ſub merito de condigno hominis juſti : ergo.

RESP. *tranſeat major* ; nam in controverſia eſt, an offenſa Dei ſit gravitatis infinitæ. Sed *negatur minor*. Sufficit enim præmiom eſſe ordinis altioris, ſicot accidit in caſu, in quo offenſa eſt ordinis Divini perſonalis, utpote læſio moralis Divini Juris in ſe ipſo. Bonitas verò operis Juſtorum eſt ordinis Divini per participationem, ac propterea non adæquat in valore morali æſtimabilitatem deſtructionis offenſæ ; ita excedit

Bonitas operis boni ſit, & ordinis divini per participationem.

moraliter offenſa Dei bonitatem moralem operis boni , quemadmodum phyſicè Deus per eſſentiam excedit Deum per participationem . Quare ùt Deus phyſicè conſideratus eſt inæquabilis a Deo conſiderato per participationem, haud aliter offenſa eſt moraliter inæquabilis a valore operis puri hominis juſti . Immò licèt gratia ùt inferens deſtructionem maculæ , & offenſæ ſit phyſicè extra Deum ; tamen in virtute , & æquivalenter ingreditur ordinem divinum, prout eſt in ſe : ita etiam quamvis calor ùt octo formaliter non ſit ſubſtantia , cùm tamen inſerat ſubſtantiæ productionem (eſt enim ultima diſpoſitio ad illam) in virtute, & æquivalenter, ſpectat ad ordinem ſubſtantiæ .

21 OBJICIES 4. Ideo Juſtus non poteſt mereri alteri de condigno gratiam , ùt remiſſivam maculæ ; quia neceſſariò connectitur cum deſtructione offenſæ ; ſed hæc ratio nulla eſt : ergo . *Prob. min.* Ex duobus neceſſariò connexis poteſt unum cadere ſub merito , & aliud non , ùt patet in eſſentia Divina , quæ ſub ratione ſpeciei impreſſæ , & expreſsæ cadit ſub merito , non tamen ùt dicit intellectionem ; quamvis utrumque connectetur . Item gloria corporis connectitur cum gloria animæ , attamen Chriſtus ſibi meruit gloriam corporis , non verò animæ : ergo a pari etiamſi remiſſio culpæ connectatur cum deſtructione offenſæ , primum cadere poteſt ſub merito , non verò ſecundum : & ratio a priori eſt , quòd ex duobus connexis illud cadit ſub cauſalitate agentis , quod continetur intra sferam ſuæ actionis : undè Deus attingit entitatem peccati abſque malitia illi connexa ; quia prima continetur intra sferam Divinæ activitatis , ſecunda non ; ſed extinctio offenſæ non continetur propter exceſſum intra limites meriti puræ creaturæ , ſecus deſtructio maculæ , quæ non eſt altioris ordinis ad gratiam : ergo hæc cadere poteſt ſub merito .

Duo poſſunt connecti ſpecificativè, vel reduplicativè.

RESP. *neg. min.* Ad cujus probationem notanda ſunt duo . *Primò* poſſunt connecti duo ſpecificativè tantùm , vel reduplicativè . Reduplicativè connectuntur, quando unum eſt fundamentum formale alterius ; ſpecificativè, quando unum non eſt ratio formalis alterius . *Secundò* deſtructio maculæ eſt fundamentum formale deſtructionis offenſæ ; nam ita ſe habet offenſa in ſuo conſervari , ſicut in primo produci ; ſed in primo produci cauſatur directè a peccato actualiter commiſſo , ita in conſervari directè dependet ab eodem peccato ùt voluntariè non retractato , hoc eſt ab ipſa macula voluntariè durante ; unde ejuſdem deſtructio dependet a deſtructione maculæ . Nunc ad argumentum *concedo ant.* loquendo de ſpecificativè tantùm connexis , *nego* de reduplicativè connexis : & inſto aiſdem exemplis . Si Deus attingeret entitatem peccati ùt fundantem malitiam , attingeret pariter malitiam ; ſi Chriſtus meruiſſet gloriam animæ , quæ eſt ratio gloriæ corporis , etiam gloriam corporis meruiſſet , ùt accidit in nobis . Cùm verò gloria corporis non ſit fundamentum gloriæ animæ ; ideò non valet oppoſitum . Pariter ſi ſpecies impreſſa eſſet formale fundamentum intellectionis , utrumque caderet ſub merito ; & ideò totus Deus ſecundùm illas formalitates , quæ fundantur in ratione objecti beatificantis, caderet ſub merito Juſtorum . Cùm ergo deſtructio maculæ redoplicativè connectatur cum deſtructione offenſæ , unum nequit cadere ſub merito , niſi cadat utrumque , & maximè quod motio meriti , cùm ſit moralis, non eſt præciſiva .

22 OBJICIES 5. Merens de condigno formam incompoſſibilem cum macula , & offenſa meretur de condigno deſtructionem maculæ , & offenſæ ; ſed Juſtus alteri mereri poteſt de condigno formam incompoſſibilem cum peccato : ergo . *Minor explicatur* . Actus contritionis non componitur cum peccato , nec excedit activitatem , & ordinem gratiæ ſanctificantis : ergo Juſtus mereri poteſt peccatori actum contritionis : ergo formam incompoſſibilem cum peccato : ergo deſtructionem offenſæ ; quia nullus poteſt obtinere a Deo remiſſionem offenſæ , niſi media condigna ſatisfactione ; ſed qui meretur formam cum peccato incompoſſibilem , obtinet a Deo remiſſionem offenſæ : ergo .

RESP. Forma eſſe poteſt incompoſſibilis cum peccato dupliciter vel in ratione valoris moralis ; quia tanti valet forma , quanti valet terminus , cui non compatitur : vel ratione entitatis ; quia una entitas eſt alteri contradictoriè ſeu privativè , ſeu contrariè oppoſita . Quando forma eſt incompoſſibilis cum altero ratione moralis valoris , tunc qui unum meretur , meretur èt aliud : ſecus quando incompoſſibilitas oritur ex phyſica entitatis oppoſitione . Actus contritionis eſt forma incompoſſibilis cum peccato , non ratione moralis valoris , ſed ratione phyſicæ entitatis . Quamobrem ſi contritio conſideretur in eſſe morali , & in eſſe ſatisfactionis, adhuc Deus poſſet remiſſionem offenſæ ſuſpendere . Circa hanc Controverſiam videantur PP. Salmaticenſes *tract. 16. de merito disp. 6. dub. 2. & 3.*

Actus contritionis eſt incompoſſibilis cum peccato phyſicè.

CONTROVERSIA III.

AN SUFFRAGIUM JUSTI ALTERI PROSIT PRO CONDIGNA SATISFACTIONE POENÆ TEMPORALIS .

Satisfactio pro altero fiat dupliciter.

23 UTrum Fidelis ſatisfacere poſſit debito pœnæ temporalis , quod alter ex peccato contraxit , dupliciter quæritur , impetratione ſcilicet , ac ſolutione . Impetratione fit , quando quis Deum orat , ut concedat fratri ſuo auxilia pro exercendis operibus ſatisfactoriis , & deletivis pœnæ temporalis . Solutione fit , quando quis immediatè ſua applicat opera ſatisfactoria , ut debitum pœnæ temporalis in fratre extinguat ; qui modus propriè dicitur ſatisfactivus . Quòd ſi opus oblatum ſit tanti valoris , quantæ æſtimabilitatis eſt reatus pœnæ, dicitur ſatisfactivum de condigno . *Wiclefus* apud Waldenſem de Sacramentalibus tom. 3. cap. 93. ad 100. , quem ſequuntur *Lutherus* , & *Calvinus* alibi citati , & infra iterum citandi , ſuſtinet neutro modo poſſe fidelem alteri prodeſſe . Ex Theo-

Theologis conveuiunt omnes quoad primum modum, hoc eſt de congruo, ſeu impetrativè; nonnulli tamen uegant poſſe alium juvare ſecuudo modo; hoc eſt de condigno, ſeu ſolutioue; ſed contra omnes.

Vult Deus applicari fructum ſuæ paſſionis.

24 DICO. *Unus Fidelis alterum juvare poteſt impetratione, & ſolutione quoad extinctionem debiti pœnæ temporalis.* Probatur concluſio. Primò ex Scripturis: vult Deus paſſionis ſuæ fructum Fidelibus applicari non per media ſolùm perſonalia, ſed etiam aliena: ergo ea lege Dei uuus pro altero poteſt ſatisfacere. *Ant. prob.* ad Coloſs. 1. verſ. 24. *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia: cujus factus ſum ego miniſter ſecundùm diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi.* Quamvis igitur per ſe meritum Chriſti ſufficiat ad ſatisfaciendum pro reatu omnium peccatorum; tamen de facto propter communionis Sanctorum perfectionem noluit efficaciter applicari, niſi media noſtra ſatisfactione, quæ uobis prodeſſet, & aliis; & ideò Apoſtolus dicit, *pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*; ut ſcilicet non tantùm ſibi prodeſſent ejus paſſiones, ſed pro aliis Fidelibus, in quibus uſque ad finem mundi patitur Chriſtus, ùt explicat *Auguſtinus* Pſal. 61. ſic exponunt *Chryſoſtomus*, *Theophilactus*, *Anſelmus*, & alii cum Angelico Doctore.

Ad Galatas 6. v. 2. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*: debitum enim pœnæ ex peccatis ortum frequenter in Scripturis onus vocatur; lex Dei vult, ut alter alterius hoc onus portet, ſcilicet unus curet ſatisfaciendum pro peccatis alterius: ſic D. *Thomas* 3. contra gentes cap. 158.

Debitū pœnæ onus vocatur.

2. Corinth. 2. v. 10. loquens de quibuſdam Fidelibus, qui peccaverant, & a Corinthiis affecti pœnis fuerint, & excommunicationibus, habetur: *Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* Hoc eſt rogatus a vobis, & propter merita veſtra aliquid, ùt miniſter Chriſti, de pœnis, & ſatisfactionibus, & cenſuris relaxavi. Si ergo miniſter Chriſti aliorum merita acceptat pro ſatisfactione pœnæ aliis debitæ, multo magis Chriſtus. Ex qua *Pauli* doctrina orta eſt conſuetudo antiqua in Eccleſia, qua Paſtores ſolebant publicis pœnitentibus relaxare aliquid de pœna propter interceſſiones, & ſatisfactiones aliorum Juſtorum, ùt habetur apud *Tertullianum* lib. ad Martyres c. 1., apud *Cyprianum* lib. 3. Epiſt. 15., & apud alios. Quamobrem etiam Paſtores admittebant Martyrum libellos; hoc eſt interceſſionem eorum, qui pro Chriſto pœnas toleraverant, cujus libelli ratione pœnas relaxabant iis, qui fuerant lapſi. *Quia*, ait Cyprianus, *auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt*; & iterum: *unde qui libellum a Martyribus acceperunt, prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt*: Epiſt. 13., & 14.

Conſuetudo Eccleſiæ relaxandi pœnas.

Libelli Martyrum.

Fideles ad invicē uniuntur in uno corpore.

25 PROBATUR *ſecundò concluſio*. Omnes Fideles ita ſunt unum corpus myſticum Eccleſiæ, ut non ſolùm communionem habeant ab uno capite, ſed etiam invicem a membris: ſicut clarè habetur 1. *ad Corinth.* 12. *v.* 15.; ſed id ipſum pro invicem ſollicita ſunt membra, ùt conſtat a paritate membrorum corporis phyſici, quæ ad invicem communicant. Sed Chriſtus caput cum membris communicat impetrando, & ſolvendo pro debito pœnæ eis debitæ: ergo etiam membrum alteri membro prodeſt, & communicat impetrando, & exhibendo ſolutionem pro debito pœnæ temporalis.

Tribunal Chriſti, & Tribunal hominum analogantur.

CONFIRMATUR. Tribunal Chriſti in ſtatuendis pœnis analogatur cum Tribunali humano; ſed Tribunal hominum abſque violatione juſtitiæ acceptat ſolutionem factam ab uno pro alio, v. g. a Patre pro Filio exhibitam, & econtra; ab amico pro amico, a ſervo pro Domino: ergo etiam Tribunal Chriſti. *Declaratur major.* In Scripturis multoties peccatum Patris punitur in Filiis, ùt patet in Adulterio *David*. Et Deus paratus erit Sodomitis parcere *Gen.* 18. *verſ.* 32., ſi ibi decem juſti inventi fuiſſent: *Quid ſi inventi fuerint ibi decem? Et dixit, non delebo propter decem.* Habemus dari Theſaurum Eccleſiæ, de quo infra de Indulgentiis, qui coaleſcit ex meritis Chriſti, & ſuperabundantibus ſatisfactionibus Sanctorum. Si verò non eſſet lex, qua Deus acceptat ſatisfactiones unius pro altero, tamquam ſolutionem ab amico factam, nihil prodeſſet ille Theſaurus, eo enim non poſſet Eccleſia uti ad ſolvenda Fidelium debita; unde in Catechiſmo Pii V. de pœnit. Sacram. n. 61. hæc ſcribuntur: *In eo ſumma Dei bonitas, & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda eſt, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus poſſit pro alio ſatisfacere.* Præterea qui ſunt Divinâ gratiâ præditi, alterius nomine poſſunt, quod Deo debetur, perſolvere: quò fit, ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur. Deinde profitemur in Symbolo Apoſtolorum *Sanctorum communionem*, quibus verbis noſtræ concluſionis fundamenta continentur tum quoad ſubſtantiam contra Hæreticos, tum quoad modum contra Catholicos, qui negant ſolutionem de condigno pro reatu pœnæ temporalis alterius poſſe impendi.

Datur Eccleſiæ Theſaurus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

26 HÆretici plura congerunt argumenta ex meritis Chriſti deſumpta, & jam a nobis rejecta in hoc Tract. Parte I. Controv. I. num. 33., & ſeqq. Alia petuntur argumenta ex inſufficientia bonorum operum Sanctorum infra de Indulgentiis Controverſia II. examinanda. Quare in præſentiarum perpauca ſubdam directè contra concluſionem, quæ etiam favent *Cordubæ*, & *Medinæ*, qui licèt immeritò adducuntur contra modum ſatisfaciendi *ſolutione*.

OBJICIES 1. Debitum perſonale non poteſt per alium ſolvi; ſed debitum pœnæ temporalis eſt debitum perſonale: ergo non poteſt per alium ſolvi. *Maj. non indiget probatione*; quia in hoc diſtinguitur debitum perſonale a debito reali, quod, cùm hoc ſit rei diſtinctæ a Perſona, adimpleri poteſt per alium, ùt debitum eleemoſynæ. Debitum verò perſonale exerceri per actionem debet, paſſionemve perſonæ obligatæ. *Min. probatur.*

De-

Debitum pœnæ temporalis contrahitur per ſolam culpam peccantis, & non alterius; nec reus fit dignus pœnâ in alio, ſed in ſe ipſo: ergo debitum eſt perſonæ peccantis: ergo nequit ſolutio fieri per bona alterius opera.

Duplex debitum perſonale.

RESP. Debitum perſonale dici dupliciter: ratione obligationis, ſeu reatus, & hoc eſt, quando vi ſua conſtituit perſonam debitricem, & non aliam. Ratione verò ſolutionis debitum eſt perſonale, quando perſona conſtituitur ita debitrix, ut ex propriis ſolvere debeat. Reatus pœnæ temporalis eſt perſonale debitum primo modo; etenim peccatum e vi ſua conſtituit peccantem debitorem, & obligat ſolutioni. Non eſt tamen omnino perſonale ſecundo modo; alius enim poteſt vel ſponte, vel rogatus Deo exhibere ſolutionem per ſua opera. Unde licèt reatus, & culpa non ſint in alio, tamen ſolutio debitum extinguit utpote procedens a charitate, quæ eſt communicativa. Culpa verò oritur ex libera peccantis voluntate, in qua non fit communicatio: & ideo contra Gentes lib. 3. cap. 158. noſtram concluſionem probat S. *Thomas* illo axiomate: *Quod facimus per amicos, per nos ipſos facere dicimur*. Vide infra n. 38.

Solutio procedit ex charitate.

27 OBJICIES 2. Reatus pœnæ fundatur in reatu culpæ; ſed reatus culpæ non poteſt extingui per diſpoſitionem exhibitam ab altero: ergo neque reatus pœnæ per exhibitionem alienæ ſatisfactionis; fundatum enim ſequitur naturam ſui fundamenti. *Explicatur*. Quouſque manet quis dignus pœnâ, inextinctum remanet debitum; ſed per alienum opus nemo poteſt fieri non dignus pœnâ, ſicut per meritum alterius non poteſt fieri dignus gloriâ: ergo ſicuti nemo poteſt pro alio mereri gloriam, ita neque pœnæ debitum ſolvere.

RESP. Reatum pœnæ in fieri dependere a culpa: in facto autem eſſe non ſemper; cùm dimiſsâ culpâ remaneat reatus pœnæ a Divina Juſtitia taxatæ: *& conceſſ. min. neg. conſeq.* Remiſſio culpæ pertinet ad intrinſecam perfectionem ſuppoſiti, quod peccavit, adeoque requiritur neceſſariò intrinſeca diſpoſitio, qua retractetur voluntarietas peccati commiſſi moraliter perſeverans. Voluntarietas autem cùm eſſentialiter ſit ab intrinſeco, nequit per extrinſecum ſuppleri. Dimiſſio verò pœnæ haudquaquam pertinet ad intrinſecam perfectionem eſſentialem. Quare ex dimiſſione pœnæ, qua talis, non acceſcit major ſanctitas ſuppoſito, cui dimittitur; ſed removetur dumtaxat impedimentum conſequendæ gloriæ. Hinc eſt, ut ſatisfactio Sanctorum, quæ excedit extinctionem pœnæ peccatis debitæ, ad Theſaurum Eccleſiæ ſpectat; ſecus ſi pertineret ad intrinſecam perfectionem; nam operanti prodeſſet, ùt patet de merito: ſicut ergo extrinſecè per Divinam Juſtitiam taxatur pœna temporalis, dimiſsâ culpâ: ita per extrinſecam donationem alterius Fidelis extingui poteſt. Inde patet ſolutio ad argumentum de gloria, quæ cùm ſit præmium eſſentiale, ad perfectionem intrinſecam, & ſubſtantialem attinet, atque adeo coaptari debet cum intrinſeca diſpoſitione meriti illius, qui præmio donatur.

Voluntarietas non poteſt ſuppleri ab extrinſeco.

Pœna extrinſecè taxatur.

28 OBJICIES 3. Pœna ſe habet adinſtar medicinæ; ſed medicina non prodeſt ægroto, ſi ab alio ſumatur. Ergo.

RESP. Etſi aliquot pœnæ ſint ad medelam; tamen & ſatisfactoriæ ſunt, quatenus perferuntur, ut ſatisfiat Divinæ Juſtitiæ vindicativæ. Prout ergo medentur pravis cupiditatibus ſub ratione medicinæ, ſoli proſunt ſuſcipienti. Quà verò ſatisfactoriæ aliis etiam, dummodo applicentur, ſunt proficuæ. Nihilominus ad modum impetrationis queunt etiam ad alienam conferre valetudinem: quatenus Deo oblatæ auxilium impetrant ad eradenda vitiorum ſemina.

Pœnæ medicinales, ut ſatisfactoriæ alteri proſunt.

29 OBJICIES 4. Scriptura innuere videtur onus perſonale eſſe perſonaliter ſolvendum: dicitur enim ad Galatas 6. v. 5. *Unuſquiſque enim onus ſuum portabit*: 2. ad Corinth. 5. v. 10. *Ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit*: 1. ad Corinth. 3. v. 8. *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem*. Et ratio eſt; quia charitas non diſtrahit bona ſpiritualia a ſubjecto, in quo eſt; unde ait Chriſtus, gratiam eſſe fontem aquæ ſalientis in vitam æternam in eo, in quo eſt. Boni autem operis fructus diſtrahitur ab operante, ſi utilitati impenditur alienæ.

RESP. *neg. antec.* Allegatis Scripturis ineſt ſenſus de onere culpæ, non pœnæ, de receptione præmii eſſentialis, non de pœnarum ſolutione; culpa enim, & præmium, ùt mox dixi, perſonam propriam ſequuntur. Nil ibi *Paulus* adverſatur, immò favet nobis; nam in eodem capite juſſit, ex lege Chriſti unum portare onus alterius. Ferre debet ergo pœnæ, cùm nemo culpæ onus ferat alienæ. Chriſtus verò ibi apertè loquitur de fructu eſſentiali charitatis, qui eſt meritum æternæ gloriæ. An verò ſatisfactorium opus alteri applicatum diſtrahatur ab operante; aliqui negant; ſed revera diſtinguendum eſt. Valorem ſatisfactionis inſitum bono operi ſanè diſtrahi cenſemus; nam ſolutio æquivalens debito pœnæ conſumitur in ipſo, nec pluribus eadem poteſt inſumi: ſicut unum meritum de condigno non valet ad præmium duplex, & qui ſolvit centum, nequit ducenta exigere. Cùm ergo ſolvitur debitum proximi, nequit eadem ſolutio valere pro debiti perſonalis ſolutione. Si verò conſideres bonam voluntatem ex amore juvandi proximi, & ex charitate profectam, certè prodeſt operanti, nec ab eo diſtrahitur, immò cùm illa bona voluntas ſit etiam ſatisfactoria, valet ad extinguendum debitum pœnæ in ipſo operante.

Valor ſatisfactionis alteri applicato diſtrahitur ab applicante.

30 OBJICIES 5. Ut Fidelis *ſolutione* queat pro altero ſatisfacere, debet offerre opus tanti valoris, quanti eſt reatus pœnæ; ſed hoc nemo poteſt: ergo. *Prob. min.* Qui offert pretium inferioris ordinis, non ſolvit debitum de condigno; ſed pœnæ hujus vitæ, quas aliquis patitur, ſunt inferioris ordinis ad pœnas Purgatorii, quarum reatum incurrit homo, ita ut dixerit D. *Thomas*, ne dolores quidem Chriſti æquales fuiſſe doloribus purgantium, & ut ex eodem, & ex Patribus diximus, minimum quodque purgatorii ſupplicium longè excedere tormenta hujus ſeculi: ergo de condigno

nemo

nemo pro altero ſatisfacit.

RESP. *Conceſſá maj. negatur min.* Cujus probatio ſumpta prout jacet, concludit, ne Chriſtum quidem ſatisfeciſſe de condigno, nec Juſtum perfectum ſatisfacere de condigno poſſe pro perſonali reatu, quod eſt apertè falſum: aliter Theſaurus Eccleſiæ non coaleſceret ex ſatisfactionibus Sanctorum, quandoquidem nullæ ſupereſſent, cùm nemo Sanctorum (exceptis excipiendis) aliquando non venialiter delinquat, ac propterea contrahat reatum pœnæ temporalis. DICO igitur pœnas hujus vitæ eſſe inferioris ordinis ad pœnas Purgatorii, ſi conſiderantur ùt meræ ſatiſpaſſiones. Quatenus autem informatæ charitate in ſtatu meritorio, ſunt longè majoris ordinis, & valoris; quia ſicut ſunt propriè loquendo meritoriæ; ita etiam propriè reputantur ſatisfactoriæ: illæ verò purgantium ſunt ſteriles ex parte ſatiſpaſſionis. Quare cùm aliquid majus ſit gloria eſſentialis Beatorum, quàm purgantium pœna, quæ pertinet ad ſtatum medium inter Viatores, & Comprehenſores, & ſit impedimentum quoddam accidentale retardans finalis gloriæ præmium, ſi illa cadit ſub merito condigni boni operis victoris, multo magis bonum opus Juſti poterit de condigno ſatisfacere pro pœna.

Pœna hujus vitæ conſiderata ex charitate informata ſunt ordinis ſuperioris ad pœnas Purgatorii.

31 DICES. Si Juſtus de condigno ſatisfacit pro alieno reatu pœnæ, Deus ex juſtitia teneretur illam ſolutionem acceptare; ſed hoc eſt falſum; quia pœna vindicativa ſtat in arbitrio Judicis, undè oblatam ab alio ſatisfactionem poteſt reſpuere: ergo.

RESP. ad condignitatem inter alia duo requiri. Primum eſt æqualitas valoris unius ad aliud, nempe meriti ad præmium, ſolutionis ad debitum. Alterum eſt conventio, & pactum acceptandi rem oblatam pro tali præmio, & pro tali debito. Juſtum poſſe offerre opus tanti valoris ſatisfactivi, quanti eſt debitum, patet ex dictis, & in confeſſo eſt apud Catholicos. Aliqui tamen negant legem hujuſmodi obligantem ex juſtitia; ſiquidem ſuffragiorum communicatio oritur ex charitate. Veriùs cum aliis hanc legem admittimus, ſcilicet Deum ſtatuiſſe pœnas delictorum ſolvendas vel per ipſum peccatorem, vel per alium: atque hanc legem probant ſupradicta in concluſione, ac proindè ſuppoſita condignitate operis, acceptatio erit ex juſtitia. Vide infra Controv. II. Partis V.

CONTROVERSIA IV.

AN SUFFRAGIA VIVENTIUM PROSINT DEFUNCTIS NON ÆTERNALITER DAMNATIS.

VIvis nocuit *Lutherus*, quos avertit a Sanctorum veneratione. Ne verò eorundem orationibus adjuventur, obfuit èt defunctis, quibus ſuffragia eripuit; ſecutuſque eſt in hoc Græcos, Waldenſes, Albigenſes, Aëriumque hujus erroris anteſignanum. Plura de his dicemus ubi de Sacrificio Miſſæ: plura jam diximus in ſuperioribus Controverſiis de Purgatorio; quare breviter

32 DICO. *Viventium ſuffragia defunctis*
A *proſunt*. Prob. primò concluſio 2. Machab. 12. v. 46. *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*. Si ſalubre eſt orare pro defunctis; ergo prodeſt: Eccleſiaſtici 7. verſ. 37. *Gratia dati in conſpectu omnis viventis, & mortuo non prohibeas gratiam.* Si hoc loco jubemur a Spiritu Sancto Vivis, & Mortuis opem ferre, certè non aliter poſſumus defunctis opitulari, niſi virtute ſuffragiorum, quemadmodum Catholici omnes interpretantur. Iterum Eccleſiaſtici 38. v. 24. *In requie mortui requieſcere fac memoriam ejus, & conſolare illum in exitu ſpiritus ſui.* Quonam modo in requie Mortui memoriam ejus
B requieſcere facimus, illumque in exitu conſolamur, niſi precibus adjuvando, & piis operibus? Certè non plangendo, & ſepeliendo, cùm lacrymæ, & ſepultura non ſint ad requiem, & etiam quia de his verſ. 16. jam dixit Scriptura: *Fili in mortuum produc lacrymas . . . & ne deſpicias ſepulturam ejus.* Tob. 4. v. 18. *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam Juſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.* Hoc eſt, ùt Interpretes exponunt, largire eleemoſynam pauperibus, & Sacerdotibus, ut proficiat purgantibus ad requiem. Demum 1. Cor. 15. v. 29. *Quid facient qui baptizantur pro mor-*
C *tuis, ſi omnino mortui non reſurgunt?* Hoc eſt, quid agunt ii, qui pro mortuis affliguntur, ſi iiſdem non proſunt? Videatur Pars I. de Purgatorio Controv. II. & III.

Conſolamur mortuos ſuffragio.

33 PROB. 2. Defuncti in gratia ſunt membra Eccleſiæ unita; charitas enim unicus membra Eccleſiæ, remanet in defunctis, ùt habetur 1. Corinth. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit*; ſed membra myſtici corporis adinvicem communicant, & 1. Corinth. 12. v. 25. *Pro invicem ſolicita ſint membra. Et ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*: ergo Vivi proſunt Mortuis. Explicatur argumentum. Mortui Juſti, &
D Viventes ſunt membra corporis Eccleſiæ ſub Chriſto capite; ſed caput vivens profuit Vivis, ùt cùm remiſit peccata Magdalenæ, Paralitico, Zachæo, Petro, Latroni, &c.: Mortuis, ùt cùm a morte revocavit Puellam in domo, Adoleſcentem in via, Lazarum in Sepulchro: ergo membra hujus corporis ad exemplum capitis debent, dum vivunt, prodeſſe Viventibus, & Defunctis, ut undequaque habeatur Sanctorum communicatio. Sanctis in Purgatorio detentis, quanam alia poſſumus ratione ſuffragari, niſi per ſuffragia? Hoc poſito adimpletur illud *Pauli* ad Rom. 12. v. 13. *Neceſſitatibus Sanctorum com-*
E *municantes*; certè Purgantes neceſſitatem patiuntur extremam.

Defuncti in gratia ſunt membra Eccleſiæ.

34 PROB. 3. univerſali conſenſu, & Eccleſiæ traditione; quæ conſtat *primò* ex antiquis Liturgiis *Petri*, *Matthæi*, *Baſilii*, *Ambroſii*, *Chryſoſtomi*, &c., quas Controv. V. Partis I. de Purgat. n. 118., & ſeq. exhibuimus, ubi injicitur mentio de piacularibus defunctorum ſuffragiis. *Secundò* ex pluribus Conciliis: Carthag. 4. cap. 95. ſic habet. *Qui oblationes defunctorum aut negant Eccleſiis, aut cum difficultate reddunt, tanquam Egentium necatores excommunicentur.*

In Liturgiis ſit expreſſa mentio ſuffragiorum.

Va-

Vaſenſe cap. 1. *Qui defunctorum oblationes retineat, & Eccleſiis tradere demorantur, ùt infideles ſunt ab Eccleſiis rejiciendi*: Vaſenſe 2. *cap.* 4. ſtatnit in Miſſis pro defunctis diaendum eſſe *Sanctus, Sanctus*, ſicut in aliis: Toletanum 3. *cap.* 12., reprobat tanquam infideles, qnl mortuos fraudant ſuffragiis. Bracharenſe 1. *c.* 29. meutionem facit Collectarnm, quæ pro defunctis fiebant. Cabiloneuſe 2. *cap.* 39., Vormatienſe *cap.* 60., Aureliauenſe 2. *cap.* 15., Lateranenſe ſnb *Innocentia* III. *cap.* 66., Florentinum in litteris Unionis; Tridentinum *ſeſſ.* 23. *decreto* 1.. *Tertiò* ex declaratione Pontificum, qnl hanc veritatem definierunt tamqnam ex antiqua Eccleſiæ traditione; ùt habetur *Extra. de Calebrat. Miſſarum cap. Quidam Laicorum*, & *cap. Cum Creatura* 13. *diſtinct. quæſt.* 2. *cap. Pro obeuntibns*. Quartò ea Patribus: *Dionyſius* de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 7. *Accedens deinde Venerandus Antiſtes precem ſacram ſuper mortuam peragit*, & infra, *ex Divinis ducibus noſtris traditia pervenit ad nos*. Auguſtiuns lib. de Cura pro Mort. cap. 1. *In Machabæorum libris legimus oblatum pra mortuis ſacrificium; ſed etſi nuſquam in veteribus Scripturis legeretur, non parva eſſet univerſæ Eccleſia, quæ in hac conſuetudina claret, auctoritas; ubi ia precibus Sacerdotis, quæ Domino Dea ad ejus Altare fundantur, locum ſuum habet etiam commendatia mortuorum*. Chryſoſtomus Homil. 69. *Non temerè ab Apoſtolis ſancita fuerant, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio*. Quintò tandem ex Eccleſiæ conſuetudine excludendi a ſuffragiis, quos ſciebat mortuos in læthali peccato, de qna *Cyprianus* Epiſt. 66.

DILUUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

OMiſſis objectionibus, quas reſulvimus contra Hæreticos tum locis citatis, tum in hac Parte IV. Controverſ. I., & ſeq.

35 OBJICIES 1. Eccleſiaſtes 9. verſ. 5. *Viventes enim ſciunt, ſe eſſe mortuos: mortui autem nihil noverunt ampliùs, nec habent ullam mercedem . . . . nec habent partem in hoc ſecula, & in opere, quod ſub Sole geritur*. Viden'? mortui ulteriùs non merentur, & expertes ſunt omuino cujuſque boni operis, quod fit a viventibus. *Calvinus* in præfatione Iuſtit. depromit quædam verba *Ambroſii* lib. 1. da Abraham cap. 9. ſcilicet: *Docemus, at non diutiùs inhæreamus mortuis, ſed quantum ſatis officii deferamus*; quæ verba ſic Hæreticus aommentatur: — Hoc non „ faciunt, qui perpetnum ſolicitudinem de „ mortnis gernut. —

RESP. Mortui non præſtolantur ultra mercedem quoad eſſentialia; ſtata jam enim fuit ipſorum conditio vel gloriæ, vel damnationis. Veruntamen ſæpè aontingit, ut needum penitus ſoluto pœnæ reatu mors eoſdem corripuerit; ideo poſt mortem juvari poſſunt a viventibus. Quando autem dicuntur *non habere partem in hoc ſecula, & in opere, quod ſub Sole geritur*; verè quidem pro arbitratu ſuo nequeunt diſponere de bonis viventium operibns, & nihil ex iis percipere, niſi fuerint in ſuffragium ordinata. Cæterùm non diffiteor, ſtante prædicta ordinationa, bona opera illis nihil conferre ad requiem. *Ambroſium* perperam diſtorqnet *Calvinus*. Sanctus Doctor pompam funeris, & luctus, ùt par eſt, mediocrem ſuadet: neutiquam inficiatur præſtandum Mortuis ſolamen. Siqnidem in Orationa de obitu Satyri Fratris, ait: *Tibi nunc omnipotens Deus innoxiam commendo animam. Tibi hoſtiam meam affero, cape propitius, ac ſerenus fraternam munus ſacrificium Sacerdotis*. De obitu Valentiniani. *Date cœleſtia Sacramenta: piam animam noſtris orationibus proſequamur*. De obitu Theodoſii: *Da requiem perfectam Servo tuo Theodoſio, requiem illam, quam præparaſti Sanctis tuis*. Qnod autem aitato loco faciendum funebri pompæ modum ſuadeat, habetur Epiſtolarum lib. 8. Epiſt. 2. ad Fauſtinum, qnem de Sororis morte conſolatur: *Itaque non tam deplorandam, quàm proſequendam orationibus reor; nec mæſtificandam lacrymis tuis, ſed magis oblationibus animam ejus Domino commendandam arbitror*.

Suffragia, ut proſint, debēt ordinari ad Defunctos.

36 OBJICIES 2. Melius eſt per ſe ipſum ſatisfacera, quàm per alium; nam qui per alium ſatisfacit, minùs beatur: ergo pro Defunctis non eſt orandum, ut eorum gloriam minuamus.

RESP. Falsò Hæretici ſupponunt purgantes mereri, & nos eſſa in eadem hæreſi. Satiùs quidem eſt in hac vita per ſe, qnàm per alinm ſatisfacere. Dum per nos ſatisfacimus, meremur, & proficimus in via ſalutis. Secus accidit Mortuis, qui quoniam non merentnr, non meliùs ſatisfaciunt per ſe, quandoquidem deberent diutiùs torqueri ſatispatiendo uſqua ad noviſſimum quadrantem.

37 OBJICIES 3. Nullus juvatur ex opera alterius, niſi aliqna ſit vitæ aommunicatio inter eos. Sed Vivos inter, & Mortuos nulla eſt vitæ commnnicatio, ùt habetur 1. Ethicor.: ergo ſuffragia non proſunt defunctis.

RESP. Vivi cum Mortnis nil habent commune qnoad civilia, da qua loquitur Philoſophus; ſecus de commnnicatione vitæ ſpiritualis, quæ eſt in charitate poſita, per qnam membra Eccleſiæ uniuntur inter ſe; adeoque adjuvari poſſunt.

Defuncti communicant cū Viventibus in charitate.

38 OBJICIES 4. Opus alteri non valet, niſi ad illum dirigatur; ſed pro mortuia non poſſumus opus dirigere neſcientes, utrùm beati ſint, an fortè damnati: argo.

RESP. Nos certò ſcimus Purgatorium exiſtere, & plures ex juſtis eò deſcendere; adeoque vel poſſumus pro iis orare, ſi indigent: ſin minus boni operis meritum ad nos revertitur: *Melius tamen eſt ſuffragia ſupereſſe, quàm deeſſe indigentibus*: ùt notat egregiè *Auguſtinus* lib. de Cura pro Mort.: & orando ad illos diriguntur ſuffragia, & fiunt aliqno modo propria illorum: ſic Sanctus *Thomas* in 4 ad Annib. diſt. 45. quæſt. unica, art. 2. ad 3. — Ad tertium dicen- „ dum, quòd ſuffragia vivorum proſunt de- „ functis, ſecundùm quod vivorum opera „ defunctorum fiunt, qnod qnidem contin-

„ git

„ git dupliciter : uno modo propter unio-
„ nem charitatis, & ſic proſunt ad gau-
„ dium omnibus in charitate caiſtentibus,
„ & magis eis, qui ſunt majoris charita-
„ tis : alio modo per intentionem facien-
„ tis, & ſic valent præcipuè ad diminu-
„ tionem pœnæ per modum cujuſdam ſatiſ-
„ factionis. —

39 OBJICIES 5. D. *Hieronymus* explicans illud ad Galat. 6. *Unuſquiſque onus ſuum portabit*, habet — Docemur per hanc ſen-
„ tentiolam novum dogma, quod latitat;
„ dum in præſenti ſeculo ſumus : ſive ora-
„ tionibus, ſive conſiliis invicem poſſe
„ nos coadjuvari : cùm autem ante Tri-
„ bunal Chriſti venerimus, non Job, non
„ Daniel, nec Noe rogare poſſe pro quo-
„ quam : ſed unumquemque portare onus
„ ſuum : — ergo.

Sed fruſtrà *Hieronymus* trahitur contra Catholicam veritatem. Orandum pro vivis eſſe, & pro defunctis docet contra *Vigilantium*, quem reprehendit, & impugnat propter oppoſitum errorem. Et quòd ſuffragia proſint defunctis oſtendit Epiſt. 26. ad *Pamachium* de *Paulinæ* uxoris obitu : —
„ Cæteri mariti, inquit, ſuper tumulos
„ conjugum ſpargunt violas, roſas, floreſ-
„ que purpureos, & dolorem pectoris his
„ officiis conſolantur. Pamachius noſter
„ ſanctam favillam, oſſaque veneranda
„ eleemoſynæ balſamis rigat. His pigmen-
„ tis, atque odoribus fovet cineres quieſcen-
„ tes, ſciens ſcriptum : *Sicut aqua extin-*
„ *guit ignem, ita eleemoſyna peccatum*. —
Citato loco notat *Gratianus* Doctorem maximum loqui de morientibus in gravi peccato, & inſuper de Judicio finali, in quo certè pro Impiis oratio eſt omnino irrita.

40 OBJICIES 6. Plures, qui orant pro defunctis, ſunt in peccato; ſed oratio peccatoris non prodeſt exiſtentibus in Purgatorio : ergo. Ulteriùs opus eſt magis fructuoſum facienti, quàm aliis; ſed opus peccatoris nullatenus ipſi prodeſt : ergo neque exiſtenti in Purgatorio; præſertim quòd opus meritorium debet eſſe vivum, hoc eſt charitate formatum; ſed opus peccatoris non eſt præditum charitate : ergo nequit eſſe meritorium : ergo nequit juvandis Purgatorii animabus deſervire.

Deus ex Clementia exaudit peccatores.

RESP. Deus etiam exaudit peccatores non ex eorum merito, ſed ex clementia ſua; nam dum aliquid Deo gratum flagitant, exaudiuntur. Deus ſummoperè cupit animas ſupplicio levari; quod dum poſtulant peccatores, ex benignitate antes adhibet. *Ad ſecundum* DICO. Opus eſt magis fructuoſum facienti, quàm aliis, ſi cætera ſint paria. Attamen poteſt contingere, ut eliciens opus bonum ſit incapax recipiendi fructum, ùt in adducto caſu, cùm peccator ratione ſtatus percipere fructum nequeat bonorum operum. Animas verò purgantes nihil præpedit, quominus fructum hujuſcemodi compotes fiant. *Ad tertium*. Opus peccatoris nullatenus meritorium eſt; tamen ex benignitate Dei impetratorium eſſe poteſt. Egregiè S. Thomas *in 4. ſentent. diſt. 45. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 2.* — Ad primum dicendum, quòd
A „ oratio per peccatorem facta, quandoque
„ non eſt peccatoris, ſed alterius; & ideo
„ ſecundùm hoc digna eſt, ut a Deo exau-
„ diatur : tamen etiam quandoque Deus
„ peccatores audit, ſcilicet quando pecca-
„ tores petunt aliquid a Deo acceptum;
„ non enim Juſtis ſolis, ſed etiam peccato-
„ ribus Deus bona ſua providet, ùt patet
„ *Matth. 5*; non autem ex eorum meritis,
„ ſed ex ſua clementia; & ideo *Joan. 9.*
„ ſuper illud, *peccatores Deus non audit*,
„ dicit *Gloſ.* quòd loquitur, ùt injunctus,
„ ideſt non adhuc plenè videns : — Vide
B infra Controv. XI. per totam.

41 OBJICIES 7. Vivorum orationibus juvari idem eſt, ac proficere; ſed exiſtentes in Purgatorio non poſſunt proficere : ergo. Præterea exiſtentes in Purgatorio nequeunt propter mala Viventium puniri : ergo nec juvari.

RESP. Animæ in Purgatorio ſunt quidem extra ſtatum viæ; tamen retardantur a fine adipiſcendo, quem promeriti ſunt, & ſub hac ratione moveri, & proficere poſſunt removendo impedimenta, quibus ad id quod additur, dictum eſt ſuperiùs : quòd ſi punirentur propter mala Viventium, tol-
C leretur aliquid, quod eis debetur, D. *Thomas* ubi ſupra *quæſtiunc. 1. ad 4.* : — Ad
„ quartum dicendum, quòd auferre alicui,
„ quod ſibi debetur, hoc directè Juſtitiæ
„ repugnat; ſed dare aliquid alicui, quod
„ ei non debetur, hoc non eſt Juſtitiæ con-
„ trarium, ſed juſtitiæ metas excedit : eſt
„ enim liberalitatis. Non poſſet autem
„ aliquis lædi ex malis alterius, niſi aliquid
„ ei de ſuo ſubtraheretur; & ideò non ita
„ contingit, quòd aliquis puniatur pro pec-
„ catis alterius, ſicut quòd emolumentum
„ percipiat ex bonis alterius. —

42 OBJICIES 8. Peccatores non ſunt
D conjuncti cum purgantibus vinculo charitatis : ergo iis non proſunt.

RESP. D. Thomas *loco cit. in corpore* : —
„ Sed quantum ad aliquid, quod eſt con-
„ ſequens, vel acceſſorium ad ſtatum; opus
„ unius poteſt valere alteri non ſolùm per
„ viam orationis, ſed etiam per viam me-
„ riti. Quod quidem dupliciter contingit,
„ vel propter communicantiam in radice
„ operis, quæ eſt charitas in operibus me-
„ ritoriis, & ideò omnes, qui in charita-
„ te connectuntur, aliquid emolumentum
„ ex mutuis operibus reportant; tandem
„ ſecundùm menſuram ſtatus uniuſcujuſque;
E „ quia etiam in Patria unuſquiſque de bo-
„ nis gaudebit alterius, & inde eſt, quòd
„ articulus Fidei ponitur Sanctorum com-
„ munio : alio modo ex intentione facien-
„ tis, qui aliqua opera ſpecialiter ad hoc
„ facit, ut talibus proſint : unde iſta ope-
„ ra quodammodo efficiuntur eorum, pro
„ quibus fiunt, quaſi eis a faciente colle-
„ cta : undè poſſunt eis valere vel ad im-
„ pletionem ſatisfactionis, vel ad quidquid
„ hujuſmodi ſtatum non mutat; — & ſic
Deus peccatores exaudit, non quidem ex eorum meritis, ſed ex ſua clementia. Vide

infra Par. V. Controv. XXII. num. . Si autem velis, quòd oratio peccatorum Defunctis non proſit, hoc non officit; ſatis enim eſt, quòd proſit oratio Juſti.

CONTROVERSIA V.

AN VIVORUM SUFFRAGIA PROSINT DAMNATIS.

43 DIvus Auguſtinus *in Enchiridion c.* 109. tres Defunctorum ordines diſtinguit his verbis: — Quidam enim „ ſunt valdè mali, alii valdè boni, alii „ in ſtatu medio. Valdè mali ſunt Dam„ nati, qui in ſtatu extremæ miſeriæ cul„ parum turpitudine, & pœnarum onere „ gravati quotidie gemunt. Valde boni, „ qui Beatitudinis perennitate fruuntur, „ quæ eſt ſtatus omnium bonorum aggre„ gatione perfectus. In ſtatu medio Pur„ gantes ſunt; quia quibuſdam gravantur „ pœnis ad tempus, ſed jus habent ad Bea„ titudinem, ad cujus aſſecutionem ali„ quando certè pervenient. — His, qui ſunt in primo, & ſecundo ordine, negat ibidem *Auguſtinus* prodeſſe ſuffragia noſtra. Jam examinandum eſt, an ſuffragia noſtra Damnatis proſint, cujus Controverſia eſt duplex. Prima, an Damnati a pœnis omnino redimantur, quo ſenſu non examinatur in præſenti, licèt aliqua dicenda ſint in ſolutione argumentorum. Oppoſitum enim in ſuperioribus demonſtravimus hæreſim *Origenis* impugnantes. Secunda, an Damnati ita juvari per ſuffragia viventium poſſint, ut aliquod pœnarum levamen recipiant; & in ſecundo ſenſu procedit Controverſia, cujus reſolutio non eſt adeo certa; ut ne deſit etiam quiſquam Catholicus, qui noſtris ſuffragiis pœnis Damnatorum mitigare poſſe docuerit.

Damnati nō redimuntur a pœnis, ut volebat Origenes.

§. PRIMUS.

44 DICO: *Damnati non juvantur vivorum ſuffragiis*. Probatur concluſ. Primò ex Scriptura. Damnati ſunt omnino derelicti abſque miſericordia, & requie; ſed ſi eorum ſupplicia leniri vivorum ſuffragiis poſſent, non eſſent omninò derelicti abſque miſericordia, & requie, ùt patet: ergo. *Prob. maj.* Job 20. v. 26. *Devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur, affligetur relictus in tabernaculo ſuo:* & cap. 24. v. 19., & 20. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius. Obliviſcatur ejus miſericordia: dulcedo illius vermes: non ſit in recordatione, ſed conteratur quaſi lignum infructuoſum:* Apoc. 14. v. 11. *Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum: nec habent requiem die, ac nocte.* Hìc ponitur æternitas pœnarum per illa verba *in ſæcula ſæculorum*, & per illa *die, ac nocte* oſtenduntur abſque diminutione tormenta: Jacob. 2. v. 13. *Judicium enim ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* Sed ſi aliquod levamen caperent Damnati, jam non fieret cum eis judicium ſine miſericordia.

Damnati derelicti ſunt abſque miſericordia, & requie.

45 DICES. Si Illi, qui non fecit miſericordiam, erit judicium ſine miſericordia: ergo, qui fecit miſericordiam, obtinebit aliquam miſericordiam, non quidem omnimodam, ſed aliquantulam. Quod videtur innuere S. *Thomas* 4. diſt. 46. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 4. ad 1. *Et ideo tales* (ſcilicet Damnati, qui fuerunt miſericordes) *miſericordiam penitus abſolventem non conſequuntur, etſi conſequantur miſericordiam de pœnis debitis aliquid relaxantem.*

Circa hanc objectionem aliqua dixi ſuperiùs P. III. Contrav. I. n. 9. ſed ad rem præſentem dico: Miſericordibus erit remiſsio aliqualis pœnæ, non jam in Inferno, ubi nulla eſt redemptio, ſed in ipſo judicio: quia Deus ratione exercitæ miſericordiæ mitiùs aget cum illis; & in hoc ſenſu intelligendus eſt laudatus *Thomas*.

Mitiùs agetur in judicio cum miſericordibus.

46 PROB. *ſecundò*. Si Vivorum ſuffragia minuerent Damnatorum pœnas, id eſſet contra communem Eccleſiæ ſenſum, quæ vetat pro Damnatis orare. Ergo. *Prob. ant.* Dionyſius Areopag. lib. de Eccleſ. Hierarchia cap. 7. *Venerandus Antiſtes profanis vità functis non iſta imprecatur, non modo quia in hoc propriam deſereret ordinem* &c. S. *Gregorius* Lib. Moral. 34. cap. 16. eandem ait eſſe cauſam, cur poſt diem Judicii non fiat pro Damnatis oratio, nec pro Diabolo ſit, perditiſque Angelis ullatenus orandum. — Eadem itaque cauſa eſt, cur non „ oretur tunc (nempè in die extremi Ju„ dicii) pro hominibus æterno igni damna„ tis, quæ nunc etiam cauſa eſt, ut non „ oretur pro Diabolo, Angeliſque ejus æter„ no ſupplicio deputatis. Quæ nunc etiam „ cauſa eſt, ut non orent Sancti homines „ pro hominibus infidelibus, impiiſque de„ functis, qui de eis utique, quos æterno „ ſupplicio deputatos jam noverunt, ante „ illum Judicis juſti conſpectum orationis „ ſuæ meritum caſſari refugiunt. — Item Auguſtinus *lib. 1. de origine Anim. cap. 9., & 10., lib. de Cura pro Mort. cap.* 1. Negat eſſe offerendum Sacrificium utpote inutile pro Damnatis: item Gregorius II. *Epiſt. ult. ad Bonifac.*, quæ refertur 13. *diſt. quæſt.* 2. *cap. Pro obeuntibus*. Plura alia huc collimant effata Patrum. Concilium Bracharenſe I. *cap.* 16. vetat pro iis, qui ſe interficiunt, ſuffragium offerri. Concilium Triburienſe *cap.* 31. pro illo, qui in actuali peccato occiditur, ſtatuit, ne quis præſumat orare, aut eleemoſynam dare, ſubdens hanc *Auguſtini* ſententiam: *Nemo te poſt mortem fideliter redimit, qui tu te redimere voluiſti.*

Conſenſus Eccleſiæ eſt, quod nō oretur pro damnatis.

47 PROB. *tertiò*. Nulli proſunt ſuffragia Vivorum, niſi quatenus per ea applicatur valor meritorum Chriſti; ſed Damnatis non poſſunt applicari merita Chriſti: ergo. *Prob. min.* Merita Chriſti nulli proſunt, niſi vel actu, vel potentia ſit ejus membrum; ſed Damnati non ſunt membra Chriſti nec actu, nec potentia: ergo non proſunt illis Chriſti merita. Certum eſt apud omnes, nec in potentia Damnatos eſſe

Damnatis nō poſſunt applicari Chriſti merita.

eſſe membra Chriſti , quæ debent convenire ſub uno credito , vel amato ; Damnati verò non conveniunt ſub uno amato , cùm careant gratia , nec in uno credito , cùm careant fide , quæ eſt ſperandarum ſubſtantia rerum , hoc eſt , quæ fundat ſpem æternæ gloriæ a Damnatis ejectam .

48 PROB. *quartò* . Pœna Damnatorum ſive damni , ſive ſenſus eſt æterna : dicente Iſaia cap. ultimo v. 24. *Vermis eorum non morietur , & ignis eorum non extinguetur* : & Matth. 25. v. 41. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum* . Sed ſi pœna ſenſus mitigaretur ſuffragiis Vivorum poſſet aliquando totaliter extingui ; eſt enim in intenſione finita : ergo ſi per unum ſuffragium diminuitur in uno gradu , multiplicatis ſuffragiis, poterit diminui ſecundùm omnes : ergo adæquatè finiri ; ac proindè fieri poſſet , quòd aliquis damnatus ſolùm pœnam damni pateretur , eamque valdè tenuem in eſſe pœnæ .

Si minueretur pœna poſſet aliquando finiri.

49 Huic argumento reſpondent *Porretani* negando illatum . Non enim finiretur pœna ; quia diminutio fit per partes proportionales , non verò per aliquotas uni certo determinatas : in hoc autem genere diminutionis nunquam eſt adinvenire finem , ùt conſtat exemplo diviſionis lineæ quantitativæ .

Sed contra . Quidquid ſit , an in noſtro caſu poſſibilis ſit hujuſmodi diviſio in quantitate ſpirituali , non aſſignatur rationabilis cauſa , cur ſi primum ſuffragium v. g. ùt quatuor , diminuit unum gradum pœnæ , ſuffragium duplo majus , v. g. ùt octo , non diminuat alium gradum , ſed ſolùm dimidium dimidii : ergo ſi admittatur capacitas remiſſionis , debet admitti per partes aliquotas . Præterquamquod proportionabiliter fieret illa diviſio , & diminutio quantitatis ſpiritualis , ſicuti fit in quantitate materiali ; ſed in hac per diviſionem partium proportionalium pervenitur ad minimum non ſenſibile materialiter : ergo in alia perveniretur ad minimum non ſenſibile ſpiritualiter ; adeoque ad ſtatum aliquem , in quo Damnati non ſentirent pœnam .

Si poteſt minui pœna quoad partē poteſt minui quoad totum.

50 RESPONDENT adhuc diminutionem , ſeu mitigationem pœnæ fieri per interruptionem , videlicet pro aliquo tempore , v. g. uſque ad diem Judicii ſuſpenditur : poſtea inſtauratur ; quo fit , ut nunquam ſit finem prorſus habitura .

Sed contra . Scriptura dicit : *non habebunt requiem die , ac nocte* , quod eſſet falſum admiſſa aliqua ſuſpenſione pœnæ ad quodpiam tempus . Rurſus aſſerit Scriptura pœnam Damnatorum eſſe æternam : non eſſet autem hujuſmodi , ſi interrumpitur ; quia duratio æterna , ubi incipit , nunquam interrumpitur ; quando autem Damnati in Inferno includuntur , incipiunt jam æternitatem pœnarum , proindeque ſine interruptione in ſecula ſeculorum . Inſuper juxta ordinem juſtitiæ pœna non remittitur , niſi remiſſâ culpâ . Sed in Damnatis culpa remanet omninò immutata : ergo etiam pœna . Hinc retunditur *Caſſiodori* reſponſio dicentis levari Damnatos per confortationem non aliter, ac qui grave fert onus, & aquâ frontem refrigerans recreat ſe , quamvis exhauſtio ponderis non ſit interrupta : retunditur , inquam ; correſpondet enim pœnæ quantitas quantitati culpæ ; undè magis eodem igne unus punitur , alius minùs . Sed quantitas culpæ remanet ſemper in eadem intenſione immutata : ergo eâdem intenſione , & qualitate pœnæ debet puniri . Itaque non eſt , cur hic minùs illo debeat puniri ; minùs autem puniretur , ſi perciperet ex ſuffragiis lenimentum .

Nunquam habebunt requiem .

Pœna non remittitur non remiſſa culpa.

Quantitas culpæ ſemper remanet in eadem intenſione .

§. SECUNDUS.

SOLVUNTUR ARGUMENTA EX SCRIPTURA, ET PATRIBUS.

51 OBJICIES 1. Pro mortuis in peccato mortali laudat Scriptura offerre Sacrificium ; ſed non laudaret, niſi ſuffragia prodeſſent : ergo . *Maj. oſtenditur* 2. Machab. 12. , Judas miſit Jeruſalem offerre Sacrificium pro interfectis in bello , & in gravi peccato mortuis ; ſub tunicis ſiquidem inventa ſunt Idolorum donaria , quod erat graviſſimum peccatum in lege Moyſis , ſubditque Scriptura ſalubre eſſe orare pro Defunctis .

Huic argumento jam reſpondi in hoc Tract. P. I. Controv. II. num. 57. , & 61. Quare hìc breviter DICO, illos non peccaſſe graviter ; quia avaritiâ moti occaſione victoriæ illa donaria acceperunt , utpote pretioſa , non autem animo ad Idola affecto : vide loco citato .

52 OBJICIES 2. Non deſunt Patres , qui ſuffragia Vivorum autumant Damnatis prodeſſe : ergo noſtra concluſio utpote contraria pietati , non videtur admittenda . *Antec. habetur* apud Auguſtinum *in Enchirid. cap.* 110. — Quibus autem proſunt ſuffra-
„ gia , aut ad hoc proſunt , ut plena ſit
„ remiſſio, aut certè tolerabilior fiat ipſa
„ damnatio ; — *&* c. 112. — Pœnas damna-
„ torum certis temporum intervallis exiſti-
„ ment , ſi hoc eis placet : aliquatenus miti-
„ gari , etiam ſic quippe intelligi poteſt ma-
„ nere in illis ira Dei , hoc eſt ipſa damna-
tio : — Ex Chryſoſtomo *Homil.* 3. *in Epiſt. ad Philipp.* poſtquam dixit orandum eſſe pro Defunctis , ſubdit : — Verùm iſtud quidem de
„ illis dicimus, qui in fide abſceſſerunt : Ca-
„ thecumeni verò neque hac digni conſula-
„ tione cenſentur , ſed omni hujuſmodi ſunt
„ auxilio deſtituti præter unum ſolum ; quod
„ autem illud ? Pauperibus eorum nomine
„ dare licet , undè eis non nihil refrigerii
„ accedit , — *& Homil.* 32. *in cap* 9. *Matthæi* loquens de Filio Divitis moriente : — Putas
„ cum maculis inquinatum abiiſſe ? da ipſi
„ ſua , ut illis ſe a maculis detergat . —

Theophilactus *in cap.* 12. *Luc.* — Hoc
„ autem dico propter oblationes , & diſtri-
„ butiones , quæ fiunt pro Defunctis , qui
„ in gravibus peccatis deceſſerunt , eſſe li-
„ citas interceſſiones pro Damnatis .

Innocent. III. cap. *Cum Marthæ. extra de celebrat. Miſſ.* ponit quadrimembrem diviſionem,

A ex Mortuis ſcilicet quidam ſunt valdè mali, quidam valdè boni, & hos non juvari ſuffragiis aſſerit: quidam mediocriter boni, quibus juvant ſuffragia: quidam mediocriter mali, quibus proſunt ad expiationem; quam diviſionem ponit etiam *Gloſſa*. Demùm *Prudentius* in Hymno novi Luminis pro Feſto Paſchali:

Sunt & ſpiritibus ſæpe nocentibus
Pœnarum celebres ſub ſtyge feriæ
Illa nocte, ſacer qua rediit Deus
Stagnis ad ſuperos ex Acheronteis
Marcent ſuppliciis tartara mitibus.

RESP. *neg. antec.* Ad probationem reſpondet D. Thomas *in 4. diſt. 45. q. 2. art. 2. ad 2.* — Ad ſecundum dicendum, quòd
B „ damnatio in verbis illis largè accipitur,
„ pro quacunque punitione, ut ſic includat
„ & pœnam Purgatorii, quæ quandoque per
„ ſuffragia totaliter expiatur, quandoque
„ autem non, ſed diminuitur. — Viden'?

Nomine damnationis non venit pœna Inferni, ſed Purgatorii: nec mirum, quòd per ſuffragia minuatur. Verùm loquendo de propriè Damnatis immediatè antè dicit Auguſtinus: *pro valde malis etſi nulla ſunt adjumenta mortuorum, qualeſcumque vivorum conſolationes ſunt.* Ad ſecundam auctoritatem DICO: inibi *Auguſtinus* agit contra negan-
C tes, pœnas Damnatorum fore ſempiternas, queis indulget in aliquo levamine Damnatorum, dummodo excludatur terminus durationis. Audiatur *Auguſtinus*. — Fruſtrà itaque
„ nonnulli, immò quamplurimi æternam
„ Damnatorum pœnam, & cruciatus ſine in-
„ termiſſione perpetuos humano miſerantur
„ affectu, atque ita futurum eſſe non credunt,
„ non quidem Scripturis adverſando Divi-
„ nis, ſed pro ſuo motu dura quæque mol-
„ liendo, & in leniorem flectendo ſenten-
„ tiam, quæ putant in eis terribiliùs eſſe
„ dicta, quàm veriùs. Non enim oblivi-
„ ſcetur, inquiunt, miſereri Deus, aut
D „ continebit in ira ſua miſerationes ſuas,
„ hoc quidem in Pſalmo legitur Sancto; ſed
„ de his ſine ſcrupulo intelligitur, qui va-
„ ſa miſericordiæ nuncupantur; quia & ipſi
„ non pro meritis ſuis, ſed Deo miſeran-
„ te, de miſeria liberantur, aut ſi hoc ad
„ omnes exiſtimant pertinere, non ideo ne-
„ ceſſe eſt, ut damnationem opinentur poſ-
„ ſe finiri eorum, de quibus dictum eſt,
„ *& ibunt hi in ſupplicium æternum* . . . Sed
„ pœnas Damnatorum certis temporum
„ intervallis exiſtiment, ſi hoc eis placet,
„ aliquatenus mitigari, etiam ſic quippe in-
„ telligi poteſt, manere in illis ira Dei. —

E *Chryſoſtomus* loco citato non concedit Damnatis prodeſſe ſuffragia: vult ſolùm pro Cathecumenis publica non eſſe facienda ſuffragia, quæ ab Eccleſia aliis Fidelibus fiunt; quod ſtatuit olim Concil. Bracharenſe I. *cap. 35.*, in cujus ſignum Cathecumenos opponit fidem habentibus; non quia Cathecumeni fidem non habeant, ſed quia illam non habent per publicam profeſſionem ex baptiſmate; undè cùm publicè non ſint in Eccleſia, neque ſolemnibus Eccleſiæ precibus juvantur. Ad ſecundum moneo, nomine maculæ aliquando intelligitur reatus pœ-

Pro Cathechumenis non deberi fieri publica ſuffragia.

Nomine maculæ aliquando venit reatus pœnæ.

A næ, ſicut reatus ſolet peccatum quandoque vocari, 2. Machab. 12. *ut a peccatis ſolverentur*. Quando dixit, *da ipſi ſua, ut illis ſe a maculis detergat*: ſenſus eſt, da eleemoſynas, ut hoc ſuffragio ab igne liberetur. Sic *Theophilactus* nomine gravis peccati, intellexit peccatum grave, non quoad culpam, ſed quoad pœnam.

Innocentius pro mediocriter malis nequaquam ſignificat Mortuos in culpa lethali, ſed Juſtos, qui decedunt cum reatu pœnæ mortalium peccatorum, & cum reatu culpæ venialium; nec aliud intendit, niſi explicare tertium membrum propoſitionis Auguſtinianæ initio Controverſiæ adductæ, ubi
B loquitur de Purgantibus, qui pœnam inæqualiter patiuntur propter inæqualitatem reatus pœnæ; & idem eſt ſenſus *Gloſſæ*.

Ab auctoritate S. *Prudentii* quidem facilè ſe expediunt per hoc, quòd poeticè, non dogmaticè ſcripſiſſe ferunt. Verùm cùm *Prudentius* carminibus res ſacras Religionis explicaverit; quod *Paulinus*, *Proſper*, *Arator*, aliique fecerunt; illa ſolutio inſufficiens videtur: non enim eſt veriſimile S. Patrem uſum eſſe phraſi omni myſterio vacuâ.

Prudentius verſibus res ſacras ſcripſit.

Sed ne manifeſti erroris, ùt alii faciunt, èt ego inſimulem tantum Doctorem, aliquod arcanum in illis verſibus in-
C cluditur, atque effectus aliquis ex Chriſti paſſione in hominum utilitatem explicatur, ex quo effectu aliqua ſpecies feriæ in Dæmonibus fit. In triplici igitur ſenſu ſecundùm principia ſanæ eruditionis poteſt intelligi. An autem hi ſenſus ſint ad mentem *Prudentii*, non ſatis conſtat. Videat Lector meliorem, vel eligat, vel alium ipſe excogitet.

Primus ſenſus eſſe poteſt de feria a pœna quadam accidentali, non quidem poſitiva, quatenus decreſcat Dæmonibus pœna, quâ ſunt affecti, ſed negativa, quatenus abſit incrementum pœnæ, cùm aliquot ho-
D mines ſalvantur, & ad pœnitentiam ex meritis Chriſti, in quibuſdam præſertim ſolemnitatibus convertuntur, qui cæteroqui fuiſſent damnati. Docet enim Angelicus 2. *Sent. diſt. 7. q. 1. art. 2. ad 5.*, *& 4. Sent. diſt. 50. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 6.*, quòd Dæmonibus accreſcit pœna accidentalis uſque ad diem Judicii ex Damnatorum numero. Quantò plures ſeducunt, & ad inferos protrahunt, tantò magis illorum pœna augetur. Accidit autem, quòd quibuſdam temporibus pauciores ſeducant, & quòd plerique a ſtatu damnationis mediâ pœnitentiâ eripiantur, ſoletque hoc ſpecialiùs eve-
E nire in Feſtis Paſchalibus, in extraordinariis Jubilæis, in quibus Chriſtiani a peccatis conſcientias expurgant, & nonnulli converſi in ſtatu ſalutis perſeverant, & finaliter ſalvantur. Quia ergo in prædictis caſibus Dæmones minùs prævalent adversùs Catholicos, nec tot damnantur; ideò non ſentiunt illam modicam accidentalem pœnam, quàm ex majori Perditorum numero ſentirent: ideſt non creſcit illis pœna illa, quæ creſceret, ſi plures perverterent, & damnarentur; & hoc eſt feriari negativè.

Quid ſit feriari negativè.

Creſcit pœna ex damnatorum numero.

Secun-

Eodem modo dicitur Dæmon feriare, ac ligari.

Secuudus ſenſus eſt de ferlarioue a teutationibus, eodemqoe modo dicitur Dæmon feriare, quo dicitur ligari: ligari dicitur, dum probibetor agere, quæ vellet, ût doeet laadatos *Thomas* quæſt. 6. de Potentia art. 5. io corpore: *Quia Auguſtinus dicit 3. de Trinitate: quædam, quæ Angeli mali poſſunt facere, ſi permitterentur, ideò facere non poſſunt; quia non permittuntur: undè ſecundùm hoc ligari dicuntur; quia impediuntur agere Divino Judicio, quæ ſecundùm naturam agere poſſunt*: & D. *Auguſtinus* Ser. 107. de temp. explicaos illod Apoc. 20. *Ligavit eum mille annis*, intelligit de vinculo, quod eſt impedimeotum poſitum per merita Chriſti, ne tam acriter, & freqoenter tentaret, & homioes deciperet prævalendo. Porrò ſæpè Deus non permittit, ut aliquos fideles ad tempus tentet, vel ſaltem tam vehementer, & maximè reeeoter converſoa, ût doeet *Rodriquez* p. 2. de Exercit. perfect. vitæ Chriſt. tract. 4. cap. 2.; & ratio eſt, ne recenter converſi experientes moleſtias teotationam, vitam ſpiritoalem exhorreſcant tanquam nimis duram, juxta illad Exod. 13. v. 17. *Ne fortè pœniteret eum, ſi vidiſſet adverſùm ſe bella conſurgere, & reverteretur ad Ægyptum*. Feriantur ergo Dæmones, cùm vetiti ſunt tentare, ac prævalere; quia tum nihil lucrantur.

Dæmones ceſſant aliquando a moleſtiis, & vexationibus Energumenorum.

Tertius ſenſus eſt de feriatiooe a moleſtiis, & vexatiouibos Energumeuorum: ſæpe Dæmonea & graviùs, & diuturuiùs hos miſeros torqoent; ſed quandoque exorciſmis coguntur ceſſare a moleſtiis, & omnioo expelluntur per merita, & Sanctorum interceſſionem, aot per eorum reliquias. Hæ ſaut gloſsæ ad carmen *Prudentii*; ſed melior videtur prima, quæpote explicet non ſolùm quomodo feriare dicantur, ſed etiam quòd *marcent ſuppliciis tartara mitibus*.

52 DICES. Ex D. *Thoma* loco citato diſt. 50. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. *Ad tertium dicendum, quòd quamvis ex Damnatorum multitudine pœna ſingulorum augeatur; tamen tantùm ſuperexcreſcet odium, & invidia, quòd magis eligerent torqueri cum multis, quàm minùs ſoli*: ergo etiam Dæmones præoptant damnari plurimos, & libeotiùs ferunt accidentale augmeotum pœnæ, quàm aliquarum ſalotem animarum. Ergo per hoc, qood aliqui non damnaotur, verè noo dicuntur Dæmones feriare.

Odium Dæmonum circa hominum ſalutem.

RESP. Licèt ratiooe invidiæ, & odii augeſcat pœna per hoc, qoòd aliqui ex Dæmoouin inſidiis ſoſpites evadant; re tamen vera eam non patiantor pœnam, quam ferrent, ſi plures damnarentur, & ſub hac ratione eſt verum, accidentalem pœnam fieri mitiorem. Aliod genus feriæ in Dæmonibus innuit *Novarinus* in ſua Umbra Virginis lib. 4. pag. 235. n. 799. Videriot tamen alii, nam die Aſſumptionis B. Virginis Mariæ Dæmones non audeant tangere Captivos ſaos: ex quo fit eis aliquid ſolatii: qaod ipſam valebit etiam diebus ſolemniſſimis Nativitatis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini, &c. Idem videtur aſſerere S. *Idelphonſus* ſerm. 5. de Aſſumpt. Virg. *Gaudium, & lætitiam hujus diei, claustris infernalibus Incluſis aliquod remedium, & refrigerium præſtant. Non audent, opinor, miniſtri tartarei attingere ſuos captivos*. Sed hæc Idelphouſus non refert aſſertivè, ſed per quandam exaggerationem, ût ex ipſius verbis patet: *dicam plus, ſi audeo, dicam fideli præſumptione, dicam pia temeritate*.

53 OBJICIES 3. Nou minùs Damoati ſunt io ſtatu immutabili qaoad pœnam, quàm Beati qooad gloriam; ſed Beatis proſant ſuffragia qaoad acquiſitionem gloriæ accidentalis: ergo Damoatis qooad dimioutionem pœnæ accidentalis. Minor habetur in Liturgiis *Chryſoſtomi*, *Cyrilli*, & alioram, io quibas Sacrificium offertur pro Apoſtolis, Martyribus, Propheris, aliiſque Sanctis. Habetor etiam ex oſu Eccleſiæ, quæ in Collectis Sanctorom hæc ſolet aſſumere verba: *Sumpſimus, Domine, ſacra dona myſterii, quæ ſicut Sanctis tuis proſint ad gloriam, ita nobis quæſumus, proficiant ad medelam*: & in ſecreta oratione feſtivitatis Sancti *Leonis* dicitur: *Ut per hæc pia placationis officia illum beata retributio comitetur*. Et S. *Chryſoſtomus* Homil. 33. dicit nos aliqoid facere poſſe pro Saoctis ad mercedis, & retributionis addictionem.

Beati ſunt uniti nobis in charitate.

RESPONDETUR *primò* negando paritatem. Vincolo charitatis Beati ſunt nobis uniti, & ad eandem Chriſti Eccleſiam ſpectant; nec propterea mirum ſit, quòd ex oostris operibus aliquid accidentale gaadium eis accedat: ſicuti magnum nobis lucrum cootingit ex coruudem orationibus. Damnati autem ſuot omoinò actu, & potentia extra Eccleſiam, & omuimodi fructus impotes. *Secundò* directè dico: in Sacrificio Miſſæ, de quo potiſſimè dictæ auctoritates valeot, cootioeri virtutem hooorativam, propitiatoriam, ſatisfactoriam, & impetratoriam; qoæ proportionabiliter cuiqoe ineſt Juſtorom booo operi. Sacrificia Beatis proſant vi honorativa, qoatenus eorum ſanctitas, & præclara geſta commemorantur; & pro beneficiis, & gloria illis collata, gratias Deo agimus. Vi propitiatoria, & ſatisfactoria uullo modo prodeſſe poſſunt; quia nec iodigent muudari a culpa, nec ſublevari a pœna: & propriè loqaendo nec vi impetratoria proſuot; quia cùm ſint perfectè Beati, noſtris baudquaqaam orationibus indigent, ut fiant votorum compotes.

Quid contineat Sacrificium Miſſæ.

Eſt contra Sanctorum reverentiam pro illis orare.

Siqoidem ût ait *Innocentius* III. cit. loco: *Omnis ſuccedunt illis ad vota, & injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*. Ideo etiam Auguſtinus *ſerm. 27. de verbis Domini*, & *tract. 84. in Joan.* „ Nou ſic Sanctos commemoramus, quemadmodum alios, „ qui io pace reqoieſcunt, ut etiam pro „ eis oremus, ſed magis ut orent ipſi pro „ nobis. „ Igitur qaaodo dicitur in Collectis, ut proſint ad gloriam, ad mercedis retributionem, ût loqoitor *Chryſoſtomus*, ſenſus eſt, ut hoc ſacrificiom ſit eis in honorem, & cultum, qoem merentur. Mens *Chryſoſtomi* perſpicua fit ea ejaſdem Liturgia a nobis allegata Tract. II. P. I. n. 126., quæ qoia moltum ad rem facit, juvat eandem repetere: „ Item offerimos tibi rationabile hoc obſequium pro his, qui in „ Chri-

Quomodo oremus pro Sanctis.

„ Chriſto requieſcunt, pro majoribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, Prædicatoribus, Confeſſoribus, Evangeliſtis, Martyribus, Continentibus, & quovis Spiritu in fide conſummatu . . . . . Præſertim pro ſanctiſſima, illibata, ſuper omnes benedicta, glorioſa Regina noſtra, Deipara, & ſemper Virgine Maria . . . Sancti Joannis Prophetæ, Præcurſoris, ac Baptiſtæ; Sanctorum, ac percelebrium Apoſtolorum; Sancti N., cujus memoriam celebramus, quorum precibus protege nos Deus. „ Huc recidit argumentum de orationibus Eccleſiæ, quas facere videtur pro Damnatis jam a nobis retuſum in hoc Tract. P. 3. n. 39., & ſeq. Cæterùm in Liturgiis, quæ paſſim allegantur meam fidem non obſtringo, ne fortè aliquæ ſint minùs legitimæ.

§. TERTIUS.

SOLVUNTUR ARGUMENTA A RATIONE.

54 OBJICIES 4. Suffragia, & maximè Sacrificium poteſt offerri pro Viventibus impiis ad remiſſionem pœnæ: ergo etiam pro Damnatis. *Antecd.* patet ex uſu Eccleſiæ, quæ Miſſæ Sacrificium, quod eſt pœnæ ſatisfactivum, offert pro publicis peccatoribus. *Conſeq.* valet a paritate. Si enim ſuffragia peccatoribus gratiâ deſtitutis proſunt pœnæ expiandæ, quamvis non ſit expiata culpa: cur prodeſſe non poſſunt Damnatis abſque remiſſione culpæ ante diem Judicii, quo tempore Deus non exercet ſummum jus vindictæ, ſed dicitur expectare diem ſuum? *Explico etiam clarius*. Sicut Deus nullum impunitum relinquit malum, ita nullum bonum ſine præmio. Sed Damnati bona aliquot opera, quorum necdum receperunt mercedem, hac intentione operati ſunt, ut ſibi prodeſſent poſt mortem, *puta* eleemoſynas, Miſſarum Legata, &c. Ergo debent in alio ſeculo mercedem recipere. Sed nulla eſt alia merces præterquam pœnæ remiſſio: ergo dum erogantur eleemoſynæ, & fiunt pro eis ſacra, aliquod levamen iidem ſentient.

RESP. *neg. antec.* Non poteſt ſuffragium proficere ad levandam pœnam, niſi priùs tollatur culpa, quod ſtatim dicam. Nihilominus juſtè, & piè Eccleſia ſuffragiis Impios juvat, ut reſipiſcant, & emendentur; quod ſecus evenit in Damnatis. Verè dicitur tempus hoc non eſſe omnimodæ tempus vindictæ; quia necdum puniuntur in corpore. Ad ſecundum nonnulli tenent aliquid levaminis, non per diminutionem pœnæ, ſed per confortationem Damnatis evenire propter bona in ſeculo peracta; quod eſt falſum. Vel enim ſunt opera exercita in charitate, & meritoria vitæ æternæ, ſed ex peccato mortificata, & hæc nullum jus habent ad præmium. Vel ſunt exercita extra charitatem, & nullius ſpiritualis præmii in altera vita ſunt meritoria. Licèt autem dicantur alicujus boni ſpiritualis impetratoria, hæc vis non eſt infallibilis, ſed ex pura Dei liberalitate, quæ ſi in hoc ſeculo negetur, non debet in alio adimpleri. Videatur Tract. II. P. I. Contr. I. n. 21., & ſeqq.

Eccleſia juvat impios, ut a peccatis reſurgant.

55 OBJICIES 5. In Inferno pœna aliqua eſt remiſſibilis: ergo Damnatis juvare poſſunt ſuffragia. *Antec. prob.* Pœna debita peccatis venialibus, cùm ſit finita, remiſſibilis eſt, & multò magis debita peccato mortali remiſſo in vita: ergo aliqua pœna eſt remiſſibilis. *Conſeq. oſtend.* Ideò ſuffragia non proſunt pro mitigatione pœnæ æternæ; quia eſt irremiſſibilis: ergo e contra ubi pœna eſt remiſſibilis, ſuffragia proderunt. *Explicatur*: quando Deus remittit peccatori culpam, commutat pœnam æternam temporali ſolvenda per ſe, vel per alium: ergo obligatur acceptare ſatisfactionem ab altero oblatam: ergo cùm debitum pœnæ correſpondentis peccato dimiſſo ſit ſolubile ex incluſo pacto in dimiſſione culpæ, vi ſuffragiorum poteſt dimitti. Ulteriùs quia debitum pœnæ Purgatorii eſt remiſſibile, ideo licèt offerens ſuffragium ſit Deo inimicus, acceptatur a Deo pro amico purgante: ergo licet Damnatus ſit Dei inimicus, ſi debitum eſt remiſſibile, in gratiam amici offerentis Deus illud acceptat.

RESPONDETUR *primò*. Omitto *ant.* & *nego conſeq.* Quamvis peccato veniali debita ſit pœna finita, tamen finiri non poteſt virtute ſuffragiorum, ſed tantummodo per taxatæ ſolutionem pœnæ. Ratio eſt; quia ut ſuffragia extinguant pœnam, debet tum qui defert, tum qui recipit ſuffragium, in eodem uniri corpore myſtico: *Quis enim offeret corpus Chriſti, niſi pro eis, qui ſunt membra Chriſti?* *D. Auguſtinus* lib. 1. de Anim., & ejus orig. cap. 9. Damnati verò utpote a corpore Eccleſiæ rejecti nil habent cum Fidelibus commune. Igitur etſi probetur ex irremiſſibili pœna ſuffragiorum inutilitas, non tamen idem concluditur ex pœnæ remiſſibilitate. Nam ad hoc ut ſuffragia ſint proficua, non ſufficit debitum poſſe remitti, ſed aliæ conditiones requiruntur, ſcilicet unio in eodem corpore. *Ad explicationem*: verè Deus culpam remittens ſubrogat temporaneam loco æternæ pœnæ ſolvendam vel per ſe, vel per alium, poſito quòd obicem non ponat in alia peccata relabens, & quòd in iiſdem moriatur; nam hæc mutatio ſit ex Chriſti meritis, quæ non applicantur, niſi ejuſdem membris actu, vel potentiâ, quales non ſunt Damnati. Ad id quod additur, *concedo antecedens*, ſi ſuffragium ſit ex opere operato, hoc eſt applicatione paſſionis Chriſti; ſed *nego conſequentiam*; nam Chriſti fructum non poſſunt participare membra omninò exciſa a corpore Eccleſiæ myſtico.

Ut ſuffragia proſint, debet dari unio in myſtico corpore.

56 DICES. Inter Damnatos, & Viventes non eſt ablata omnimoda communicatio, ut habemus ex Hiſtoria Divitis, aquæ ſolamen a paupere flagitantis. Ut quid enim peteret, quod nullatenus fieri poſſet? Præterea aliquando Damnati bona Viventibus conſilia ſuggerunt, dum apparent amici-

cis, & a peccatis eoſdem dehortantur; quod pateſit in prælibata Epulonis hiſtoria, ſive parabola Abraham poſtulantis, ut ad vivos A fratres Lazarum mitteret, ne & ipſi in idem ergaſtulum præcipitarentur. Ergo itidem a nobis aliquid boni recipere videntur poſſe.

RESP. *neg. ant.* Sicut enim Beatis ineſt perfectiſſima charitas, ita Damnatis odium infenſiſſimum; quo fit, ut Beati gaudeant, & Damnati vehementiſſimè doleant de operibus Viventium bonis, vellentque parentes, amicos, omneſque ſimul domeſticos ſecum damnari. Quamobrem ille Dives non poſtulabat lenimentum ignis, quem crederet poſſe leniri; ſed quia vis doloris ita cogebat; cui propterea reſpondit Abraham: B *Magnum chaos inter vos, & nos*, quaſi diceret impoſſibile eſt id, quod petis: & ad hoc hiſtoria adducitur tum ad oſtendendam pœnarum gravitatem, tum ſuffragiorum impoſſibilitatem. Nec affectus ſalutis fratrum pius erat, ſed peſſimus; voluiſſet enim ſecum attrahere humanum omne genus; ſed quia noverat aliquos fore ſalvandos, hanc ſortem maluiſſet ſuis contingere, quàm alienis; quia ex propinquorum damnatione ſupplicium augetur. Vide infra P. V. Controv. XXVI.

Tandiu manet pœna, quandiu manet debitum.

RESPONDETUR *ſecundò* ad argumentum *neg. ant.* Pœna debita peccato veniali C non dimiſſo æternaliter in Damnatis durat; tandiù enim durat pœnæ ſolutio, quamdiù manet debitum pœnæ in ſuo vigore, & exigentia; ſed debitum pœnæ veniali debitæ in Damnatis durat in ſua vi exigitiva in æternum: ergo in æternum durat ſolutio. *Minor oſtenditur*. Tandiu manet debitum pœnæ, quamdiu manet voluntaria complacentia peccati commiſſi, hoc eſt reatus culpæ: ſicut enim ſe habet culpa in fieri ad pœnæ reatum, ita in facto eſſe ad permanentiam: ſed veniale quoad culpam non dimittitur in damnato: ergo. D *Min. declaratur dupliciter*: ex natura peccati venialis, quod non deletur, niſi deleatur mortale: ex vi ſtatus Damnatorum.

Non deletur peccatum veniale, niſi deleatur mortale.

Explicatur primum. Macula peccati venialis conſiſtit in defectu præfervidæ charitatis, quatenus per peccatum veniale ligatur, & impeditur charitas, ne expeditè in ſuos actus prodeat: ſed defectum charitatis fervidæ non tollitur, niſi per ejuſdem fervorem; fervor autem charitatis impleat, ubi non eſt charitatis ſubſtantia, ùt in peccatore: ergo. *Secundò*: Peccatum veniale eſt deordinatio circa media, quæ non tollitur, niſi E ponatur circa finem ordinatio; nam media dependenter a fine habent bonitatem, & motionem; quoniam verò nulla eſt in peccatore ordinatio circa finem: ideo non deletur veniale ſine mortali. *Tertiò*: Peccatum veniale eſt offenſa levis Dei, & privat Deum extrinſeca terminatione finis ad illum actum: ergo forma incompoſſibilis cum peccato veniali debet aliquo modo attingere Deum tamquam ultimum finem, ſeu illum ſupponere; nam defectus extrinſecæ terminationis ad finem non tollitur, niſi per poſitionem ejuſdem terminationis. Sed exiſtens in

In peccatore non datur ordinatio circa finem.

peccato mortali nequit in ſenſu compoſito formam ponere compoſſibilem cum converſione ad Deum ùt finem ultimum: ergo ne formam quidem deſtructivam venialis peccati.

Explicatur ſecundum: ad delendum veniale eſt opus voluntaria ejuſdem retractatio ſaltem virtualis, honeſta, & ſupernaturalis, cùm aliquo modo attingat Deum ùt ſupernaturalem; ſed in Damnatis nulla fingi poteſt voluntaria, honeſta, & ſupernaturalis diſplicentia peccati; quandoquidem reprobi ſunt in malo obſtinati, ſemperque ſibi complacent de peccato commiſſo propter odium in Deum, quem omnimodè vellent offendere, & cæteroqui ſunt quovis ſupernaturali adminiculo deſtituti: ergo.

Damnati ſunt obſtinati in malo.

57 DICES. Deus non ſolùm ſupra condignum non punit, ſed infra; ſed peccato veniali, cui debetur ſolummodò temporaneum, ſi irrogaret perenne ſupplicium, certè puniret ſupra condignum: ergo.

RESP. *nego min.* Quoties debitum remanet inſolutum, ſicut in reprobis contingit, juſtitia poteſt abſque injuria ſemper exigere ſolutionem.

Quoties remanet debitum, toties remanet jus exigendi ſolutionem.

58 DICES 2. Peccato veniali ſecundùm ſe non debetur pœna æterna, ſed facilis venia. Accedente verò mortali, non augetur venialis iniquitas, nec meretur graviorem pœnam, qualis eſt æterna.

RESP. Etſi veniale cum mortali conjunctum non tranſeat ad mortalem malitiam, fit tamen dignum pœnâ æternâ. Nam finitas pœnæ correſpondet remiſſibilitati culpæ: æternitas pœnæ irremiſſibilitati. Quoniam ergo ob conjunctionem ad mortale veniale redditur irremiſſibile, fit, ut debeat æternaliter puniri.

Veniale conjunctum cum mortali fit irremiſſibile.

59 DICES 3. Veniale eſt deordinatio ſolius actus voluntatis circa media, & non habitus: ergo delendo veniali non eſt opus ordinatio quoad habitum gratiæ, nec converſio ad finem, ſicuti quando committitur, fit deordinatio circa media, ſtante ordinatione circa finem: ergo.

RESP. *neg. conſeq.* Illa deordinatio actus debet tolli per charitatis fervorem, qui eſſentialiter ſupponit ipſius charitatis ſubſtantiam; deordinatio verò, cùm ſit de genere mali, poteſt ex quocunque defectu poni; adeoque ſtat deordinatio circa media abſque deordinatione circa finem. E contra ordinatio eſt de genere boni, ac proindè debet eſſe ex integra cauſa, eaque propter ordinatio circa media requirit ordinationem circa finem.

Deordinatio datur ex quocunque defectu.

60 DICES 4. Infidelitas poteſt tolli ſtante mortali: ergo ſtante mortali tolli poteſt veniale.

RESP. negando paritatem. Stante mortali poteſt poni forma incompoſſibilis cum infidelitate, licèt compoſſibilis cum peccato, actus ſcilicet, vel habitus fidei a Deo infuſus. Cæterùm non poteſt tolli veniale ſine mortali; nam repugnat ordinatio circa media cum deordinatione circa finem, nec forma cum illo incompoſſibilis eſſe poteſt, quin ſimul, & ſemel ſit incompoſſibilia

lis cum mortali. Vide ſuperiùs n. 56. reſponſione ſecunda.

61 DICES. Sicut veniale poteſt fieri mortale, ita mortale fieri poteſt veniale: ergo ſicut deleri poteſt mortale ſine veniali, ita deleri veniale ſine mortali.

RESP. *Antecedens* verum eſt, nam poteſt materiæ peccati venialis accedere gravis circumſtantia, quâ fiat mortalis, & materiæ mortalis ſubtrahi gravis circumſtantia, quâ venialis evadat, ùt ſi deſit plenus conſenſus. Sed *negatur conſequentia*; delendo enim mortali ſufficit charitas quoad ſubſtantiam; veniali autem delendo requiritur fervor charitatis. Etenim veniale compatitur cum charitate: & ideo deleri poteſt mortale ſine veniali: ſecus veniale ſine mortali propter dictam rationem. Si enim ad venialis deletionem requiritur fervor charitatis, multò magis requiritur charitatis ſubſtantia, quæ mortali opponitur. Quamobrem licèt deleri poſſit mortale ſine veniali, non tamen hoc abſque illo.

Poteſt deleri mortale ſine veniali, & nō è contra.

62 DICES 6. Damnati ob motivum pœnæ dolent de peccato commiſſo, ùt habetur Sap. 5. v. 3. *Pœnitentiam agentes*; ſed deteſtatio peccati ob motivum pœnæ, licèt non deſtruat mortale, delet tamen veniale: ergo in damnatis auferri poteſt veniale, ſtante mortali.

RESP. in primis. *Minorem* falſam eſſe ſecundùm communiorem ſententiam non ſolùm in Peccatore, ſed etiam in Juſto; quia peccatum veniale ſe ſolo eſt materia ſufficiens confeſſionis; ſi verò per attritionem extingueretur, non eſſet ſufficiens materia; quia ſemper ſupponeretur deletum ante abſolutionem. Deindè veniale aliqualiter opponitur Deo ùt fine ultimo; cùm autem attritio non habeat pro motivo finem ultimum, hinc fit, ut per eam non ceſſet veniale. Sed data *minori* in caſu veræ attritionis, *nego conſeq.*; nam dolor Damnatorum non eſt vera attritio, cùm ſit dolor naturalis coactus, & poſitivè excludens Deum tamquam ultimum finem. Utcunque enim vellent pœnis eximi; in hoc tamen poſitivè Deum oderunt, & poſitivè ſiſtunt in bono proprio inordinatè appetito.

Dolor Damnatorum non eſt vera attritia.

63 DICES 7. Peccatum veniale, & ejus pœna aboleri poteſt per ſatiſpaſſionem; ſed in Inferno datur ſatiſpaſſio: ergo.

RESP. Satiſpaſſionem deletivam pœnæ, & culpæ debere eſſe acceptabilem, quando eſt perſonalis, ùt in caſu noſtro. Non eſt autem acceptabilis, quando abeſt gratia coram Deo, nec tollit reatum. Ideo etiam pœna correſpondens peccato dimiſſo æternaliter durat in Damnatis; etenim paſſio in Damnatis non eſt ſolutoria, de quo infra.

Satiſpaſſio, ut ſit deletiva pœnæ, debet eſſe acceptabilis.

64 OBJICIES 6. Damnatis non repugnat aliquod levamen: ergo poſſumus orare, ut illud conſequantur. *Prob. ant.* Damnati capaces ſunt veri gaudii; ſed verum gaudium eſt aliquod levamen: ergo. *Prob. min.* ex D. *Thoma* 1. p. q. 64. art. 3. *Dicendum, quòd timor, dolor, gaudium, & hujuſmodi ſecundùm quod ſunt paſſiones, in Dæmonibus eſſe non poſſunt: ſic enim ſunt propriè appetitus ſenſitivi, qui eſt virtus in organo corporali: ſed ſecundùm quod nominant ſimplices actus voluntatis, ſic poſſunt eſſe in Dæmonibus.* Sed hic D. *Thomas* loquitur de vero gaudio, ſicut loquitur de vero dolore: ergo.

Confirmatur. Damnati vident gloriam Sanctorum, quæ illis gaudium parit, & ideò poſt Judicium univerſale hoc gaudio privabuntur. *Secundò.* In conſideratione ſcientiæ eſt delectatio; ſed ſcientiâ, quam in vita habuerunt, utentur Damnati: ergo. *Tertiò.* Damnati Deum conſiderant; ſed ex hoc oritur delectatio juxta illud Pſal. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum*: ergo.

RESP. *Neg. ant.* Ad probationem DICO: & Dæmones, & Damnati capaces ſunt veri gaudii non quidem formaliter, ſed præſuppoſitivè, in quantum plura habent ex ſe idonea ad gaudium gignendum, qualis eſt conſecutio eorum, quæ concupiunt. Sed reverà non gaudent; quia vis dolorum abſorbet delectationem. Patet exemplo de bonis Angelis Cuſtodibus, queis plura contingunt per ſe triſtia, puta, cùm anima ipſorum curæ tradita damnatur; attamen ſumma felicitas, quâ in Deo fruuntur, triſtitiam pellit; nam gutta amaritudinis, ſi qua eſt, beatitudinis pelago abſorbetur.

Dæmones, & Damnati capaces ſunt gaudii præſuppoſitivè.

Summa felicitas Angelorum ſuperat illis omnē triſtitiam.

Ad confirmationem. Viſio gloriæ eſt ad mœrorem, & invidiam. Vident Damnati ſe perpetuò expertes fore ſempiternæ ejus felicitatis, quâ potiri facilè potuiſſent. Neque ex eo quòd poſt judicium ſint viſione privandi, dici debent exinde percepiſſe delectationem; quia videntes Beatorum gloriam ſuperexcedenti triſtitia obruuntur, & non videntes torquentur, ex eo quòd ea viſio ſubtrahatur tamquam indignis. *Ad ſecundum* D. Thomas *in 4. ad Annibal. diſt. 50. art. 2. quæſt. 2. quæſtiunc. 1.* — Conſiderabunt
„ enim: — ſic de Damnatis loquitur, —
„ mala, quœ geſſerunt, ex quibus damnati
„ ſunt, & bona dilecta, quæ amiſerunt,
„ & ex utroque torquebuntur. Similiter
„ etiam torquebuntur de hoc, quòd conſi-
„ derabunt notitiam, quam de rebus ſpecu-
„ labilibus habuerunt, imperfectam eſſe,
„ & amiſiſſe ſummam ejus perfectionem,
„ quam poterant adipiſci. — En miſera delectatio, quæ conſurgit ex ſcientiæ conſiderationeǃ *Ad tertium.* A Damnatis non conſideratur Deus tanquam fons, & principium totius bonitatis, ſed ùt juſtus Judex illos tormentis affligens. Prima conſideratio præſefert delectationem: altera triſtitiam: ſed illa non eſt Damnatorum; bene verò altera.

Damnati torquentur ſive videndo, ſive non videndo Beatorum gloriam.

Conſideratio Dei ut Judicis affligit Damnatos.

§. QUARTUS.

SOLVITUR ULTIMUM ARGUMENTUM EX FACTO.

65 OBJICIES 7. D. *Gregorius* oravit pro Trajani anima, quam èt ſuis precibus ab Inferis revocavit: ergo ſuffragia Viventium proſunt Damnatis.

Commentitia Trajani liberatio.

Reſpondemus huic argumento tripliciter.

Pri-

Primò oſtendimus commentitiam eſſe *Trajani* ab Inferis eductionem : deinde ratione theologica fabulam explodimus : demùm figmentum huic hiſtoriæ intruſum commonſtramus. Rem hanc accuratè pertractat *Natalis Alexander* ſeculo ſecundo , ex quo plura deducemus .

Legi generali non eſt ponenda exceptio , niſi ex Scripturæ conſtet .

Primò . Legi generali in Scriptura , & traditionibus exhibitæ nulla opponi debet exceptio , niſi ex eadem Scriptura , & traditione eruatur ; ſed lex generalis eſt , quod *niſi quis renatus fuerit ex aqua , & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei* : Jo. 3. v. 5. : quòd *Ibunt hi * in ſupplicium æternum* : Matth. 25. v. 46. : quòd *qui non crediderit , condemnabitur* : Marc. 16. v. 16. , & ceteroquì nulla datur exceptio , teſtante Eccleſia in hæc verba : *In Inferno nulla eſt redemptio* : ergo commentitia eſt Trajani liberatio .

* Scilicet Damnati.

Secundò . Quiſquis cum univerſali Eccleſiâ credit , ſingulorum Damnatorum pœnas fore ſempiternas , non poteſt pro alio ex Damnatis orare : oratio enim eſt fructus Fidei . Sed S. *Gregorius* hanc veritatem credidit , eamque expreſsè docuit *lib.* 34. *Moral. cap.* 16. — Si quandoque finienda „ ſunt ſupplicia Reproborum , quandoque „ finienda ſunt ergo èt gaudia Beatorum . Per ſemetipſum veritas dicit : „ *Ibunt hi in ſupplicium æternum , Juſti autem* „ *in vitam æternam* . Si igitur hoc verum „ non eſt , quod minatus eſt , neque illud „ verum eſt , quod promiſit : at , inquiunt , „ ideò æternam pœnam peccantibus minatus „ eſt , ut eos a peccatorum perpetratione „ compeſceret ; quia creaturæ ſuæ ſupplicia „ minari debuit , non inferre . Quibus citiùs reſpondemus . Si falſa minatus eſt , „ ut ab injuſtitia corrigeret : etiam falſa „ pollicitus eſt , ut ad juſtitiam provocaret . Et quis hanc eorum veſaniam toleret , qui dum promiſſionibus ſuis Reproborum ſupplicia finiri aſſerunt , aſſertione ſua etiam Electorum præmia , remunerationeſque confundunt ? Quis hanc „ eorum veſaniam toleret , qui conantur „ aſtruere verum non eſſe , quòd veritas „ de æterno igne minata eſt , & dum ſatagunt Deum perhibere miſericordem , non „ verentur prædicare fallacem ? — Hactenus ex S. *Gregorio* .

Non eſt licitū pro damnatis orare .

Tertiò . Certiſſimè ſciens nefas eſſe pro quoquam Damnatorum orare , & irritas fore hujuſmodi preces , non eſt credibile S. Gregorium hac de cauſa orare voluiſſe . Sed hoc ſenſit , & docuit *Gregorius* laudato capite explicans dictum illud *pro inimicis veſtris orate* , ſic : — Orant pro inimicis ſuis eo tempore , quo poſſunt ad „ fructuoſam pœnitentiam eorum corda convertere , atque ipſa converſione ſalvare . „ Quid enim aliud pro inimicis orandum „ eſt , niſi hoc quod Apoſtolus ait , *ut det* „ *illis Deus pœnitentiam , & reſipiſcant a Diaboli laqueis , a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem* ? Et quomodo pro illis „ tunc orabitur , quando jam nullatenus „ poſſunt ad juſtitiæ opera ab iniquitate commutari ? Eadem igitur cauſa eſt , cur

A „ non oretur tunc pro hominibus æterno „ igne damnatis . . . . . ; quæ nunc etiam „ cauſa eſt , ut non orent Sancti homines „ pro hominibus infidelibus , impiiſque defunctis , qui de eis utique , quos æterno „ deputatos ſupplicio jam noverunt ante illum Judicis conſpectum orationis ſuæ „ meritum caſſari refugiunt . — Quæ doctrina militat tum de lege ordinaria , tum de extraordinaria ; ſemel enim admiſſa hac diſtinctione in rebus fidei , nutarent utique omnia . Poſſet enim quis comminiſci Deum præter ſuæ providentiæ ordinem ita aliquando exorari , ut aliquos eximat a noxa originali , vel Dæmones , damnatoſque animas

B ſit evecturus in Cœlum : quo quid abſurdius ?

Trajanus ſceleſtiſſimus Princeps .

Quartò . Irritæ ſunt preces pro his oblatæ , qui nec actu , nec potentiâ ſunt membra Chriſti , ut ſuprà dixi . Certè aliter ſentire eſt contra fidem ex Auguſtino *lib.* 1. *de Anim. , & ejus orig. cap.* 9. Sed *Gregorius* non ignorabat Trajanum nec actu , nec potentiâ eſſe Chriſti membrum ; immò quamvis aliqua ipſum magna virtus moralis , & major virtute adulatio illuſtrem fecerit ; tamen noverat eundem fuiſſe nefandum puerorum corruptorem , immaniſſimumque Chriſtifidelium hoſtem ; vix enim

C ſub alio Imperatore tot Martyrum millia numerantur , licèt aliquando mitior cùm eis fuerit . Quæ omnia ſacris , ac profanis Annalibus perhibentur .

Plinius de facto Trajani nihil meminit .

Quintò . Factum , cui tota innititur cauſa, nullus Scriptor memorat in vita *Trajani* , & ne ejus quidem panegeriſta *Plinius* quidquam meminit . Factum verò ſic apud adverſarios traditur . Cùm inſtructo agmine ad bellum properaret Cæſar contra Schytas equo deſiliit , ut Viduæ roganti de filii ſui interfectore judicium faceret . Porrò panegerim ſuam recitavit *Plinius* in laudem Trajani illo ipſo anno 103. quo jam Cæſar

D triumphum egerat de Schytis ; nec tam inſigne factum ſilentio præſſiſſet , qui minimum quodque eſt in ea laudatione conſectatus .

Nugæ, & contradictiones Hiſtoriæ .

Sextò . Oſtenditur falſitas Hiſtoriæ . Nullatenus vera eſſe poteſt nugatoria , & ſibimet contraria , ac repugnans Hiſtoria . Hujuſmodi eſt illa Trajani , prout a ſuis auctoribus traditur . Quidam ferunt Trajanum, audita Viduæ ſupplicatione, ſtatim ad Tribunal ſediſſe : alii cauſam filio ſuo dediſſe cognoſcendam , cùm tamen apud Hiſtoricos omnes conſtat nullum Trajano filium fuiſſe . Aſſerunt nonnulli S. *Gregorium* , ut

E pro Trajano ex inferis educendo preces funderet , fuiſſe commotum , cùm fortè ſtatuam hujus Imperatoris vidiſſet in Foro Trajani erectam ; cùm tamen ante Gregorium a Wandalis ſub *Genſerico* Rege devaſtata fuerit Roma , nec veriſimile , immò certum ſit ſtatuis non pepercisse , Urbemque ſuis expoliatam ornamentis reliquiſſe , ſic Procopius *de bello Wand. lib.* 1. Eſt aliorum ſententia, Gregorium pro Trajano orantem peccaſſe ; propterea capitis dolore , quamdiù vixit , laboraſſe . Sed peccantem in ea oratione pro damnato effuſa , quomodo

X exan-

exaudiſſe dicitur Cœleſtis Pater? *Petrus Diaconus* vult per Angelum fuiſſe Gregorio intimatum perpetuum ſtomachi, & pedum dolorem; quia præſumpſerat damnati Cæſaris ſalutem a Deo petere. Laboravit quidem Gregorius ſtomachi dolore, aſt longè ante Pontificatum; ſed ne ab anno quidem ſecundo Pontificatus (quo Trajani liberatio accidiſſe dicitur) jugi cœpit uſque ad obitum morbo gravari, at longè poſt, ùt probat *Baronius* ad ann. 604.. *Ciaconius* affirmat Gregorium divino inſtinctu motum oraſſe; & ad hoc comprobandum citat *Petrum Diaconum*. Verumenimverò qui dici poſſit oraſſe ex divino inſtinctu, ſi reprehenſus eſt, & morbo etiam mulctatus? Alii docent Trajani animam quingentorum annorum ſpatio ſuſpenſam inter Beatos, damnatoſque pependiſſe: alii ab Inferis evocatam: alii exſolutam pœnis, & Cœlo invectam: alii revixiſſe priùs, & luſtrale Sacramentum ſuſcepiſſe. Ecqua veritas inter tot nugas, & contradictiones?

66 OPPONITUR *primò* Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii *lib. 2. cap.* 44. ſcribit Gregorium pro Trajano in S. Petri Baſilica fleviſſe, & ſequenti nocte per Angelum intellexiſſe a Deo exauditam orationem ſuam.

Sed Joannes Diaconus trecentis annis poſt S. Gregorii mortem, vitam ſcripſit, cùm tamen hac de re nihil in actis S. Gregorii, quæ Romæ aſſervabantur, reperire ſit: quemadmodum teſtatur idem Joannes, qui tamen affirmat apud Anglorum Eccleſias factum iſtud legi. Sed Ven. *Beda* maximo ſtudio enucleavit minima quæque ipſius Pontificis acta, & de re tanti momenti ne verbum quidem facit.

V. Beda referens geſta D. Gregorii, de hac re nihil habet.

Sanè ut Gregorium excuſet a contradictione doctrinæ, cùm ſæpeſæpiùs aſſerit nefas eſſe orare pro Damnatis, ſofit idem Joannes Gregorium non oraſſe pro Trajano, ſed tantùm fleviſſe apud Dominum, perinde acſi deſiderium cordis apud Dominum non ſit oratio, ùt idem *Gregorius* docuit lib. 22. Moral. cap. 13. *Valentiores voces apud ſacratiſſimas aures Dei non faciunt verba noſtra, ſed deſideria*; intendit Diaconus probare, quæ dicit, exemplo Moyſis *Exod.* 14. volens ipſum preces non fudiſſe, ſed dolendo tacuiſſe, cùm verè, & propriè Moyſen oraſſe laudato capite affirmat Gregorius. Mirum tamen eſt, quòd ex una parte non oraſſe dicatur, & ex alia exauditum fuiſſe: ſi enim non oravit, ſi nihil poſtulavit, quomodo exaudiri potuit? Addit Joannes Diaconus animam Trajani non fuiſſe ab Inferis liberatam, nec in Paradiſo repoſitam; quia hoc ipſi quoque incredibile videtur, quaſi verò, qui non eſt in Cœlorum Regno, non ſit futurus in igne, ùt pluries contra *Pelagianos* inſtat *Auguſtinus*.

67 OPPONITUR *ſecundò* S. *Joannes Damaſcenus* in oratione de Fidelibus Defunctis, qui tanti miraculi teſtem advocat totum Orientem, & Occidentem. *Hic*, ſcilicet Gregorius, *intenſiſſimas pro peccatorum Trajani remiſſione preces ad animarum amantem, & miſericordem Dominum fudit: ſtatimque divinitùs vocem emiſſam audivit: preces tuas audivi, ac Trajano ignoſco: tu verò poſt hac caveto, nec mihi pro Impiis ſupplex ſis, quodque iſtud verum ſit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus, atque Occidens teſtatur*. Sed ſpurius hic Damaſcenus cum veri Damaſceni doctrinâ pugnat, qui lib. 2. de Fide Ortodoxa cap. 4. ſic ait: *Scire autem oportet, quoniam quod hominibus mors, hoc Angelis eſt lapſus; poſt lapſum enim non eſt illis pœnitentiæ locus; ut neque poſt mortem hominibus*.

Sed videamus, quomodo totus Oriens, & Occidens hanc veritatem teſtetur. — „ Joannes Diaconus, qui ſub *Joanne* VIII. „ trecentis fermè poſt annis ab ipſo Gregorio vixit, ac ſcripſit in Urbe vitam „ ipſius; ubi ad locum hunc devenit, ut „ narraret rem adeò celebrem, ſcriptoque „ firmatam, conſignatamque certis teſtibus „ poſteris eam relinqueret: hæſiſſe planè viſus eſt in ſalebris, dum nihil habuit „ quod ad rem teſtandam ex Archivio Romano peteret, vel ex aliis Italiæ locis „ aut Galliarum, Hiſpaniarumve, aut aliarum Provinciarum Eccleſiis adducere poſſet: ſed migrandum ipſi fuit ad diviſos penitùs toto Orbe Britannos, ex „ Anglicana, inquam, Eccleſia accerſere „ teſtes. Vides igitur hyperbolem illam „ de Occidentis, & Orientis teſtificatione, „ cen bullam levem inflatam vento ſui „ inanitate diſruptam evanuiſſe; — hæc apud *Baronium* ad annum 604. n. 54.. Sed quid ex Anglia Joannis Diaconus attulerit, vidimus ſupra.

Falſum eſt, quòd Oriens, & Occidens factū Trajani teſtetur.

Nunc pergam verum Damaſcenum cum ſpurio conferre. Hic docet in ea oratione morem Eccleſiæ eſſe, ut oret pro Damnatis, probatque Trajani exemplo, & Falconillæ, S. Gregorii, & S. Theclæ oratione ab Inferis ereptæ. Sed impium eſt id moris in Eccleſia comminiſci; quandoquidem ab ipſa Eccleſia edocemur, redemptionem apud Inferos nullam eſſe. Hoc apprimè noverat Damaſcenus, qui propterea dixit, quod hominibus mors eſt, hoc Angelis lapſum extitiſſe; ideo ſicut Angelis, ita èt hominibus deſperatur ſalus.

Spurius docet ibi Philoſophos Ethnicos, qui providentiam Dei tenuerunt, quamvis erroribus mixtam, Chriſto ad Inferos delapſo Chriſtiana Fide imbutos fuiſſe, & inde ad Cœlum evocatos: quod S. Damaſcenus ne ſomniavit quidem.

Spurius ibidem docet neminem periturum ex iis, qui in Chriſtum crediderint: quod erroneum eſt, & alienum a mente Damaſceni. Auctor iſte inſerit eidem orationi ex Hiſtoria Lauſiaca *Palladii*, a S. Macario cranium Sacerdotis Ethnici interrogatum, utrumne Defuncti ſolamen aliquod recipiant? Et reſpondiſſe nonnullius ſolatii ſenſu affici: quæ prælibatâ hiſtoriâ prorſus abſunt, quamvis plura de *Macario* habeantur. Laudat tandem ſententiam S. *Athanaſii* orat. de iis, quæ è vita deceſſerunt, aliamque S. *Gregorii Niſſeni*, nullibi verò dictæ ſententiæ reperiuntur. Item aſſerit Falconillam

Cranium Sacerdotis Ethnici Macario reſpondiſſe fictitium.

nillam precibus S. Theclæ liberatam, quæ narratio apud omnes apocrypha eſt. Iſtius Damaſceni ſententiæ meminit Joannes Diaconus, ut narrationi ſuæ adſtruat fidem; cùm cæteroquì ne verbum quidem inſit, ſed tota fides petatur ex Anglia.

Apocrypha et liberatio Falconillæ.

68 OPPONITUR *tertiò* Euchologium Græcum cap. 96. ubi in oratione pro Defunctis hæc habentur: *Quemadmodum Trajanum per intenſam Servi tui GREGORII DIALOGI interceſſionem flagro ſolviſti: exaudi etiam nos te orantes, non pro Idolorum cultore, ſed pro fideli Servo tuo, qui te propter imbecillitatem ad iracundiam provocavit*. Sed ùt notat *Baronius* laudato loco n. 57., Græci nomine *Gregorii Dialogi* non intelligunt primum, ſed ſecundum. Attamen quoad preces pro Damnatis, non major fides Græcis habenda eſt, quàm Joanni Damaſceno, ex quo totam doctrinæ ſeriem ſumpſerunt. Cæci, & Duces cæcorum in errorem prolapſi ſunt, non attendentes ad regulam Eccleſiæ Romanæ, quæ fundata ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, cùm a veritate aberrare non poſſit, perpetuò tenuit, docuitque animas ab Inferis eſſe irremeabiles. Nec mirum, quòd in hoc Græca Eccleſia erraverit, cùm poſt Schiſma in pejora impegerit. Si autem ad Græcum Euchologium a *Goartio* emendatum attendere velimus, clarè cognoſcas, portis Inferni neminem poſſe regredi, nullam ibi pœnitentiam eſſe, quæ proſit ad veniam. In officio ſiquidem funereo Sacerdotis hæc habentur: *Non eſt in Infernis pœnitentia, nulla ibi relaxatio, ibi vigilant vermis, tenebroſa terra, & chaos caliginoſum*: & infra: *nec ullus Inferno eripitur*. Ulteriùs in Euchologio exemplum Trajani uſurpatur in oratione ordinaria, & quotidiana pro Defunctis, cùm tamen Deus Gregorio præceperit juxta ſcripta a Joanne Diacono, ne oraret amplius pro Pagano, ac propterea etiam pro Damnatis, cùm eadem pro omnibus ſit ratio.

Ecchologium Græcum.

Euchologium emendatum negat ſuffragia pro Damnatis.

69 OPPONUNTUR *quartò* revelationes S. *Birgittæ* lib. 4. cap. 13., & S. *Mechtildis* lib. 5. cap. 6.

Sed in primis recole jam dicta in hoc Tract. P. III. Controv. III. n. 42., quonam modo cum approbatione Eccleſiæ alicujus libri ſtet, aliquas revelationes, quæ in libro continentur, eſſe falſas. Hinc DICO: revelationes, quæ opponuntur certo alicui principio generali fidei, emendandæ ſunt, niſi poſitivè ab Eccleſia approbentur; ſed citatæ revelationes opponuntur generali principio Fidei, nec ab Eccleſia approbantur: ergo emendandæ ſunt: deindè illæ revelationes pugnant inter ſe: nam Birgittæ revelatum dicitur Trajani animam ad ſublimem gradum ab inferis evectam; Mechtildi Deum nolle hominibus innoteſcere, quid ejus liberalitas de Trajano decreverit, ſicut de *Sampſone*, *Salomone*, & *Origene*. In revelatione S. Mechtildis conjungitur Trajanus cum Origene; atqui in Prato Spirituali citato a VII. Synodo refertur alia revelatio, qua Origenes viſus eſt in Gehennæ ignibus cum *Ario*, & *Neſtorio*: ergo. Deinde ex revelationibus S. Birgittæ colligi

Revelationes, quæ opponuntur fidei, emendandæ ſunt.

Oppoſitio revelationum.

non poteſt ereptam Trajani animam ab Inferis, ſed ſolùm aliquid pœnæ eidem eſſe imminutum; inquit enim tantummodo elevatam ad gradum altiorem. Revelationes S. Mechtildis perhibent divinam voluntatem, ne quid homines de Trajani ſalute certò ſciant. Sed abſit, ſubdam verba *Baronii* ubi ſupra num. 62., — ut credam quid
„ hujuſmodi divinitùs pronunciatum: Elo-
„ quia Domini caſta, argentum igne exa-
„ minatum, probatum terræ, purgatum
„ ſeptuplum, quæ nec rubiginis quicquam
„ admittant: nec fiat, ut credam quid hu-
„ juſmodi fuiſſe ſanctiſſimis fœminis revela-
„ tum, vel ab ipſis eſſe conſcriptum, ſed
„ tantùm ipſarum nomine ab aliis promul-
„ gatum. Abeant igitur vana commenta,
„ ſileant prorſus inanes fabulæ, ſepeliantur-
„ que æterno ſilentio.

70 OPPONITUR *quintò* ſcriptum Vaticanum inſignitum nomine Joannis, & Petri Diaconorum Sancti Gregorii; ibi etenim Pluteo tertio nu. 153. in Codice Dialogorum Sancti Gregorii ad finem ejus appoſita fuit Trajani liberatio: — Oratione
„ verò completa, apparuit ei Angelus Do-
„ mini dicens: Gregori, exaudita eſt de-
„ precatio tua, ſecundùm quod a Domino
„ poſtulaſti: ſed quia hæc poſcere præſum-
„ pſiſti, nihilominus, & quia pro anima
„ Trajani Imperatoris viri Infidelis oran-
„ dum eſſe duxiſti, ſcias te in hoc ſæculo
„ a corporali, quam pateris, infirmitate
„ fore minimè liberandum. — Petierat priùs a Domino, juxta relata in dicto Codice, quòd omnes vitam æternam conſequerentur, qui in circuitu Eccleſiæ, quam ad honorem S. *Andreæ* Apoſtoli in Clivo Scauri ædificaverat, elegerint ſepeliri.

Oratio D. Gregorii.

Sed hæc petitio omnia deſtruit. Quomodo enim D. Gregorius expoſtulaverit liberationem ab æternis pœnis præciſè ea electione ſepulturæ? qui *lib.* 4. Dialogorum ſcribens de *Valentini* corpore ab Eccleſia poſt mortem projecto, hæc habet: — Ex qua re, Petre, collige, quia
„ his, quos peccata gravia deprimunt, ſi
„ in ſacro loco ſepeliri ſe faciant, reſtat,
„ ut etiam de ſua præſumptione judicen-
„ tur, quatenus eos ſacra loca non liberent,
„ ſed etiam culpa temeritatis accuſet. —
& cap. 54. — Quid igitur loca ſacra ſe-
„ pultis proſunt, quando ii, qui indigni
„ ſunt, ab iiſdem ſacris locis divinitùs
„ projiciuntur? — Si igitur conſtanter aſſerit ſepulturæ locum illos non adjuvare, quibus peccata dimiſſa non fuerunt, quomodo poterat liberationem pro eis expoſcere, qui ſepulcrum elegerint in dicta Eccleſia? Quòd ſi hoc apocryphum eſt, non ne apocryphum erit additamentum de Trajani liberatione, cùm æquè probet S. Gregorius irritas eſſe preces pro damnatis, ùt ex eodem ſuperiùs adnotavimus?

Sepultura nihil Damnatis juvat.

Attamen non hæc a Petri, & Joannis calamo, ſed recentioris cujuſquam interpolatoris ſunt profecta. Gregorium appellat *Divum*, qui titulus ea tempeſtate Sanctis impendi non ſolebat. Dicitur *ſecundò* Gregorius labore ſtomachi punitus

Tempore Gregorii non appellabãtur Sancti nomine Divi.

fuiſſe; ſed licèt etiam ante Pontificatum ea laboraverit infirmitate: tamen a ſecundo Pontificatus anno, quo ſupradicta eveniſſe narrantur, non cæpit jugi ſtomachi morbo gravari, ſed longè poſtea, ùt laudatus *Baronius* teſtatur n. 64. *Tertiò* ibi dicitur, Cardinales ante Epiſcopos; cùm etiam anno 993. ſub *Joanne* XV. in Concilio Romano, & ſub *Urbano* II. in Concilio Claremontano poſt Epiſcopos ſubſcripſerint, & ſolùm ſub *Innocentio* IV. rubro Pileo decorati anno circiter 1244., ſeu, ut alii, ſub *Paulo* II. anno 1464., ſeſſionis honorem ſupra Epiſcopos obtinuerint, æqualeſque Principibus ſub *Bonifacio* VIII. declarati.

71 OPPONITUR *ſextò* D. *Thomas* q. 71. Supplementi art. 5. ad 5., ubi admittens veritatem Hiſtoriæ de Trajani liberatione, componit cum illa Catholicam veritatem: — „ Dicendum, quòd de facto Trajanus poteſt hoc modo probabiliter æſtimari, „ quòd precibus Beati Gregorii ad vitam „ fuerit revocatus, & ibi gratiam conſecutus ſit, per quam remiſſionem peccatorum „ habuit, & per conſequens immunitatem „ a pœna... Vel dicendum ſecundùm quoſ„ dam, quòd anima Trajani non fuit ſim„ pliciter a reatu pœnæ æternæ abſoluta, „ ſed ejus pœna fuit ſuſpenſa ad tempus, „ ſcilicet uſque ad diem Judicii.

Verùm D. *Thomas* non dicit poſitivè Trajani animam remigraſſe ex inferis, ſed ſuppoſitâ illâ hiſtoriâ aſſerit, quomodo poterat contingere talis liberatio.

Cæterùm dicta hiſtoria propalam adverſatur *Thomæ* principiis, ac propterea dico Sanctum Doctorem non illi adhæſiſſe hiſtoriæ; licèt *Joanni Damaſceno* multum detulerit. Eſſe autem contra ejus principia clarè conſtat 3. *p. quæſt.* 52. *art.* 6. ubi disertè profitetur Chriſtum inferis illapſum neminem eorum extraxiſſe, qui mortui fuerant abſque fide formata, vel ex Gentilibus: — Chri„ ſtus deſcendens ad Inferos operatus eſt „ virtute ſuæ paſſionis: & ideò ejus deſcen„ ſus ad Inferos, illis ſolis liberationis con„ tulit fructum, qui fuerunt paſſioni Chri„ ſti conjuncti per fidem charitate forma„ tam, per quam peccata tolluntur. Illi „ autem, qui erant in Inferno Damnatorum „ aut penitus fidem paſſionis Chriſti non ha„ buerant, ſicut Infideles, aut ſi fidem ha„ buère, nullam conformitatem habebant „ ad charitatem Chriſti patientis: unde „ nec a peccatis ſuis erant mundati; „ & propter hoc deſcenſus Chriſti ad In„ feros, non contulit eis liberationem a „ reatu pœnæ Infernalis. — Si ergo *Thomas* conſtanter diffitetur per merita Chriſti, quæ ſunt infiniti valoris, nullum nec de via ordinaria, nec de extraordinaria ex Damnatis liberatum, num credere poterat preces Gregorii tantum valuiſſe, ut præſtare potuerint, quod Chriſtus non præſtitit?

Chriſtus deſcendendo ad Inferos nullum damnatum liberavit,

Idem 2. 2. q. 10. art. 12. *Magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quàm auctoritati vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuſcumque Doctoris.* Sed eſt conſuetudo Eccleſiæ non orandi pro Damnatis: ergo non potuit *Thomas* aſſentiri aſſerentibus D. Gregorium oraſſe pro damnata Trajani anima.

Standum potius Eccleſiæ conſuetudini, quàm Doctoribus.

Idem 3. p. q. 1. art. 3. *Ea, quæ ex ſola Dei voluntate proveniunt ſupra omne debitum creaturæ, nobis innoteſcere non poſſunt, niſi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam Divina nobis voluntas innoteſcit.* Sed ex Scriptura non conſtat de hac liberatione: ergo non poterat huic ſententiæ Thomas adhærere. Hæc, & alia aſſerit Angelicus Doctor, ex quibus eruitur, ipſum non curaſſe de veritate hiſtoriæ, ſed egiſſe de modo. *Laudetur tamen*, dicam cum *Baronio* an. cit. n. 62., *zelus eorum, qui quod aſſertum invenerunt, quomodo ſe habere potuerit, ſcholaſticè diſſuſſerunt.*

Quæ dependent a Divina voluntate, per Scripturam innoteſcere debent.

OPPONITUR *ſeptimò* auctoritas plurimorum Doctorum. S. *Antoninus* 1. p. Chron. t. 7. cap. 3. §. 2., *Vincent. Bellovacenſis* in Speculo Hiſtor. lib. 10. c. 68., *Gerſon.* Ser. ad Regem Galliæ conſid. 4., *Abul.* 4. Reg. cap. 4. quæſt. 57., *Hieronymus de Lanuza* Salmaticenſes de vitiis, & peccatis.

Sed contra. Nam *Antoninus*, & *Bellovacenſis* alias identidem fabellas ſuis incautè libris inſperſerunt ex bona credulitate, ſicut norunt Docti. *Gerſonius*, & *Lanuza* concionatoriè ad populum hiſtoriam retulerunt: non eſt autem oratoriæ facultatis, inſpicere critico examine hiſtoricam veritatem. *Toſtatus* dubitanter loquitur, & inter ſe pugnantia, videlicet S. Gregorium peccaſſe orando, & exauditum fuiſſe, non attendens orationem, quæ ſit peccatum, impetratoriam eſſe non poſſe. Salmaticenſes ad Doctrinalia attendentes de hiſtoria non curarunt, inhærentes potiſſimùm auctoritati *Damaſceni*, de quo ſupra dictum eſt ſatis.

Quid dicendum de Auctoribus aſſerentibus liberationem Trajani.

73 OPPONITUR *ultimò* integritas vitæ Trajani. Calumniantur enim aliqui *Dionem*, qui de Trajano ſceleſtiſſima ſcripſerit: hinc laudatiſſimum *Dionem* refellunt veluti latinis infenſum, cùm Græcus ſit natione Dio. Verumenimverò probatiſſimum, & per tot ſecula commendatum utvis reprobent auctorem, adhibebimus Latinos, inter quos *Ælius Spartianus* de *Adriano* filio conſobrini Trajani ſcribit: *Fuit in amore Trajani, nec tamen ei per Pædagogos puerorum, quos Trajanus impenſiùs diligebat, Gallo favente defuit.* Julianus Apoſtata: *Hoc tempore maxime ſumma cura, & diligentia eſt adhibenda Domino Jovi, quo illi cuſtodiatur Ganymedes.* Quomodo igitur dicetur: *Trajanus omnibus virtutibus plenus, quem præter impietatem ex cultu Idolorum eidem inhærentem, tot immanium vides criminum reum?* Sic Baron. d. ann. 603. n. 44.

Græci, & Latini Impium aſſerunt Trajanum.

CON-

CONTROVERSIA VI.

AN SUFFRAGIA PRO DEFUNCTIS PROSINT PER MODUM GRATUITÆ IMPETRATIONIS.

74 SUffrágia juvare per modum gratuitæ impetrationis eſt a Deo impetrare gratuitam pœnæ remiſſionem non exhibita ſolutione. Quæſtio eſt, an orationes ad Deum proſint Defunctis; quia Deus liberaliter dimittit pœnam: an, quia exhibetur ſatisfactio conveniens. *Durandus* videtur inclinare in priorem partem.

75 DICO: *Secundùm Providentiam Dei ordinariam ſolùm viâ ſolutionis Vivorum ſuffragia proſunt Defunctis.* PROB. 1. Quoties Scriptura, & Patres agunt de perfecta remiſſione peccati quoad culpam, & pœnam, recurrunt ad opera pœnalia, & ſatisfactoria; ergo non dimittitur reatus culpæ, & pœnæ, niſi exhibita ſolutione; & ſi hoc accidit in extinguendo proprio pœnæ reatu, multò magis hoc requiritur in alieno; cùm, cæteris paribus, efficaciora ſint opera bona ad profectum operantis, quàm aliorum. *Ant.* fusè traditur a Doctoribus contra Hæreticos de pœnitentia, & deſumitur ex illo 2. Corinth. 7. v. 9. *Gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*: de qua pœnitentia ſubdit v. 11. *Ecce enim hoc ipſum, ſecundùm Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem ...., ſed vindictam* &c. Vindicta autem vocatur ſatisfactio.

Non dimittitur pœna, niſi exhibitâ ſolutione.

76 PROB. 2. Non aliter Chriſtus extinxit debitum pœnæ peccato correſpondentis, quàm exhibendo ſuæ paſſionis ſatisfactionem; nec aliter juvant Indulgentiæ, & Sacrificia *ex opere operato*, niſi quia per hæc Chriſti ſatisfactio applicatur: ergo ſecundùm præſentem providentiam, in qua membra capiti debent conformari, extinctio pœnæ fit per ſolutionem. Quamobrem 1. ad Corinth. 11. v. 31. *Si nos metipſos dijudicaremus, non utique judicaremur; dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc Mundo damnemur*; ideſt ùt explicat Auguſtinus *in Enchirid. c. 66.* — Multa enim mala hìc videntur ignoſci, & nullis ſuppliciis vindicari, ſed eorum pœnæ reſervantur in poſterum..... Sicut e contrario vindicantur hìc aliqua, & tamen ſi remittuntur, profectò in futuro ſeculo non nocebunt; propterea de quibuſdam temporalibus pœnis, quæ in hac vita peccantibus irrogantur, eis quorum peccata delentur, non reſervantur in finem.

Quomodo juvent Indulgentiæ, & Sacrificia.

77 PROB. 3. Lex præſentis providentiæ eſt, ut qui peccavit, Divinæ ſatisfaciat Juſtitiæ; quæ lex fortiùs valet pro animabus Purgatorii; eſt enim locus Juſtitiæ, & carcer, in quo Rei includuntur per ſententiam Judicis; ſed per gratuitam impetrationem non fit ſatis juſtitiæ: ergo requiritur ſolutio. *Explicatur*. Id petit æquitas Juſtitiæ vindicativæ in ſuo ordine, quod commutativæ in ſuo; ſed Juſtitiæ commutativæ non fit ſatis, niſi præmiſsâ debitâ diſpoſitione meriti ſecundùm præſentem Dei diſpoſitionem: ergo neque fit ſatis vindicativæ, niſi prævia ſolutione.

Ita ſe habet juſtitia vindicativa, ſicut commutativa.

78 PROB. 4. Si ſuffragia, gratuitâ impetratione prodeſſent, duplicem vim continerent extinguendi pœnam; ſed hoc eſt falſum: ergo. *Prob. min.* In noſtris operibus datur vis meritoria *de condigno*, & *de congruo*, ùt procedunt a charitate, & vis ſatisfactoria, ùt pœnalia ſunt. Vis meritoria non pertinet ad lineam ſatisfactionis, ſed commenſuratur augmento gratiæ, & gloriæ, vel *de condigno* ſibi concedendæ, vel aliis *de congruo*; & videmus, quòd creſcente gratiâ, & ſanctitate, non decreſcit eadem æqualitate reatus pœnæ: undè ſanctior majorem reatum pœnæ temporalis aliquando habet, ùt patet in Religioſis propter regulares inobſervantias: ergo hæc duo non ſunt connexa, nec ad eundem effectum pertinent; pertinerent tamen ſi viâ ordinariâ ſuffragium prodeſſet impetratione gratuita; nam vis impetratoria oritur a merito *de congruo*.

Vis meritoria non pertinet ad lineam ſatisfactionis.

79 PROB. 5. Secundùm jura ordinaria injuſtè a Judice petit gratuitam remiſſionem, qui poteſt congruam exhibere ſolutionem, nec ita rogans ſolet ordinariè exaudiri; ſed homo juſtus vivens poteſt divino auxilio congruam pro Defunctis exhibere ſolutionem per opera pœnalia: ergo temerè petit gratuitam ſolutionem: ergo regulariter non prodeſt hujuſmodi ſuffragium.

Gratuita remiſſio nõ datur potenti ſolvere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

80 OBJICIES 1. Beati orant pro Purgantibus; ſed illos juvare non poſſunt per meritum, & ſatisfactionem, quorum ſtatus beatitudinis capax non eſt: ergo proſunt impetratione gratuita. *Maj. prob.* Primò. Hoc ad officium charitatis ſpectat; ſed in Beatis charitas eſt valdè intenſa: ergo. Secundò. Eccleſia oratione quadam precatur, ut Virgine intercedente cum omnibus Sanctis Defuncti perveniant ad gloriam: ergo ſupponit Sanctos pro Defunctis orare. Tertiò. Auguſtinus *lib. de Cura pro Mort. cap.* 4. rationem allegans, quâ fideles curent ſepeliri in Eccleſiis Sanctorum, dicit, *ut dum recolunt, ubi ſint poſita eorum, quos diligunt corpora, eiſdem Sanctis, illos tanquam patronis ſuſceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent.*

Sotus 4. *Sent. diſt.* 45. *q.* 3. *art.* 2. negat majorem ex auctoritate S. *Thomæ* ibidem: *Durandus* idem ſentit. Sed *conceſſa majori* propter dicta in argumento, *negatur conſequentia* ob motiva concluſionis. Ad quid ergo juvant illæ orationes? Dico juvare, ut Deus acceptet noſtras ſatisfactiones, & nobis auxilia impertiatur, & modum multiplicandi ſuffragia, & debito modo ea explendi. Juvant etiam, ut Deus durationem pœnarum compenſet majori intenſione, ut citiùs animæ liberentur. Non videtur tamen ſufficiens modus dicendi quorundam aſſerentium Sanctos impetrare, ut Deus acceptet ſuperabundantes ſatisfactiones, quas ipſi viatores dependerunt; quia de facto

Ad quid juvent Sanctorũ orationes.

facto ſpectant ad Theſaurum Eccleſiæ, cujus diſpenſator eſt Summus Pontifex, & per ſolas Indulgentias applicantur. Si de ſatisfactionibus Chriſti ſit ſermo, etiam per Miſſæ Sacrificium applicantur. Abſtraho nunc a quæſtione, an Beati de extraordinaria diſpenſatione concedere Indulgentias poſſint.

81 OBJICIES 2. Sæpè Eccleſia orat Deum, ut per ſuam piiſſimam Miſericordiam liberet Defunctos a pœnis; ſed non oraret hoc modo, niſi ſupponeret prodeſſe gratuita impetratione: ergo.

Eccleſiæ orationes ſunt Viventium ſatisfactiones

RESP. S. Thomas 4. *Sent. q. 3. art. 3. ad 6. diſt. 45.* Eccleſiæ orationes quaſdam eſſe Viventium ſatisfactiones vice mortuorum, eaque propter immediatè non proſunt gratuita impetratione, ſed ſolùm ſolutione: ſicuti Eccleſia orat, ut morti proximos liberet ab Inferno, vel peccatores a peccatis, & tamen non orat, ut hæc fiant non præmiſſa debita diſpoſitione ex parte ſubjecti, ſed ut Deus conferat auxilia neceſſaria ad reſurgendum a peccatis, & ad moriendum in ſtatu gratiæ; ita etiam orat, ut det nobis modum ſuffragandi congruenter Defunctis, & per Miſericordiam piiſſimam Deum orat; quia Miſericordiæ pactum eſt, quo opera Vivorum pro Mortuis acceptentur.

Pactum miſericordiæ eſt, ut preces Viventium proſint Defunctis.

82 OBJICIES 3. Patres communiter dividunt ſuffragia in tres claſſes, in oblationes ſcilicet, jejunia, & orationes; ſed oblatio, ſeu Sacrificium prodeſt, Chriſti paſſionem applicando, Jejunium, qua ſatisfactorium, & pœnale: ergo & oratio juvat diverſa ratione, nec alia, niſi ùt impetratoria: ergo.

Satisfactio alia ex opere operato, alia ex opere operantis.

RESP. hanc diviſionem fieri penes duplicem ordinem ſatisfaciendi, ſcilicet *ex opere operato*, ad quem pertinent oblatio, & Indulgentiæ, & *ex opere operantis*, ad quem ſpectant jejunium, oratio, eleemoſyna, flagellationes, & ſimilia; adeoque diviſio non fit modo in argumento aſſignato penes diverſam vim extinguendi debitum, ſed penes duplicem, quem dixi, ordinem.

83 OBJICIES 4. Non eſt majus beneficium elargitio gaudii accidentalis, quàm pœnæ remiſſio: ſed illa cadit ſub vi impetratoria ſuffragiorum: ergo etiam hæc.

Gaudii provenit a liberalitate, remiſſio pœnæ a justitia.

RESP. Primum eſt in ordine liberalitatis; ideo gratuitam Deus aliquoties conſolationem permotus Vivorum oratione impertitur Defunctis. Secundum ſpectat ad vindicativam juſtitiam, cui nullatenus ſatisfit, niſi per ſolutionem.

84 OBJICIES 5. Generaliter Chriſtus dixit: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: ergo Divinæ promiſſioni congruit, ut gratuità impetratione debitum extinguatur.

RESP. *Auguſtinus* alibi citatus ait, illam promiſſionem ùt infallibilem valere dumtaxat pro ipſis orantibus: immo ne iis quidem valet, qui ſibi adprecantur Indulgentiam pœnæ abſque præmiſſa ſolutione, cùm id exigat juſtitia; adeoque multò minùs pro aliis valebit. Noſtram ſententiam expreſsè docet Angelicus *q. 71. ſupplem. art. 12. ad 1., & 13. ad 1.*

CONTROVERSIA VII.

AN SUFFRAGIA PRO DEFUNCTIS EX JUSTITIA PROSINT.

Prodeſſe ex juſtitia, eſt prodeſſe infallibiliter.

85 PRodeſſe ex juſtitia eſt prodeſſe infallibiliter propter condignitatem operis cum debito, ita ut Deus utpote juſtus Judex nequeat repellere ſolutionem, & captivi relaxationem: Cajetanus *Tom. 1. Opuſc. Tract. 16. quæſt. 5.*, quem aliqui ſequuntur, defendit non prodeſſe univerſaliter ex juſtitia.

Ut opus proſit ex juſtitia, debet eſſe ſolutio adæquata debiti, & pactum.

86 DICO. *Suffragia Defunctis proſunt ex juſtitia.* PROB. Ad hoc ut opus noſtrum proſit Defunctis ex juſtitia, requiritur, & ſufficit, quòd ſit condigna ſolutio debiti, & detur pactum illud acceptandi. Hæc enim requiruntur, & ſufficiunt, ut opus bonum ſit ex juſtitia meritorium vitæ æternæ; ſed hæc duo concurrunt in ſuffragiis mortuorum: ergo proſunt ex juſtitia. *Min. probatur quoad pactum.* Certum eſt de fide ſuffragia Vivorum mortuis opitulari, ſicut perpetua Eccleſiæ traditio docet, & Sancti Patres, & Concilia definiunt, ùt in ſuperioribus demonſtratum eſt ſatis. Sufficiat modò Tridentini auctoritas ſeſſ. 25. in Decreto de Purgatorio: *Cùm Catholica Eccleſia Spiritu Sancto edocta, ex Sacris litteris, & antiqua Patrum traditione, in Sacris Conciliis, & maximè in hac Œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas, Fidelium ſuffragiis, potiſſimùm verò acceptabili Altaris Sacrificio juvari* &c. Sed, niſi daretur pactum de illis acceptandis, non juvarent Defunctos; qui cùm ſint a Judice damnati ad pœnam, nequeunt eximi per ſolutionem alterius, ſi Judex nolit acceptare: ergo ſi juvant, acceptantur: ergo datur voluntas acceptandi: ſed certò conſtat, & abſolutè deffinitum eſt juvare ſimpliciter; ergò certò conſtat dari voluntatem acceptandi; ſi enim acceptaretur ſolùm ratione amicitiæ, non poſſet abſolutè, & definitè proferri ab Eccleſia, quòd Defunctis ſuffragia ſint proficua, & quòd mortui fraudentur debito ſuffragio, ſi non offerantur, quæ ſibi offerenda ex teſtamento reliquerunt. Nam acceptatio orta ex ſolo titulo amicitiæ non eſt abſoluta, ſed voluntaria, & ad placitum amici, ac proindè non poſſet abſolutè Eccleſia declarare ſuffragia prodeſſe Defunctis, & defraudari ex denegatione, ſed ſolùm cum aliqua limitatione. Immò adverte: Eccleſiæ definitio ita accipienda eſt, ut ſuffragia ſemper juvent Defunctos, niſi ponatur obex; quia propoſitio indefinita in materia neceſſaria, qualis eſt materia fidei, æquivalet univerſali. Si verò adeſſet ſolus titulus congruitatis ob amicitiam, Eccleſia non diceret ſuffragia ſemper juvare.

Certò conſtat dari pactum.

Suffragia ſemper juvant defunctos, niſi ponatur obex.

Juſtus poteſt pro ſe, & pro aliis ſatisfacere.

PROBATUR *nunc minor quoad condignitatem ſolutionis*. Juxta Eccleſiæ definitionem, cujus caput eſt Pontifex, Juſtus ſuis operibus poteſt ſatisfacere condignè pro pœna temporali debita peccatis ſuis: ergo etiam condignam poterit offerre pro pœna peccatorum

torum a defunčto commiſſorum . *Ant. prob.* *PIUS* V., & *GREGORIUS* XIII. damnaverunt propoſitionem *Michaelis Baii* , quæ eſt 77. . *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam* . Secundò . Theſaurus Eccleſiæ , ex qno eruuntur Indulgentiæ , conſtat ex meritis Chriſti , & ſuperabundantibus Sanctorum ſatisfactionibus ; ſed niſi Juſtus pro ſuis peccatis ſatisfacere poſſet *de condigno* , non eſſent aliquæ Sanctorum ſatisfactiones ſuperabundantes : ergo . *Conſequentia oſtenditur* . Pœna debita peccatis Defunctorum poteſt eſſe minor , quàm debita peccatis Juſti viventis , qui *de condigno* pro ſe ſatisfacit : ergo ſi pro ſuis ſatisfacit ad æqualitatem , poterit etiam pro aliis . Maximè quia ſi ſuffragium ut quatuor juvat pro uno gradu pœnæ , ſuffragium ut octo juvabit pro duobus : ergo poterunt ita multiplicari , ut adæquent totum debitum . Rurſus . Juſtus ſatisfaciens pro ſuo peccato extinguit debitum pœnæ , quam deberet ſuſtinere in Purgatorio : ergo ſatisfactio Viventis habet proportionem cum pœna Purgatorii .

87 DICES . Pœna Purgatorii eſt ordinis diverſi , & altioris a pœnis hujus vitæ ; ſed pœna altioris ordinis non æquatur condignè per ſolutionem inferioris ordinis ; undè pœna triremium non compenſatur ſolutione pecuniæ : ergo .

In eſſe valoris pœna hujus vitæ æquivalet pœnis Purgatorii.

RESP. Pœnam Purgatorii in eſſe entis ſuperare pœnas præſentis vitæ : afflictio enim per ignem illum excedit afflictionem unius flagellationis , non autem in eſſe valoris , & dignitatis , quam accipit a charitate : ſicut gloria , ſeu actus viſionis beatificæ in eſſe entis altioris eſt ordinis ad actum eleemoſynæ , non tamen in eſſe valoris moralis, quem eleemoſyna accipit a radice charitatis .

88 DICES 2. Ideo nullus poteſt ad æqualitatem ſatisfacere pro offenſa paſſiva Dei , etſi non ſit infinita ſimpliciter ; quia eſt ordinis altioris ; ſed pœna peccatis debita oritur ea offenſa Dei ; ergo eſt altioris ordinis , & inæquabilis .

Pœna oritur ex offenſa activa.

RESP. *neg. min.* Pœna oritur ex offenſa activa , ſeu ex fractione legis , quæ non eſt ordinis altioris , ſed intra ordinem gratiæ ; quia per opera gratiæ adimpletur formaliter lex , & reparatur deordinatio poſita a malitia activa peccantis .

89 DICES 3. Opus bonum Juſti de condigno meretur augmentum gratiæ , & gloriæ : ergo expletur ejus condignitas : ergo non poteſt habere condignitatem ſatisfactionis pro pœna peccati Defunctorum ; nequit enim adæquari condignè duobus .

In opere bono datur vis meritoria , & ſatisfactoria.

RESP. *Neg. conſeq.* Nam in opere bono datur vis meritoria , & ſatisfactoria . Illa condignè a gloria exhauritur , hæc ab extinctione pœnæ debitæ : unde ſicut eſt duplex vis , ita duplex condignitas .

SOLVUNTUR ARGUMENTA .

90 OBJICIES 1. Eccleſia orat , ut Deus acceptet ſuffragia pro Defunctis : ergo non proſunt ex juſtitia ; quod enim ex juſtitia ſolvitur , & prodeſt , non indiget liberali acceptatione , nec fulciri ſupplicationis virtute .

Ad quid oret Eccleſia.

RESP. Nullibi conſtare Eccleſiam ſic orare ; conſtat tamen orare , ut liberentur a pœnis , ut educantur a lacu , ut deducantur ad gloriam . Secundò . Juſtus petit non damnari , nec in Purgatorium detrudi , & tamen gloriam meretur *de condigno* , & ſi ſatisfacit ad æqualitatem pro pœna , infallibiliter, & ex juſtitia non patietur Purgatorii pœnas . Petit ergo Eccleſia pluries ea , quæ etiam infallibiliter Deus debet . Tertiò . Orat , ut acceptet , hoc eſt , ut Deus nobis tribuat , quo ſuffragia noſtra placeant, fiantque condigna , & acceptabilia .

91 OBJICIES 2. Ex juſtitia ſolutio unius fori non prodeſt exiſtenti ſub altero foro ; ſed Defuncti ſunt extra forum Eccleſiaſticum , in quo nos ſumus : ergo donatio noſtrorum operum pro Defunctis non eſt ſolutio, quæ proſit ex juſtitia .

Defuncti conjuncti nobiſcū ſunt vinculo charitatis.

RESP. *neg. min.* Quamvis Defuncti ſint extra forum Eccleſiaſticum quoad ſenſibilem ſolutionem per claves a peccatis , & a cenſuris : tamen non ſunt quoad vinculum charitatis , quæ conſtituit eos membra Corporis Chriſti , & fundat vim communicationis , quâ ſpirituale opus in eorum juvamen vergere poſſit .

92 OBJICIES 3. Suffragia iis dumtaxat proficiunt infallibiliter , qui meruerunt ſibi ſuffragia rependi propter pietatem exercitam erga Defunctos : ſed non omnes , pro quibus offeruntur , habent hoc meritum : ergo non omnibus proficiunt : ergo non proſunt ex juſtitia ; aliter infallibiliter juvarent illos , pro quibus applicantur , *Maj. prob.* ex auctoritate D. *Auguſtini* lib. de Cura pro Mort. gerenda cap. ult. , & Serm. 34. de verbis Apoſtoli : *Orationibus Sanctæ Eccleſiæ ſacrificio ſalutari , & eleemoſynis , quæ pro mortuorum ſpiritibus erogantur , non eſt dubitandum mortuos adjuvari* . Et infra . *Non omninò ambigendum eſt iſta prodeſſe Defunctis , ſed talibus , qui ita vixerunt , ut poſſint ſibi eſſe utilia poſt mortem* . Conſona eſt ſententia Divi *Anſelmi* in Elucidario , & D. *Thomæ* 3. part. quæſt. 52. artic. 8. ad 1. aſſerentia Chriſtum Dominum ad Inferos delapſum liberaſſe eas dumtaxat animas , quæ peculiariter ejus adventum deſiderarunt : ergo eodem modo ſuffragia noſtra ex Chriſti virtute operantia juvant peculiariter devotus Defunctorum , ſed non omnes .

Infallibiliter proſunt ſuffragia.

RESP. *primò* Cajetanum non probare hanc infallibilitatem pro illis , qui pietatem exercuerunt erga Defunctos , etiamſi fortè evinceret , iiſdem magis prodeſſe . Hæc enim infallibilitas debet fundari in lege , & pacto Dei . Et undenam oſtenditur hoc pactum ? Si verò pro his datur , cur non pro aliis , cùm Sancti iidem ſint , & pro illis offerantur ſuffragia ? RESP. *ſecundò* nega-

go majorem; cunctis enim indubium ſolamen conferunt ſuffragia, pro quibus offeruntur. Nec oppoſitum evincunt adducta; nam ſuffragium non eſt præmium cadens directè ſub merito, ſed conditionatè, ſi applicetur, illa autem pietas ad hoc deſervit, ut digni fiant, & ad recipiendum fructum idonei; vel fortè etiam deſervit ad hoc, ut Deus moveat corda Fidelium ad applicandum huic potiùs animæ ſuffragium. Cæterùm *Auguſtinus* Serm. illo de verbis Apoſtoli, ſolùm intendit eos excludere, qui moriuntur abſque gratia, & illos dicit meruiſſe, & eſſe dignos, ut illis ſuffragia proſint, qui mortui ſunt in fide per charitatem operante: undè dicit, *nam qui ſine fide, quæ per dilectionem operatur, ejuſque Sacramentis de corporibus exierunt, fruſtra illis a ſuis hujuſmodi pietatis impenduntur officia*. Illud autem de Chriſto, præterquam quod incertum eſt, non probat; quia illa liberatio fuit ex ſpeciali privilegio ob gloriam Chriſti reſurgentis, non autem virtute ſuffragiorum.

93 OBJICIES 4. Valor, qui innititur pietati Dei, non obligat ex juſtitia; talis eſt valor ſuffragiorum: ergo non eſt ex juſtitia. *Min. prob. revelationibus*. Apud Petrum Damianum *in vita S. Odilonis* perhibetur animam *Benedicti* Romani Pontificis apparuiſſe cuidam, & ſupplicaſſe, ut ſibi ſuffragaretur, inde ſe liberandam dixiſſe, quando miſeratio divina decreverit. Apud Petrum Cluniacenſem *lib. 1. de Miraculis cap. 10.* dicitur anima Defuncti viſibiliter expoſtulaſſe opem, & per miſericordiam Dei ſe pœnis evaſuram, ſi adjuta ſuffragiis foret.

Suffragia innituntur pietati Dei præſuppoſitivè.

RESP. Valorem ſuffragii dupliciter inniti poſſe pietati Dei: præſuppoſitivè, & formaliter. Inniti præſuppoſitivè eſt Deum gratis pactum condere de acceptandis ſuffragiis Vivorum pro Defunctis, & ſua bonitate gratis movere hunc, vel illum Fidelem, ut pro tali Defuncto ſuas offerat ſatisfactiones. Inniti formaliter eſt valorem ſuffragii non eſſe ſufficientem, niſi adjutum pietate Dei, ſeu valorem non habere vim, niſi quia placet bonitati Divinæ illum acceptare tanquam bonum, & ſufficientem, cùm revera non ſit. Si valor innititur pietati Dei formaliter, certè non obligat ex juſtitia; ubi enim intervenit gratia creditoris, ibi non datur juſtitia. Si verò innitatur ſolùm præſuppoſitivè, adhuc valor obligat ex juſtitia: ſicut ad meritum condignum gloriæ præſupponitur pietas Divina, & tamen Juſto gloria debetur ex juſtitia. In noſtro caſu ſuffragium innititur pietati ſolùm præſuppoſitivè, nec aliud probant revelationes, & Patrum dicta, ſi quæ afferantur; quia a Divina gratuita bonitate oritur pactum acceptandi ſuffragia, & a Divina bonitate oritur, quòd hic, vel ille fidelis moveatur ad ſuffragandos Defunctos.

94 DICES. Suffragii valor innititur ſoli pietati Dei formaliter; nam aliquando, & ſæpè Confeſſarii injungunt pœnitentibus, ut pro Defunctis orent, & jejunent; ſed hæc opera proſunt Defunctis, & tamen pro illis nullum valorem habent intrinſecum; quia ùt ſatisfactoria applicantur peccatis pœnitentium: ergo ex ſola pietate Dei proſunt.

RESP. *neg. antec.* Ad probationem DICO: in illis caſibus ſuffragium orationis, & jejunii immediatè viâ ſolutionis non prodeſt Defunctis, ſed ſolùm mediatè viâ impetrationis, quatenus movet Deum, ut inſpiret Fidelibus bonam voluntatem offerendi ſua opera animabus Defunctorum.

95 OBJICIES 5. Si ſuffragia prodeſſent ex juſtitia, & acceptarentur infallibiliter, poſſent ante diem Judicii liberari, qui uſque ad illud tempus in Purgatorio ſunt deſtinati; ſiquidem poſſent ita multiplicari ſuffragia, ut æquarent illorum reatum; ſed hoc eſt falſum; cùm Divina decreta nequeant falſificari: ergo.

RESP. Nullum in hoc eſſe abſurdum; quia illud decretum eſt ſententia Judicis taxantis pœnam ad menſuram reatus explendam tanto temporis ſpatio, niſi per alios ſolvatur debitum, quo per alium exſoluto Captivus a diuturnitate carceris eximitur: quod ſi decretum ſit omninò abſolutum, tunc non fiet ſolutio; quia ſuffragium deerit.

96 DICES. Obligatio, quæ oritur ex charitate, non eſt ex juſtitia; ſed quod valor ſuffragiorum proſit mortuis, oritur a charitate, quatenus Vivi, & Defuncti vinculo charitatis uniuntur in eodem corpore Eccleſiæ: ergo.

Charitas eſt fundamentū unionis, & communicationis.

RESP. Unionem in charitate eſſe fundamentum communicationis, quo poſito, ſi ſuffragium adæquat reatum pœnæ, addito pacto Dei, conſurgit obligatio ex juſtitia: charitas radicat plures virtutes, quæ ſunt ad alterum, inter quas eſt juſtitia. Et ſimile habemus in humanis: ſi Concivis ex charitate offerat pro altero Concive ſolutionem debiti, v. g. centum creditori, redintegratur juſtitia, & creditor ex juſtitia nequit aliud pro illo debito exigere.

CONTROVERSIA VIII.

AN SUFFRAGIA PRO UNO FACTA ILLI SOLI PROSINT.

97 PRæſuppoſitivus ſuſtinet ſuffragium pro uno factum non prodeſſe illi ſoli, ſed aliis, & ſanctioribus magis, & explicat exemplo luminis, quod accenſum pro uno particulari æqualiter prodeſt adſtantibus, & fortè magis, ſi ſint perfectioris potentiæ viſivæ, & exemplo lectionis, quæ pro uno recitata æqualiter percipitur a quolibet audiente, & meliùs a magis diſpoſito. Ita jejunium, quod eligitur pro anima Pauli, v. g. prodeſt etiam aliis, & ſanctioribus; ſed hæc opinio nullo modo eſt vera.

98 DICO. *Suffragium uni applicatum illi ſoli prodeſt ad pœnæ ſolutionem*. PROB. 1. Si ſuffragia non prodeſſent vi ſatisfactiva ei, pro quo offeruntur, Eccleſia non eſſet adeò ſolicita, ut fierent peculiaria ſuffragia, & adimplerentur particularia legata pro ſpecialibus

Eccleſia ſolicita de particularibus ſuffragiis.

libus perſonis, ſicut manifeſtè conſtat in Tridentino *ſeſſ.* 25. in Decreto de Purgatorio, ſed ſolummodo ſolicita eſſet de offerendis generalibus, & ad hoc hortaretur Fideles; ſed inſtat pro particularibus Legatis adimplendis ex laudato Tridentino: ergo ſentit prodeſſe illi ſoli pro quo applicatur. Nec valet dicere: hoc facit ad excitandam Fidelium devotionem, qui in propinquos promptiores ſunt: nam *URBANUS* VIII. in Decreto de non recitanda Miſſa pro pluribus acceptando plura ſtipendia pro uno Sacrificio aſſerit, *ne fraudentur piæ mentes Fidelium*: ergo ſignum eſt, quòd per applicationem pluribus detrahitur id, quod uni debetur. Deindè Patres dicunt Heredes eſſe crudeles, & homicidas Parentum, quando Legata pro eis relicta negligunt adimplere; quæ non verificarentur, niſi illis ſpecialiter prodeſſent; tum quia impium eſt ſimulato motivo Fidelium devotionem excitare. Dic quæſo? quid familiarius apud Hæreticos omnem vim Indulgentiis, & Suffragiis negantes auditur, quàm hæc eſſe pias Fidelium fraudes, & commenta Eccleſiæ ad extimulandos Fideles.

Heredes crudeles, & homicidæ, ſi legata non adimplent.

99 PROB. 2. Juſtitia humana exemplatur a Divina; ſed apud Juſtitiam humanam ſolutio uni applicata illi ſoli prodeſt, & non aliis: ergo apud Juſtitiam Divinam ſolutio uni Defuncto exhibita illum ſolùm juvat, & non alios.

Juſtitia humana exemplatur a Divina.

100 PROB. 3. a priori. Fructus alicujus operis, cujus operans eſt dominus, non prodeſt alteri, niſi per ejus intentionem in alterum transferatur; ſed ſatisfactio conſequens ad opus bonum eſt fructus, cujus operans eſt dominus, & in ejus utilitatem totus cederet, niſi ad alium dirigeretur: ergo non prodeſt niſi illi, cui ſpecialiter applicatur: ergo ſicuti, ſi pro ſe applicaret, ſibi ſoli valeret, nec valeret aliis conjunctis charitate ſive Vivis, ſive Defunctis, ita ut ſi non indigeret, in Eccleſiæ Theſaurum tranſiret; ſic etiam ad hoc, ut proſit alteri, debet talem ſatisfactionem a ſe abdicare, & aliter donare. Donatio verò in eum ſolummodo, cui fit, ab intrinſeco dominium transfert.

Donatio, cui fit, transfert dominium.

CONTRARIÆ OBJECTIONES DISSOLVUNTUR.

101 OBJICIES 1. Non ſunt minoris efficaciæ ſpiritualia, quàm corporalia; ſed corporalia uni applicata æquè aliis proſunt, ùt conſtat exemplo luminis, & lectionis: ergo etiam ſpiritualia, inter quæ enumerantur ſuffragia. Hinc *Hieronymus* apud *Durandum* ait: *Quoties pro centum animabus Pſalmus, vel Miſſa cantatur, tantum prodeſt cuilibet, quantum ſi pro quolibet caneretur.* Cùm ergo Pſalmus, vel Miſſa pro uno recitata non amittat ſuum valorem, pluribus prodeſſe poteſt, etſi uni ſoli applicetur.

RESP. *primò* non omnia corporalia omnibus proſunt. Nam aqua, v. g. uni viridario immiſſa ad irrigandum, non madefacit aliud; nec panis, qui ab uno comeditur, extinguit famem alterius, qui adſpiciat comedentem. *Secundò* corporalia operantur naturaliter, & ex neceſſitate naturæ, non verò per intentionem dirigentis, v. g. intentio ejus, qui candelam accendit, nil confert ad lucem. Suffragia verò ſpiritualia operantur dependenter a directione operantis, ac proindè ei ſoli proſunt, ad quem diriguntur. *Tertiò* in corporalibus, quæ ſe habent per modum ſolutionis, ſoli proſunt, cui applicantur, non aliis æquali debito obſtrictis. Opus verò Viventium Mortuis prodeſt ùt quædam ſolutio, adeoque ſoli uni applicatur. Quia tamen ſincera charitas gaudet gaudio fratris ſui, ideo Purgantes quandam affectivam conſolationem perficiunt, eòque majorem, quò ſanctiores ſunt, & in hoc ſenſu dicitur, unius ſuffragium omnibus ſuffragari, ſed non ad extinctionem debiti. Atque hic *Hieronymi* ſenſus, quamvis etiam aliter poſſit explicari, quatenus Pſalmi, & Miſſæ vim habent ad excitandam Fidelium devotionem, & plures queunt fructum ab eodem Sacrificio capere, cui adſtant, ſivè pro uno celebretur, ſive pro pluribus.

Corporalia operantur naturaliter, ſuffragia per directionem.

102 OBJICIES 2. Secundùm *Lucæ* Evangelium cap 6. Pauperes melioris conditionis ſunt, quàm divites in his, quæ ad ſalutem pertinent; ſed eſſent pejoris conditionis, ſi ſuffragia prodeſſent iis dumtaxat, quibus juvandis diriguntur, cùm pro pauperibus vel nulla, vel pauca offerantur ſuffragia: ergo. Deinde ſuffragia proſunt propter virtutem divinam; ſed virtuti divinæ non eſt difficilè paucis multos juvare: ergo credibile eſt ſuffragia æquè multos juvare, quando pro paucis, ac quando pro multis offeruntur.

RESP. *negando minorem*. Pauperes ſunt melioris conditionis in acquiſitione regni cœlorum, & ideò dicit Scriptura: *Beati Pauperes, qui veſtrum eſt Regnum Dei*. Etſi diutiùs fortè in Purgatorio morentur, tamen feliciùs, hoc eſt majori præmio, regnabunt in cœlis. Eſt verò per accidens, Divites citiùs a pœnis liberari propter ſuffragium abundans. Præterquamquod Pauperes minorem habent reatum pœnæ, minuſque purgari debent propter plura, quæ in hoc ſeculo perpeti ſolent. Ad ſecundum: virtus bonorum operum innititur quidem gratiæ Dei, ſed cùm Deus det gratiam, qua bene agamus, fructus fit noſter, ac proindè illi ſoli prodeſt, cui applicatur.

In quo conſiſtat melior conditio pauperum.

Pauperes in Purgatorio minus purgandi ſunt.

103 OBJICIES 3. Secundùm Scripturas unuſquiſque recipiet in alio ſeculo prout in præſenti meruit; ſed ſanctiores magis meruerunt: ergo plus recipient: ergo ſuffragia plus ipſi proſunt. Ulteriùs Eccleſia, dum ſuffragia offert pro uno, miſcet etiam orationes pro aliis: ergo ſentit non prodeſſe illi ſoli.

RESP. Scripturæ loquuntur de receptione præmii eſſentialis, quod in ſua menſura correſpondet quantitati meritorum; fructus verò ſuffragii non pertinet ad præmium eſſentiale: immo non cadit ſub merito, niſi radicaliter, quatenus charitas exiſtens in Juſto ipſum efficit aptum percipien-

Præmium eſſentiale meritis correſpondet.

dæ ex ſuffragio utilitati, ſi offeratur. Ad id quod additur, *nego conſeq.*; nam licèt A Eccleſia etiam pro aliis precatur; tamen principale ſuffragium non prodeſt univerſim, ſed cui præcipuè adprecatio fit: cæteris autem proſunt peculiares aliæ preces, quæ pro ipſis recitantur; mos enim Eccleſiæ eſt, ut tanquam pia Mater hujuſmodi orationes miſceat; quia exoptat univerſis ſuppetias ferre.

104 OBJICIES 4. Inter Eccleſiæ ſuffragia enumeratur Sacrificium, quod cùm ſit infiniti valoris, ſufficit omnibus: ergo quando uni applicatur cæteris omnibus eſt proficuum.

Effectus Sacrificii Miſſæ eſt determinatus.

RESP. Sacrificium Miſſæ eſt infiniti B valoris, quo ad rem oblatam, & ex quantitate ſuæ virtutis: cæterùm effectus ejus, pro quo offertur, eſt determinatus; unde ſæpiſſime ne plura quidem Sacrificia ſatis ad extinguendum ſunt debitum unius Purgatoris. Opportunè ad hunc locum advertenda eſt doctrina Angelici 3. *p. q.* 79. *art.* 5. — „ Quamvis ergo oblatio ex ſua quantitate „ ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœ„na, tamen fit ſatisfactoria illis, pro „ quibus offertur, vel etiam offerentibus, „ ſecundùm quantitatem ſuæ devotionis, „ & non pro tota pœna. — Et priùs immediatè dixerat: — In quantum verò eſt Sa„crificium, habet vim ſatisfactivam, ſed in C „ ſatisfactione magis attenditur affectus offe„rentis, quàm quantitas oblationis: undè „ & Dominus dicit *Lucæ* 21. de Vidua, „ quæ obtulit duo Æra, quòd plus om„nibus miſit. — Undè in reſponſione ad ſecundum concludit ea parte hominis contingere — quòd etiam hic non tollitur tota „ pœna. — Nam limitatur vis ſatisfactiva Sacrificii, & multò magis aliorum ſuffragiorum defectu offerentis, & mandantis offerre, & illius, pro quo offertur: ex quibus facilè eſt reſolvere, cur multiplicata ſuffragia brevi D tempore Defunctos a Purgatorio non educant. Illud etiam notat S. Thomas *art.* 9. *q.* 71. *Supplementi*, in qua de ſuffragiis agit, unde jam dicta in bis Controverſiis deſumpta fuerunt.

Vis ſatisfactoria Sacrificii limitatur ex defectu offerẽtis, & facientis afferre.

In Miſſa virtus Sacrificii *qua Sacrificii* non variatur ſive ſit de Sancto, ſive de Requiem. Orationes verò, quæ peculiariter dicuntur pro Defunctis, vel pro aliis, juvant ſpecialiter dictæ potiùs in una Miſſa, quàm in alia; ſed hæc ſpecialitas ſuppleri poteſt vel per majorem devotionem offerentis, & recitantis, vel per interceſſionem Sancti, de quo fit commemoratio, puta Beatæ Virginis.

105 OBJICIES 5. Suffragia proſunt E Defunctis efficaciâ ordinatæ charitatis; ſed efficacia ordinatæ charitatis inclinat ad benefaciendum, maximè Conjunctis, qui in ſpiritualibus ſunt ſanctiores, in carnalibus ſunt parentes, juxta communem doctrinam: ergo ſuffragia proſunt ſanctioribus ex affectu charitatis, etiam quando uni in particulari ſint addicta.

Qui ſit ordo charitatis quoad objecti, & quoad ſuffragia.

RESP. Charitatis ordo eſt quoad objectum, ut conjunctiores majori dilectione proſequamur; certum eſt etiam ſanctiores ſpiritualiter eſſe magis conjunctos. Hinc tamen haud arguas ſuffragia minùs ſancto applicata, minùs eidem prodeſſe, & in ſanctioris adjumentum converti, quia, ùt ſuperiùs dixi, charitatis vinculum eſt fundamentum communicationis Vivorum cum Mortuis; ſed ordinatio ſuffragii ad unum eſt vis translativa fructus boni operis in alium, quæ, cùm ſit donatio libera, abſque alterius injuria poteſt cuicumque fieri, & illi ſoli tunc proderit ad modum ſolutionis. Vi autem excitativa cujuſdam ſpiritualis gaudii de bono proximi plus operatur in ſanctioribus.

107 DICES. Charitas obligat ad magis diligendos conjunctiores; ſed diligere eſt velle bonum: ergo charitas obligat ad velle bonum ſanctioribus: ergo plus iiſdem debemus ſuffragari: ergo quando non iis præſtamus ſuffragia, ſed aliis, tamen iiſdem adjumento ſunt, quæ cæteris inordinatè exhibentur.

Si ſuffragia ſuperſunt, cui applicanda.

RESP. Argumentum concludere in his, quæ de natura charitatis, & ea præcepto præſtanda ſunt, non verò de operibus ſupererogationis, qualia ſunt ſuffragia pro Mortuis in ſenſu, quo nunc loquimur. Illud tamen advertendum, quòd ſi aliquando ſuffragia uni addicta ſuperſint, credibile eſt Divinam Juſtitiam ea diſtribuere in eos, quibus deſunt. Æquitas enim poſtulat, ut catuli edant micis, quæ cadunt de menſa Domini.

CONTROVERSIA IX.

AN SUFFRAGIA EXISTENTIS IN PECCATO PROSINT.

107 SUffragium ab homine exercitum in ſtatu peccati mortalis dirigi poteſt ad extinguendum debitum pœnæ pro peccatis propriis dimiſſis, vel pro alienis. In utroque ſenſu agitur quæſtio, & quidem de ſuffragio propriè dicto, ſeu ſatisfactorio, non autem de improprio, prout eſt ſatiſpaſſio, licèt de hoc etiam aliquid obiter attingam. Igitur inquirimus, *an ſtatus gratiæ ſit conditio eſſentialis ad ſatisfaciendum*. Certò ſuppono ſatisfacientem eſſe oportere viatorem. Nam Purgatorium cùm ſit carcer, cui demandantur Rei per Judicis ſententiam, ſolùm eſt ſatiſpaſſionis locus: tempus autem vitæ, cùm ſit tempus pugnæ, & victoriæ, eſt proprium ſicut meriti, ita ſatisfactionis. Cui accedit, quòd ſatisfactio ſtat loco pœnæ taxatæ pro injuria contra Deum inſtrumento corporis facta; undè congruum etiam eſt ad ſubeundam pœnam, corpus concurrat.

Status gratiæ eſt eſſentialis conditio ad ſatisfactionē.

Carens charitate nihil eſt in ordine ſpirituali.

108 DICO *nullum opus exiſtentis in peccato eſſe ſatisfactorium pro pœna peccati*. PROB. 1. Qui nihil eſt in ordine ſpirituali nullum poteſt ſpiritualem fructum producere; ſed expers charitatis nihil eſt in ordine ſpirituali, ùt habetur 1. Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*: ergo nullum fructum ſpiritualem producere poteſt; ſed ſatisfactio pro pœna eſt fructus ſpiritualis: ergo.

Con-

Peccati nullam habet virtutem ſatisfaciendi.

Confirmatur . Inter opera ſatisfactoria præcipuum locum habent eleemoſynæ , flagella , & jejunium : ſed hæc in habente peccatum carent omni virtute ; laudato enim capite v. 3. dicitur , *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas , & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam , charitatem autem non habuero , nihil mihi prodeſt* ; nihil igitur prodeſt nec ad meritum , nec ad ſatisfactionem .

Charitas operit peccata quoad culpã, & pœnam .

Confirmatur ſecundò Prov. 10. verſ. 12. *Univerſa delicta operit charitas* . Sed proprium eſt ſatisfactionis operire peccata quoad debitum pœnæ : ergo abſque charitate non valet , aliter charitas non operiret univerſa delicta quoad culpam , & pœnam .

Confirmatur tertiò . Concilium Tridentinum *Seſſ.* 14. *cap.* 8. inquirens , undenam ſatisfactio valorem habeat , inquit , *ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt , in quo vivimus , in quo meremur , in quo ſatisfacimus , facientes fructus dignos pœnitentiæ , qui ex illo vim habent , ab illo offeruntur Patri , & per illum acceptantur a Patre* . Quo in diſcurſu clarè oſtenditur ſatisfactiones noſtras omnino inanes fore , ſi deſit nobis conjunctio Chriſti per gratiam , qua vivimus , qua meremur ; ſed hæc eſt gratia ſanctificans expellens peccatum : ergo opus in peccato exercitum nullam vim habet ſatisfactivam .

Satisfactiones non valẽt, niſi ſimus Chriſto conjuncti .

Nõ ſolùm ad meritum, ſed etiam ad ſatisfactionem requiritur ſtatus gratiæ.

109 PROB. *ſecundò* . Ad meritum eſſentialiter requiritur ſtatus gratiæ : ergo etiam ad ſatisfactionem . *Prob. conſeq.* Ideò ad meritum requiritur ſtatus gratiæ ; quia opus meritorium debet cedere in obſequium Dei , & opera inimici non ſunt obſequioſa , & grata ; ſed etiam ſatisfactio ordinatur ad placandum Deum pro accepta injuria , & aliter Deus placari nequit operibus inimici : ergo . *Secundò* . Ideò ſine gratia opus non eſt meritorium ; quia ſecundùm ſe acceptum non habet proportionem cum præmio ; ſed noſtris pœnalitatibus ſecundùm ſe acceptis nulla cum pœnis Purgatorii ineſt proportio : ergo indigent proportionari a gratia , & ab illa vivificari . *Tertiò* . Opus , quod non eſt ſatisfactorium de rigore juſtitiæ , ad hoc ut ſit ſatisfactorium, & acceptum, debet intervenire Judicis acceptatio ; ſed certum eſt opus noſtrum non eſſe ſatisfactorium ex rigore juſtitiæ : ergo intervenire debet Divina acceptatio liberalis ; ſed hæc non reſpicit inimicum , ſed amicum : ergo . Homo per peccatum , quo fit Dei inimicus , meretur omni bono privari ; ſed ſatisfacere pro pœna peccatis debita eſt maximum bonum : ergo meretur eo privari : ergo illius ſatisfactio non poteſt eſſe accepta .

Opus ſatisfactorium debet vivificari a gratia.

Homo per peccatũ meretur privari omni bono.

110 PROB. 3. fundamentali ratione S. *Thomæ* . Satisfactio , quæ Deo offertur , tendit ad reparandam inæqualitatem ortam ex inimicitia per peccatum producta inter Deum , & hominem : pœna verò corrigit malum a culpa inductum , ùt etiam docet *Scotus* . Sed inæqualitas orta ex inimicitia non reparatur , niſi ipſamet amicitia reparetur : ergo ſatisfactio non valet niſi formatâ charitate , ſicut in humanis patet .

Explicatur . Pœna eſt compenſatio divini honoris per peccatum ablati ; ſed honor Dei non compenſatur , niſi perſona ſit grata , nam Deus bonorum noſtrorum non eget , ſed perſonam reſpicit : ideò dicitur Geneſ. 4. verſ. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel , & ad munera ejus* . Ad Abel , & quidem primò , deindè ad munera ejus . Quomodo erit igitur Deo honorifica actio ab inimico profecta ?

Honor Dei non compenſatur, niſi per perſonã gratam .

111 DICES . Relata probant de ſatisfactione pro peccatis propriis , non autem pro pœna debita Juſtis in Purgatorio . Sed hoc nihil evincit ; quia in tantum pro illis ſatisfacimus , in quantum offerimus noſtram ſatisfactionem pro illis , & in nos transferimus debitum illorum . Quamobrem ſatisfactio ſi nobis eſt infrugifera , nec aliis quidem prodeſt ; tum etiam quia non alia ratione nos aliis opitulamur , niſi ex charitate , quâ Eccleſiæ ejuſdem membra ſumus , dempta proinde charitate per peccatum, demitur conjunctio . Hinc laudatus *Thomas* deducit, quòd hæc opera, ablato obice, non reviviſcunt ad remiſſionem pœnæ ; quia ſunt omninò mortua , ſicut non reviviſcunt in ordine ad præmium ; ab eadem enim radice charitatis & meritoria ſunt , & ſatisfactoria . Implicat enim charitate informari , quod ex charitate non habet originem , & ab ea vitam accipere . Hæc excerpſimus ex *q.* 14. *Suppl. art.* 1. 2. & 3.

Si ſuffragia non valẽt pro nobis , neque valent pro aliis .

Opera mortua non reviviſcunt .

CONTRARIA REFELLUNTUR ARGUMENTA .

112 OBJICIES 1. Danielis 4. verſ. 24. Dictum fuit Regi Nabuchodonoſor : *Peccata tua eleemoſynis redime* ; ſed ille peccator erat , ſicut inflicta poſtmodum pœna demonſtrat : ergo opus peccatoris ſatisfacit Deo pro pœna .

Confir. Magis eſt miſericors Deus, quàm homo ; ſed homo ab inimico recipit ſolutionem : ergo .

RESP. Conſilium Regi datum a Propheta fuit adhortationis ad eleemoſynam , ut eâ paulatim ſe diſponeret ad auxilia recipienda , quibus a peccatis reſurgeret , Solet ex ſua Deus clementia æqui , bonique facere impiorum opera materialiter bona pro quadam diſpoſitione remota ad juſtificationem , cui ipſe liberaliter ſæpè nova adjicit , & majora auxilia ; & in hoc ſenſu proportionali intelligenda ſunt , quæ ſuperiùs diximus Parte IV. Controv. IV. n. 40., & ſeqq. de ſatisfactione peccatoris . Ibidem *Angelicus* ſolùm intendit opera peccatoris a Deo boni fieri ex clementia , & bonitate , non autem ex eorundem meritis .

Eleemoſynæ juvant ad reſurgendum a peccatis .

Ad confirmationem *nego min.* : ſi ſolutio ſit perſonalis, ſecus , ſi realis ; quod ſic explico . Acceptat homo ſolutionem ab inimico debiti pecuniarii ; quia in hoc attenditur æqualitas juſtitiæ commutativæ inter datum , & acceptum , inter rem , & rem . Si ſolutio facienda ſit pro reparanda inæqualitate orta ex inimicitia, non acceptatur, niſi dentur ſigna reſtitutæ amicitiæ ; quod a fortiori accidit in noſtro caſu ; nam pœna

 datur

Pœna datur ad reparandã offenſam.

datur ad reparandam offenſam ortam ex inimicitia, adeoque non reparatur debitum offenſæ, niſi reintegretur amicitia. Illuſtratur etiam clariùs: compenſatio, quæ ponitur per pœnam, conſiſtit in eo, quod quantum fuit in deliciis, tantum detur tormenti; hoc eſt, quia peccans ſe ſe Deo ſubtraxit indulgendo voluptatibus, eidem ſe ſubjiciat affligendo pœnis; undè ſicut ſubtrahendo averſus eſt a Deo, ita ſubjiciendo debet converti. *Explicatur alia ratione.* In omnibus illis, quæ gratis dantur prima ratio eſt amor; quòd autem Deus temporali pœna peccatorem plectat, gratuitæ benignitati vertitur, quatenus peccatum condonando pœnam æternæ ſubrogat temporalem, & pro ſolutione dignatur accipere. Quamobrem fieri nequit, ut amor non ſit prima hujus acceptationis ratio, & ut Deus ejuſmodi ſolutionem, demptâ amicitiâ, boni faciat.

In illis, quæ gratis datur prima ratio eſt amor.

113 OBJIC. 2. Si ſatisfactio in peccato præſtita nihili penditur, jejunans in peccato, qui jubetur a Confeſſario jejunare, deberet jejunium iterare; ſed hoc eſt falſum: ergo. *Prob. min.* Primò ex praxi Confeſſariorum. *Secundò* ita uſuvenit in foro externo; nam qui pro injuria Regi illata patitur abſciſſionem manus taxatam a lege, etſi Regi non reconcilietur, ad aliud non tenetur, & ſatisfacit. *Tertiò* hic exequitur præceptum Confeſſarii, & rectè agit. *Quartò* ſecus daretur occaſio peccandi; quia ſi per triduum injunctum ſit jejunium, & uno perſoluto cadat in peccatum, & non pœniteat, ſi nihil valet, datur occaſio frangendi jejunium diei ſequentis contra mandatum Confeſſarii. Concludit hoc argumentum *Scotus*: datur igitur ſatisfaciens ſatisfactio, ſed non placens.

RESP. S. Thomas *quæſt.* 14. *Supplem. art.* 3. *ad* 3. ſatisfactionum genera diſcriminat. Quædam relinquunt poſt ſe aliquem effectum, ùt jejunium debilitatem, eleemoſyna diminutionem pecuniæ, undè oritur occaſio patiendi onera paupertatis. Quædam nil reliquum habent poſt ſe, ſed tranſeunt, ùt oratio, actus interiores, & ſimilia. Primas inquit *Angelicus* non eſſe iterandas; quia effectus, qui relinquitur, ſuperveniente charitate, redditur ſatisfactorius. Secundas ait eſſe repetendas, cùm nihil valeant nec in ſe, nec in alio. Hinc ut ſolvatur argumentum, adverto duo conſideranda eſſe in ſatisfactione a Confeſſario injuncta; primum, ut valeat tamquam pars integralis ad complendum Sacramentum; ſecundum, ut valeat ad extinctionem pœnæ peccato congruæ. In ordine ad primum effectum non eſt repetenda ſatisfactio, benè quidem ad ſecundum, propter dicta in concluſione. Hinc ad argumentum *nego minorem* modo explicato. Ad primum DICO: Confeſſariorum praxis non imponit novum onus; quia Sacramentum integravit, non tamen quia extinxit debitum pœnæ. Ad ſecundum eſt diſpar ratio. Forum externum ex ſuo intrinſeco non tendit ad reconciliationem, ſed ad bonum publicum per obſervantiam legis, adeoque fit ſatis juſtitiæ legali, & vindicativæ abſque præmiſſa amicitia cum Rege. Forum autem pœnitentiale tendit ex ſuo conceptu ad reconciliationem; ac proindè ſatisfactio, quæ imponitur, debet cum amicitia Dei conjungi. Tertium, & quartum ſolùm probant, per illa opera ſatisfieri præcepto integrandi Sacramentum, non autem extinguendi debitum pœnæ temporalis. Quare non datur ſatisfactio in foro Dei a ſanctitate ſejuncta.

Forũ externũ intendit legĩ obſervantiã, forum pœnitentiale reconciliationẽ.

114 OBJICIES 3. Opus factum a Miniſtris Eccleſiæ qua talibus in peccato mortali Defunctis prodeſt: ergo ſtatus peccati non impedit. *Antec.* eſt D. Thomæ *quæſt.* 71. *Supplem. art.* 3., & probatur, quia aliter fraudarentur piæ voluntates Fidelium, qui publica Eccleſiæ ſuffragia tantopere cupiunt, non obſtante, quod ſciant frequenter Miniſtros non eſſe viros multùm pietati deditos.

RESP. Doctorum aliqui negant opera exercita a Miniſtris in peccato mortali nomine Eccleſiæ Mortuis ſuffragari, vel aliis per viam ſolutionis, & ſatisfactionis, ſed via ſolùm impetrationis, ea ducti ratione, quòd ad hoc, ut opus ſit ſatisfactorium, debet eſſe pœnale; nullum autem opus, quatenus eſt ab Eccleſia, pœnale eſt. Aliunde prout a Miniſtro peccatore, licèt pœnale non eſt ſatisfactorium propter dicta in concluſione. Prodeſt tamen viâ impetrationis, quæpote conſiſtit in virtute orationis; ſcilicet in petitione, & manifeſtatione bonæ Orantium voluntatis. Eccleſia verò tamquam myſticum corpus poteſt loqui per hunc, vel illum, & ex peculiari erga Eccleſiam Dei amore ſummam habet ad impetrandum vim. Quorundam verò opinio fert opera illa eſſe etiam ſatisfactoria; quia quando unus operatur nomine alterius, non attenditur ſecundùm particularia illius, ſed ſecundùm merita perſonæ, quam repræſentat. Quare peccatum Miniſtri non attenditur, nec fructum ſatisfactionis impedit; ſecus accidit, quando quis agit nomine proprio; tunc enim ſpectantur particularia ipſius opera, & ideo peccatum impedit fructum. Quando autem dicitur opus pœnale non eſſe reſpectu Eccleſiæ, conceditur; ſed non eſt neceſſe, quòd ſit Eccleſiæ pœnale; non enim pœnalitas dat valorem, ſed eſt conditio ad ipſum; adeoque ſufficit, quòd in illa operatione inveniatur, ſive pœnale ſit Miniſtro, ſive Eccleſiæ. Quæ omnia declarat S. Thomas 4. *Sent. diſt.* 45. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 3. -- Ad tertiam quæſtionem dicendum, quòd in ſuffragiis, quæ fiunt per malos, duo poſſunt conſiderari. Primò ipſum opus operatum, ſicut Sacrificium Altaris; & quia noſtra Sacramenta ex ſeipſis efficaciam habent abſque opera operantis, quam æqualiter explent, per quoſcumque fiant, quantùm ad hoc ſuffragia per malos facta Defunctis proſunt. Alio modo quantùm ad opus operans, & ſic diſtinguendum eſt; quia operatio peccatoris ſuffragia facientis poteſt uno modo conſiderari, ùt eſt ejus, & ſic nullo modo meritoria eſſe poteſt nec ſibi, nec aliis. Alio modo in quan-

Opera peccatoris nomine Eccleſiæ facta fiunt ſatisfactoria.

„ rum

„ tum peccator ſuffragia faciens gerit per-
„ ſonam totius Eccleſiæ, ſicut Sacerdos
„ cùm dicit in Eccleſia exequia Mortuo-
„ rum; & quia ille intelligitur facere,
„ cujus nomine, vel vice fit, ùt patet per
„ Dionyſium *in* 13. *cap. Cœleſt. Hierarchiæ*:
„ indè eſt, quòd ſuffragia talis Sacerdo-
„ tis, quamvis ſit peccator, pro Defun-
„ ctis proſunt. Alio modo, quando agit ùt
„ inſtrumentum alterins; opus enim mini-
„ ſterii eſt magis principalis agentis, undè
„ quamvis ille, qui agit ùt inſtrumentum
„ alterins, non ſit in ſtatu merendi, actio
„ tamen ejus poteſt eſſe meritoria ratione
„ principalis agentis, ſicut ſi ſervus in
„ peccato exiſtens, quodcumque opus mi-
„ ſericordiæ facit ex præcepto Domini ſui
„ charitatem habentis: unde ſi aliquis in
„ charitate decedens præcipiat ſibi ſuffragia
„ fieri, vel alius præcipiat charitatem ha-
„ bens, illa ſuffragia valent Defuncto,
„ quamvis illi, per quos fiant, in peccato
„ exiſtant: magis tamen valerent, ſi in
„ charitate eſſent; quia tunc ex duabus
„ partibus opera illa meritoria eſſent. —

115 OBJICIES 4. Si ad ſatisfaciendum requireretur ſtatus gratiæ, ſuffragia, quæ ab Heredibus in peccato mortali fiunt, Defunctorum Legata adimplendo, ſatisfactoria non eſſent; quia ſtatus peccati impediret eorum fructus; ſed hoc videtur contra communem ſenſum Fidelium: immo contra Concilia; quæ defraudantes Legata vocant pauperum necatores ùt *Carthag.* IV. *cap.* 95., *Vaſenſ.* I. *cap.* 4.: ergo peccatum non obeſt.

RESP. In hac pariter difficultate bipharjam dirimuntur Doctores. Tenent aliqui ſuffragia tali adjumento eſſe, ut non ea ſolùm bona voluntas, qua Defunctus diſpoſuit Legata, ſed illa quoque actualis eleemoſynæ largitio, & Legatorum adimpletio novam addat ſatisfactionem; ita ut ſi aliter eſſet, deberet hunc errorem Eccleſia declarare, cùm omnes credant juvandos eſſe Defunctos in Purgatorio per Legata relicta, quod peculiariter verùm eſt de eleemoſyna, cui ſpecialem vim ſatisfactivam tribuit Scriptura. Aliorum ſententia eſt executionem eleemoſynæ novam vim non habere ſatisfactivam ſupra virtutem bonæ voluntatis, qua fuit relicta, niſi ab executore novo fervore formalizetur, & dignificetur: ut ergo difficultas diſſolvatur.

Quandò bona voluntas Determinatis legata eſt ſatisfactoria.

Suppono primò: citra dubium eſſe voluntatem illam, quâ Legata determinantur, eſſe ſatisfactoriam, ſi tamen Teſtator erat in gratia, quando Teſtamentum condidit, aut ſaltem, ſi conditum in mortali fuit, tamen in ſtatu gratiæ approbavit, aliter propter dicta non eſſet fructifera, & in virtute illius voluntatis moraliter perſeverantis executio eleemoſynæ eſt etiam ſatisfactoria, utvis per manus peccatoris erogata; quia in inſtrumento attenditur magis virtus principalis agentis, quàm propria. Quamobrem Juſtus per Impium Miniſtrum eleemoſynam diſtribuens meretur; ùt ſuperiùs notavimus ex D. *Thoma*.

Suppono ſecundò executionem Legatorum valere per additionem novæ ſatisfactionis,
A ſi a Juſto adimpleatur, & dirigatur in Defunctum, quod eſt citra dubium. Quare difficultas in eo vertitur, an quando Peccator, vel Juſtus adimplet Teſtatoris Legatum, illa adimpletio poſita ex voluntate Teſtatoris novam vim ſatisfactionis addat ſatisfactioni ortæ a bonitate actus, qua in Teſtamento Legatum diſpoſuit, ita ut ſi illa voluntas erat virtutis ùt duo, in executione ſit ùt quatuor: cui (ſalvo meliori judicio cohærenter ad ea, quæ dicuntur de voluntario in cauſa) reſpondeo negativè. Ibi enim dicitur: qui dedit voluntariam cauſam peccato inter ſomnum peracto, licèt etiam pec-
B cet, quando actu committit peccatum, ùt qui mandavit alium occidi, peccat, quando actu homicidium perpetratur, etſi dormiat: tamen non additur nova malitia gravior eâ, quæ formaliter in prava voluntate Mandantis continetur. Quòd ſi hoc verum eſt in malo, quod faciliùs creſcit, multò magis id eveniet in bono, quod difficiliùs augetur. Reor nihilominùs augeri aliqualiter in eleemoſyna, quæ dum actu traditur, ſuperadditur peculiaris pœnalitas in tali abdicatione, quæ non erat in ſolo propoſito illam largiendi.

Executio Legatorum dicit novam ſatisfactionem, ſi ſit a Juſto.

Notandum tamen eſt: actus externus
C non addit quidem malitiam formaliter, & intenſivè, ſed materialiter, & extenſivè, ex qua extenſione aliqua pœna ſaltem accidentalis ſuperaccreſcit. Hæc habentur ex D. Thoma *q.* 2. *de Malo art.* 2. *ad* 8. — Si conſi-
„ deretur quantitas demeriti per compara-
„ tionem ad pœnam eſſentialem, quæ con-
„ ſiſtit in ſeparatione a Deo, & dolore ex-
„ indè proveniente, non minus demeretur,
„ qui ſola voluntate, quàm qui voluntate,
„ & actu peccat; quia hæc pœna eſt con-
„ temptus Dei, qui reſpicit voluntatem:
„ ſed quantum ad pœnam ſecundariam,
„ quæ eſt dolor de quocumque alio malo,
D „ ſic magis demeretur, qui actu, & vo-
„ luntate peccat. Habebit enim dolorem
„ non ſolùm de eo, quod malè voluit,
„ ſed etiam de eo, quod malè fecit, & de
„ omnibus malis, quæ de ejus maleficio
„ pervenerunt. —

Ex quo eruitur, quid ſit dicendum de illa bona voluntate Teſtatoris, & de actuali illius executione, quæ fit ab Herede; poteſt enim ſalvari, quòd præter ſatisfactionem, quæ correſpondet bonæ voluntati, detur alia correſpondens executioni: ſicut præter malitiam, quæ datur in actu voluntatis peccaminoſo, datur etiam extenſio il-
E lius per actum externum, cui correſpondet pœna aliqua accidentalis. Undè jure meritoque Heredes, qui Legata non adimplent, vocantur pauperum necatores, homicidæ, crudeles, quipotè Defunctos privant illo ſuffragio, quod Legatorum adimpletioni correſpondet.

116 OBJICIES 5. *Si ſtatus gratiæ requireretur*, ideo eſſet; quia vis ſatisfactionis ſpecialiter conſiſteret in actu interiori; ſed hoc eſt falſum: ergo. *Prob. min.* Patres tenent hominem ſatisfacere pro peccatis extrinſeca ſuſtinendo flagella neceſſariò

obve-

obvenientia a cauſis communibus, vel particulariter a Deo immiſſis ad peccatorem puniendum, & tamen frequenter nullus datur actus interior, immò impatientia renitens.

RESP. majorem non ſumere adæquatam ſatisfactionis cauſam. Status enim gratiæ ſequiritur ad formalizandum, & dignificandum opus, ſicut propter eandem rationem requiritur pro merito. Cæterùm non ſolùm Patres, ſed Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 9. vult flagella ab extrinſeco provenientia ſatisfactoria eſſe, dummodo patienter, & voluntariè ſuſtineantur; & hæc voluntarietas meritò requiritur, ut illa flagella fiant moraliter noſtra, & a ſtatu phyſico ad moralem trahantur; & quia Patres indefinitè loquuntur, ideo omne genus flagelli comprehenditur, ea quocumque capite oriatur. Illud verò negandum eſt, ſcilicet flagella etiam graviter peccando tolerata ſatisfactoria eſſe; nam tunc non fiunt moraliter noſtra, adeoque nullo modo valent debitum pœnæ expiare; quia ſecundùm ſe præciſè ſunt omninò extrinſeca, omnique carent morali bonitate, quæ ab actu interiori procedit, ùt dicitur de actibus humanis. Hoc non obſtante, cæteris paribus, magis ſatisfacit, qui habet bonam voluntatem ſuſtinendi flagella a Deo immiſſa, & ſuſtinet, quàm qui ſolùm habet bonam voluntatem, & actu non ſuſtinet; quia major difficultas eſt vincenda, quando pœnalitas actu urget, & ſentitur, quàm cùm ſolùm procul apprehenditur; & quò major eſt gravitas flagelli, eò major eſt ſatisfactio, & toto tempore eſt ſatisfactorium, quo durat moraliter prima voluntas, qua fuit acceptatum: immo poteſt contingere, quòd flagelli tolerantia tantæ ſit ſatisfactionis, quòd univerſæ pœnæ debitum adæquet. Illud etiam obiter advertendum eſt, quòd majoris ſatisfactionis, ſicut & meriti aliquando eſt extrinſeci flagelli patiens tolerantia, quàm voluntaria illius ſuſceptio; licèt enim in liberis caſtigationibus major eluceat voluntarietas, tamen in extrinſecis, & acceſſoriis major adeſt difficultas, & repugnantia; quia ad libitum illas non poſſumus moderari, & repellere; & aliundè in voluntariis eſt periculum, quòd admiſceatur vana gloria, & vitioſa voluntarietas, juxta illud: *In jejuniis veſtris invenitur voluntas veſtra*.

Requiritur voluntarietas ad ſatisfaciendum præter gratiam.

Pœnalitates, quæ ab extrinſeco obveniunt, quare ſint ſatisfactoria.

117 Ex dictis declarantur breviter quædam dubiola circa reliquas conditiones requiſitas ex parte offerentis ſuffragium, & ex parte illius, cui offertur.

Primum dubium eſt: an valeat ſatisfactio in peccato mortali exercita, cujus intentio, & propoſitum in ſtatu gratiæ præceſſit, & reſpondetur negativè; etenim illa bona voluntas per ſubſequens peccatum interrumpitur, & impeditur. Sicut non valet opus exercitum in ſtatu gratiæ ex vi voluntatis habitæ in peccato, niſi renovetur intentio; quia tunc opus non pendet a charitate, & per conſequens non participat illius influxum.

Quæ conditiones requirātur ex parte Offerentis ſuffragium.

118 Secundum dubium: an idem opus in ſpecie ſit magis ſatisfactivum in viro ſanctiori, quàm in minùs ſancto; & cohærenter ad ea, quæ a Thomiſtis dicuntur de merito, reſpondetur negativè; nam charitas habitualis, & dignitas perſonæ in opus virtuoſum non influit ſecundùm ſe totam, ſed ad menſuram ſervoris, quo applicatur: unde accidit, quòd ſanctior quandoque remiſſiùs agat, quàm minùs ſanctus, & minùs mereatur, quàm minùs ſanctus. In hoc enim diſtinguitur perſonalis ſanctitas ab habituali, quòd illa ſecundùm totam virtutem concurrit; ſecunda modò magis, modò minùs, ſiquidem habitibus utimur quando, & quomodo volumus.

Minùs Sanctus poteſt habere majorem ſervorē in actu.

119 Tertium: an ſuffragium, ut proſit alteri, debeat ab operante dirigi in bonum alterius: & dicitur affirmativè; quia ex natura rei fructus boni operis cedit in utilitatem operantis: ergo, ut alteri proſit, debet in illum transferri; hæc autem translatio, ſeu donatio debet fieri ab operante, qui eſt dominus. Hinc perperàm ſentiunt, qui docent poſſe Superiorem ſubditi ſui ſatisfactionem offerre alteri ad libitum, & illi prodeſſe, etiam diſſentiente ſubdito; quia nullo modo Superior eſt dominus, aut diſpenſator fructus ſpiritualis bonorum operum ſubditi; ad hoc ſiquidem non pertingit Superioris juriſdictio, ſed ad ea ſolùm, quæ ad regularem obſervantiam ſpectant. Et multò magis falſum eſt voluntatem Superioris exiſtentis in gratia, & applicantis opus ſubditi exiſtentis in peccato, reddere illud ſatisfactorium; nam charitas Superioris, utpotè ſubdito extrinſeca, non poteſt illius actionem informare. Forma enim dignificans debet eſſe operanti intrinſeca: nec circa hoc dubium eſſe poteſt; æquè ſiquidem ſatisfactio valet, ac meritum quoad hanc formationem. Quis autem dicat per ſententiam Superioris meritorium reddi opus ſubditi peccatoris?

Ut ſuffragiū alteri proſit, in illū dirigi debet.

Superior non poteſt offerre alteri ſubditorum ſatisfactiones.

120 Ex parte illius, pro quo ſuffragium offertur, inquiritur primò. An requiratur ſtatus gratiæ: & affirmativè reſpondetur. Nam tota vis communicationis fundatur in vinculo charitatis, quo Fideles in eodem myſtico Eccleſiæ corpore uniuntur. Deinde, qui in peccato eſt, meretur privari omni bono proprio: ergo a fortiori alieno. Hinc videmus Chriſti ſatisfactiones *ex opere operato* per Sacramenta, & Sacrificia peccatori utilia non eſſe: ergo multò minùs applicatæ *ex opere operantis*. Ulteriùs pœna temporalis pro remiſſis peccatis debita conjuncta cum mortali ſit æterna, ùt vidimus ſuperiùs; nullus verò offerre poteſt ſatisfactionem condignam debito pœnæ æternæ; quin immo peccaret graviter contra rerum ordinem, qui immediatè ſolvere tentaret debitum pœnæ pro exiſtente in peccato mortali; mediatè tamen juvare licitè, & ordinatè poteſt, impetrando illi auxilia, quibus a peccatis reſurgat.

Ad recipiendum ſuffragium requiritur ſtatus gratiæ.

121 Dubium ſecundum: an debeat indigere ſuffragiis ille, cui offeruntur: & dicitur affirmativè; quia non eſt locus ſolutioni, ubi debitum non datur. Nec valet dicere illi prodeſſe ad reparationem a lapſu, ſi fortè cadat in peccatum: nam in præſciti providentia inordinatum eſt ſolutionem

nem exhibere pro pœnæ reatu ante contractam culpam : prior ex natura rerum eſt culpa, quàm reatus. Deindè nullus in præſenti providentia aut ſibi, aut aliis mereri poteſt reparationem poſt lapſum : ergo neque ſatisfactionem.

Ut ſuffragiū proſit illi, cui fit, non debet eſſe impotens ſolvendi per ſe.

122 Tertium : an debeat eſſe impotens ſolvendi per ſe : ad quod negativè. Quia fructus communicationis fundatur in unione charitatis, quæ in quolibet Juſto reperitur ſivè potens ſit, ſivè non ad ſatisfaciendum. Et ſi loquamur inter Vivos, nunquam daretur ſuffragium unius, ſtante neceſſitate illius conditionis, alteri prodeſſe ; quia omnis Juſtus vivens habet, unde poſſit ſatisfacere ſaltem per actus internos ; ſi verò loquamur de Defunctis, neque illis prodeſſet ; quia potentes ſunt pœnas extinguere ſatiſpatiendo.

Suffragia proſunt neſcientibus.

123 Quartum : an debeat cognoſcere ſibi fieri applicationem : & ſimiliter dicimus negativè. Videmus ſiquidem Eccleſiam orare pro abſentibus neſcientibus ſibi fieri ſuffragia. Et quoad Defunctos ſentit *Auguſtinus* lib. de Cura pro Mort. neſcire quid pro ipſis agatur. Nam nec ſciunt in Verbo, nec per ſpecies in corpore receptas ; quia tunc ſuffragia non dabantur, & nunc non datur principium, a quo illas poſſint habere. Unde ſuffragium experimentaliter ſentiunt in mitigatione pœnæ : aliquando autem per Angelos illis revelatur. Sed quidquid ſit de hoc : ut ſuffragium acceptetur, ſufficit generalis voluntas, qua quilibet Juſtus deſiderat proficere ſecundùm qualitatem ſtatus, in quo eſt : Nec dubium eſt de acceptatione in Defunctis, qui optant a pœnis liberari, ut Deum videant.

CONTROVERSIA X.

AN OPUS PRÆCEPTUM SIT SATISFACTORIUM.

Ad ſatisfactionem requiritur opus voluntariū, & honeſtum.

124 PRo breviori propoſitæ difficultatis ſolutione ſuppono, ad veram ſatisfactionem opus debere eſſe voluntarium, & honeſtum. Ratio eſt ; quia ſatisfactio propriè dicta eſt effectus moralis, qui eſſentialiter oritur a voluntario honeſto : deindè ſatisfactio eſt effectus pœnitentiæ, quæ eſt voluntaria vindicta peccatorum : ergo ſatisfactio debet eſſe voluntaria, & per actum honeſtum ; quia actus pœnitentiæ non poteſt eſſe malus : ſed de his duabus conditionibus fit adæquatum examen *De merito*. Quare ſufficiat nunc illas ſupponere advertendo, quòd ad ſatisfaciendum ſufficiens eſt voluntarietas imperata. Plures igitur Doctores, ex antiquis præcipuè ùt *Scotus*, *Paludanus*, *Major*, *Sylveſter* *D. Antoninus*, aliique volunt opus cadens ſub præcepto non eſſe ſatisfactivum.

Ad ſatisfaciendum ſufficit voluntarietas imperata.

125 DICO : *Opus aliàs præceptum poteſt eſſe ſatisfactivum*. PROB. Teſtimonia Scripturæ, & Patrum, quæ adduci ſolent ad probandum contra Hæreticos opera Juſti eſſe ſatisfactoria, univerſaliter loquuntur, & indefinitè : ergo non debemus illa limitare ad ſupererogatoria. *Secundò* Chriſtus ſatisfecit adimplendo præceptum Patris, & mortem præceptam ſubeundo : ergo opus præceptum eſt ſatisfactivum. *Tertiò* non eſt majoris efficacitatis contritio ad juſtificandum, adeoque ad ſatisfaciendum, quando cadit ſub præcepto, ac quando eſt libera ; ſed quando eſt libera, eſt ſatisfactoria : ergo etiam quando eſt præcepta. *Quartò* ſicut ſecundùm ſe martyrium eſt ſatisfactivum, item alia opera pœnalia ; ſed martyrium accedente debito adhuc eſt ſatisfactivum pro pœna : ergo etiam reliqua pœnalia. *Quintò* non ſunt minoris neceſſitatis pœnalia ab extrinſeco provenientia ex cauſis naturalibus, quàm ſint illa, quæ cadunt ſub præcepto ; ſed prima ſunt ſatisfactoria per Concilium Tridentinum *Seſſ.* 14. *cap.* 9. ergo etiam ſecunda. *Sextò* ejuſdem rationis eſt ſolutio, qua aliquid emimus, ac qua debitum extinguimus ; ſed per opera præcepta meremur vitam æternam : ergo per opera præcepta ſolvimus debitum. *Septimò* ut opus ſit ſatisfactorium ſufficit, ut ſit bonum, voluntarium, pœnale, & ex gratia ; ſed ratio debiti non tollit, quòd opus ſit bonum, voluntarium, pœnale, & ex gratia : ergo non impedit vim ſatisfactivam.

Chriſtus ſatisfecit adimplēdi præceptum de morte.

SOLVUNTUR OBJECTA.

126 OBJICIES 1. Una ſolutione duplex non extinguitur debitum : ergo uno opere duplex non tollitur obligatio : ergo per opus aliàs præceptum non ſatisfit pro pœna temporali : & ratio eſt ; quia peccatum ſpecialem reatum pœnæ fundat : ergo ſpeciali opere expleri debet.

RESP. concedendo pro nunc antecedens, ſi utrumque debitum ſit juſtitiæ ; unde qui proximo debet centum ratione contractus oneroſi, & alia centum ratione mutui, non ſatisfacit utrique debito ſolvendo centum. Cæterùm in noſtro caſu utrumque debitum non eſt Juſtitiæ, ſed unum erit Temperantiæ, Religionis, aut alterius virtutis ſecundùm diverſitatem præceptorum : aliud eſt juſtitiæ, ſcilicet debitum pœnæ. Adde quòd in opere præcepto datur honeſtas operationis, quæ dicit conformitatem ad regulas rationis, & pœnalitas, quæ eſt ſenſui contraria : ratione primæ formalitatis opus eſt adimpletivum præcepti, ratione ſecundæ eſt ſatisfactorium ; unde duplicem habet valorem, duplicique ſatisfacit debito.

Una ſolutione extinguitur duplex debitum diverſæ rationis.

Opus præceptum duplicē habet valorē.

127 OBJICIES 2. Per idem opus duplici titulo non poteſt extingui pœna correſpondens duobus peccatis : ergo neque eodem opere ſatisfieri poteſt duplici debito. *Prob. conſeq.* Ideò idem opus non poteſt duplicis peccati reatum extinguere, etiam ſub duplici titulo conſideratum ; quia uterque reatus eſt verus, & diverſus ; ſed etiam debitum præcepti, & ſatisfactionis eſt verum, & diverſum : ergo.

RESP. *nego conſeq.* Ratio eſt ; quia per eandem formalitatem opus deberet eſſe ſatisfactivum utrique debito, & in materia

juſti-

In linea ſatisfactiva opus non habet duos titulos.

juſtitiæ vindicativæ. Cæterùm licèt in linea ſatisfactiva opus habere non poſſit duos titulos virtuoſos: in ordine tamen præcepti, & ſatisfactionis opus habet duos titulos virtuoſos diverſæ rationis, ùt explicatum eſt; unde utrique debito ſatisfacere poteſt.

128 OBJICIES 3. Satisfactio operum noſtrorum exemplator a Chriſti ſatisfactione, & per eam efficacitatem habet, ùt dicit Trident. *ſeſſ.* 14; ſed ſatisfactio Chriſti eſt omninò ex indebitis: ergo etiam noſtra.

Satisfactio Chriſti eſt de toto rigore juſtitiæ, ſecus noſtra.

RESP. *neg. conſeq.* Satisfactio Chriſti ideo eſt ex indebitis, quia de toto rigore juſtitiæ; noſtra autem fundatur in gratia, nec eſt de toto rigore juſtitiæ: deinde Chriſtus ſatisfecit Patri mortem ſuſtinendo, quæ erat a Patre præcepta: ergo opera aliàs debita ſunt ſatisfactoria.

129 OBJICIES 4. Per opus aliàs præceptum non fit ſatis pœnitentiæ injunctæ a Confeſſario: ergo ſignum eſt, quòd opus præceptum non eſt ſatisfactorium: ſicut per opus aliàs præceptum non adimpletur votum.

Poteſt opus aliàs præceptum imponi a Confeſſario.

RESP. antecedens eſſe verum regulariter, & per ſe; niſi enim Confeſſarius ſe explicet, ſemper opus injunctum intelligitur de non præceptis: tamen, ſi Confeſſarius vult injungere opus aliàs debitum, poteſt, & frequenter in praxi contingit. Quamvis cavendum ſit, ne tota materia ſit aliàs debita: immo addere non debitam ſaltem modicam neceſſarium conſilium eſt: Votum verò eſt lex particularis, quam ſibi vovens imponit; unde ejus intentio attendi debet, & poteſt opus aliàs præceptum vovere.

130 OBJICIES 5. Sancti Patres hortantes ad faciendos fructus pœnitentiæ exigunt opera ſupererogationis; undè explicantes illud Joannis *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, communiter dicunt, fructus dignos eſſe, cùm ſupra mandata ulteriora addimus: & Chriſtus Apoſtolis ait: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus.* Quare Servi inutiles? quia quod debuimus, fecimus: ergo.

RESP. Opera ſupererogationis neceſſaria eſſe, & requiri a Patribus; non quia opera præcepta ſatisfactoria non ſint; ſed quia frequenter non ſufficiunt ad tollendum pœnæ reatum: illud verò Chriſti dictum ſolùm docet, ne extollamur propter opera, quæ fecimus; quia, niſi Divina gratia accederet, ad nihil deſervirent, & ſic nec mereremur, nec ſatisfaceremus ex juſtitia; quia debita ſunt aliis titulis: attamen poſſunt eſſe meritoria, & ſatisfactoria; quia ſic placuit Divinæ bonitati illa acceptare in ordine ad vitam æternam: unde dicit Auguſtinus: *Deum præmiat opera noſtra, coronat bona ſua.*

Opera noſtra nihil valent, niſi accedat gratia Dei.

CONTROVERSIA XI.

AN OPUS SATISFACTIVUM DEBEAT ESSE POENALE.

131 SEnſus Controverſiæ eſt: *an opus bonum taliter vim habeat ſatisfaciendi per pœnalitatem, quòd, ipſâ ablatâ, tollatur valor ſatisfactionis, etiamſi cætera adſint.* Quidquid ſit, an in quolibet opere bono pœnalitas includatur: aliqui Doctores, ùt *Victoria* in Summa. *Sotus* diſtinct. 19. quæſt. 2. art. 1. *Ledeſma* quæſt. 14. art. 2. dub. 2. volunt quodlibet opus bonum eſſe ſatisfactivum, ètſi pœnale non ſit; ſed contra iſtos ſtat communis ſententia.

Opus eſt ſatisfactivum qua pœnale.

132 Opus bonum eſt ſatisfactivum, qua pœnale eſt: ita S. Thomas 4. *Sentent. diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 5. *quæſtiunc.* 1. PROB. 1. Scriptura ubicumque peccatores ad pœnitentiam pro peccatis ſatisfactivam adhortatur, opera pœnalia proponit: ergo ſignum eſt, ablatâ pœnâ, non eſſe opus ſatisfactivum. *Antec.* oſtendi poteſt pluribus, quæ contra Hæreticos afferri ſolent de pœnitentia, ſed pro nunc pauca ſufficiant: Joelis 2. dicitur: *Convertimini ad me in toto corde veſtro in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Job. 42. v. 6. *Ago pœnitentiam in favilla, & cinere.* Matth. 11., & Luc. 10. v. 13. *Si in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere ſedentes pœniterent.*

Confirmatur exemplo eorum, qui in Sacra Scriptura Deum pœnitentiâ placaviſſe dicuntur, in quibus omnibus opera pœnalia ponuntur, ùt Ninivitarum, Davidis, Ezechiæ, &c.

Tridentinū exigit pœnalitates ad ſatisfaciendū.

Confirmatur ſecundò: Concilium Tridentinum ubicumque agit de ſatisfactione, mentionem facit pœnalitatis, & *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. triplicem ponit rationem pro neceſſitate, & utilitate ſatisfactionis. In prima *Satisfactiones* vocat *pœnas*: ſic enim ait, — procul „ dubio enim magnopere a peccato revo„ cant, & quaſi fræno quodam coercent hæ „ ſatisfactoriæ pœnæ. — In ſecunda utitur verbo *pati*, ſic: — Dum ſatisfaciendo patimur „ pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro pecca„ tis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra „ ſufficientia eſt, conformes efficimur. — in tertia habet; — quòd ſi compatimur, & „ conglorificabimur, — & *Can.* 15. opera a Confeſſario impoſita pœnas vocat: ergo ſentit ad ſatisfaciendum requiri pœnalitates.

Satisfactio ordinatur ad ponendam æqualitatem violatæ juſtitiæ.

133 PROB. 2. ratione S. *Thomæ*. Satisfactio ordinatur ad ponendam æqualitatem violatæ juſtitiæ per injuriam Deo irrogatam; ſed nequit æquari juſtitia, niſi per pœnam: ergo opus ſatisfactivum debet eſſe pœnale. *Declaratur minor*. In humanis juſtitia æquatur per id, quod ſubtrahitur ab uno, qui plus juſto habet, & alteri, cui ſublatum eſt, additur: ergo ad hoc, ut fiat recompenſatio in peccatore, debet aliquid ſubtrahi de ipſo per ſatisfactionem, quod cedat in honorem Dei; ſed opus bonum *qua tale* nihil ſubtrahit ab operante, cùm magis ipſum

ipſum perficiat : ergo debet eſſe pœnale , ut aliquid peccatori ſubtrahatur : ſic enim per caſtigationem compenſatur delectatio habita in converſionem ad creaturam juxta illud Apoc. 18. v. 7. *Quantum ſe glorificavit , & in deliciis fuit , tantum date illi tormentum , & luctum* .

In Purgatorio purgatio fit per pœnā.

134 PROB. 3. Satisfactio eſt actus vindictæ judicativæ , quo pœnitens punit in ſe divinam injuriam , & per quem compenſatur purgatorii pœna : ſed vindicta propriè fit per pœnam , & in Purgatorio purgatio fit per pœnam , etiamſi ibi animæ exerceant actus perfectiſſimos aliarum virtutum : ergo ſatisfactio debet fieri per opus pœnale .

SOLVUNTUR ARGUMENTA .

135 OBJICIES 1. Si opus ſatisfactorium deber eſſe pœnale , pejoris conditionis eſſent Viri perfecti , quàm tepidi ; ſed hoc eſt falſum : ergo. Sequela oſtenditur : Charitas perfecta non ſentit pœnas , juxta illud 1. Joan. cap. 4. verſ. 18. *Timor non eſt in charitate , ſed perfecta charitas foras mittit timorem* ; quoniam timor pœnam habet : qui autem timet non eſt perfectus in charitate : ergo perfecti eliciendo excellentiſſimos charitatis actus non ſatisfacerent contra illod Chriſti de Magdalena , Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa , quoniam dilexit multum* . Quis autem hoc dicet ? Quis autem credet Sanctos illos hilariter , & delectabiliter flagella tolerantes non ſatisfeciſſe pœnis peccatorum debitis ?

Duplex datur in opere difficultas.

RESP. S. *Thomas* duplicem eſſe in opere bono difficultatem : unam ex parte actus , alteram ea parte ſubjecti , & ſecundam aliquando ſeparari a prima . Ad meritum , ſicut ad ſatisfactionem neceſſaria eſt difficultas , & pœnalitas ſe tenens ea parte actus , quæ maxima eſt in perfecto amore Dei ; per eum ſiquidem valdè comprimitur appetitus ſenſibilium , & elevatur homo ſupra ſe præferendo Deum rebus omnibus delectabilibus ; pœnalitas autem , ùt difficultas ſe tenens ea parte ſubjecti in Perfectis minima eſt , non ad hunc ſenſum , quòd flagella v. g. non ſentiant ; hoc enim falſum eſt , cùm virtus non extrahat illos ab ordine ſenſibili , ſed quatenus animi alacritate , & ſpiritus promptitudine pœnalia ſuſtinent , quæ ſubjectiva allevatio vim ſatisfactionis non minuit ; cùm fervor charitatis excellenti modò dignificet , & formalizet opus pœnale : immo Chriſtum imitantes , propoſito ſibi gaudio , crucem ſuſtinent ſpontaneè graviſſimas , & frequentes exercendo pœnalitates , ùt innumeris Sanctorum conſtat exemplis ; quæ utique in tepidis non verificantur ; undè non ſunt melioris conditionis , quàm ferventes , & perfecti .

136 OBJICIES 2. Inter opera ſatisfactoria enumeratur Oratio ; ſed Oratio non eſt pœnalis : ergo ad ſatisfaciendum non requiritur opus pœnale : *Declaratur* . Quod eſt medicamen contra pœnam , non eſt pœnale ; ſed Oratio eſt hujuſmodi , adeoque Jacobi 5. v. 13. dicitur : *Triſtatur aliquis veſtrum ? oret : Æquo animo eſt ? pſallat* . Pœna autem triſtitiæ eſt multùm afflictiva : ſi ergo contra hanc Oratio eſt medicina , ſequitur , quòd non ſit pœnalis : quibus conſonat *B. Anſelmi* dictum : *Satisfacere eſt debitum honorem Deo tribuere* ; ſed quodlibet opus bonum tribuit honorem Deo , licèt non ſit pœnale : ergo quodlibet eſt ſatisfactivum .

Oratio eſt ſatisfactiva .

RESP. S. *Thomas* Orationem Contemplativorum , quorum converſatio in Cœlis eſt , utpotè delectabilem non eſſe ſatisfactivam , Pœnitentium verò , quâ ingemiſcunt , & corda ſcindunt , ſatisfactoriam eſſe : & hæc Oratio inter opera ſatisfactiva enumeratur . Verùm ſubinde ſubdit orationes perfectorum etiam ſatisfactivas eſſe ; quia quò ſpiritus elevatur ſupra ſe , & ad Divina , vires inferiores infirmantur , & ſenſibilium appetitus comprimitur . Certè intenſio Orationis ſupradicta etiam præſtat , cùm vetus homo deſtruatur , & inducat novum hominem , ſicut a Deo creatus eſt : quod autem dicit *Anſelmus* verum eſt , vult enim illo honore exhibito ſatisfieri Deo , dando ipſi per afflictionem , quod nobis indulgendo illi ſubtraximus .

Intenſio orationis deprimit vires corporis .

137 OBJICIES 3. Per id extinguitur debitum pœnæ , per quod meremur gloriam ; ſed per quodlibet opus bonum , licèt pœnale non ſit , gloriam meremur : ergo per quodlibet opus extinguimus pœnam . *Prob. maj* Majus eſt mereri gloriam , quàm pœnæ extinctionem : gloria enim æterna majus bonum eſt , quàm ſit pœnæ ablatio : ſi ergo ad illud ſufficit quodlibet opus bonum , ad iſtam pariter ſufficiet ; maximè quòd remotio pœnæ eſt in ordine ad gloriam , cùm ſit ablatio impedimenti retardantis illius aſſecutionem .

CONFIR. Sicut profeſſio religioſa , ſic etiam ejus renovatio apud Doctores eſt extinctiva totius debiti pœnæ ; ſed renovatio religioſæ profeſſionis non eſt ullo modo difficilis , cùm ſit pura complacentia primi actus : ergo opus bonum licèt non ſit pœnale , eſt ſatisfactivum .

Argumentū favet Hæreticis .

RESP. Argumentum probare pro Hæreticis in qualibet juſtificatione tolli reatum pœnæ , adeoque nec dari neceſſitatem ſatisfactionis , nec Purgatorium : nam contritio in qualibet minima intenſione , ſeù quoad ſubſtantiam tollit maculam , ex quo pœna æterna in temporalem mutatur . Secundus gradus intenſionis jam meretur vitam æternam ; & quia gradus iſte contritionis eſt quid majus , quàm extinctio debiti temporalis , ideò per talem actum debitum iſtud tolli debet ; quòd ſi per ſecundum actum contritionis non tollitur , abſque dubio tolli debet per tertium . Quæ cùm falſa ſint , neganda eſt major ; quia debitum pœnæ , & corona gloriæ ſunt diverſæ rationis , & diverſæ lineæ , ut vis debitum pœnæ ſit impedimentum ad gloriæ aſſecutionem : ſtante igitur ejuſmodi diſcrimine , unum cadit ſub una formalitate boni operis , alterum ſub altera . Cum quo optimè ſtat gratiam augeri , & tamen ad ejus proportionem non creſcere extinctionem pœnæ ; & quomodo per primum , & ſecundum actum non tollatur totus rea-

Debitū pœnæ , & corona gloriæ ſunt diverſæ rationis .

tus ; quia vis ſatisfactoria ſequitur ad pœnalitatem actus, meritoria ad actus bonitatem, quæ frequenter eſt major pœnalitate ; undè creſcit meritum, non creſcente æqualiter ſatisfactione.

Ad confirmationem non deſunt Auctores, qui negant renovationem profeſſionis tollere totum reatum pœnæ, propter dicta in confirmatione. Quo poſito, patet ad ſatisfaciendum requiri opus pœnale ; ſed revera minor eſt falſa ; nam ſuam difficultatem habet ſeria, & conſiderata profeſſionis renovatio ; tum quia affectivè, & effectivè ex vi illius actus intervenit eadem ſeculi abdicatio : tum quia actualis experientia Monaſtici oneris, quæ ſub initio ingreſſus deerat aliqualiter reddit arduam animi promptitudinem, & ſenſus diſpoſitionem, ut ſeriò habeatur talis affectus denuò profeſſionem emittendi, ſi non eſſet emiſſa, qui affectus in renovatione requiritur : quanti autem meriti, & ſatisfactivi valoris ſit renovatio, non poteſt certa regula definiri : correſpondet enim difficultati, & fervori, quæ non ſunt æqualia in omnibus. Poteſt accidere, ut aliquis ſentiat majorem difficultatem in renovatione, quàm in prima emiſſione ; quia practicè ſentit onera, quæ ſub initio ingreſſus non apprehendebat. Cæterùm renovationem eſſe actum magnæ excellentiæ ex eo conſtat, quod a Sede Apoſtolica conceditur nobis, aliiſque Religioſis plenaria Indulgentia, dum Profeſſio renovatur.

Renovatio profeſſionis habet ſuam difficultatem.

Eſt ſatisfactiva ſecundum majorem, & minorem difficultatem.

118 OBJICIES 4. Si pœnalitas eſſet conditio ad ſatisfactionem neceſſaria, quò opus externum eſſet pœnale, eò magis eſſet ſatisfactivum ; ſed hoc eſt falſum : ergo : *Major* videtur certa. *Prob. min.* Opus externum quò melius, non eſt magis meritorium : ergo neque opus externum quò pœnale non eſt magis ſatisfactivum : utrobique etenim par ratio videtur.

RESP. Major ratio eſt veriſſima : ſatisfacere ſiquidem eſt laudabiliter ſe ſe caſtigare ; qui autem duriùs, & diutiùs ſe flagellat, magis ſe caſtigat, adeoque neceſſe eſt, ut magis ſatisfaciat : undè qui primo mane accingitur cilicio, eodemque utitur tota die, & nocte, cæteris paribus, magis ſatisfacit : neque oportet, ut ſemper actualiter repetat voluntatem ſe affligendi : ſufficit perſeverantia moralis primæ voluntatis etiam inter ſomnum ; quia ea ea dicitur voluntariè ſuſtinere illam pœnam. Ad paritatem meriti DICO : qui negant opus externum addere formalem bonitatem, negant etiam eſſe magis meritorium. Cæterùm abſque dubio actus pœnalis exterior habet ſuam ſpecialem vim afflictivam carnis, & ſenſus ; ideò ſupra interiorem actum addit novam vim ſatisfactivam, & majorem, quo doloroſior eſt actus.

Qui diuturnius patitur, magis ſatisfacit.

119 OBJIC. 5. Si ad ſatisfactionem neceſſaria eſſet pœnalitas Confeſſarii, injungere non poſſent Pœnitentibus opera per alium adimplenda ; ſed hoc videtur falſum, & contra praxim : ergo. *Sequela oſtenditur* ; quia opus per alium exercitum, v. g. jejunium, vel flagellatio non eſt jubenti, & mandanti gravis, & pœnalis : ergo.

RESP. Opera injungenda a Confeſſario vel ſunt talia, quæ fiunt per alium tanquam per internuncium, ùt eleemoſyna : vel quæ per alium fiunt tanquam a principali agente, ùt jejunium, oratio, flagellatio, & ſimilia. Prima ſine dubio præſtari per alium poſſunt, & ſunt pœnalia ; nam in hoc caſu dominus re aliqua privatur, quod afflictionem importat : alia verò nequeunt per alium exhiberi ; nam Concilium Florentinum in litteris Unionis, & Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. *Can.* 4. determinant ſatisfactionem eſſe actum Pœnitentis, ſicut contritio, & confeſſio, quæ non poſſunt per alium fieri : ergo neque ſatisfactio. Quamobrem dum imponitur, ut curet jejunium a pluribus exequendum, tunc illa procuratio præcisè eſt pars Sacramenti, & *ex opere operato* Pœnitenti proficua, non verò jejunium ab illis præſtitum, quod dumtaxat Pœnitenti prodeſſe poteſt *ex opere operantis*, ideſt ſi ab ipſo ponatur.

Satisfactio eſt actus Pœnitentis.

140 Hic obiter adverto : Illa communis partitio operis ſatisfactivi in jejunium, eleemoſynam, & orationem non eſt atoma, perinde ac ſi tres eæ tantummodò ſpecies virtutum comprehendantur ; ſed eſt partitio ſubalterna, quatenus ad hæc reducuntur omnia pœnalia, & ſunt deſignativa generum bonorum, quæ Deo poſſunt offerri : bona ſpiritus per orationem : bona carnis per jejunium : bona fortunæ per eleemoſynam. Dici etiam poteſt pro peccatis in Deum oratione ſatisfieri : eleemoſyna in proximum : jejunio in ſeipſum. Vel tandem per eleemoſynam comprimi concupiſcentiam oculorum, ſeu rerum externarum, jejunio concupiſcentiam carnis, oratione ſuperbiam vitæ Deo ſe ſubmittendo.

Diviſio in jejunium, eleemoſynā, & orationē eſt ſubalterna.

CONTROVERSIA XII.

AN OPERA A CONFESSARIO INJUNCTA TOTUM POENÆ REATUM EXTINGUANT.

141 HOc etiam argumento Hæretici abutuntur ad infirmandam Purgatorii doctrinam, quòd ſatisfactio injoncta a Confeſſario deleat totum pœnæ reatum, ac proindè nihil reliquum ſit Juſto vitâ functo expiandum. Itaque præpete calamo diſcutiam hanc theſim, ut omnia protruantur ad objecta, quæ ad ſuffragiorum genus ſpectant. Non deſunt Catholici, qui partem affirmativam tueantur.

142 DICO. *Prudentiâ Confeſſarii injuncta ſatisfactio totum debitum pœnæ non extingait ; niſi revera coram Deo æquivaleat pœnæ ex Divino Juſtitia taxatæ* ; ita S. Thomas 4. *Sentent. diſt.* 18. *q.* 1. *art. ult. quæſtiunc. ult.*

PROB. *primò*. In Judicio Divino peccatis eſt definita pœna in indiviſibili determinato juxta criminum pondus : ergo niſi tanta ſatisfactio verè ponatur, quæ æquivaleat pœnæ, non tollitur totus reatus ; nam Dei Judicium, & ejus determinatio præteriri non poteſt. *Probatur ant.*

Definita eſt pœna peccatis.

illa

illa generali ſententia pro omnibus Dei operibus, videlicet *omnia feciſti in numero, pondere, & menſura*: ſecundò Iſajæ 27. v. 8. *In menſura contra menſuram, cùm abjecta fuerit, judicabis eum*: Deuter. 25. v. 2. *Pro menſura delicti erit, & plagarum modus*: Apoc. 18. v. 7. *Quantum glorificavit ſe, & fuit in deliciis, tantum date illi tormentum, & luctum*. Quibus locis, aliiſque perſpicuum fit ſtatutam eſſe peccatis pœnam in pondere determinato; quapropter licèt ab hominibus imponatur, ſi tamen non ſit æqualis, totum non abolet debitum coram Deo.

Confeſſarius eſt Judex tã pro culpa, quàm pro pœna.

143 PROB. *ſecundò* validiùs. Non ſolùm Confeſſarius eſt Judex pro abſolutione a pœna, ſed etiam, & principaliùs pro abſolutione a culpa; ſed quamvis Confeſſarius prudenter judicet Pœnitentem a peccatis abſolvendum, ſi tamen reipſa coram Deo ſufficiens diſpoſitio, & alia requiſita defuerint, a culpa non abſolvit: ergo a pari licèt prudenti judicio exiſtimet Sacerdos pœnitentiam eſſe adæquatam, ſi revera non ſit, non extinguitur totum debitum; ac proindè non eſt Sacerdotis arbitrio relicta deletio pœnæ criminibus debitæ, etiamſi congrua ſatisfactio prudenter fuerit imperata.

Confeſſarius aliquando minorem imponit pœnitentiam.

144 PROB. *tertiò*. Sacerdos utitur poteſtate Clavium, & prudentialiter judicando operatur, quando certò ſciens, & volens minorem præcipit ſatisfactionem, ſic exigentibus circumſtantiis, & bono Pœnitentis; ſed tunc certè non omnis abolerur pœnæ reatus, ſicuti omnes ſentiunt, ac docent admonendos eſſe propterea Pœnitentes de tenuitate pœnitentiæ peccatis incongrua; ergo liquet minimè pendere a ſolo arbitrio prudentiali Sacerdotis totalem debiti ſolutionem. Argumentum urget mordicùs; nam adverſarii totum refundunt in virtutem Clavium, elevantem opus injunctum poſito prudenti judicio; ſed in dato caſu adeſt revera prudens judicium, & legitimus Clavium uſus: ergo opus injunctum elevabitur ad debiti æqualitatem; hoc non admittitur: ergo neque illud.

Sacerdos non poteſt cognoſcere, quæ pœna peccatis debita ſit.

145 PROB. *quartò*. Nullus Judex abſolutè arbitrarius in his conſtituitur, in quibus propter ignorantiam attingere plus, minuſve non poteſt medium prudentiæ. Atqui Sacerdos humano modo nequit plus, minuſve attingere medium pœnæ peccatis debitæ; id enim pendet a pluribus omninò ignotis Confeſſario, puta, a gravitate pœnæ temporalis, in quam commutatur æterna, ab intenſione delicti commiſſi, ab intenſione, & ſubſtantia diſpoſitionis, a modo, quo Chriſti ſatisfactio applicatur *ex opere operato*, & a pluribus aliis, quæ humanam prudentiam latent: ergo.

Effectus Sacramentorum recipitur ſecundùm diſpoſitionem ſubjecti.

146 PROB. *quintò* inductione. In quolibet alio effectu Sacramentorum illud perpetuò obſervatur, quod ſit major, vel minor ſecundùm qualitatem diſpoſitionis: ergo etiam idem dic in hoc effectu Sacramenti pœnitentiæ; ſed qui majorem ſuſcipit pœnitentiam paratus illam adimplere, meliùs diſponitur ad recipiendam applicationem ſatisfactionum Chriſti: ergo majorem quoque recipit effectum, quàm qui non eſt ita diſpoſitus: ergo ad delendam pœnam non ſolùm debet attendi pœnitentia, ſed etiam diſpoſitio.

ADVERSARIORUM OBJECTIONES SOLVUNTUR.

147 OBJICIES 1. Eccleſia ſollicita ſemper fuit, ut Confeſſarii ſecundùm criminum qualitatem ſatisfactionem imperent, ùt conſtat ex *Trident.* ſeſſ. 14. cap. 8., & *Mogontino* II. cap. 21., & in *Carthag.* IV. cap. 74. dicitur: *ut Sacerdos pœnitentiam implorantè, abſque perſonæ acceptatione, pœnitentiæ leges injungat*; ſed hæc ſollicitudo haud aliundè oritur, quàm ex eo, quod credat omnem pœnæ reatum virtute Clavium deleri: ergo operibus injunctis debitum pœnæ temporalis dimittitur.

Quare Eccleſia ſolicita eſt de pœnitentia injungenda.

RESP. *conced. maj.*, *& nego min.* Solicita eſt Eccleſia, ut proportionata imponatur ſatisfactio in bonum ſalutis Fidelium, ne leviùs, & mitiùs procedendo Confeſſarii participes fiant peccatorum. Eò quia Pœnitentes cognitâ pœnitentiæ levitate parvipendunt crimina, & ad vomitum faciliùs redeunt. Neque ſolicitudo in eo eſt de pœnitentia injungenda, quia per hanc credat totum debitum coram Deo extingui. Id autem dupliciter explendeſcit: *primò* quia Concilia, dum capita aſſignant, ex quibus prudentialis pœnitentiæ impoſitio dependet, ultra hoc, quod eſt cedere in peccatorum vindictam, majorem faciunt vim in eo, quod in poſterum deſerviat fræno, & cautioni pro reparando ſcandalo aliorum terrore.

Quare pro minori peccato aliquando majores pœnæ impenebātur.

Secundò Canones antiqui pro minori peccato majorem ſæpè ſatisfactionem adſignant, ut major facilitas ad peccatum cohiberi poſſit: Juveni ob crimen fornicationis pœna gravior præſcribitur, quàm ſeni; & pro effuſione ſanguinis Chriſti in Altari quadraginta dierum piacula imperantur, vel paulò plus, vel propter majus periculum aliorum, vel ob dignitatem gradus: unde licèt homicidium ſit gravius fornicatione, Laico homicidæ imponitur ſeptennis, pro fornicatione Sacerdoti decennis: Non igitur attendit Eccleſia præciſè debitum coram Deo, ſed aliorum exemplum, & majora etiam mala piaculari remedio præcavenda.

149 OBJIC. 2. Sicut ſe habet Pontifex in diſpenſatione voti, & juramenti, vel in largitione Indulgentiæ: ita Confeſſarius in impoſitione pœnitentiæ; ſed ſi Pontifex credat prudenter cauſam ſufficientem, quæ non ſit, nihilominus tenet diſpenſatio: ergo etiam ſi Sacerdos prudenter exiſtimet ſatisfactionem eſſe adæquatam, & non ſit, totus dimittitur reatus.

Pontifex ſolvit immediatè vinculum, non verò Confeſſarius.

RESP. Præterquamquod plures haud minimi nominis Doctores diſpenſationem hujuſmodi negant ſubſiſtere, negatur etiam paritas rationis. Nam in diſpenſatione poteſtas eſt immediatè ſupra vinculum, hoc eſt, immediatè a Pontifice ſolvitur ligamen: ſecus in ſolutione pœnæ. Non enim Sacerdos immediatè pœnæ debitum ſolvit, ſed mediatè per operis impoſitionem applicans

mitti, earumque in Cęlis haberi, nec imputari ad culpam, vel ad pęnam. Non autem eſt ſenſus, ut, ſi quando Sacerdos prudenter opinetur Pęnitentem abſolvi, de facto coram Deo ſit abſolutus; etenim ſi indiſpoſitio abſolutionem impenderet, quam ritè diſpoſitum prudenter autumet, liberaret a culpa, & pœna, quod ex Catholicis di- A xerit nemo. Error itaque Sacerdotis, ac Pœnitentis indiſpoſitio non officiunt Divinæ Juſtitiæ, & ordinationi, quæ a Peccatoribus exigit adæquatam ſolutionem pœnæ. Hanc verò præſcripta a Confeſſariis opera ſæpè non exæquant, ac proinde totum criminis piaculum non expungunt. Vide infra Part. V. Controv. III.

PARS QUINTA.

DE INDULGENTIIS.

a UNum, idque potiſſimum, quo Eccleſia Fidelibus tum vivis, tum mortuis opitulatur, ſuffragium eſt INDULGENTIA. Ut igitur, quæ ad Purgatorium attinent, numeris omnibus compleantur, de Indulgentiis tractatum ſubnectimus. Quanquam verò antiquiſſimus ſit, ùt Controverſiâ IV. demonſtrabo, Indulgentiarum uſus, non deſuerunt tamen ex antiquis Adverſarii, ùt *Montaniſtæ*, ſeu *Cathaphryges* anno 181. a *Montano Phrygio* exorti. Sic enim ex *Tertulliano*, poſtquam a fide in hanc hæreſim prolapſus eſt, habemus lib. ultimo de pudicitia *cap.* 22. — „ Sufficiat Martyri propria delicta purgaſſe. Ingrati, vel ſuperbi eſt in alios „ quoque ſpargere, quod pro magno fuerit „ conſecutus. Quis alienam mortem ſuâ „ ſolvit, niſi ſolus Dei Filius? Nam „ & in ipſa paſſione liberavit Latronem, „ ad hoc enim venerat, ut Ipſe a delicto „ purus, & omnino Sanctus pro peccatoribus „ obediret, proinde qui illum æmularis „ donando delicta, ſi ipſe nihil deliquiſti! „ planè patere pro me. Si verò peccator es, „ quomodo oleum faculæ tuæ ſufficere & „ tibi, & mihi poterit? — Waldenſes, ſeu Pauperes de Lugduno *Petrum Waldo* anteſignanum ſecuti, teſte S. *Antonino* 4. par. Summæ tit. 11. cap. 7. §. 2. Indulgentias a Summo Pontifice conceſſas nauci duxere; quandoquidem iidem Purgatorium negantes, congrua errorum ſerie, omnia quoque mortuorum ſuffragia reſpuebant. Hos imitatus *Joannes Wicklef* Lincolnienſis Diœceſis Rector inter hæreſes, quas anno 1375. diſſeminavit, hanc quoque appoſuit. *Fatuum eſt credere Indulgentiis Papæ, & Epiſcoporum*: ùt conſtat ex 42. propoſitione ex 45. damnatis in Concilio Conſtantienſi an. 1415. celebrato Seſſ. VIII.

a Alii legunt omnia Sanctus.

Petrus Waldo *an.* 1060.

Obiit Paralyſi an. 1384. *die ultima Decembris.*

Wickleffiſtis adhæſit *Joannes Hus*, qui anno 1412. diſputationem, & concionem habuit contra Indulgentias. Cùm enim JOANNES XXIII. Pontifex Maximus contra *Ladislaum* Apuliæ Regem Eccleſiaſticæ ditionis Urbes laceſſentem pararet bellum, plenariam Indulgentiam impertitus eſt arma adverſus Eccleſiæ hoſtem capeſſentibus; quam nactus opportunitatem *Hus* contra Indulgentias claſſicum cecinit. Magiſtros, ductoreſque ſuos longè ſuperavit *Lutherus*: is ſuarum hæreſum peſtem ab Indulgentiarum op- B pugnatione eſt exorſus. Ex hac labe in abyſſum omnem prolapſus eſt. *Islebii* in Saxonia anno 1483. humili loco natus, *Erfordiæ* in Turingia vigeſimo ætatis anno, artium laureâ redimitur: anno 22. fulmine perterritus Ordini Eremitarum S. Auguſtini ſe addixit, ut novus ex Apoſtolico cœtu Judas erumperet: tandem Vittembergæ anno 1508. Theologiæ lauream eſt indeptus; ſed eùm anno 1517. *LEO* X. Indulgentias in Germania per *Joannem Tetzelium* Ordinis PP. Prædicatorum virum doctiſſimum promulgaſſet, infremuit *Lutherus*, qui talem Provinciam ſibi, ſuiſque demandatum iri perperam crediderat, & venenato calamo plura C contra Eccleſiam effudit, ac præſertim contra Indulgentias ſic: — Indulgentiæ ſunt Piæ „ fraudes Fidelium, & remiſſiones bonorum „ operum, & ſunt de numero eorum, quæ „ licent, & non de numero eorum, quæ „ expediunt. — Indulgentias his, qui ve„ raciter eas conſequuntur, non valent ad „ remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus „ debitæ apud Divinam Juſtitiam — Sedu„ cuntur credentes Indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum ſpiritus utiles — In„ dulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolùm publicis „ criminibus, & propriè conceduntur du- D „ ris ſolummodo, & impatientibus — Sex „ generibus hominum Indulgentiæ non ſunt „ neceſſariæ, nec utiles, videlicet mortuis, „ ſeu morituris, infirmis, legitimè impeditis, „ his qui non commiſerunt crimina, his qui „ crimina commiſerunt, ſed non publica, „ his qui meliora operantur. —

Lutherus obiit an. 1546

ætatis ſuæ 63., *tres filios habuit ex pellice* Catharina Borè, Joannem *ſcilicet*, Martinum, *&* Paulum.

Propoſitiones Lutheri *circa Indulgentias ex Bulla* Leonis *X.*

Luthero concrepat *Calvinus*: is Novioduni anno 1509. infauſtam lucem aſpexit: a Patre Sacris deſtinatus parochiali beneficio potitur, quod èt poſtea vendidit. Hic Calvinianæ Sectæ auctor inter alia *lib.* 3. *Inſtit. c.* 5. §. 2. 6., *&* 10. ſic blaſphematur: — Indulgentias E „ Sanguinis Chriſti profanationes, Satanæ„ que ludibrium, quo Chriſtianus Populus „ a Dei gratia, a vita, quæ eſt in Chri„ ſto, abducatur, & a vera ſalutis via „ avertatur — Quæſtuoſas nundinationes de „ animarum ſalute, ac pias fraudes — Pa„ pam plumbo, & membrana gratiam Jeſu „ Chriſti includere — Nos commiſcere ſan„ guinem Martyrum ſanguini Chriſti ad re„ miſſionem, & ſatisfactionem peccato„ rum. — Mendax Dei Evangelium eſſe, „ & mendaces Indulgentias. —

Calvinus *obiit an.* 1564 *nondum* 55. *annis expletis die* 26. *Maji*.

Anno

Zuinglius vixit an. 48., die 11. Octob. ann. 1535. in acie contra Catholicos pugnando obiit.

Anno tandem 1519. *Huldricus Zuinglius* in Pago Dogiorum in Helvetia genitus, & in Urbe Tigurina Parochus, cùm a Franciſcano quodam Indulgentiæ publicarentur, contra illarum abuſus primùm invehi cœpit; Ipſas demùm, & Eccleſiæ poteſtatem impugnavit. His omnibus accedunt *Melancthon* Apologia Confeſſionis Auguſtanæ art. 12.; *Illiricus* Centuria IV. cap. 15., *Kemnitius* par. 4. examinis Concilii Tridentini. Sed quidquid conentur Hæretici adversùs Eccleſiæ dogmata, portæ Inferi non prævalebunt.

CONTROVERSIA I.

AN ECCLESIA HABEAT THESAURUM MERITORUM CHRISTI.

2 ECcleſiæ Theſaurum, a quo Indulgentiæ eruuntur, recentiores Hæretici ſannis, & irriſionibus explodunt, & ubinam gentium, & quove in agro, aut angulo deliteſcat hujuſmodi theſaurus, cachinnantes ſciſcitantur. Itaque demonſtremus oportet, revera exiſtere Eccleſiæ Theſaurum, quo veluti ex ſonte Indulgentiæ dimanant. Ut illuſtrior hæc veritas fiat, duplicem Controverſiam inſtituo: in prima, an ratione meritorum Chriſti conſtetur Eccleſiæ Theſaurus: in altera, an ex meritis Sanctorum. Utrumque inficiantur Hæretici: Catholici omnes primum admittunt: de ſecundo ambigunt nonnulli.

3 DICO. *In Eccleſia datur ſpiritualis Theſaurus ex Chriſti meritis coaleſcens.* PROB. 1. auctoritate CLEMENTIS VI. in extr. *Unigenitus* de pœnit., & remiſſione. Ubi poſtquam declaravit Chriſti Sanguinis guttam propter unionem ad Verbum eſſe infiniti valoris, ſubdit. — Quantum ergo „ exindè, ut nec ſupervacanea, inanis, aut „ ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redde„ retur, Theſauro Militantis Eccleſiæ ac„ quiſivit, volens ſuis theſaurizare filiis „ pius Pater, ut ſic ſit infinitus Theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt, Dei ami„ citiæ participes ſunt effecti.

Idem docet LEO X. in Bulla ad *Cajetanum* in cauſa *Lutheri* Sedis Apoſtolicæ apud Cæſarem Legatum. Loquens enim Pontifex de poteſtate Eccleſiæ hæc habet: *Tam pro Vivis, quàm pro Defunctis Apoſtolica Auctoritate Indulgentiam concedendo, Theſaurum meritorum Jeſu Chriſti, & Sanctorum diſpenſare .....* Quæ Bulla ab eodem *Cajetano* refertur 3. p. q. 48. art. 5.; ſed quia hæc ab Hæreticis exſufflantur.

Quid ſit Theſaurus.

4 PROB. 2. ex Scripturis: Theſaurus corporalis nihil aliud eſt, niſi cumulus divitiarum repoſitus pro uſu futuræ indigentiæ: ergo Theſaurus ſpiritualis nihil aliud eſt præterquam cumulus meritorum Chriſti repoſitus ad hoc, ut Eccleſiæ membris opportuno ſit uſui. Sed ex Scripturis habetur hujuſmodi cumulus: ergo datur Eccleſiæ Theſaurus ex Chriſti meritis coaleſcens.

Datur cumulus meritorũ Chriſti.

Ant. *oſtenditur* ad Epheſ. 2. v. 5.: *Cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto (cujus gratia eſtis ſalvati), & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in Cœleſtibus in Chriſto Jeſu: * ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu.* Ecce cumulus abundans gratiæ in futura ſecula pro ſalvandis fidelibus, & cap. 3. v. 8. *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti; * & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi a ſæculis in Deo, qui omnia creavit.* Ecce divitias ſpirituales Chriſti communicandas omnibus gentibus ad ſalutem, & juſtificationem; non enim loquitur de ſolo extrinſeco verbo prædicationis, ſed etiam de effectu, ſcilicet gentium converſione, & ſalute, quæ non niſi ex Chriſti meritis cuique tribuitur.

5 PROB. 3. Theſaurus Chriſti eſt meritorum cumulus a Deo acceptatus, & per ſe ſufficiens ad redimendos quoslibet homines a culpis, & pœnis peccato debitis, cujus applicatio abſque dubio eos a culpis, & a pœnis redimit, quibus efficaciter conceditur; at ſalva fide negare nemo poteſt Chriſti merita eſſe ſufficientia, & acceptata pro redimendis culpis, & pœnis omnium hominum: ergo admittenda eſt ſacroſancta Chriſti Arca, & quidem inexhauribilis, ſi pro omnibus ſufficiens. Minor frequenter habetur in Scripturis: prima Joan. 2. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi:* ad Epheſ. 1. v. 7. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum ſecundùm divitias gratiæ ejus, * quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia, & prudentia: * ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo, * in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in Cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo:* Ad Hebræos 9. v. 28. — *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata:* multorum, ideſt omnium, cùm pro omnibus mortuus ſit, & cap. 10. v. 14. *Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos:* in ſempiternum, hoc eſt, omnes futuros uſque ad diem Judicii: ad Rom. 3. v 22. *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio: * Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. * Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, * quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum:* Iſaiæ 53. v. 4. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit — * Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.*

Chriſti merita dantur pro redimendis culpis, & pœnis.

Sanati ſumus per vulnera Chriſti.

6 PROB. 4. Si Theſaurus Chriſti tollitur ab Eccleſia, ſuſceptio Baptiſmi, & frequentatio Euchariſticæ Cœnæ eſſet inanis; ſed per Hæreticos non eſt inanis, & patet ad Rom. 5., & ad 1. Corinth. 11.: ergo extat Chriſti Theſaurus. *Oſtenditur ſequela*: Baptiſmus, & Cœna non aliter ſuſcipienti proſunt, niſi quia merita Chriſti per illa Sacramenta applicantur: ergo extant Chriſti merita applicabilia: ergo niſi extarent Chri-

Extant merita Chriſti applicabilia.

ſti

ſti merita, inaniter Baptiſmus ſuſciperetur: non enim haberet vim applicandi merita Chriſti. A

7 DICUNT Hæretici. Non quærimus Theſaurum Sacramentorum ad peccati remiſſionem, ſed Theſaurum Indulgentiarum ad pœnæ remiſſionem a Pontifice diſpenſabilem: Sacramenta enim operantur ex divina inſtitutione.

SED CONTRA: jam oſtendi ex Chriſti meritis conflari Theſaurum in Eccleſia. Oſtendam poſtea per Indulgentias poſſe a Pontifice diſpenſari. Cæterùm falſum eſt, quod dicunt, Sacramenta deſervire ad peccati remiſſionem, perindè ac ſi Chriſtus ſolùm paſſus eſſet pro redimenda culpa, & non etiam B pro peccatorum pœna. Hoc ſiquidem perſpicuè elucet ex laudatis Scripturis; ſi enim non extinxiſſet pœnarum debitum, non diceret Scriptura perfectam feciſſe purgationem peccatorum, dolores noſtros pertuliſſe. Ulteriùs: pluribus, quos Chriſtus redemit, non profuerunt Chriſti merita: *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi*, ſuperſunt igitur plurima, quæ applicari poſſunt: hoc idem conſtat ex eo, quod redemptio Chriſti ſuperabundans fuerit, nedum ſufficiens: Pſal. 129. v. 7. *Copioſa apud eum redemptio*: ad Rom. 5. v. 15. *Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt: multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius* C *hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit*: unde Concilium Tiburenſe cap. 19. allegans rationem, cur in calice plus vini, quàm aquæ ſit apponendum, ait: *quia major eſt majeſtas ſanguinis Chriſti, quàm fragilitas populi*, & Joan. Chryſoſtomus hom. 10. ad Rom. *Multo enim plura, iis, quæ debebamus, dependit Chriſtus, atque adeo tanto plura, quanto mare immenſum ad puſillam guttam collatum, majus eſſe poſſit*: ſimilia legere eſt apud Gregorium lib. 7. Moral. cap. 2.: apud *Bernardum* Hom. de duobus Diſcipulis euntibus in Emaus. Igitur applicatione facta meritorum Chriſti per D Sacramenta, adhuc ſupereffluunt merita, quæ per Indulgentias, vel aliâ viâ diſtribuantur.

Copioſa Chriſti redēptio.

Merita Chriſti applicantur per Sacramenta, & per Indulgentias.

8 PROB. 5. Valor ſatisfactionis Chriſti eſt ab intrinſeco ſimpliciter infinitus, & peccati demeritum excedens: ergo media applicatione ſacramentali non eſt exhauribilis: ergo poteſt etiam aliter applicari. *Prob. ant.* Valor operis ſatisfactorii creſcit ad incrementum dignitatis Perſonæ ſatisfacientis; quia honor eſt in honorante, & tunc maximè, quando dignitas neceſſariò concurrit & non liberè, & quando actiones ſunt humiliativæ, & depreſſivæ Perſonæ; ſed dignitas Chriſti ſatisfacientis eſt infinita, vi- E delicet Divina Perſonalitas & non liberè, ſed naturaliter concurrit; quia non eſt habitus, ſed ſubſtantia: & actiones ſunt humiliativæ, & depreſſivæ, ùt conſtat in iis, quæ Chriſtus paſſus eſt: ergo eſt valoris ſimpliciter infiniti, & excedentis peccati demeritum; nam Divinitas gravificat offenſam media unione ſolùm affectiva; ſatisfactionem verò dignificat media unione phyſica; ſed forma perfectiori modo unita perfectiorem producit effectum: ergo valor ſatisfactionis excedit offenſæ gravitatem; quare

Valor ſatisfactionis Chriſti eſt ſimpliciter infinitus, & excedens peccati demeritum.

Iſaiæ 40. v. 2. dicitur: *Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis.*

HÆRETICORUM ARGUMENTA SOLVUNTUR.

9 OBJICIES 1. Nullum opus in Chriſto irremuneratum remanſit: ergo nullus ſupereſt fructus in Eccleſiæ Theſauro reponendus. *Prob. ant.* Patrem Æternum cumulatiſſimum præmium contuliſſe meritis Chriſti teſtatur Apoſtolus ad Philip. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*: ergo nihil irremuneratum remanſit.

RESP. *negando ant.* Gloria corporis, & nominis exaltatio quid eſt comparativè ad Chriſti merita, quæ infiniti ſunt valoris? Quare de rigore juſtitiæ non accidentalem modò gloriam ſibi, verùm & omnibus hominibus ab origine mundi ad finem uſque futuris gratiam, & gloriam meruit. Actiones Chriſti prædiæ fuerunt ſummo valore dignitati perſonali conſono, ac proindè incomparabiliter excedente. Deindè Chriſti operibus ultra meritum inerat vis ſatisfactiva, qua non indigebat; quia ipſe peccatum non fecit, nec eſt inventus dolus in ore ejus; itaque nobis proficere debuit, aſſerente Apoſtolo 2. ad Corinth. 5. v. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*: Quamobrem cùm Chriſti anima eſſentialem gloriam habuerit ante merita in inſtanti conceptionis, ùt docent Theologi, & gloria corporis Chriſti non exhauriat totum ipſius meritum: aliundè verò tota virtus in Chriſti operibus ſatisfactiva non omnem habuerit ſuum effectum, fit, ut non merita ſolùm, verùm ėt Chriſti ſatisfactiones redundent in Eccleſiæ Theſaurum.

Gloria corporis non eſt ſufficiens premiū pro Chriſti meritis.

In operibus Chriſti ultra meritum datur vis ſatisfactiva.

10 OBJICIES 2. Chriſtus ùt Homo non potuit Deo gratias æquales reddere pro beneficiis in humanitate receptis; nam ſecundùm Ariſtot. 8. Eth. cap. 13. *Diis, Parentibus, & Magiſtris nunquam ſatis*: ergo multò minùs potuit ſatisfacere ad æqualitatem pro tot offenſis Deo irrogatis: ergo in tantum ſatisfecit, in quantum Deus acceptavit talem ſatisfactionem ùt proportionatam: ergo poſt dona gratiæ, & gloriæ hominibus collata, poſt tot peccatorum remiſſionem exhauſta ſunt Chriſti merita, nihilque omnino reliquum eſt, quod in Eccleſiæ Gaza reſervetur. Si enim, ut ſufficerent pro tot donis, neceſſe fuit a Deo ea gratia acceptari: quomodo igitur ſupereſſe quicquam poteſt? Præterea inter pœnas peccato debitas eſt privatio incarnationis. Cùm verò Chriſtus minimè potuerit incarnationem promereri, certè ſatis impendere non potuit, quo debitum ejus carentiæ tolleret. Hoc *Durandi* argumento negantis valorem Chriſti meritis infinitum abutuntur Heterodoxi, ut Theſaurum deſtruant Indulgentiarum.

Diis, Parentibus, & Magiſtris nunquam ſatis.

RESPONDENT huic argumento varii Doctores, quorum omiſſa ſolutione, NOTO doctrinam *S. Thomæ* 3. 2. q. 106. art. 6. in

cor-

Diſcrimen inter juſtitiã, & gratitudinem.

corpore, qua docet hoc dari diſcrimen inter compenſationem ex juſtitia, & ex gratitudine, ad quam pertinet gratiarum actio; quòd ad juſtitiam ſufficit reddere æquale, quia attendit medium rei; ad ſecundam non ſufficit dare æquale, ſed neceſſe eſt aliquid ſuperaddere; quia compenſatio ex gratitudine reſpicit voluntatem, & affectum dantis, in quo illud potiſſimè elucet, quod gratis beneficium contulerit. Quamobrem is, qui beneficium accipit, debet titulo honeſtatis aliquid gratis retribuere. Si verò ſolùm dat quantum accipit, non retribuit aliquid gratis: ergo non ſatisfacit debito gratitudinis.

Creatura non poteſt adæquatè gratias Deo agere.

NOTO *ſecundò* ex eodem 3. Sent. diſt. 20. q. 1. art. 2. ad 1. Creaturam non poſſe adæquatè gratias Deo agere pro beneficiis; quia quò creſcunt gratiarum actiones, creſcit debitum; nam hoc quod eſt gratias Deo agere, eſt novum Dei beneficium, cùm pro beneficiis gratias agere ſit ex gratia Dei. His poſitis DICO, tranſeat *antec.*, *& nego conſeq.* Non enim valet conſequentia a debito gratitudinis ad debitum juſtitiæ: ut enim debito gratitudinis fiat ſatis, non ſufficit reddere æquale, ſed ſuperaddendum eſt, immo gratiarum actione novum conſurgit debitum; undè non eſt mirum, quòd Chriſtus non potuerit gratias Deo agere adæquatè pro beneficiis acceptis: Juſtitia verò, cùm reſpiciat æquale, & medium rei, requirit ſolùm id, quod ſufficit ad ponendam æqualitatem: Chriſtus autem, ut vidimus ex Scripturis, pro peccatis totius Mundi ſatisfecit abundanter, & per conſequens ad æqualitatem, & ultra. Itaque, ſi actu ponantur infiniti homines in peccatis, & baptizentur, omnes a macula, & pœna liberi fient. Cùm ergo homines non ſint infiniti, pluresque ex illis non baptizentur, ſupereſt cumulus incomprehenſibilis irremuneratus.

Chriſtus ſatisfecit debito gratitudinis.

Secundò reſpondetur *negando ant.* Habuit namque Chriſtus, quo ſatisfaceret debito gratitudinis, & gratias Deo ageret pro beneficiis acceptis in humanitate; rependit enim aliquid plus, quàm receperit. Ex parte rei oblatæ obtulit dignitatem perſonæ, modum unionis, dona gratiæ, operationes, quæ omnia erant infinita ſaltem in eſſe moris: & inſuper ita erat affectus, ut ſi habuiſſet plura offerenda, obtuliſſet, qui affectus erat valoris infiniti, & in compenſatione beneficii accepti magis attenditur affectus, quàm effectus. Quare ex *S. Thoma* loco laudato 2. 2. ad primum, licèt Filius nequeat reddere æquale Patri quoad rem acceptam, poteſt tamen in affectu, qui affectus ſufficit ad debitum gratitudinis, ſi ſupponatur poſitum æquale ex parte rei. Ratio eſt; quia illud plus exigitur in compenſatione beneficii propter affectum, qui ſupponitur in eo, qui gratis beneficium contulit. Ad illud, quod additur, *nego* carentiam incarnationis fore aſſignatam pro pœna peccati, quamvis ex natura ſua illam meruerit: ſicut peccatum meretur anihilationem, ſed de facto non fuit aſſignata pro pœna.

Anihilatio non eſt pœna peccati.

11 DICES: potuit talis carentia aſſignari pro peccati pœna: ſed tunc non potuiſſet Chriſtus mereri ſuam incarnationem; cùm principium meriti non cadat ſub merito: ergo valor Chriſti non fuit valoris infiniti.

Chriſtus potuiſſet mereri ſuam incarnationem.

RESP. *diſt. min.* Non potuiſſet mereri defectu valoris, *neg. min.* quantum enim eſt ex parte ſua, fuiſſet ſufficiens, ſicut ſufficiens fuit pro merenda incarnatione Patris, & Spiritus Sancti: defectu conditionis requiſitæ, *concedo*: ſcilicet, quatenus neceſſe eſt, ut priùs Chriſtus exiſtat, quàm mereatur, ac proindè ejus exiſtentia non cadit ſub merito.

12 OBJICIES 3. Satis, ſuperque exhauſtum fuit Chriſti meritum peccatorum extinctione: ergo nihil ſupereſt expendendum per Indulgentias ad pœnæ remiſſionem. *Prob. ant.* Una Chriſti operatio uno peccato exhauritur; ſed plura ſunt peccata, quàm operationes Chriſti, ùt patet: ergo valor ſatisfactionum Chriſti eſt abundè exhauſtus peccatorum remiſſione. *Major oſtenditur*. Gravitas unius offenſæ tanta eſt, quanta eſt dignitas unius operationis Chriſti; quia ab eadem forma, a qua gravificatur prima, dignificatur ſecunda, & inſuper repugnat infinitum majus alio: ergo Theſaurus meritorum Chriſti fictitius eſt.

Datur infinitum majus alio in perfectione.

RESP. Ommiſſis ſolutionibus aliorum, *nego ant.*, ad cujus probationem breviter NOTO, quòd licèt non ſtet infinitum majus alio formaliter, ideſt in eo, quod eſt carere terminis, attamen ſtat unum infinitum majus alio in eſſe æſtimationis. Si enim daretur lutum infinitum, & aurum infinitum, linea infinita, & corpus infinitum, omnia eſſent æqualia in carendo terminis intrinſecis: in ordine tamen perfectionis aurum excederet lutum, & in ordine quantitatis corpus excederet lineam; ita ut lutum infinitè multiplicatum nunquam æquaret aurum, & linea corpus. NOTO *ſecundò* infinitatem peccati eſſe in linea mali, infinitatem valoris operum Chriſti eſſe in linea boni. Hinc eſt, ut una operatio Chriſti propter ſuam excellentiam, & perfectionem, non excedat modò gravitatem unius peccati, ſed infinitorum. Plura dicam, ubi de Incarnatione.

13 DICES cum Hæreticis: Hæc non fundant certitudinem Theſauri tanquam articulum fidei, quale eſt Indulgentiarum dogma; nam infinitas meritorum Chriſti eſt dumtaxat probabilis; plures enim ex Pontificiis Theologis edocent valorem Chriſti eſſe finitum.

RESP. In qualibet Catholicorum ſententia certò conſtat Theſaurus Indulgentiarum, quem noſtri omnes tuentur. Qui valorem operum Chriſti definitis limitibus circumſcribunt, eum quoque ſtatuunt in ordine ſuperiori inadæquabilem a gravitate omnium peccatorum.

14 OBJICIES 4. Theſaurus ex meritis Chriſti, ſicut ex *Clementina* probatur, infinitus, atque inexhauribilis perſeveraret etiam poſt Judicii diem; ſed hoc non convenit excellentiæ meritorum Chriſti, æqui-

tati,

tati, & Divinæ Juſtitiæ non remunerantia merita Chriſti, neque congruit Divinæ Potentiæ, perinde ac ſi impar eſſet retribuendæ meritorum mercedi: ergo.

Merita Chriſti excedunt omnia præmia.

RESP. *nego min.* Quin immo elucet dignitas meritorum Chriſti, quæ præmium quodlibet finitum exuperant; quemadmodum Divina Potentia in eo emicat, quòd, poſito quolibet effectu, ſemper alius remaneat poſſibilis, nulloque finiatur. Nec meritis Chriſti, & æquitati Divinæ Juſtitiæ irrogatur injuria; ſufficit enim nihil ſine præmio relinqui, quod efficaciter a Chriſto applicatur. Nec ullum provenit inconveniens ex eo, quòd omnia Chriſti merita non fuerint aliquando applicata; ſicuti non eſt abſurdum, quòd virtus Divina non omnia, quæ producere poteſt, actu producat. Nec tandem læditur Omnipotentia; quia Deus dare poſſet ſufficiens præmium, ùt ſi Chriſti merita ordinare vellet pro Incarnatione Patris, aut Spiritus Sancti. Vel dicas, quòd ſi actu præmia non confert, non provenit ex defectu potentiæ Dei, ſed ob defectum poſſibilitatis præmii.

Non præmiantur merita Chriſti ob defectū poſſibilitatis præmii.

14 OBJICIES 5. Merita Chiſti ſunt res ſacræ, & vivæ; corda enim juſtificant; Theſaurus Indulgentiarum non juſtificat, ſed ſolius pœnæ debitum remittit: ergo Chriſti merita non pertinent ad Theſaurum Indulgentiarum. *Secundò*. Blaſphemum eſt rem ſacram congerere in vile, & ſordidum opus mortis; ſed pœna temporalis eſt vile, & hujuſmodi ſordidum mortis opus: ergo blaſphemum eſt rem ſacram in eam conjicere; ſed merita Chriſti ſunt res ſacræ: ergo non poſſunt congeri in Theſauro Indulgentiarum expiativo pœnæ. *Tertiò*. Merita Chriſti ſunt omnibus neceſſaria ad ſalutem, & ab omnibus iuqnireuda; ſed Theſaurus Indulgentiarum non eſt ad ſalutem neceſſarius, nec a Fidelibus ex præcepto exquirendus: ergo ad eum non ſpectant Chriſti merita. Hæc inter alia argumenta infra adducenda profert *Lutherus*, quæ, ùt ait *Bellarminus* lib. 2. de Indulgentiis, tam ſunt inepta, & parum intra ſe connexa, ut vix ad argumenti formam poſſint redigi.

RESP. Merita Chriſti præterquamquod ſunt juſtificativa cordium, ſunt temporalium quoque ſatisfactiva pœnarum, juxta illud Iſajæ 53. v. 4. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit:* vulneratus quidem fuit propter iniquitates noſtras: attritus fuit propter ſcelera noſtra; ſed etiam languores, & dolores noſtros ipſe portavit: ergo poſſunt applicari ad expiationem pœnæ æternæ ſimul, & temporalis: ergo poſſunt pertinere ad Eccleſiæ, & Indulgentiarum Theſaurum. AD SECUNDUM *neg. maj.* Quæro, utrum ſordidius ſit? num pœna temporalis conſequens ad peccatum dimiſſum, an ipſum peccatum quoad maculam, quæ eſt mors animæ? certè ſecundum: attamen valde honorificum eſt merita Chriſti ad peccatum redimendum applicari: ergo a fortiori valdè eſt decorum, quòd applicentur ad extinguendam pœnam. Turpe quidem videtur reum eſſe pœnæ propter peccatum: glorioſum ſolvere pretium debito correſpondens. AD TERTIUM. Merita Chriſti non ſolùm neceſſaria ſunt, ſed etiam utilia Fidelibus; neceſſaria ad expianda peccata per baptiſmum, contritionem, & pœnitentiam: utilia ad majus augmentum gratiæ, & gloriæ, & ad expiationem pœnæ. Juxta primum conceptum merita Chriſti ſunt omnibus neceſſaria, nec ſpectant ad Theſaurum Indulgentiarum, ſecundùm quod juvant ad exercitium bonorum operum, & ad augmentum gratiæ, & gloriæ. Quanquam non ſint neceſſaria, neque ſpectent ad Eccleſiæ Theſaurum, multùm proſunt Fidelibus, qui illis utuntur. Spectant autem ad Eccleſiæ, & Indulgentiarum Theſaurum ſecundùm quod juvant ad expiationem pœnæ; qui Theſaurus non eſt in aliquo abditus materiali loco, ſed in Divina acceptatione repoſitus.

Glorioſum eſt ſolvere debitum pœnæ.

Merita Chriſti ſunt neceſſaria, & utilia.

Theſaurus Eccleſiæ eſt repoſitus in divina acceptatione.

CONTROVERSIA II.

AN ECCLESIÆ THESAURUS CONSTET EX SATISFACTIONIBUS SANCTORUM.

QUoniam nos Catholici ſatisfactiones Sanctorum ad Theſaurum Eccleſiæ referimus, dici vix poteſt, quot, quantiſque nos convitiis, ac maledictis onerent *Calvinus*, *Kemnitius*, aliique aſſerentes a nobis peſſundari Chriſti ſanguinem, & ejus paſſionem labefactari ex eo, quòd Sanctorum meritis Chriſti merita immiſcemus, ac quodammodo inquinamus. Contra hos omnes.

§. PRIMUS.

DICO: *Theſaurus Eccleſiæ coaleſcit etiam ex ſuperfluentibus Sanctorum ſatisfactionibus*. PROB. auctoritate CLEMENTIS VI. in Extravaganti *Unigenitus* de pœnit., & remiſs., ubi dicitur. — Ad cujus quidem Theſauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum a primo Juſto uſque ad ultimum, adminiculum præſtare noſcuntur: — & LEONIS X. in Bulla ad *Cajetanum*: — Theſaurum meritorum Jeſu Chriſti, & Sanctorum diſpenſare: — Hic loquitur Pontifex de poteſtate, quam habet in concedendis Indulgentiis, quas priùs dixerat eſſe ex ſuperabundantia meritorum Chriſti, & Sanctorum: ex decreto PII V., & GREGORII XIII. contra propoſitiones *Michaelis Baii*, inter quas n. 60. dicebatur: — Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſinnes impertiuntur, ut digni ſimus qui pretio Sanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis liberemur. —

Ex Pontificibus probatur veritas.

16 PROB. 2. Sancti habuerunt plurimas ſatisfactiones ſibi ſuperabundantes; ſed iſtæ pertinent ad Eccleſiæ Theſaurum: ergo Eccleſiæ Theſaurus ex Sanctorum ſatisfactionibus coaleſcit. *Major. probo*, mox probaturus etiam minor: *Primò* Job 6. v. 2. dicitur:

Sancti habuerunt ſuperabundantes ſatisfactiones.

*Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui : & calamitas, quam patior, in ſtatera. * Quaſi arena maris hæc gravior appareret*: ubi manifeſtè conſtat, quòd gravius erat tribulationum pondus, quàm debitum pœnæ ſolvendæ pro peccatis.

Secundò. Apoſtolus ad Hebr. 11. v. 36. de Prophetis Sanctis ait: *Alii verò ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres: * Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt: circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: * quibus dignus non erat Mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, in ſpeluncis, & in cavernis terræ*; ſed Iuter hos numerantur innocentes Viri, & ſine labe inventi, ùt Abel, Henoch, Elias, Eliſeus, Jeremias, Iſajas, Ezechiel, Abraham, Iſaac, Jacob, & ſimiles : ergo iſti plura ſunt paſſi voluntariè ſuſcepta, vel libenter ab extrinſeco recepta, quæ pœnam ſuis debitam noxis excederent.

Tertiò. Sancti Apoſtoli, Scripturâ teſte, multa, eaque graviſſima propter Deum paſſi ſunt; ſed valor ſatisfactionis erat eis ſuperabundans : ergo. *Min. probat.* 1. ad Corinth. 4. v. 11. ubi dicitur : *Uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, * & laboramus operantes manibus noſtris : maledicimur, & benedicimus : perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: * blaſphemamur, & obſecramus: tanquam purgamenta hujus Mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc*. Min. declaratur.

Quanta paſſi ſunt Apoſtoli poſt Confirmationem, & Baptiſmū per ignem.

Hæc paſſi ſunt Apoſtoli poſt confirmationem in gratia, & deleto omni reatu culpæ, & pœnæ per ſolemne baptiſma, per ignem Sancti Spiritus : ergo non indigebant, ut ſibi applicaretur ſatisfactio : ergo erat in illis ſuperabundans. Quanta perpeſſus eſt Paulus? quæ recenſet idem 2. *Corinth.* 1. *v.* 18., & tamen nullius erat peccati conſcius, ùt ipſemet teſtatur 1. *Cor.* 4. *v.* 4.; quid autem dicemus de omnibus ſimul Apoſtolis?

Satisfactiones B. Virginis ſunt inexplicabiles.

Quartò. DEIPARA VIRGO per totum vitæ curriculum excellentiſſima virtutum opera exercuit, & graviſſima ſuſtinuit; doloris enim gladius, ſecundùm Simeonis prophetiam, ipſius animam pertranſivit; ſed Beatiſſima Virgo, ſecundùm Græcorum Liturgias, definitionem Tridentini *Seſſ. 6. Can.* 23., & communem Patrum ſententiam, tota pulchra erat, & macula in eâ non fuit : ergo inexplicabilem ſatisfactionis cumulum comparavit ſibi, utique ſuperabundantem. Virgini Sanctiſſimæ accedat admirabilis *Joannis Baptiſtæ* Sanctitas, ſecundùm Lucæ Evangelium *cap.* 2., in utero Spiritu Sancto repleti, auſteritas ejus in eremo, labor prædicationis, morſque pro juſtitiâ tolerata.

Quintò. Innumeri pro Christo martyrium ſuſtinuerunt Viri innocentes, tot tenellæ Virgines, tot alii vix aquâ baptiſmatis emundati, & è veſtigio ad ſupplicium ducti;

Quanta vis ſatisfaciendi in Martyrio.

ſed Martyrium tantam habet vim ſatisfactivam, ut ſufficiat ad delendum reatum quorumcumque criminum graviſſimorum; quare ſceleſtiſſimus quilibet, ſi martyrio coronetur, illico ad Cœlum evolat, ita ut nefas ſit pro illo orare, ſicuti docet *Auguſtinus* ſerm. 17. de verbis Domini : ergo plurimum ſatisfactionis ſuperfluit ex martyriis Sanctorum. Sed quid dicendum de Virginibus, Religioſis, Eremitis, qui diutiſſimum pœnitentiæ pondus exantlarunt? Perperam igitur ſuperfluentem Sanctorum ſatisfactionem Novatores impugnant.

17 Nunc probanda eſt minor, videlicet hujuſmodi ſatisfactiones in Eccleſiæ Theſaurum redundare, & oſtenditur *primò* : ex Scripturis conſtat unius Fidelis bona etiam aliis eſſe utilia : ergo ſuperabundans fructus ſatisfactionis reponitur in Eccleſiæ Theſauro.

Bonum opus unius Fidelis aliis prodeſt.

Etenim Theſaurus nihil eſt aliud, niſi cumulus meritorum ordinatus ad aliorum quorumcunque Fidelium utilitatem. *Ant. oſtenditur* Pſalm. 118. v. 63. *Particeps*, ſeu ùt legitur ex Hebræo, *Socius ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua*; ideſt, ex quo amicus ſum Sanctorum, particeps efficior bonorum, quæ ipſi faciunt : & ideo Joannes *Epiſt.* 1. *cap.* 1. *verſ.* 3. hac participationis ſpe confortabat eos, quos erudiebat : *Ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum* : cui conſonat illud Pſal. 121. v. 3. *Ieruſalem, quæ ædificatur ùt Civitas : cujus participatio ejus in idipſum*. Ubi Eccleſia pacatiſſimæ Civitati comparatur, in qua Cives adinvicem communicant, ùt patet, quòd illuc aſcendunt Tribus Iſrael, nempe variæ nationes, & gentes eandem profitentes fidem, & legem : cùm ergo in Civitate pacata ſit communicatio civilis bonorum temporalium, in Eccleſia datur ſpiritualis communicatio bonorum : de qua ad gratias Deo agendas hortatur Paulus ad Coloſſenſes cap. 1. v. 12. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine*.

Fideles ad invicem communicant in bonis ſpiritualibus.

Et Apoſtolus non ſolùm loquitur de participatione in unitate fidei, ſed etiam fructus bonorum cujuſque operum; ideò verbis immediatè antecedentibus fatetur, ſe quotidie Deum rogare pro illis, ut magis, ac magis proficiant in omni opere bono, & virtute, agentes gratias Deo, qui dignos nos fecit participationis Sanctorum : ac proinde vult dicere, quòd agant Deo gratias, eò quòd participes effecti ſunt bonorum cujuſque operum medio lumine fidei ſuſceptu.

CONFIRM. Apoſtolus loco citato v. 24. *Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*: Paulus opera pœnalia exercebat in utilitatem, & ſatisfactionem Fidelium Eccleſiæ : nec ſolùm intendebat labores, quos in prædicatione Verbi Dei in bonum Eccleſiæ exantlabat, ùt vult *Kemnitius*, vel quòd bona opera exercebat ad exemplum Fidelium, ùt *Calvinus*. Nam textus eſt univerſalis, neque hanc patitur limitationem, præſertim quòd dicat ſe in carne ſua ſupplere ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti pro corpore Eccleſiæ, ſcilicet patiendo pro Fidelibus adimplendo vices Chriſti. Sed Chriſtus patiens non ſolùm profuit Eccleſiæ per bonum exemplum, & prædicationem, ſed verè etiam ſatisfaciendo pro peccatis : ergo etiam Paulus non loquitur ſolummodò de prædicationis labore, verùm èt de ſatisfactione pro

pœnâ

pœnâ temporali debitâ Fidelium culpis
Chriſti gratiâ remiſſis. Nec aliter ad ip-
ſius charitatem in animarum ſalutem conſenta- A
nea eſſe poteſt locutio; quia in 2. ad Corinth.
12. verſ. 15. dicebat: *Ego autem libratiſſimè*
Paulus expiavit aliorū crimina.
impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus
veſtris: ideo hiſce locis interpretationem ad-
hibet *Origenes* Homil. 10. in Num. ſuo mo-
du Paulum expiaſſe aliorum crimina. Et *Au-*
guſtinus Pſalm. 61. explicans locum Apoſtoli
ad Coloſſenſes 1. *Patitur* Chriſtus *in mem-*
bris ſuis, ideſt in nobis ipſis ad communem hanc
quaſi rempublicam: nam quiſque pro modulo no-
ſtro exolvimus, quod debemus.
CONFIRM. *ſecundò* 2. Corinth. 8. verſ.
14. *In præſenti tempore veſtra abundantia illo-* B
rum inopiam ſuppleat: ut & illorum abundan-
tia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum. Apoſtolus
hortatur Corinthios divitiis affluentes, ut
pauperes ſolentur eleemoſynis, ſpe ducti ſe
recepturos ſpiritualem ab iis eleemoſynam,
fructum videlicet bonorum operum, quibus
abundabant Fideles: ergo ex bono ſpirituali
unius Fidelis in alium redundat utilitas.
Explicatio Kemnitii.
18 Nec valet *Kemnitii* gloſſa, ut Co-
rinthii mittant pecuniam recepturi eos,
queis egebant, Prædicatores verbi Dei,
juxta illud 1. ad Corinth. 9. v. 11. *Si ſpi-*
ritualia ſeminaverimus, magnum eſt ſi nos car-
nalia veſtra metamus?
Nil, inquam, valet; quandoquidem lo- C
cutio Pauli ſit omnino univerſalis, & ſignan-
ter de communicatione a nobis explicata;
nam 2. Corinth. 9. v. 12. dicit: *Miniſte-*
Communicatio in ſpiritualibus.
rium hujus officii, non ſolùm ſuppleat ea quæ
deſunt Sanctis, ſed etiam abundat per multas
*gratiarum actiones in Domino, * per probationem*
miniſterii hujus, glorificantes Deum in obedientia
confeſſionis veſtræ, in Evangelium Chriſti, & ſim-
plicitate communicationis in illos, & in omnes,
** & in ipſorum obſecratione pro vobis*. Præterea
Corinthii non egebant Concionatoribus,
nam de illis 1. Corinth. 1. v. 5. dicitur:
Quod in omnibus divites facti eſtis in illo, in om- D
ni verbo, & in omni ſcientia: & 2. cap. 8.
v. 7. *Sicut in omnibus abundatis fide, & ſer-*
mone, & ſcientiâ. Chyſoſtomus, Theodo-
retus, Theophylactus, Haymo, aliique ma-
Qui temporalia recipit, ſpiritualia reddat.
ximè Græci explicant Paulum de participa-
tione bonorum operum. Et ſanè par eſt,
ut qui temporalia ſubſidia recipit, reddat
ſpiritualia?
CONFIRM. *tertiò* 2. Corinth. 12. v. 14.
& ſeq. *Non enim quæro, quæ veſtra ſunt,*
ſed vos. Nec enim debent Filii parentibus the-
*ſaurizare, ſed parentes filiis. * Ego autem liben-*
tiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro
animabus veſtris. Apoſtolus ſe patrem exhi- E
bet ſpiritualem ſua opera theſaurizantem
iis, quos in Chriſto genuerat per Evange-
lium: ergo unus Fidelis fructum bonorum
operum alterius participat.
19 PROB. 2. *eadem minor*. Exigit
providentia, & juſtitia Dei, ut remuneren-
tur convenienti modo Juſtorum opera; ſed
niſi ſatisfactiones ſuperfluentes aliis prodeſ-
ſent, irremunerata abirent ſecundùm aliquem
valorem opera Juſtorum: ergo. *Min. patet*:
Lucæ 21. v. 18., *& capillus de capite veſtro*
non peribit, & juxta vulgatum axioma, *quod*
Deus punit infra condignum, & præmiat ſupra
condignum; ſed ne minimam quidem cul-
pam impunem relinquit: ergo nec ullum
dimittit valorem boni operis ſine præmio.
Cùm ergo plurimus ille valor ſatisfactionis
ſuperet in Juſtis, niſi aliis impenderetur,
præmii vacuus in irritum caderet.
EXPLICATUR. Charitas magis in-
clinat ad benè faciendum fratribus ſpirituali *Charitas inclinat ad ſubveniendum fratribus.*
ſubſidio, quàm corporali; ſed ſubſidium
corporale pro fratre ita Deo placet, ut tan-
quam ſibi oblatum Chriſtus recipiat: *quod*
uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: &
calicem aquæ frigidæ proximo donatum non
relinquit abſque mercede: ergo a fortiori
ſubſidium ſpirituale pro fratre oblatum ac-
ceptat; ſed hoc ſubſidium, non ſolùm eſt
prædicatio Evangelii, & ſalutare conſilium,
ſed etiam ſolutio pretii pro debito tempo-
ralis pœnæ alterius: ergo acceptat Deus hoc
ſubſidium.
EXPLICATUR *ſecundò*. Id de San-
ctorum ſatisfactionibus eſt tenendum, quod *Juſti diriguntur charitate.*
charitati conſonat, qua Juſti in illis operi-
bus diriguntur, & ſtatui militantis Eccleſiæ
congruit; ſed virtute charitatis intendebant
prodeſſe Eccleſiæ, & Fidelibus, quantum
poterant: & ſtatus militantis Eccleſiæ eſt
ſtatus indigentiæ, ùt patet: ergo abſque
dubio ſatisfactiones illæ vergunt in Eccleſiæ
bonum; & quamvis expreſsè aliquando San-
cti obtulerint pro aliquo in particulari,
ſæpiùs tamen hoc non effecerunt; quippequi
humiliter de ſe ipſis ſentientes crederent ſua
nihil opera valere, vel ipſis indigere: im-
mo frequenter iis, quibus attributa ſunt,
nullum ſortiuntur effectum, vel quia non
ſint indigi, vel quia poſuerint obicem,
tunc, caſſo irritoque effectu, remeant in the-
ſaurum Eccleſiæ. Porrò quis credat civi- *Si Reſpublica habet Theſaurum, debet etiam habere Eccleſia.*
lem quamque rempublicam ærario inſtru-
ctam eſſe, quod ex civium bonis conflatur,
Eccleſiaſticæ verò Reipublicæ ſpirituale hu-
juſmodi gazophilacium deeſſe?

§. SECUNDUS.

PRÆCLUDITUR LUTHERI *RESPONSIO*.

20 ADductæ rationi *Lutherus* art. 13. ſic
occurrit. Semel admiſſis hujuſ-
modi ſatisfactionibus Sanctorum,
deberet in eodem opere bono admitti meri-
tum, & ſatisfactio; ſed fictitia eſt hæc
diviſio in eodem opere, cui ineſt dumtaxat
meritum, quod cùm nequeat aliis applicari,
explodendus videtur hujuſmodi Theſaurus
Sanctorum meritis conſtans.
SED CONTRA. Uni, eidemque ope-
ri vim tribuit Scriptura ſatisfactivam pro *In eodem opere datur meritum, & ſatisfactio.*
peccatis, & meritoriam vitæ æternæ: ergo
ea diſtinctio non eſt fictitia. *Ant. declaratur*.
De eleemoſyna inquit Scriptura Tob. 4. v.
11. *Eleemoſyna ab omni peccato & a morte*
liberat: Eccl. 3. v. 33. *Ignem ardentem ex-*
tinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis: er-
go, eleemoſyna eſt ſatisfactoria de pec-
catis; ſed de eadem Matth. 25. v. 34
dicitur: *Poſſidete paratum vobis regnum a con-*

ſtitutione Mundi. " *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare &c.* ergo etiam eſt meritoria vitæ æternæ. *Secundò* Jejunium ſatisfacit pro peccatis. Jonæ 3. v. 5. *Prædicaverunt Jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis a majori uſque ad minorem:* v. 10., *& miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit:* ſed de eodem Jejunio Matth. 6. v. 17. habetur: *Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava,* " *ne videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito: & Pater tuus, qui eſt in abſcondito, reddet tibi,* ſcilicet mercedem gloriæ: ergo ſimul eſt etiam meritorium. *Tertiò* Oratio item eſt ſatisfactoria; nam de ea dicitur: *Dimitte nobis debita noſtra;* eademque Oratio eſt meritoria: Matth. 6. v. 6. *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo Oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito: & Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi,* ſcilicet vitam æternam, quam in Oratione Dominica petendam nos docuit Chriſtus: *Adveniat regnum tuum:* ergo.

CONFIRMATUR: operi bono, v. g. charitatis, præmium vitæ æternæ correſpondet. Sap. 5. v. 16. *Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum.* Matth. 19. v. 29. *Omnis, qui reliquerit . . . Patrem, aut Matrem . . . propter nomen meum, . . . vitam æternam poſſidebit:* operi bono quà pœnali correſpondet ſatisfactio, & redemptio a peccatis: Joelis 2. v. 12. *Dicit Dominus: convertimini ad me in toto corde veſtro in jejunio, & in fletu, & in planctu:* & Job. 42. v. 6. *Idcirco . . . ago pœnitentiam in favilla & cinere;* ſed operi eidem bono ineſt pœnalitas: ergo inſita eſt vis meritoria, & ſatisfactoria.

Non implicat multiplex valor in eodem opere.

EXPLICATUR *primò*. Non implicat, quòd idem opus bonum, ut honorificum Deo, v. g. Evangelii prædicatio, mereatur vitam æternam, ſicut de ſe ipſo Paulus ait 2. ad Timoth. 4. v. 8. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex,* & ut Proximo proficuum ea juſtitia commutativa mereatur corporale alimentum; unde Apoſtolus 1. ad Corinth. 9. v. 7. ait: *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam?* ergo non implicat, quòd idem opus ùt a Charitate ſit meritorium, & ùt pœnale ſatisfactorium. Præterea poteſt Oratio eſſe impetratoria pro aliis, Jacob. 5. v. 16. *Orate pro invicem, ut ſalvemini,* & meritoria Oranti vitæ æternæ; & eò magis, quò puriùs dirigitur in ſalutem proximi: ergo ob diverſos reſpectus non implicat multiplex valor in eodem opere.

EXPLICATUR *ſecundò*. Eccleſia Militans ſæpius in Scriptura Regno comparatur; ſed in Regno Terræ ſerviens Regi, v. g. in bello, ea juſtitia commutativa meretur ſibi quotidiana ſtipendia, & ea juſtitia diſtributiva dignitates, & Reipublicæ honores, ſi bene rem Principis agat: ergo Fidelis opere eodem bono poterit titulo juſtitiæ commutativæ acquirere jus ad unum, & titulo diſtributivæ ad aliud; ſed compenſatio pœnæ pertinet ad commutativam juxta illud Deuter. 25. v. 2. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus,* & retributio gloriæ ad diſtributivam, ùt patet ex parabola Matth. 25. de quinque talentis: ergo idem opus poteſt eſſe ſatisfactorium, & meritorium: ergo hæc diſtinctio duplicis valoris non eſt Papiſtarum commentum.

§. TERTIUS.

QUÆDAM HÆRETICORUM ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

21 OBJICIES 1. Vix Sancti omnes ſufficienter mandata Dei, quæ præcepta ſunt, impleverunt: ergo illis nihil ſuperfluit alteri communicandum. *Ant. oſtenditur.* Lucæ 17. v. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus.* *Secundò* Matth. 25. v. 9. Virginibus fatuis reſponderunt Prudentes: *Ne fortè non ſufficiat nobis, & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis:* ergo Juſti vix habent ſibi ſufficientia. *Tertiò* quiſque Sanctorum tenetur diligere Deum, quantum poteſt, juxta illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ex totis viribus tuis;* ſed hoc nullus facit: ergo. *Quartò* Sanctorum nemo fuit abſque peccato 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus:* & apud Iſaiam 64. v. 6. *quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ.* *Quintò* ex *S. Auguſtino* omnis Sanctus dicere debet: *Dimitte nobis debita noſtra:* ergo per ſe indigent Sancti: ergo pro aliis nequeunt ſatisfacere.

Plures Sancti omnia præcepta Dei adimpleverunt.

RESP. Hoc Hæreticorum argumentum in æquivoco laborat: *neg. antec.*: multi enim Sancti a principio uſus rationis uſque ad mortem ab omni labe mortali fuerunt immunes, unde omnia præcepta Dei adimpleverunt, ùt de Joanne Baptiſta, de Jeremia, ac de pluribus aliis tenet Eccleſia; & ſi aliqui defecerunt aliquando, ſuperabundanti pœnitentia uſi ſunt, ùt de Paulo, Magdalena, Petro, aliiſque in comperto eſt. Quocirca plurimum ſatisfactionis ſupereffluere potuit: nec prima quicquam probatio evincit. Textus ille ab Adverſariis aſſumitur ad probandum nullum opus ſupererogationis Juſtos egiſſe, quod certè abhorret a vero; nam prætérquamquod præcepta adamuſſim fecere, perplures conſilia etiam Evangelica obſervaverunt, quod utique eſt opus ſupererogatorium; nec iidem dicuntur inutiles Servi, audiamus *Ambroſium* lib. de Viduis: — Hoc Virgo non „ dicit (nimirum ſervus inutilis ſum) hoc „ non dicit ille, qui bona ſua vendidit, „ ſed quaſi repoſita expectat præmia, ſicut „ Sanctus Apoſtolus ait: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid „ ergo erit nobis? Non enim quaſi inutilis ſervus, quod debuit facere feciſſe „ ſe dicit, ſed quaſi utilis Domino, qui „ commiſſa ſibi talenta quæſitis multiplicavit uſuris mercedem fidei, atque virtutis benè conſcius, meritorumque ſecu-

Sancti plures adimpleverũt cõſilia Evangelica.

„ rus

„ rus expectat. -- Sed eſto, adimpleverint dumtaxat mandata Dei, illa eadem adimpletio fuit ſatisfactoria, utpotè pœnalis, & ſenſibus permoleſta. Sanè, cùm hæc omnia fecerimus, debemus nos conſiderare, tanquam ſervos inutiles; quia ſufficientia noſtra cùm ea Deo ſit, debemus humiles in ſanctitate eſſe, nec adversùs alterum extolli, cùm nihil habeamus, quod non acceperimus. Neque ſecunda probatio quicquam valet. In oleo, quod petebant fatuæ Virgines innuitur auxilium neceſſarium ad adimplenda mandata Dei, & ad conſequendam gloriam, quod nulli eſt communicabile: charitas ſiquidem Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum. Tertia quoque ratio falſa eſt; nam Sancti dilexere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus; non enim eſt neceſſe, ut ſemper eliciant actus formaliter tendentes in Deum: ſufficit dilectio Dei appretiativa ſuper omnia, qua dilectione Sancti funguntur, immo etiam frequenter interiores, externoſque perſæpe actus eliciunt, dum præceptum non urget, adeoque plures accenſentur actus ſupererogationis. Ad auctoritatem *Joannis* DICO: loquitur ipſe de venialibus leviſſimis, quæ facili negotio diluunt Juſti, non verò de mortali peccato, juxta illud, quod in eadem Epiſtola cap. 3. v. 9.: *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*: intendit verò *Iſajas* juſtitias virtutum naturalium, & comparativè ad ſanctitatem Dei, non autem de bonis operibus gratià Dei elicitis: *Auguſtinus* intelligendus eſt de culpis quotidianis, quorum antea meminerat Apoſtolus Joannes. Hæc innuiſſe mihi ſat eſt alibi fuſiùs explicaturo eaſdem Scripturas, queis intendunt Hæretici probare opera noſtrùm omnium eſſe peccata.

Quomodo dicendus quilibet ſervus inutilis.

Debemus diligere Deum ſuper omnia appretiativè.

22 OBJIC. 2. Opera, quæ jam in uno remuneratur Deus, in altero nil habent remunerandum; ſed opera Sanctorum perfectè remuneratus eſt Deus: ergo nihil eis ſupereſt, quod aliis ad remunerandum communicetur. *Probatur min.* Deus unumquemque præmio afficit ſupra condignum juxta illud Lucæ 6. v. 38. *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum*: & ad Rom. 8. v. 18. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*: ergo.

RESP. *neg. min.* loquendo de parte remunerationis, quæ valori ſatisfactivo, ſeu operi ùt laborioſo correſpondet. Probationes verò ex Scriptura ſolùm denotant vim meritoriam, quæ ineſt operibus bonis, undequaque fuiſſe expletam collatione præmii eſſentialis. Nos haudquaquam dicimus lineæ meritoriæ aliquid Sanctis ſupereſſe, ſed aliquid tantùm lineæ ſatisfactivæ, quæ ad pœnam peccati abolendam ordinatur.

Vis meritoria non remanet in operibus bonis, ſed per præmium eſſentiale compenſatur.

23 OBJICIES 3. Vel Sancti ſua aliis opera donarunt; & ſic repenſa eſt iiſdem merces, nec aliud quicquam reſtat: vel nulli fuere attributa Sanctorum opera, & hoc pacto ſolis prodeſſa operantibus evincitur: *primò* quia pœnale opus quanquam non mereatur præmium eſſentiale, meretur tamen accidentale; proindeque martyrio, utpotè maximè laborioſo correſpondet peculiaris laureola: *ſecundò* Sancti ſuis operibus intendunt, quantum poſſunt Deo placere, & præmium ſibi mereri: ergo ſi alteri non offerunt, totum ad ipſos revertitur: ergo nihil ſupereſt, quod in promptuario Eccleſiæ conſervetur, cujus ſit Pontifex quaſi promus.

RESP. Sancti ſæpènumero ſua obtulerunt alienæ utilitati, ſed fruſtrà, ùt dixi. Aliquando obtulere nemini, atque hæreditario quodam jure ſatisfactiones illæ ad Eccleſiam pertinent. Cæterùm pœnale opus qua tale falsò dicitur meritorium præmii accidentalis; non enim hæc formalitas pœnalitatis ordinatur ad præmium, ſed ad vindictam peccatorum. Nec obeſt exemplum martyrii: haud enim confertur Martyri laureola; quia non indiget ſatisfactione ad extinguendum debitum pœnæ temporalis, ſed propter heroicam fortitudinem, quæ in ſubeunda pro Chriſto morte exercetur. Nonne vides, ſi vel Nequiſſimus pro fide mortem oppetat, qui certè omnimoda indiget pœnalitate martyrii, ut ſuos penſet reatus, nihilominus eidem laureola donatur? Porrò ſanctiores Viri ſuis intendunt operibus, quantum in ſe eſt, ſibi mereri, & placere Deo: nequeunt tamen plus præmii acquirere per formalitatem pœnalitatis qua talis; utpote quæ ad diverſam lineam, ſcilicet vindictæ attinent. Quamobrem ſi ex ſatisfactione quicquam ſuperet, ſeponitur in Theſauro Eccleſiæ; neque ipſi operanti licet unquam extrahere vel ſibi, vel aliis, ſi neceſſitas eveniat, applicandum. Nam quod ſemel in publicum ærarium tranſiit, inde extrahi nullatenus poteſt, niſi per Cuſtodem ærarii, & Adminiſtrum.

Satisfactiones non applicatæ ſpectant ad Eccleſiam.

24 OBJICIES 4. Si ſuperfluens Sanctorum ſatisfactio in penu Indulgentiarum haberi poſſet, datæ fuiſſent Indulgentiæ etiam in antiqua Lege; ſed hoc eſt falſum: ergo. *Prob. maj.* Sanctis in lege veteri plurima ſuperfuerunt merita, ùt ſupra diximus: ergo ne abſque præmio perirent: ſeponi debebant aliis Fidelibus ejuſdem legis profutura, maximè quòd jure naturæ competit Rectori bona Reipublicæ indigentibus diſtribuere: ergo Summi Sacerdotis munus erat ſatisfactiones egentibus impertiri; ſed hoc non contingit in Lege veteri: ergo benè arguimus Sanctorum ſatisfactiones effluere, nec ex iis quicquam in Eccleſiæ penu conſervari.

RESP. *nego majorem*. Tunc ponebantur Sanctorum ſatisfactiones in Theſauro Indulgentiarum idoneo tempore diſpenſandæ: non tamen habebantur Indulgentiæ, quandoquidem ille Theſaurus necdum erat perfectè conſummatus per Chriſti merita, a quibus virtutem omnem Sanctorum opera ſumpſere. Cæterùm Eccleſiaſtici Theſauri diſpenſatio competit Gubernatori Communitatis non qualicumque, ſed habenti poteſtatem Clavium, quæ ſoli Pontifici novæ legis attributa eſt; nam quò lex gratiæ ube-

Quare in lege veteri non dabantur Indulgentiæ.

uberior eſt, eò etiam liberalior eſt remiſſio; ac propterea Chriſtus Matth. 13. verſ. 52. *Ideo omnis Scriba doctus in Regno Cælorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de Theſauro ſuo nova, & vetera*: & Cant. 7. v. 13. *Omnia poma: nova, & vetera, dilecte mi, ſervavi tibi*. Vide infra n. 68., & 69.

25 OBJICIES 5. Idem eſt Sacramentorum Theſaurus, & Indulgentiarum; ſed ſatisfactiones Sanctorum non pertinent ad Theſaurum Sacramentorum (non enim Sacramenta nobis applicant Electorum merita): ergo neque ad Theſaurum Indulgentiarum. Deinde hæc doctrina involvit contradictoria; nam ex uno capite ſolùm ſuperfluas ſatisfactiones in Theſauro reponit, & ex alio vult cumulum conſurgere ex meritis omnium Electorum a primo uſque ad ultimum; cùm falſum omninò ſit omnes Electos habuiſſe ſuperfluentes ſatisfactiones: aliter nullus Electus ad Purgatorium deſcendiſſet: ergo.

Idem eſt in re Theſaurus Sacramentorum, & Indulgentiarū.

RESP. In re unum eſſe Sacramentorum, & Indulgentiarum Theſaurum ex duplici coaleſcentem pretio, Chriſti, & Sanctorum: tamen per Sacramenta non applicatur, niſi ſecundùm quòd continet Chriſti merita; Sacramenta enim ſunt prima Inſtrumenta, & fundamenta Catholicæ Religionis, adeoque operari non debent, niſi per virtutem primarii fundatoris, qui eſt Chriſtus. Præterea Sacramenta ſaltem per ſe primò intendunt in effectu gratiam ſanctificantem, vel illius augmentum: ſatisfactiones verò Sanctorum ſolummodo debitum pœnæ; quo fit, ut applicari non debeant per Sacramenta, ſed per Indulgentias, quæ per ſe primò reſpiciunt pœnæ compenſationem. Ad id, quod additur, DICO nullam in iis contradictionem involvi. CLEMENS VI. cùm dixit Eccleſiæ Theſaurum conſurgere ex meritis Electorum omnium a primo uſque ad ultimum, ſic debet intelligi, quòd Theſaurus contineat non ſolùm ea, quæ ſunt de via ſolutionis, ſed etiam impetrationis; & quamvis non omnes Electi habuerint ſuperabundantes ſatisfactiones, habuerunt tamen ſuis in operibus vim impetratoriam, cujus pars aliqua propter charitatis unionem cedit in publicum bonum, & Eccleſiæ Theſauro addicitur. Verumtamen Theſaurus Eccleſiæ cùm diſpenſetur per modum ſolutionis, non autem impetrationis; ideo reſponſio hujuſmodi ſubſiſtere non videtur. Itaque breviter dico *Clementem* loqui per diſtributionem accommodam, ſcilicet Theſaurum Eccleſiæ conſtare ex Sanctorum ſatisfactionibus, quorum ſuperfluentes fuerunt.

§. QUARTUS.

RELIQUA HÆRETICORUM ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

26 OBJICIUNT 1. *Calvinus* lib. citato inſtit. cap. 9. n. 28., & ſeq., *Thilmanus Heshuſius* in lib. de ſexcentis erroribus Pontificum tit. 32., *Kemnitius* 4. parte examinis Concilii Tridentini in decreto de Indulgentiis, ſumpto arg. ex 1. Cor. 1. v. 30. *Unus eſt Redemptor noſter Jeſus Chriſtus, qui factus eſt nobis juſtitia, & redemptio*, & ex cap. 6. v. 20. *Empti enim eſtis pretio magno*; atqui Sanctorum ſatisfactiones ſi reponerentur in arca Indulgentiarum pro redimendis peccatis, alii præter Chriſtum eſſent Redemptores: ergo Sanctorum merita non pertinent ad Eccleſiæ Theſaurum.

Quinam dicantur Redemptor.

RESP. *nego min.* Sicut enim propterea, quòd unus ſatisfacit pro pœna ſuis criminibus debita, non dicitur redemptor ſui: ita neque ex eo, quòd unius ſatisfactiones ſint proficuæ ad extinguendam pœnam nobis alienis debitam, dicendus eſt aliorum Redemptor. Ratio eſt; quia redimere eſt a vera captivitate aliquem liberare, & ex propriis: jugum autem peccati eſt, quod nos veros Diaboli captivos conſtituit, a qua captivitate Chriſtus ſuo ſanguine, & ex propriis liberavit. Satisfactiones Sanctorum præcisè conducunt ad ſolutionem cujuſdam debiti temporalis pœnæ, quod regulariter remanet dimiſsâ culpâ, & neque ex propriis, ſed ob virtutem meritorum Chriſti, a quibus omnis in opera noſtra virtus derivatur, adeoque appellari non poſſunt animarum Redemptores, niſi latiſſima quadam cathacreſi, & in eo ſenſu, quo cooperantes alterius ſaluti dicuntur Salvatores, ùt de ſe ipſo ſcribit Paulus 1. Corinth. 9. v. 22. *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos*. Attamen ab hoc utvis impropriè loquendi modo, ob terminorum æquivocationem, abſtinendum eſt.

Peccatum nos conſtituit Diaboli captivos.

27 OBJIC. 2. Sanctorum ſatisfactiones Chriſti ſanguine immiſcére ad peccatorum remiſſionem, Satanica eſt Chriſti profanatio: ergo Theſaurus, in quo SS. merita congeruntur, eſt commentum Satanæ. Major emphaticâ eloquentiâ, pluribus agglomeratis Scripturis, a *Calvino* deprædicatur, quæ ad hæc ſummatim redigo. Propheta clamat, a Chriſto nobis acceptum iri peccatorum remiſſionem *Joan.* 1. Chriſtum acquiſiviſſe Eccleſiam ſanguine ſuo *Act.* 20. Una oblatione conſummaſſe ſanctificatos in ſempiternum *Hebr.* 9. Sanctos laviſſe ſtolas in ſanguine Agni *Apoc.* 7.; Sed Pontificii dictitant ex Sanctorum Theſauro, mediis Indulgentiis, criminum reatus ablui per Petrum, & per Paulum, Martyrum ſanguine abſtergi ſcelera, pretio Sanctorum Eccleſiam redimi, ſanctificationemque perfici Martyrum operibus, Juſtos lavare ſtolas in ſanguine, & alia id genus figmenta nequiſſima: ergo Chriſti ſanguinem horrenda prophanitate conſpurcant.

RESP.

RESP. *nego major:* Tunc quidem prophanatur ſanguis Chriſti, quando quis eo abutitur inſtar velaminis, ne bonis operibus ſeſe exerceat, ùt Novatores faciunt. Num dedecoratur, & minuitur Divinæ Omnipotentiæ honos ea eo, quòd non ipſa modò agat, ſed alios etiam ad agendum diſponat, atque perficiat? Honorificum immo eſt Chriſti ſanguini, quòd non ſolùm ipſe Patri placeat, apud eum mereatur, & ſatisfaciat, ſed efficiat etiam, ut opera noſtra Deo grata, meritoria, & ſatisfactoria habeantur. Ad probationem DICO: per eas omnes Scripturas idipſum probari, quod libenter concedimus nos, & omnino volumus; Chriſtum ſcilicet redemiſſe, expiaſſe, emundaſſe, laviſſe ſanguine ſuo peccata noſtra, maculas noſtras, conſcientias noſtras. Per Chriſtum igitur accipienda eſt remiſſio illa peccatorum, quam ſuſceptione fidei habuit *Cornelius*, ùt ea contextu patet. Sanguis Chriſti emundat nos non a pœna, ſed a culpa; hæc enim eſt, quæ indiget emundatione, pœna verò ſolutione: ſic etiam cùm dicitur Chriſtus acquiſiviſſe Eccleſiam ſanguine ſuo, conſtat loqui apertè de pretio ſanguinis in ordine ad redimendos homines a captivitate Diaboli; peccatum autem eſt, quod captivat homines, & ſubjectos facit Diabolo. Hinc benè etiam dicitur una oblatione conſumaſſe ſanctificatos in ſempiternum; una ſcilicet oblatione corporis ſui in Cruce, ut poſſint redimi homines a ſervitute peccati, & ipſa redemptio perpetua eſſe poſſit. Ad id *Apocalyp.* patet ea dictis de ablutione maculæ intelligi, non autem pœnæ. Quòd ſi iſte Catholicorum omnium ſenſus eſt, cur *Calvinus* nos calumniis impetit, perinde ac ſi per Indulgentias nos velimus, & per ſanguinem Martyrum peccata abluí, conſcientias a culpis expiari? Nos enim ſolummodò volumus, Theſaurum Sanctorum deſervire extinguendo, vel minuendo temporalia pœnæ reatui, qui frequenter dimiſſâ culpâ remanet.

Chriſti ſanguis Deo placet, & facit, ut ipſi opera noſtra placeant.

Peccatum captivat homines.

28 OBJICIES 3. *Dicere*, quòd Chriſti ſanguis non ſufficit ad ſatisfaciendum pro peccatis, eſt Chriſti ſanguinis prophanatio: —
„ Quò enim poterat fœdius prophanari
„ Chriſti ſanguis: — ſic inſtat *Calvinus* —
„ quàm dum negatur ſufficere ad peccato-
„ rum remiſſionem, ad reconciliationem,
„ ad ſatisfactionem, niſi velut areſcentis,
„ & exhauſti defectus aliundè ſuppleatur,
„ & ſufficiatur? — At ſi abutimur ſatisfactionibus Sanctorum ad extinguenda ſcelerum piacula, reputamus incongrua ad ſatisfactionem Chriſti merita, abs quo cæteroqui ait Scriptura non culpam modò, ſed èt pœnam abundè expiatam: ergo. *Explicatur*. Vel Chriſti paſſio fuit ſufficiens ad tollendum omne debitum culpæ, & pœnæ, vel non. Si primum, ad quid ſatisfactiones Sanctorum deſerviunt? ſi ſecundum, —
„ quid eſt hoc, — inquit Calvinus, — niſi
„ Chriſto nomen relinquere; cæterum vul-
„ garem Sanctulum facere, qui in turba
„ vix dignoſcatur? Unum, unum illum
„ prædicari decebat, unum proponi, unum
„ nominari, unum reſpici, cùm de obti-
„ nenda peccatorum remiſſione, expiatione,
„ ſatisfactione agitur.

RESP. primòm indirectè huic argumento, quod cùm *Calvino Hoſbuſius* per extenſum amplificat: Chriſtus vel perfectè nobis meruit remiſſionem peccatorum, gratiam, & gloriam, vel non. Si primum, cur *Marc.* ultimo verſ. 16. dicitur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: 1. Corinth 9. v. 24. *ſic currite ut comprehendatis*: 2. ad Timoth. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*: & cap. 2. v. 5. *Non coronabitur, niſi legitimè certaverit*? Cur Barbari, Gentiles, Mahumetani non ſalvantur? Si ſecundum: ergo Chriſto ſolum nomen relinquimus: ergo inter Sanctos eidem locus damus. Quid reſpondeant Hæretici? Certè hoc unum, ſcilicet applicandam nobis pernecceſſariò eſſe paſſionem Chriſti per Baptiſmum, per Fidem, per cooperationem noſtram. Non prodeſt igitur ſanguis Redemptoris, niſi per media applicatus. Inter hæc autem ſunt opera noſtra ſatisfactiva, noſtrorumque fratrum. Si ergo Baptiſmus, Fides, & cooperatio noſtra haudquaquam offendunt ſanguinem Chriſti, neque ipſum dehonorant ſatisfactiones Sanctorum ſatisfactionibus Chriſti adjunctæ. Ratio eſt; quia non miſcentur, nec adduntur, ut dent valorem meritis Chriſti, vel ut ſuppleant partem aliquam virtutis deficientis, ſed ut per eas, & cum eis nobis fructus paſſionis applicetur; in quo ſenſu hæc additio non eſt indecora, quemadmodum Paulus non fuit Chriſto injurius, dum ad Epheſ. 3. v. 9. ait ſibi datum *illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi*: quamvis de Chriſto Joannes 1. v. 9. dixerit: *Lux vera: quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*: nec cùm 1. Corinth. 3. v. 9. inquit, *Dei enim ſumus adjutores*; quia non eſt adjutor ex neceſſitate, ſed ex dignatione, & tanquam Miniſter. Ita nec injuriam facit Catholicus addens ſatisfactiones Sanctorum, quas non addit ex neceſſitate, ſed ut honoretur Deus; opera enim noſtra aſſumuntur tanquam media ad applicandum fructum ſatisfactionis Chriſti.

Merita Chriſti debent nobis applicari.

Actiones noſtræ aſſumuntur ex dignatione, non ex neceſſitate.

29 DICES. Ergo ſatisfactio noſtra nullam vim habet ſatisfactivam; nam Deus Homo adæquatè, & totaliter expiavit debitum pœnæ, & culpæ: ergo opera noſtra pœnalia non exigit Deus, tanquam utilia, ſed præcisè, ut imponat nobis pondus grave nimis: hoc Judaiſmum ſapit: ergo.

RESP. *nego conſeq.* Utinam hoc intelligant homines, ut benè agant. Sat quidem ſuperque fecit Chriſtus pro pœnæ reatu, non tamen ita, ut ſuam Patri ſatisfactionem obtulerit immediatè pro expiatione pœnæ abſque ullo reſpectu ad opera noſtra: Obtulit mediatè, quatenus noſtra ſimul opera obtulit dignificando, & valorando obligans humaniſſimè Æternum Patrem, ut quotieſcumque ejuſmodi actiones ita a Fidelibus offerrentur, eis pœnam dimitteret. Viden' noſtra ſimul opera eſſe ſatisfactiva, & ne-

Chriſtus Patri obtulit opera ſua ſimul cum opera noſtra.

& neceſſaria. At velint, nolint Sectarii, hanc doctrinam fateantur, neceſſe eſt. Scitor enim ipſos: annon Chriſtus oravit a Patre? annon obtinuit nobis neceſſaria ad ſalutem, dona gratiæ, auxilia, virtutes, tentationum victoriam, præceptorum adimpletionem, & alia id genus? Cur ergo nobis tam frequenter, tam ſolicitè in Evangelio præcipit, & inculcat, ut oremus indeſinenter, ſi jam Chriſtus nobis omnia impetravit? Num igitur oratio noſtra eſt ſupervacanea, & inutilis? Num ideo futilia nobis, & iniqua gravamina imponit? At heu miſeri, miſerandique! Chriſti paſſio iis eſt involucrum, ac velamen ſcelerum. Volutantur in pravis voluptatibus, & Chriſti meritis præſumunt impunes ſe ad cœleſtem gloriam evehendos. Sæva quadam rabie & Purgatorium, & Indulgentias demoliuntur; quippe quos una manet omnes infernalis æterna Dæmonum ſedes. Utinam aliquando reſipiſcant, & Indulgentiæ, & Purgatorii fiant conſortes!

30 INSTABIS. Vel operibus noſtris ineſt aliqua vis ſatisfaciendi diſtincta a virtute Chriſti, vel non. Si primum: ergo Chriſti ſatisfactio eſt imperfecta, quæ noſtris propterea ſatisfactionibus fulcienda ſit. Sin verò dicatur nulla ineſſe virtus ſatisfaciendi: ſunt abſolutè vacua, & inutilia.

Datur valor in actionibus noſtris, ſed ex meritis Chriſti.

RESP. Noſtris ſatisfactionibus inditam eſſe vim valoris, non quidem ex propriis, ſed ex virtute meritorum Chriſti; unde licèt a Chriſto ſit, quòd opera noſtra valeant, tamen & noſtra, & Chriſti opera ſimul valent. Cauſa ſecunda habet a prima, quod agat, & totum quod attingit ſecunda, attingit etiam prima; & nihilominus utraque cauſa verè agit. Ratio eſt; quia Chriſtus ſuis meritis valoravit utilitatem noſtrarum actionum: nec propterea ſequitur valorem Chriſti fore imperfectum; immo quia perfectiſſimus habuit, quo Deo placeret, & faceret, ut noſtra etiam placerent opera. Honoravit ergo nos Chriſtus, dum voluit, ut nos ſaluti noſtræ cooperaremur; glorioſiùs enim eſt coronam ſuis meritis acquirere, quàm alienis. Rem noſtram utiliter geſſit, ut bonis operibus exerceremur, ne perinde ac animalia immunda in luto iniquitatum rationalis homo immarceſceret.

31 OBJIC. 4. Scriptura manifeſtè docet nullius hominis opera alteri prodeſſe ad pœnæ redemptionem: ergo ex Sanctorum meritis non coaleſcit Eccleſiæ Theſaurus. *Ant.* habetur illo Pſal. 48. v. 8. *Frater non redimit, redimet homo*, ubi expreſsè ponitur particula *frater* ad tollendum recurſum communicationis fundatæ in fraterna charitate: & *Paulus* reprehendens confidentes in ſuis meritis exclamat: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt?* quaſi dicat: quid in meis meritis confiditis, cùm nullius ſint valoris pro vobis? Non enim ego paſſus ſum pro vobis.

RESP. *negan. antec.* Textus a *Kemnitio* allegatus non eſt ad rem; nam ſi ſtamus Rabinorum interpretationi, intelligitur de liberatione a morte temporali, & ſenſus eſt, ſi tibi Conjunctus nequit te a morte eripere, multò minùs quiſquam alius, & ad eos loquitur, qui in multitudine divitiarum confidunt. Si admittitur vulgaris Patrum expoſitio, ſignificat liberationem a captivitate peccati, & reatu gehennæ in hoc ſenſu, ſi amicus a morte animæ non te liberat, nec alius quilibet redimet; omnes namque indigent liberari, cùm omnes ſint ſub peccato: vel in ſenſu poſitivo, amicus non eripit a peccato, eripit tamen homo Deus, hoc eſt, Chriſtus, qui per antonomaſiam vocatur Homo. *Auguſtinus* ſerm. 1. ejuſdem Pſalmi dicit, ſi Chriſtus frater tuus non redimit; quia ponis obicem præſumptuoſæ confidentiæ in tua virtute, nec alius homo ab æterna morte te ſalvabit. Nulla ex adductis explicationibus Hæretico favet. Nec enim nos dicimus Sanctorum merita congeri in Eccleſiæ Theſaurum ad delendam peccati maculam, ad redimendam ab æternu carcere libertatem. Nec auctoritas D. *Pauli* quicquam officit, qui non ibi loquitur de ſatisfactionibus Sanctorum, ſed de virtute operante per Baptiſmum. Inter Corinthios oborta erat contentio ex eo, quòd unum baptizaverat *Apollo*, alium *Cephas*, *Paulus* alium; eos juſtè reprehendit; quia eſt idem baptiſma, eademque virtus, licèt a diverſis applicata, cùm non operetur ex meritis baptizantium, ſed ex meritis Chriſti: unde *Chryſoſtomus* Homil. 3. in 1. ad Corinth. *Ne dixeris enim, inquit, quis baptizavit, ſed in cujus nomine? Non enim quæritur, qui baptizavit, ſed qui invocatur ad baptiſma.* Paſſio igitur Chriſti operatur, & applicatur per Sacramenta, quod libenter admittimus, nec aſſerimus nos id, quod falsò ſupponit Hæreticus Sanctorum merita operari, & applicari per Sacramentum, cùm hoc dumtaxat Chriſti meritis conveniat.

Si non redimit Chriſtus, nullus redemit.

Corinthiorũ contentio ob Baptiſma.

Merita Chriſti nobis applicantur per Sacramenta.

32 OBJIC. 5. Patres negant opera unius aliis prodeſſe ad pœnæ remiſſionem: ergo Theſaurus ex eorum meritis eſt fictitius. *Ant. oſtendit Calvinus* ex teſtimoniis LEONIS Papæ Epiſt. 81. ad Paleſtinos, & ex *Auguſtino*: — Præclarè (inquit Hæreticus ſect. 40.) adverſùs hæc ſacrilegia Leo Epiſcopus Romanus in Epiſtola 81. ad Paleſtinos loquitur: quamvis multorum Sanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit: nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit Mundi: acce- pere Juſti, non dedere coronas, & de fortitudine Fidelium nata ſunt exempla patientiæ, non dona juſtitiæ: ſingulares quippe illorum mortes fuerunt, nec alterius quiſpiam debitum ſuo fine perſolvit, cùm unus extiterit Dominus Chriſtus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes ſunt etiam reſuſcitati: nec minus appoſitè S. Auguſtinus tract. 84. in Joan. ſi fratres, inquit, pro fratribus moriamur, nullius tamen ſanguis Martyris in remiſſionem peccatorum funditur, quod fecit Chriſtus pro nobis, neque in hoc quid imitaremur, ſed quid gratularemur, contulit nobis: — Item lib. 4. ad Bonifacium cap. 4. — Sicut ſolus Filius Dei, factus eſt filius hominis, ut nos ſecum

„ filios

„ filios Dei faceret, ita pro nobis ſolus „ ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, ut „ nos per ſe ipſum ſine bonis meritis con„ ſequeremur gratiam. — Quibus addendus eſt *D. Th.* 3. p. q. 48. art. 5. ad 3. ſolvens enim objectionem ex illo *Pauli* ad Coloſſenſ. 1. *Gaudeo in paſſionibus pro vobis*, habet — Paſſiones Sanctorum proficiunt „ Eccleſiæ, non quidem per modum „ redemptionis, ſed per modum exem„ pli, & exhortationis, ſecundùm illud 2. „ Corinth. 1. ſive tribulamur pro veſtra „ exhortatione, & ſalute: — Ecce quomodo Patres clarè negant in Sanctis vim ſolutivam a pœnis debitis peccato aliorum.

RESP. Si benè intelligantur Patres, vera ſunt omnia. Volunt enim meritis Sanctorum neminem redimi poſſe a peccato, & gehenna: nullius igitur inſontis occiſio propitiatio ſuit pro peccatis; unicum enim volunt animarum Redemptorem Chriſtum, a quo omne meritum, omne donum, omnis gloria, omnis juſtitia derivatur: unus eſt Chriſtus, qui pro nobis paſſus eſt, ut nos Dæmonis jugo ſubduceret. Id tamen a meritis Sanctorum non excludit vim ſatisfactivam pro peccatis ſuis, & aliorum, accedente charitatis vinculo. Sanè quid apud Sanctum *Leonem* familiarius, quàm commendatio virtutis jejunii ad eradenda peccatorum debita? Quoties repetit per opera bona Deo ſatisfieri? legatur Sermo *primus* de jejunio decimi Menſis, Epiſt. 79. ad Nicetam, 91. ad Theodorum, & alibi ſæpè idem ingeminat. Sed quàm inſipienter pro ſe *Auguſtinum* adducit *Calvinus*? Remiſſio enim peccatorum ſoli Chriſto tribuenda eſt, cùm juſtificamur gratis per gratiam ipſius: nemo noſtrùm ab Indulgentiis eam expectat remiſſionem, quæ in juſtificatione habetur: hæc eſt aperta mens *Auguſtini*, qui aliàs docuit Sanctorum ſatisfactiones; cùm aſſeruit nullum debere mori, niſi præmiſſâ durâ peccatorum pœnitentiâ, quantumvis moriens juſtus ſit. Quoties ſuis ſcriptis affirmat Deo ſatisfieri pœnalibus operibus? Videatur Pſal. 77., 50., & Pſal. 48. ſequentia habet: — Qui ſunt, „ qui dant pretium redemptionis animæ ſuæ? „ Quibus ait Dominus; facite vobis ami„ cos de mammona iniquitatis, ut & ipſi „ recipiant vos in æterna tabernacula: illi „ dant pretium animæ ſuæ, qui non ceſ„ ſant eleemoſynas facere; ideo illos, quos „ monet per Timotheum Apoſtolus, no„ luit eſſe ſuperbos, ne in abundantia di„ vitiarum gloriarentur. Denique, quod „ poſſidebant, noluit apud illos veteraſce„ re, ſed aliquid ex eo fieri, ut eſſet „ pretium redemptionis animæ eorum.... — Theſaurizent, inquit, ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam, *ſic dabunt pretium redemptionis animæ ſuæ*. Ad auctoritatem *D. Th.* DICO: ibi quidem aſſeritur, quòd paſſiones proſunt per modum exempli, & negat prodeſſe per modum redemptionis, ita ut redimant a culpa, cum quo ſtat, quòd poſſint juvare ſatisfaciendo pro pœna, ut docet 4. *diſtinc.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. — Si Indulgentia ſub hac for„ ma fiat, quicumque fecerit hoc, vel il„ lud, ipſe, & Pater ejus, vel quicumque „ ei adjunctus in Purgatorio detentus tan„ tum de Indulgentia habebit; talis in„ dulgentia non ſolùm Vivo, ſed etiam „ Mortuo proderit. — Vide ſuperiùs Part. IV. Contrav. III. n. 24., & ſeq.

Chriſto tribuenda eſt noſtra juſtificatio.

Indulgentia proſunt Defunctis.

A B C D E

CONTROVERSIA III.

AN EX SCRIPTURA COLLIGATUR POTESTAS CONCEDENDI INDULGENTIAS.

33 JAm ſummum ingredior certamen contra Hæreticos. Sed, ut clarior ſit methodus, quæ proferunt Heterodoxi, multiphariam partiar. Prima hæc quæſtio eſt, *an poteſtas concedendi Indulgentias ex Scripturis conſtet*. Ad hanc theſim nos provocant Reformatores, qui ubique conſuetudines Eccleſiæ, quæ ex Scripturis non conſtent, tanquam erroneas rejiciunt.

34 DICO: *Poteſtas concedendi Indulgentias conſtat ex Scriptura*. Nomine Indulgentiæ intelligimus pœnæ peccatis debitæ etiam coram Deo remiſſionem, quæ fit applicatione Theſauri Eccleſiæ extra Sacramentum. Dimiſsâ enim culpâ, regulariter manet debitum pœnæ, ut oſtendimus in Controverſiis de Purgatorio; quocirca haud repetam objecta *Kemnitii* contra Indulgentias, qui intendit probare, poſitâ juſtificatione, nullum pœnæ temporalis reatum ſupereſſe. *Probatur jam concluſio*. Eccleſia in ſuo Capite poteſtatem habet univerſalem auferendi quodquod vinculum impediens conſecutionem gloriæ; atqui debitum pœnæ temporalis pro peccatis eſt vinculum impediens conſecutionem gloriæ: ergo Eccleſia poteſtatem habet illud auferendi: ergo per Indulgentias. *Maj. oſtend.* Matth. 16. v. 19. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*: propoſitio hæc ſecundùm omnes ſuas partes eſt univerſalis; illa enim particula *quodcumque* generaliſſima eſt: ergo includit quodcumque vinculum impediens conſecutionem Regni Cœlorum; verba namque Scripturæ accipienda ſunt, prout ſonant, & literaliter, niſi evidens ſequatur abſurdum. Quòd autem ea verba comprehendant omne vinculum, non modò non eſt abſurdum, ſed è dignitate eſt Vicarii Chriſti, & congruum utilitati Eccleſiæ. *Min. eſt certa*; nihil enim coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum, & nemo reus pœnæ ingreditur regnum gloriæ. Prima conſequentia legitima eſt: probanda remanet altera, videlicet hanc ſolutionem poſſe per Indulgentias effici. Probo igitur.

Dimiſsâ culpâ ſæpenumero remanet pœna luenda.

Poteſtas Eccleſiæ auferendi omne vinculum.

Verba Scripturæ intelligenda ſunt in ſenſu literali, & quando.

Pœnam temporalem ſolvere per Indulgentias eſt eam dimittere poteſtate Clavium extra Sacramentum; ſed poteſtate Clavium extra Sacramentum poteſt Pontifex, ſeu Eccleſia in ſuo Capite pœnam dimittere: ergo. *Prob. min.* 1. Illa promiſſio non ſolùm eſt univerſalis, quoad qualitatem vinculi ſolvendi,

Poteſt Pontifex extra Sacramentum pœnam dimittere.

ſed etiam quoad modum: ergo non limitatur ad ſolutionem intra Sacramentum. *Secundò*. Quia illa propoſitio eſt univerſalis, colligunt inde omnes uſum Eccleſiæ, poteſtatem ſcilicet abſolvendi a cenſuris, diſpenſandi a legibus, ligandi per cenſuras, & leges tum intra, tum extra Sacramentum: ergo pariter, quia eſt univerſalis, non debet limitari ad ſolutionem pœnæ intra Sacramentum. *Tertiò*. Poteſtatem abſolvendi Sacramentaliter, tradidit expreſsè Chriſtus illis verbis *Joan.* 20. v. 22.: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: ergo cum in laudato textu *Matthæi* propoſitio ſit univerſalis, & abſoluta, non eſt ſoli illiganda remiſſioni intra Sacramentum. *Quartò*. Promiſſio illa, *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum*, conceſſa, & adimpleta fuit, cùm Chriſtus Petro dixit: *Paſce oves meas*; tradidit enim tunc illi Primatum Eccleſiæ. Sed poteſtas paſcendi oves non reſtringitur ad alimentum intra Sacramentum, ſed etiam extra: ergo poteſtas ſolvendi a debito pœnæ non eſt reſtringenda ad ſolam Sacramentalem. *Quintò*. Generalis poteſtas Principis ad bonum Reipublicæ conceſſa debet intelligi ampliſſima, ùt habetur l. *beneficium* §. *de conſtitut. Princip.*, & alibi; ſed poteſtas ſolvendi debitum extraſacramentaliter eſt conceſſa ad bonum Eccleſiæ regimen: ergo ita conceſſam credere debemus. *Sextò*. Matth. 18. v. 17. Chriſtus occaſione peculiaris actus juriſdictionis per excommunicationem conceſſit Eccleſiæ univerſalem poteſtatem ligandi, & ſolvendi: *Quòd ſi non audierit eos: dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit: ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*, & verſ. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo*: ergo non reſtrinxit poteſtatem huic, vel illi modo. *Explicatur*. Majus quid eſt ligare excommunicatione, quàm ligare quacumque alia pœna; nam excommunicatio privat quolibet actu activo, & paſſivo Sacramentorum, ſpirituali, & civili Fidelium communione, & bonorum Eccleſiæ; unde ex genere ſuo, & in aliquo ſenſu, eſt major pœnâ Purgatorii: ergo ſi Eccleſia poteſt extra Sacramentum abſolvere ab hac pœna, & aliquid plus, ùt ex allatis verbis conſtat, poterit etiam ab aliis pœnis abſolvere extra Sacramentum per Indulgentias. *Explicatur ſecundò*. Poteſt Eccleſia vi Clavium privare Fideles participatione meritorum Chriſti per Sacramenta communicabilium, inſuper orationum, & ſuffragiorum Eccleſiæ: ergo cùm poteſtas ligandi ſit correlativa ad poteſtatem ſolvendi, poteſt Eccleſia ligatis debito pœnæ communicare paſſiones Chriſti, & Fidelium, quod fit per Indulgentias.

35 DICES. Si per eam ligandi univerſalem, ſolvendique poteſtatem adſtruitur in Eccleſia facultas abſolvendi a pœnis extra Sacramentum, ſolvere etiam poſſet extra Sacramentum a culpa; ſed hoc non admittitur: ergo neque illud.

RESP. Ea utcumque poteſtas ſolvendi ſit univerſalis, intelligenda tamen eſt ſecundùm exigentiam rerum, circa quas verſari ea facultas debet. Cùm ergo reatus culpæ non ſolvatur, niſi per infuſionem gratiæ, & Eccleſia non poſſit gratiam infundere, niſi per Sacramenta, ideo hæc poteſtas extra Sacramentum non extenditur. Cœterùm pœnæ ſolutio, dimiſſâ culpâ, cùm non exigat novam infuſionem gratiæ, ideò præſtari poteſt extra Sacramentum.

Pœna poteſt tolli extra Sacramentū ab Eccleſia, non autem culpa.

36 PROB. 2. Poteſtas concedendi Indulgentias eſt poteſtas remittendi pœnam peccato debitam in judicio Dei poſt dimiſſam culpam auctoritate ejuſdem Dei; ſed Eccleſia in ſuo Capite habet hujuſmodi poteſtatem: ergo. *Min. declaratur*. Quod conceſsum fuit, non eſt denegandum Eccleſiæ in ſuo Capite; ſed dicta poteſtas conceſſa fuit *Paulo*: ergo non eſt deneganda Eccleſiæ. *Min.* habetur 2. ad Corinth. 2., ubi Corinthio inceſtuoſo jam pœnitenti partem pœnæ implendæ dimiſit, cùm ad hoc ab aliis Fidelibus rogatus eſſet; unde v. 10. ait: *Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti*: * *ut non circumveniamur a Satana.*

In Eccleſia datur poteſtas remittēdi pœnam debitam in judicio Dei.

37 DICES cum Sectariis, duce *Kemnitio*: *Paulum* condonaſſe Corinthio pœnam debitam in foro Eccleſiæ, & pertinentem ad diſciplinam, cùm jam videretur Eccleſiæ ſatisfeciſſe, non autem pœnam debitam in foro Dei.

SED CONTRA. Pœna condonata in perſona Chriſti eſt pœna condonata in judicio Dei; ſed pœna, de qua loquitur Scriptura, eſt pœna dimiſſa in perſona Chriſti, ùt patet ex illis verbis: *propter vos in perſona Chriſti*: ergo erat debita in judicio Dei. *Secundò*. Partem illius pœnæ dimiſit *Paulus*, quam nomine Eccleſiæ inceſtuoſo inflixerat 1. Corinth. 5. v. 3. *Abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi, ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt*, * *in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu*, * *tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini*; ſed pœna indicta nomine Chriſti, ejuſque auctoritate eſt pœna debita nedum in externo, ſed in foro Dei: ergo pœnam remiſit debitam in judicio Dei. *Tertiò*. Illam pœnam decrevit Apoſtolus, & diſſolvit, quæ in ſpecie, vel in æquivalenti toleranda erat a Corinthio ſecundùm Dei ſententiam ad hoc, ut ſalvaretur; & ideo dicitur, ut illius hominis *Spiritus ſalvus fieret in die Domini*, hoc eſt, in die Judicii Dei; ſed pœna debita ad ſalutem neceſſaria ex ſententia Supremi Judicis eſt debita in Judicio Dei, & non ſolùm ad diſciplinam exteriorem: ergo. *Quartò*. Dimiſſio ea peracta eſt ex poteſtate, qua fungebatur Apoſtolus, dimittendi peccata; atqui poteſtas ea dimittendi pertinet ad forum Dei: ergo illa pœna ad Dei forum ſpectabat. *Major* eſt *D. Anſelmi* in 2. ad Corinth. 2. *Ut ratum ei, cui donavit, oſtenderet apud Deum, ait, in perſona Chriſti ſe donaſſe, quod donavit, ideſt vice Chriſti, qui ait, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Paulus remittit pœnam in perſona Chriſti.

Item

Item *D. Ambroſii* lib. 1. de pęnitentia cap. 6., *D. Epiphanii* Hæreſ. 59., qoi ex hoc *Pauli* loco colligunt contra Novatianos ineſſe Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata poſt Baptiſmum commiſſa, justa illud Juann. 20. *Quorum remiſeritis peccata &c.* Hanc tamen poteſtatem quoad culpæ remiſſionem, non exercuit *Paulus*; erat enim abſens, & jam ille Corinthius fuerat Deo reconciliatus mediâ pęnitentiâ, ùt ex Scriptura conſtat: ergo illam ſolummodo exercuit quoad pęnæ remiſſionem. *Quintò*. Si pęnam non dimiſiſſet in foro Dei debitam, non egiſſet prudenter cauſam illius fidelis; ex illo enim peſſimo crimine puniendus fuerat in foro Dei, nedum in facie Eccleſiæ; eam verò pęnam tolerans reatum etiam coram Deo expungebat; ſecus aliam debuiſſet ſibi voluntariè infligere, vel graviorem a Deo perpeti in hoc, vel alio ſeculo; ſed perperam incuſaveris *Paulum*, quòd ejus fidelis cauſam egerit imprudenter: ergo dimiſit illi pęnam debitam in judicio Dei.

38 PROB. 3. Eccleſia in ſuis Paſtoribus exercet vices Chriſti, diſpenſando divitias bonitatis ejus pro reconciliatione hominum ad Deum, ſecundùm illud 1. Corinth. 4. v. 1. *Sic nos exiſtimet Homo ut miniſtros Chriſti: & diſpenſatores myſteriorum Dei*: & 2. Corinth. 5. v. 19. *Poſuit in nobis verbum reconciliationis. * Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos*; atqui perfecta reconciliatio hominis ad Deum importat perfectam remiſſionem & culpæ, & pęnæ: ergo Eccleſia eâ facultate prædita eſt, ut pęnam compenſet ex Theſauro Eccleſiæ, ſicut poteſtatem habet remittendi culpam: ergo non deeſt illi facultas concedendi Indulgentias. Si enim poteſt æternam temporali pęnâ commutare, poterit a fortiori mitigare, & relaxare temporarias pęnas, & indulgendo convertere illas in pias preces, eleemoſynam, aliaque bona opera. Chryſoſtomus *de Sacerdot. lib.* 3. -- Parentes „ enim nos in præſentem, Sacerdotes in vitam æternam generant. Atque illi certè „ ne corporalem quidem interitum a liberis amoliri poſſunt, neque ingruentem „ morbum propulſare; cùm hi laborantem, „ ac morti jamjam propinquam animam ſervarint; aliis remiſſiorem pęnam infligen„tes, alios prorſus labi non permittentes. -- Igitur Paſtores Eccleſiæ neutiquam carent poteſtate remittendi pęnam peccatorum juxta naturam pęnæ, & juxta ſui paſtoralis officii conditionem; ſed pœna ex natura ſua poteſt extra Sacramentum, & abſque Sacramenti virtute deleri; & ideò redimitur eleemoſynis, aliiſque operibus bonis. Rurſus etiam munus Paſtoris eſt neceſſitates ſubditorum curare etiam extra Sacramentum: ergo per ſummam injuriam Novatores extorquent Eccleſiæ, quam Deus indidit, poteſtatem remittendi extra forum ſacramentale pœnam crimini congruentem.

Paſtores Eccleſiæ exercēt vices Chriſti.

Eccleſia poteſt mutare in pias preces temporariam pœnam.

39 PROB. 4. Ad Patremfamilias pertinet bona diſpenſare in utilitatem familiæ, prout expedit, justa illud Matth. 13. v. 52. *Ideo omnis Scriba doctus in regno Cœlorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de Theſauro ſuo nova, & vetera*; ſed Paſtores Eccleſiæ ſunt Patres Fidelium, quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam: ergo ad ipſos pertinet diſpenſare Theſaurum Eccleſiæ, hoc eſt, ſuperabundantes Chriſti, & Sanctorum ſatisfactiones, quod nihil aliud eſt, quàm Indulgentias impertiri.

Paſtores Eccleſiæ ſunt Patres Fidelium.

40 PROB. 5. *argumento negativo*. Nullus adſignatur locus explicitè, vel implicitè eam negans, quâ fungitur Eccleſia, poteſtatem concedendi Indulgentias, remittendi pęnas peccatis debitas in foro Dei: ergo ſtat poſſeſſio, ſtat ratio pro Eccleſia in univerſali conceſſione poteſtatis ad remittenda peccata, ligandi, ſolvendi, & in generali jure paſcendi gregem Chriſti, ad cujus bonum regimen ſpectat remiſſio pœnæ per Indulgentias. *Antecedens* eſt ita certum, ut quaecunque ex Scripturis afferantur ab Hęreticis, nihil ad rem faciat, ùt mox liquebit.

Poſſeſſio concedendi Indulgētias ſtat pro Eccleſia.

HÆRETICORUM ARGUMENTA REFELLUNTUR.

41 OBJIC. 1. *Kemnitius*. Si aliquâ Scripturâ probantur Pontificiæ Indulgentiæ maximè ex illo Jo. 20. *Quorum remiſeritis peccata*; ſed ex hoc nihil evincitur: ergo. *Prob. min.* Dimittere peccata nihil eſt aliud, quàm pœnitentiam, & fidem remiſſionis peccati prædicare: ergo ex illo loco non probatur poteſtas Indulgentiæ. *Secundò*. Illum locum intelligunt Scholaſtici de remiſſione pœnitentiæ in foro Sacramentali: ergo malè adducitur pro Indulgentiis.

RESP. Hoc argumentum doloſè inſtruitur. In primis *negatur major*; non enim ex illo textu deducitur poteſtas Indulgentiæ, ſed ex aliis univerſalem continentibus facultatem: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum; quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*. Negatur deinde etiam minor: illa *Joannis* ſententia *remiſeritis peccata* ſonat pœnæ, culpæque veniam, præſcindendo ab hoc, vel illo modo. Ridicula eſt ea interpretatio de pœnitentiæ prædicatione, quâ malè Apoſtolum trahunt Hæretici in rem ſuam. Porrò ſi idem foret peccata remittere, ac concionari, cur non itidem dixeris baptizare, commemorare, & credere nihil eſſe aliud, quàm prædicare Baptiſmum, Euchariſtiam, & Fidem? Quis autem abſque violentia in hoc ſenſu explicabit eos textus, *Baptizantes eos in nomine Patris ..... Hoc facite in meam commemorationem. Credite in Deum* &c.? Cæterùm, quod ex Scholaſticis deſumitur, ipſum ferit Arguentem; nam aliqui non reſtringunt dictum illud ſoli Sacramento, ſed ad remiſſionem pęnæ etiam extra Sacramentum extendunt. Plures quidem ſoli Sacramento illigant, nec tamen abjiciunt Indulgentias, ex eo textu minimè deducentes proximam rationem, ſed radicalem; quatenus remiſſio pęnæ eſt quid conſequens ad remiſſionem culpæ.

Hęretici violenter interpretantur Scripturas.

42 DICES. Textum *Joannis* adduximus ſuperiùs pro ſola remiſſione Sacramentali;

li: ergo falſum eſt ad remiſſionem extra Sacramentum poſſe extendi.

SED CONTRA. Verè equidem in addacto ſenſu eam protalimus auctoritatem ex eo probaturi poteſtatem remittendi pęnam extra Sacramentum. Nam ſi in eo textu Chriſtus attribuit poteſtatem remittendi intra Sacramentum, certè verò dum univerſaliùs locutus eſt Matth. 16. v. 19. *quodcumque ligaveris ſuper terram* &c., ampliorem dedit facultatem ſcilicet & Sacramentalem, & extra Sacramentalem.

43 OBJIC. 2., & inſtat Hæreticus. Solvere, & ligare ita opponuntur, ut quod ſolutum eſt, non ſit ampliùs ligatum; atqui ſolutio habetur per Sacramentum pœnitentiæ: ergo Pontificia ſolutio inutilis eſt, & fictitia.

RESP. dicendo ſolvi in Sacramento a reatu pœnæ æternæ, nec ab eodem reatu extra Sacramentum per Indulgentias iterum ſolvi hominem oportere; ſed cùm ſolutus a tali reatu non ſit omnimodè etiam expiatus a reatu pęnæ temporalis, hinc fit, ut reatus hujuſmodi per Indulgentias relaxetur. Num verò ſoli Pontifici conveniat ſolvere per Indulgentias. Vide infra Controv. XV. §. III.

44 OBJIC. 3. Joan. 20. v. 21. dixit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; ſed Chriſtus in ſuo miniſterio remittebat omne debitum culpæ, & pęnæ, ùt patet in Servo, qui decem millia talenta debebat, & in Adultera, nec ullam unquam indulgentiam hujuſmodi adhibuit, quam Papiſtæ comminiſcuntur: ergo Miniſtri dimittentes culpam, dimittunt omnem pœnam, nec Indulgentiarum commentis locum relinquunt.

RESP. Hoc argumentum non modò eſt erroneum, ſed nobis etiam maximopere favet. Errat vehementer; quis ex allatis exemplis arguit ſolam fidem juſtificare, cùm Chriſtus uſus ſit hac formula, referente *Kemnitio: confide, remittuntur tibi peccata tua* &c.

Sola fides non juſtificat.

Contendit etiam omne debitum pœnæ temporalis ſemper auferri, dum culpa remittitur, quod eſt falſiſſimum. Noſtram verò theſim mirificè confirmat; quia Chriſtus condonans extra Sacramentum in ſupradictis culpam, & pœnam, maximâ uſus eſt Indulgentiâ: ergo ejus Miniſter, viceſque gerens Pontifex poterit ex Indulgentia peccata ſolvere, æqua tamen proportione, quæ decet inter Supremum Principem, ejuſque Vicarium. Chriſtus ùt Dominus remittit culpam, & pœnam nullo impoſito onere, Pontifex, quia Vicarius, non ex arbitrio, ſed ex rationabili cauſa, & cum onere. Chriſtus utrumque extra Sacramentum: Vicarius in Sacramento culpam, & pœnam æternam, quia ſic Dominus inſtituit, pœnam temporalem extra Sacramentum remittit; quia ex divina ordinatione hæc remiſſio non opus habet virtute Sacramenti; utrumque tamen fit applicando Chriſti Salvatoris merita.

Diverſitas inter ſupremum Principem, & ejus Vicarium.

45 OBJIC. 4. Ad *Galatas* 3. Scriptura docet Chriſtum nos redemiſſe a maledicto legis; ſed maledictum legis *Deuter.* 28. eſt æternum, & temporale: ergo Chriſtus redemit nos a debito æterno, & temporali; ſed Pontificiæ Indulgentiæ fingunt Chriſtum non redimiſſe nos a toto maledicto legis, ſed partem redimendam Papali Theſauro reliquiſſe: ergo Indulgentiæ Chriſto, & Scripturis adverſantur.

RESP. Argumentum hoc inſigniter claudicare. Supponitur maledictum legis apud *Paulum* pœnam eſſe peccatis debitam, cùm verè ſit onus legis Moſaycæ, cui novi Teſtamenti mediator nos exemit, ſicut perſpicuum fit ex contextu. Falsò etiam ſupponit redemptionem Chriſti a Papiſtis imperfectam exiſtimari, cùm tamen aſſeramus perfectiſſimam fuiſſe: immo ipſam noxarum, ſuppliciorumque remiſſionem Chriſto acceptam referimus; quamvis ita Chriſtus ſatisfecerit, ut tamen aliquid faciendum reliquerit nobis, nempe applicationem meritorum Chriſti, mediis Indulgentiis præſtandam.

Maledictum legis eſt onus legis Moſaycæ.

Satisfactio Chriſti non tollit noſtram cooperationē.

46 OBJIC. 5., & præcipuè ex facto D. *Pauli*. Factum Pauli deſtruit omnino doctrinam Pontificiorum: ergo Indulgentiis non ſuffragatur. *Prob. ant.* Pontificii ſatisfactiones imponunt dimiſsâ culpâ: *Paulus* tradidit Corinthium Satanæ adhuc impœnitentem: Pontificii Pœnitentibus mulctam injungunt: *Paulus* nullam Corinthio imperavit; nulla enim fit ibi mentio: illi impertiuntur Indulgentiam peccatori culpâ abſoluto: *Paulus* a pœna, & culpa liberavit; unde loquitur de condonatione, quæ non affert triſtitiam, ſed conſolationem, & firmam pacem: Pontificii extorquent ſtipem pro Indulgentiis: *Paulus* nullam accepit ab inceſtuoſo pecuniam, ſicut etiam nullo dierum certo numero, vel annorum pœnitentiæ indicto, recurrit ad pretium ſanguinis Chriſti, non verò ad opera ſupererogationis Eccleſiæ, ùt ſomniant Papiſtæ. Denique illam pœnitentiam non modò *Paulus*, ſed èt Eccleſia impoſuit, & mitigavit: ergo non eſt pœna debita in foro Dei, ſed in foro Eccleſiæ.

RESP. breviter ad argumentum, quod per ſex paginas protrahit *Kemnitius*. *Nego ant.* omneſque probationes. Ex facto ſiquidem *Pauli* certò habetur dimiſſio pœnæ impoſitæ, & debitæ in foro Dei, adeoque Eccleſiæ ineſſe poteſtatem remittendi Fidelibus piacularia. Quòd autem Eccleſia quempiam exigat conditionem, quia ſic expedit ad bonum regimen, & utilitatem Fidelium, hoc quid officit? Cœterùm Catholici non dicunt ſatisfactiones eſſe poſt culpam dimiſſam imponendas; quod palam fit ex quotidiano uſu; nam in confeſſione injunguntur Attritis ante abſolutionem, quando adhuc Pœnitens eſt in peccato. Extra Sacramentum publicæ, privatæque injunguntur pœnæ, ùt patet in excommunicatione. In Indulgentiis opera pia præſcribuntur, quorum aliqua concedimus fieri in mortali: adeòque parùm refert, utrum dimiſsâ, nec ne culpâ præcipiantur. Fructus certè non obtinetur, niſi comitante gratia, ſine qua caſſo, irritoque effectu remanet Indulgentia. Quamobrem *Paulus* Impœnitenti injunxit quidèm pœnam, ſed nonniſi Pœniten-

Satisfactiones injungi poſſunt peccatoribus.

Ad fructum Indulgentiarum requiritur ſtatus gratiæ.

ti

ei ulteriorem, quæ implenda erat, ſatisfa-ctionem condonavit.

Paulus mulctam impoſuit Corinthio.

Ad ſecundum. Falsò dicitur *Paulus* nulla Corinthio piacularia præcepiſſe; conſtat enim eum Satanæ traditum, & hominum conſortio prohibitum fuiſſe, ut pœnitentiam ageret. Quid autem egerit, vel agere debuerit, ſilet Scriptura; quia ſupponebatur ſatis conſtare ex Eccleſiæ ritu: ſicut in antiquis Conciliis imponebantur pœnæ v. g. qui fecerit hoc, vel illud peccatum, tot annis pœnitentiam agat, quin exprimeretur modus, qui jam erat notiſſimus. Certò equidem pœna non erat ſola reſipiſcentia a malo; nam verbum *donavi*, ſonat aliquid fuiſſe remiſſum, quando jam aliter conſtabat Corinthium reſipuiſſe, atque intenſam habere contritionem, quâ commoti Fideles pro eo *Paulum* rogaverunt.

In remiſſione facta Corinthio Indulgentia admiſcetur.

Ad tertium. Idem Apoſtolus a culpa, a pœna, & ab excommunicatione in foro exteriori abſolvit Corinthium; & in hoc Indulgentia admiſcetur; Id enim remiſit, quod ſupererat adimplendæ pœnitentiæ; motuſque ad hoc fuit, ut ne vir maximè afflictus, majori triſtitia contabeſceret, ſed recreato animo ferventiùs Deo ſerviret: „ Non enim „ quòd dignus ſit, „ ſic loquentem *Paulum* inducit *Chryſoſtomus* Hom. 4. in 2. ad Cor. „ „ neque quòd ſufficientem exhibuerit pœni„ tentiam, ſed quòd infirmus, ideo, in„ quit, dignor illum veniâ: unde & adje„ cit, ne abundantiori triſtitiâ abſorbeatur. „ Qui ſermo declarat illius vehementem pœ„ nitentiam, quem Paulus non ſit paſſus in „ deſperationem venire. „ Igitur (quod velim benè attendas) juſtificatus jam erat interiori pœnitentiâ, & contritione coram Deo; licèt eundem juſſerit *Paulus* in foro Sacramentali a Sacerdote abſolvi, ac deinde pœnam remitti, & Eccleſiæ reconciliari. Quæ omnia noſtræ conſonat docentium ſententiæ; ſatis nempe eſſe, quòd eodem tempore Indulgentia, & reconciliatio habeatur.

Indulgentiæ pecuniis non redimuntur.

Ad quartum. Nobis imponit *Kemnitius* nil tale ſomniantibus. Quis Catholicorum aſſerit Indulgentias venum ire? Quis pecuniam exigit, ut conferat Indulgentiam? Quin hoc potiùs diſtrictè cavent graviſſimæ Pontificum, Conciliorumque ſanctiones? Injungitur identidem aliqua pecunia, ſeu eleemoſyna in pium opus, minimè tamen in pretium Indulgentiæ: minimè ut ex pecunia valor piacularis exurgat, ſed tantummodo adinſtar conditionis, aut operis, quo pœnæ reatus permutatur, ut Indulgentia proſit, nec ad velamen iniquitatis deſerviat otium, ac deſidiam fovens. Aliquando etiam Indulgentia impenditur nullâ eleemoſynæ appoſitâ conditione. Fatemur *Paulum* non taxaſſe certum numerum dierum, aut annorum pœnitentiæ; de hoc enim tacet Scriptura: at ſufficit nobis gravem indixiſſe pœnitentiam, partemque dein remiſiſſe. Illud tamen ùt calumnioſum rejicimus, videlicet Papiſtas dicere *Paulum* ei applicaſſe Corinthiorum opera ſupererogatoria. Undenam hæc apud nos? Id unum dicimus, Apoſtolum a Corinthiis exoratum Indulgentiam conceſſiſſe applicando ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum in Eccleſiæ Theſauro repoſitas.

Leges latæ a Conciliis obligant in foro Dei.

Ad Quintum. Quòd ea pœna eſſet in foro Dei debita, quòd impoſita fuerit, & relaxata ab Eccleſia, quid obeſt? An non plures itidem latæ leges a Conciliis obligant in foro Dei; ſicut Eccleſia relaxare obligationem eodem in foro poteſt, quod patet de circumciſione, cujus præceptum deſiiſſe, Jeroſolymitana Synodus declaravit? Propalam fuerat crimen inceſtus: par etiam fuit, ut tota Corinthiorum Eccleſia indicendis, condonandiſque ex nutu Apoſtoli piacularibus conveniret. Quamobrem *Kemnitius* ipſe hanc veritatem minimè ignorans aſſeverat, Corinthios neutiquam auſos eſſe Pœnitentem, inconſulto *Paulo*, reconciliare, cauſamque autem ad ipſum Apoſtolum detuliſſe. Quòd autem Indulgentiæ relaxent pœnas in foro Dei debitas, vide infr. Contr. VII.

47 OBJIC. 6.: Act. 8. v. 20. dicitur, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*, & 2. Petri 2. v. 1. *Erunt Magiſtri mendaces*, & v. 3. *& in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur*. Quid ad Indulgentias Pontificum explodendas validius? Quid luculentius contra Papalem hujuſmodi nundinationem? Hæc ſibi plaudentes clamitant *Kemnitius*, *Hesbuſius*, *Calvinus*, aliique ejuſdem furfuris. Sed quid nobis obtrudi iniquius poteſt? Quis noſtrùm exiſtimat venundari donum Dei? Quinam Pontifex nefarias Indulgentiarum prætextu nundinas inſtituit? Quæſo quempiam nobis innuant. Sanè plures Pontificum, de quibus infra, gravibus pœnis Quæſtorum abuſus cohibuere, eleemoſynamque ſanxerunt piis operibus applicandam. Miſſa facio irriſiones, & dicteria, queis *Calvinus*, ejuſque Aſſeclæ nos adoriuntur, perinde ac ſi plumbo nos Romano, membraniſque Pontificiis includamus gratiam Dei, quam liberam ipſi dictitant a Deo fuiſſe verbo concionatorio permiſſam. Hic cardo futilis Sectarios regit, qui, cùm ſentiant ſe pondere veritatis premi, ad ſatyram convertuntur, & verbis non ſine riſu procacibus ſæviunt.

CONTROVERSIA IV.

AN EX ANTIQUITATE CONSTET INDULGENTIARUM USUS.

48 MArtinus *Kemnitius* in hac de Indulgentiis diſputatione ſic habet loco ſupracitato n. 1. „ Non poſ„ ſunt vel ulla Patrum teſtimonia, vel „ ulla vetera exempla proferre, quòd ta„ lis vel doctrina, vel uſus talium Indul„ gentiarum ullo unquam tempore ad an„ nos poſt natum Chriſtum mille ducentos „ in veteri Eccleſia fuerit: „ quibus addit ante annum 1200. altum de Indulgentiis ſilentium eſſe. Cogimur ergo demonſtrare Indulgentias non eſſe novum Papiſtarum commentum a quatuor ſeculis, ùt calumniatur Hæreticus.

49 DI-

Uſus Indulgentiæ antiquus.

49 DICO : *Indulgentiarum veritas ex antiquitate conſtat* . Concluſio *prob.* Indulgentia eſt pœnæ temporalis Deo debitæ remiſſio ab Eccleſiæ Prælato facta per applicationem ſatisfactionum Chriſti , & Sanctorum ; atqui hujus remiſſionis uſus eſt in Eccleſia antiquus : ergo ėt Indulgentia. *Major* continet definitionem Indulgentiæ : *minor* autem oſtenditur . Conſuetudo fuit in primitiva Eccleſia injunctas Lapſis pœnitentias , ſi reſipiſcentiæ ſigna dabant , relaxare ; ſed hujus pœnitentiæ remiſſio , non ſolùm erat de pœnitentia Eccleſiæ debita , ſed etiam Deo : ergo uſus remittendi pœnitentiam Deo debitam eſt antiquus . *Major* vera eſt ipſius *Kemnitii* teſtimonio , qui ex *Burchardi* canonibus *lib.* 18. *Can.* 18. refert pœnitentiarum canonicarum varias olim fuiſſe commutationes , ac redemptiones ad mitigandum rigorem ; nec non *Calvini lib. IV. Inſt. cap* 9. , licèt aſſerat ideo remiſſas , quia ſupra modum graves , in quo , ut obiter dicam , imprudentiæ notâ gravat Sanctiſſimos , ac Doctiſſimos primitivæ Eccleſiæ Patres . Sed utvis more hunc admittant Hæretici , non abs re erit illum probare . Concilium igitur Ancyranúm *Can.* 2. de Diaconis Idolo ſacrificantibus , & reſtpiſcentibus circa impoſitam pœnitentiam habet : — Sed ſi ex „ Epiſcopis aliqui in iis vel afflictionem „ aliquam , vel humilitatem , ac manſuetu„ dinem viderint , & aliquid amplius dare, „ vel offerre voluerint , in eorum eſt pote„ ſtate . — *Can.* 5. de his , qui cum veſte lugubri , & lacrymis in Idolio cum Ethnicis comediſſent , quibus trium annorum pœnitentia imponebatur , dicitur : — Statuimus „ autem , ut Epiſcopi , modo converſatio„ nis examinato poteſtatem habeant vel „ utendi clementiâ , vel plus temporis adji„ ciendi : — & *Can.* 21. concedit mitigationem pœnæ pro mulieribus fornicariis , & Partum perimentibus in utero : & *Can.* 22. de pœnitentia ſeptem annorum pro homicidio non ſpontè commiſſo : — Modus pœni„ tentiæ in Epiſcoporum ſit arbitrio , ut „ ſecundùm converſationem Pęnitentium „ poſſint , & extendere Tardantibus , & „ minuere ſtudioſè Feſtinantibus : — Concilium hoc approbatum fuit a LEONE IV. , qui anno 847. rexit Eccleſiam : approbatum fuit *diſt.* 2. *cap. de Libellis* , & a ſexta Synodo generali *Can.* 2.

Juxta verſionem Gentiani Herveti.

Ex verſione Dionyſii Exigui.

Juxta Herveti tranſlationem.

Concilium Laodicenum 371. , vel 368. *cap.* 2. — De his , qui diverſis facinoribus „ peccaverunt , & perſeverantes in oratione „ confeſſionis , & pęnitentiæ converſionem „ a malis habuere perfectam , pro qualitate „ delicti , talibus pęnitentiæ tempus im„ penſum propter clementiam , & bonita„ tem Dei communio concedatur . —

Juxta Dionyſium.

Concilium Nicænum I. Generale , quod ſecundùm *Magni Gregorii* ſententiam tanquam Evangelium venerandum eſt ſtatutis pęnis pro peccatoribus *Can.* 10. 11. , *&* 12. ſpecialiter pro deponentibus militiæ cingulum , iterum ad vomitum redeuntibus , quibus tredecim annos aſſignat pœnitentiæ , poſtmodum verò inquit , *licebit Epiſcopo humanius etiam circa eos aliquid cogitare* ; & loquitur de his , quos elapſis tribus pœnitentiæ annis , conſtabat ſeriò pœnitere .

Concilium Carthaginenſe IV. a LEONE III. , qui ſedit ann. 800. approbatum , loquens de illis , qui pęnitentiam petunt , & poſtea obmuteſcunt propter infirmitatem , a qua convaleſcentes jubentur cęptâ pęnitentiâ perſungi, habet *cap.* 75. — ut negligentio„ res Pęnitentes tardiùs recipiantur : — & „ *cap.* 76. — Subdatur ſtatutis pęnitentiæ le„ gibus , quamdiù Sacerdos , qui pęniten„ tiam dedit , probaverit . —

Concilium Triburienſe *cap.* 52. — Pla„ cuit nobis de homicidiis non ſponte com„ miſſis hic inſerere , quod in Ancyrano „ Concilio *cap.* 22. legitur : — deindè — „ Modus autem hujus pœnitentiæ ſit in „ Epiſcoporum arbitrio , & ſecundùm con„ verſationem Pœnitentium poſſint , & ex„ tendere Tardantibus , & minuere ſtudio„ ſè Feſtinantibus . — Plura non vacat referre , cùm relata etiam ab Hæreticis æqui bonique fiant .

Addam unum , vel aliud teſtimonium Patrum : *Baſilius* Epiſtola Canonica 3. ad *Amphilochium* habet *Can.* 54. — Eſt autem „ tuæ prudentiæ pro circumſtantiæ proprie„ tate pęnas intendere , vel remittere . —

Tertullianus de remiſſione pęnitentiæ , quam volebat Eccleſiæ concedere Martyrum interceſſione , ſic in libro ad Martyres ſcribit *cap.* 1. — Quam pacem , quidam in „ Eccleſia non habentes , a Martyribus in „ carcere exorare conſueverunt ; & ideo „ eam etiam propterea in vobis habere , & „ ſovere , & cuſtodire debetis ; ut ſi fortè , „ & aliis præſtare poſſitis .

S. Cyprianus lib. 3. Ep. 15. , vel ſecundùm aliam editionem Ep. 11. Martyribus ſcribens , qui pacem Lapſis donandam petierant , monet , ut hos cautè commendent Epiſcopis : — Peti„ tiones , & deſideria veſtra Epiſcopo ſer„ vent , & ad pacem vobis petentibus dan„ dam , maturum , & pacatum tempus ex„ pectent : — & infra — Oro vos , quibus „ poſſum precibus , ut Evangelii memores, & „ conſiderantes, quæ, & qualia in præteritum „ anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint , „ quam ſoliciti in omnibus fuerint , vos „ quoque ſoliciti , & cautè petentium deſi„ deria ponderetis . — Hinc vides uſum dandi libellum Lapſis antiquiorem eſſe ætate *Cypriani* , ùt idem admonet per ea verba : — „ conſiderantes quæ , & qualia in præte„ ritum anteceſſores veſtri Martyres conceſ„ ſerint . — Viden' etiam Indulgentias ab Eccleſia conceſſas ex SS. Martyrum meritis , ac proindè unum alteri Fidelem ſuis poſſe bonis operibus ſuffragari . Atque hæc ad probationem majoris ſufficiant .

Nunc probanda eſt *minor* ex *Tertulliano* Libro , quem edidit contra Eccleſiam , poſtquam in *Montani* hæreſim lapſus a Fide defecit : Libro igitur ultimo de pudicitia *cap.* 22. — Sufficiat Martyri propria delicta „ purgaſſe : ingrati , vel ſuperbi eſt in „ alios quoque ſpargere , quod pro magno „ fuerit conſecutus . Quis alienam mortem „ ſuâ ſolvit , niſi ſolus Dei Filius ? Nam „ & in ipſa paſſione liberavit latronem ,

„ ad

„ ad hoc enim venerat, ut ipſe a delicto „ purus, & per omnia Sanctus pro peccatoribus obediret: proindè qui illum „ æmularis donando delicta, ſi nihil ipſe „ deliquiſti, planè patere pro me: ſi verò peccator es, quomodo oleum faculæ „ tuæ ſufficere, & tibi, & mihi poterit? — Jam tum igitur ſentiebat Eccleſia meritis Sanctorum per Indulgentias mitigandam pęnam in Dei Judicio debitam. Accedit auctoritas *Cypriani*, qui melior Magiſtro ſuo diſcipulus ſermone ultimo de Lapſis ſcribens: — „ Poteſt Deus Indulgentiam dare: ſententiam ſuam poteſt ille deflectere: Pęnitenti, Operanti, Roganti poteſt clementer ignoſcere: poteſt inacceptum referre „ quidquid pro talibus expetierint Martyres, & fecerint Sacerdotes: — *lib.* 3. *Epiſt.* 18. — Lapſi, qui Libellum ſupplicatorium ad Epiſcopos a Martyribus acceperunt, auxilio eorum adjuvari apud „ Dominum in delictis ſuis poſſunt. — Quid clarius? *Origenes* Homil. 10. in lib. Num. — Audi Paulum dicentem: libenter „ expendam, & expendar pro animabus „ veſtris: — & explicans verba Apoſtoli *Tempus reſolutionis meæ inſtat*, ait: — „ Ego enim immolor, & tempus regreſſionis, ſive reſolutionis meæ inſtat. Pro his „ ergo, quibus ſcribebat, expendi ſe, & „ immolari dicit Apoſtolus: Hoſtia autem „ cùm immolatur, ad hoc immolatur, ut eorum, pro quibus jugulatur, peccata purgentur. — *Gregorius Niſſenus*, & *Nazianzenus* vocant Martyres ſacrificia perfecta, peccati ſubverſionem, & Mundi purgationem. En ùt laudati Patres loquuntur de ſatisfactione non in facie ſolùm Eccleſiæ, ſed in foro etiam Dei, qui per Sanctorum merita pęnas remittit, quæ fuerunt Pęnitentibus luendæ, & ideo ſequitur tales relaxationes fuiſſe Indulgentias propriè dictas, & in ſenſu a nobis explicato, & ab Eccleſia approbato.

50 His addo argumentum a poſteriori: ſiquidem hujuſmodi remiſſiones Eccleſia impertiri conſuevit ſolemnioribus diebus, ut populum exhilararet; quod teſtatur INNOCENTIUS I. Epiſt. ad Decentium cap. 7. — „ De Pęnitentibus verò, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pęnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat „ ægritudo quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo „ demonſtrat. — Et actione 1. Concilii Chalcedonenſis Monachi, qui ſub *Euticbete* erant ad Concilium II. Epheſinum, inter alia hæc ſcribunt: — Supervenit Salvatoris „ paſſionis dies, ſacra nox, & Reſurrectionis feſtivitas, in qua quidem plurimis „ peccatoribus a Sanctis Patribus noſtris „ damnationes remittuntur. — Idem mos antiquitatis viget in præſentem diem, ut concedantur Indulgentiæ.

52 DICES cum *Kemnitio*: Canonica ex quæque pęnitentia gravi dumtaxat crimini imperabatur; nec Pontificiæ Indulgentiæ pro quoquo crimine leviſſimo conceſſæ quicquam ſimile habent cum ex Canonicarum remiſſione pęnitentiarum.

RESP. *primò*. Nos ab antiquo ritu probamus Indulgentias non eſſe rem novam, nec *S. Thomæ* inventum, quod dictitat *Calvinus*. Non autem inquiritur, an uſus Indulgentiarum apud veteres frequentior eſſet. Do utique minùs uſitatum fuiſſe; quandoquidem Fideles, utpote ferventiores ſpiritu haudquaquam Indulgentiis uterentur; quia ſpontè ipſi Deo piacularia affatim offerebant. Deinde *negatur antecedens*; nam verba INNOCENTII I. mox allata apertè teſtantur leviorem criminum remiſſiones: & *Burchardus* lib. 9. cap. 5. aſſerit otioſa, & levia juramenta partim ſeptem, partim quindecim, partim quadraginta dierum pęnitentiâ fuiſſe emendata. Mutilationem unius membri unius anni, vulnerationem unâ carenâ, hoc eſt, jejunio in pane, & aqua quadraginta dierum, fornicationem decem annorum. *Tertiò*. Dico arbitrio Sacerdotum relictum fuiſſe, ut illis peccatis, quorum mentio in Decretis expreſſa non erat, pœnitentias imponerent cum proportione ad ſtatuta circa alia peccata; ſic habetur ex *Alcuino* de Eccleſ. Offic. apud *Gratianum* de pœnit. diſt. 1. Can. 86.

Carena jejunium 40. dierum in pane, & aqua.

52 DICES *ſecundò* cum eodem. Quando Patres ajunt a Martyribus expiari aliena peccata, & piacularibus culpas redimi, intendunt pœnitentiam interiorem; quatenus Sanctorum interceſſione concipitur de peccatis dolor, & pœnalia cor emolliunt, ac perpellunt, ut peccata defleat, ac deteſtetur juxta *Tertulliani* ſententiam lib. de pœnitentia: *Satisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentiâ Deus mitigatur*.

Sed fruſtra effugium tentant Hæretici; nam prælibati Canones ſolùm concedunt Indulgentiam ſolicitis, & emendatis; non eò igitur intendi ſolebant Martyrum ſuffragia, ut pœnitentia interior excitari poſſet. Canones infirmis, & moribundis abſolutionem, & Euchariſtiam decernunt, hac tamen conditione, ut ſi convaleſcerent, præſtituta piacularia explerent: ergo ſentiunt pœnalia aliter expiando peccatori deſervire, non ſolummodo per hoc, quòd contritionem cordis cierent, quæ peccata contereret. Tum quia Patres ſæpè utuntur hiſce loquendi modis, pœnalibus Deum placari, vindicari peccatum, puniri, caſtigari, & ſuadent exercitium pœnitentiæ diuturnum ab interno peccati odio profectum: ergo Patrum ſententia eſt, pœnalibus verè pœnas criminum ſolvi. Porrò *Tertullianus* loquitur de pœnitentia perfecta, tres ex partes confeſſionem, dolorem, ſatisfactionemque complexa, atque adeo ad culpæ ſimul, & pœnæ expiationem directa. Unde benè aſſerit ſatisfactionem diſponi confeſſione, quia ſatisfactio vim non habet ad placandum Deum, niſi priùs deleatur culpa. Benè igitur ait confeſſione pœnitentiam gigni, quæ perfectè crimen, pœnamque exolvit; quia in confeſſione deletur culpa, & præcipitur ſatisfactio, & Pœnitens jam gratiæ divinæ compos vim habet in ſuis pœnalibus expiandi reliquum pęnæ reatum.

53 PROB. *ſecundò*. Antiquitas Indulgentia-

gentiarum ex alia Eccleſiæ conſuetudine. Solebant olim Pontifices Regibus, & Primatibus mittere Claviculas aureas Sancti Petri, vel Sepulchri Domini noſtri, vel limaturam Catenarum Sancti Petri cum benedictione Papali, cujus conſuetudinis exempla plura in Eccleſiaſticis Annalibus habentur: pauca tamen ſubjicio: GREGORIUS II. Carolo Martello Claves miſit venerandi Sepulchri cum limatura vinculorum S. Petri: LEO III. Carolo Magno Claves aureas Sepulchri S. Petri: GREGORIUS MAGNUS lib. 7. Epiſt., Epiſt. 128. ad Recharedum Viſigothorum Regem ait: —

Uſus mittendi Claviculas S. Petri, vel Sepulchri Domini, vel limaturam Catenarum.

„ Clavim verò parvulam a Sacratiſſimo B. Petri Apoſtoli corpore vobis pro ejus benedictione tranſmiſimus, in qua ineſt ferrum de Catenis ejus incluſum, ut quod collum illius ad Martyrium ligaverat, veſtrum ab omnibus peccatis ſolvat: — Vides illa benedictione, & Clavibus concedi Indulgentiam; nam dicit, *ab omnibus peccatis ſolvat*; Hinc mos retentus eſt, ut in Bullis Indulgentiarum ponantur Claves S. Petri ad deſignandam Apoſtolicam poteſtatem cum formula *concedimus remiſſionem peccatorum*, videlicet quoad pœnam.

Antiquitas Indulgentiarum ex Conciliis.

54 PROB. 3. Antiquitas Indulgentiarum Inductione. Decimo quarto ſeculo in Generali Concilio Coſtantienſi damnatur *Wicleſus* Indulgentiarum hoſtis ſeſſ. 8., & ſeſſ. ultima. MARTINUS V. concedit plenariam Indulgentiam: decimo tertio ſeculo in Generali Concilio Viennenſi ſub CLEMENTE V. prohibentur Quæſtuariorum abuſus in exponendis, & venditandis Indulgentiis, quæ ab Apoſtolica Sede non habentur, qui abuſus jam ante in Lugdunenſi Generali Concilio fuerat emendatus, ùt refertur *in 6. de pœnitentia, & remiſ. cap. 1.*, & *in Clementina ſecunda eodem titulo*. Seculo duodecimo ſub INNOCENTIO III. in Lateranenſi IV. Generali Concilio iis plenaria impertitur Indulgentia, qui ad ſacrum Jeroſolymitanum bellum proficiſcerentur, & cap. 62. damnatis Quæſtuariorum abuſibus coarctantur Indulgentiæ in Eccleſiarum dedicatione: *Decernimus, ut cùm dedicatur Baſilica, non extendatur Indulgentia ultra annum . . . . ac deinde in anniverſario Dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat*.

55 His *Kemnitius* reſpondet, verè per *Clementinam* abuſus Indulgentiarum prohiberi, & damnari: veruntamen Pontifices ſtatim addidiſſe explicationem, abuſus videlicet eſſe improbos, ſi ab Hoſpitalium Quæſtoribus proveniant: ſecus verò ſi a Romanis Pontificibus habeantur; tunc enim fore opus pium: Ad hanc interpretationem fortè ductus, quia initio *Conſtitutionis Clementinæ* ſtatuitur, non admittendos Quæſtores, niſi a Sancta Sede, aut ab Epiſcopo patentibus litteris fuerint inſtructi.

Sed quanta malignatur Inimicus! Omnes hujuſmodi Pontificum, vel Conciliorum ſanctiones prohibent abſolutè quoſcumque abuſus ex quocumque proveniant, & quæcumque privilegia circa talem materiam revocant ex prætextu Apoſtolicarum etiam litterarum. Ne autem pro veris falſæ publicarentur Indulgentiæ, præcipitur, ut nullus recipiatur Quæſtor non habens patentes litteras a Sancta Sede, aut ab Epiſcopo: unde *Kemnitii* expoſitio falſa omninò eſt, immo doloſa, cùm dicat interpretationem hanc factam poſt *Clementinæ* publicationem, cùm hæc habeatur in ipſa Bulla: ſed Inductionem proſequamur ipſam urgentes in altiora ſecula.

56 Seculo XI. PASCALIS II. Indulgentiam impertitur venientibus ad Concilium Lateranenſe. X. ſeculo URBANUS II. pleniſſimam Indulgentiam conceſſit proficiſcentibus adverſùs Saracenos Ducibus Gothifredo, Euſtachio, & Baldoino Bullioniis ex alto Francorum genere natis, & Lotharingiæ Ducibus, ùt habetur in Concilio Claramontano ann. 1096. celebrato: — Quicumque pro ſola devotione, non „ pro honoris, vel pecuniæ adeptione, ad „ liberandam Eccleſiam Dei Jeruſalem pro„ fectus fuerit, iter illud pro omni pœ„ nitentiâ reputatur. — IX. ſeculo JOANNES VIII. Decertantibus contra Infideles dat pleniſſimam Indulgentiam, ùt habetur in *Epiſt.* 144. ad Coepiſcopos per totum Regis Ludovici imperium. SERGIUS II. trium annorum, & trium quadragenarum Indulgentiam conceſſit Viſitantibus Eccleſiam S. Martini in Montibus, cujus memoria in marmore litteris antiquiſſimis exarata conſpicitur. VIII. ſeculo LEO III. ad preces Imperatoris, & Regis Aquiſgrani multis Indulgentiis ditavit Eccleſiam Virgini Mariæ dicatam, & alias ſpeciales feſtum Celebrantes S. Suiberti, cujus teſtimonium extat apud *Surium* in quadam Epiſtola S. Ludgeri ad Rixfridum Epiſcopum Trajectenſem. VI. ſeculo GREGORIUS MAGNUS in certum ordinem redegit Stationes Urbis, pluribus additis Indulgentiis, ùt habetur apud *Altiſiodorenſem* lib. 4. Summæ in capite de relaxationibus, & apud *S. Thomam* 4. diſt. 20.

57 DICES cum *Kemnitio*: De Indulgentiis a D. Gregorio Stationibus adjunctis, nihil in ejus Scriptis, nec in Hiſtoriis illorum temporum habetur: ergo dicta nihil probant.

Attamen hoc modo omnes ferè Indulgentiæ noſtrorum temporum negari poſſent, quas ſuperabundè concedit Hæreticus, cùm nec ulla quidem fortaſſe in propriis Scriptis Pontificum extet, ſed vel vivæ vocis oraculo conceduntur, vel mediis Bullis, quæ ſæpeſæpiùs excidunt. Sufficit ergo, quòd ex aliquo codice, aut autentica hiſtoria probentur: — Quòd enim aliquid verum „ ſit, *ait Bellarminus lib. 2. de Indulg. cap.* 20., — etiamſi a multis ſcriptum non „ ſit, facile credi poteſt; at falſum eſſe, „ quòd a viris graviſſimis, & fide dignis „ (uti ſunt D. Thomas, & Gulielmus Al„ tiſiodorenſis) affirmatur, non facile credi „ debet.

58 Demum probantur Indulgentiæ ex III. ſeculo. SILVESTER I. ad petitionem S. Helenæ Sacellum Sanctæ Crucis in Jeruſa-

ruſalem conſecravit, multis Sanctorum ornavit Reliquiis, & multiplicem peccatorum veniam Viſitantibus donavit: ſic legitur in eodem Sacello ex antiquis memoriis. De Indulgentiis ſeculo I. collatis ab Apoſtolo jam ſuperiùs vidimus n. 36., & 46. de condonatione facta Inceſtuoſo. Qua ergo fronte ſuſtinet *Calvinus* Indulgentias inventas eſſe a D. *Thoma*? Quomodo *Kemnitius* jactitat: — In hac de Indulgentiis
„ diſputatione non poſſunt vel ulla Pa-
„ trum teſtimonia, nec ulla veteris Ec-
„ cleſiæ exempla proferre, quod talis vel
„ doctrina, vel uſus talium Indulgentia-
„ rum ullo unquam tempore ad annos poſt
„ natum Chriſtum mille ducentos in ve-
„ teri Eccleſia fuerit. —.

HÆRETICORUM PRÆCLUDUNTUR ARGUMENTA.

59 OBJIC. 1. *Kemnitius*. Ante quatuor ſecula nullum extat Indulgentiarum teſtimonium: ergo res nova eſt a Pontificiis inventa. *Prob. ant.* auctoritate Durandi, S. Antonini, & Roffenſis, qui id fatentur. *Secundò*. Indulgentiarum nullam faciunt mentionem Anſelmus, Rupertus, Bernardus, Petrus, Lombardus, Gratianus: ergo.

RESP. *neg. antec.* Cujus falſitas ſatis emicat in noſtra concluſione. Ad probationem DICO in primis: omnes allegati Auctores legitimam concedendi Indulgentias facultatem fatentur in ſuis ſcriptis, ac proindè ex eorum auctoritate nil adversùs nos arguitur. Ex innumeris perſpicuè *Durandus* confitetur hanc in Eccleſia Indulgentiarum conſuetudinem, & *Magnum Gregorium* ſtationes Urbis conſtituiſſe. At miraculo eſſet, quòd citati Doctores de Indulgentiis nihil noviſſent ante annum MCC., ùt autumat *Kemnitius*; nam EUGENIUS III. anno MCXLV. conceſſit Indulgentiam proficiſcentibus ad ſacrum bellum, juſſitque *D. Bernardum* eam prædicare, cujus èt prædicationem pluribus miraculis confirmavit Dominus, ùt legitur in Vita *D. Bernardi* lib. 3. cap. 4. ALEXANDER III., qui anno ſedit ſupra milleſimum centeſimo ſexageſimo nono, interrogatus ab Archiepiſcopo Cantuarienſi, an Indulgentiam ab uno Epiſcopo conceſſam illius non ſubditi lucrari poſſint? Negativè reſpondit; quia nemo ligari poteſt, & ſolvi niſi a ſuo Judice, ùt ſic habetur in jure c. *Quod autem*. *De pœnit. & remiſs.*, ubi vides Pontificem de Indulgentiis loqui tanquam de re antiqua. D. Antoninus *2. p. hiſt. tit. 16. cap. 1. §. 23.* Indulgentias URBANI II. refert. Igitur magno in errore verſantur Novatores, qui recentiorem dictitant uſum Indulgentiarum. Utvis enim contingere poſſit, ut aliquis ex Catholicis hujuſmodi antiquitatem non agnoſcat, hoc tamen non officit univerſali Patrum, atque Doctorum conſenſui. Scio equidem prioribus quinque ſeculis raras admodum hujuſmodi venias fuiſſe propter integritatem rigidioris diſciplinæ, qua quilibet Pœnitens ex præfervida contritione acceptabat injunctas a Canonibus pœnitentias,

& majores etiam ſua ſibi ſponte infligebat.
A Cæterùm Patribus inconfeſsò erat Indulgentiarum facultas, & uſus, dum Clavium tutarentur poteſtatem Indulgentias complectentem. Neque eſt opus nomine Indulgentiarum expreſſo, dummodo rem eandem ſignificent.

60 OBJIC. 2. Tunc cœperunt Indulgentiæ, quando cœptæ ſunt pœnitentiarum redemptiones; ſed iſtæ ſunt recenter inventæ, anno circiter milleſimo: ergo èt illæ. *Maj. explicatur*. Indulgentia nihil eſt aliud, quàm mutatio pœnitentiæ a Canonibus injunctæ, vel infligendæ a Deo in aliud opus applicando merita Sanctorum;
B ſed hæ redemptiones nihil aliud ſunt, præterquam hujuſmodi permutationes. Quid enim erit hæc redemptio, niſi quod, qui uno die in pane, & aqua jejunare debuiſſet, jejunium redimeret recitando flexis genibus quinquaginta Pſalmos, pauperem uno die paſcendo, & iter longum faciens ad Curiam tertiæ, & quintæ feriæ, & Sabbati jejunium, poterat redimere vel ſolvendo pretium unius denarii, vel tres paſcendo pauperes, & ſic de aliis: ergo.

RESP. *nego maj.* quam nullatenus fulcit *Kemnitius*. Uſu redemptionum antiquior eſt conceſſio Indulgentiarum: LEO enim III.,

Uſus Indulgentiarum antiquior uſus redemptionum.

C GREGORIUS I., SILVESTER I., pluresque Pontifices ſupracitati, qui ſunt Indulgentias impertiti, longè ævum illud præceſſere, quo rentur adverſarii redemptiones cœpiſſe, quas ex *Burchardo* X. ſeculi auctore exſcribunt. Deindè dicuntur hæ redemptiones habuiſſe vim, & ſpeciem Indulgentiarum; non enim iis commutationibus applicabatur Theſaurus Eccleſiæ, ſed præcisè dabatur electio commodioris pœnitentiæ loco gravioris, aut minùs commodæ; erat enim pura commutatio unius generis pœnæ in aliud.

Redemptiones non erant Indulgentiæ.

Lubet contra Sectarios ex hoc argumento duo commonere: primum eſt incohærentia
D in loquendo: ait *Kemnitius* Indulgentias cœpiſſe anno ducenteſimo ſupra milleſimum: dein vult eas ſimul ortas cum redemptionibus pœnitentiarum; atque ad hoc probandum affert auctorem decimi ſeculi; immo èt potuiſſet afferre Concilium Triburienſe propè ſeculum nonum, cùm *cap. 56.* aliquid ponat de redemptionibus. Secundum eſt pravitas doctrinæ: nam *Kemnitius* affirmat his redemptionibus ſecutam fuiſſe languefactionem, ùt ipſe loquitur, veræ contritionis, everſionem ſeriæ emendationis, perſuaſionem impunitatis in delictis: ergo ex hoc principio deduci debet veræ contritioni,
E ſeriæque emendationi neceſſaria eſſe opera pœnalia. Cur hæc igitur tanto cum ſtomacho Novatores abjiciunt? Cur jejunia, flagellationes, macerationes condemnant, eliminant? Veræ igitur ipſi contritionis ſunt expertes.

61 OBJIC. 3. Concilium Cabilonenſe apud *Burchardum* eos redarguit, qui ſeſe ablui opinantur ab omni ſcelere, ſi Romam, vel Turonum, aliaque ſacra loca inviſunt orationis prætextu: item reprobat quotquot impunitatem peccati ſibi ſpondent propter eleemoſynæ largitionem. Quid hoc

aliud eſt, ait *Kemnitius*, niſi Indulgentias prohibere? Ergo ſi antiquitùs hæc prohibebantur, ex antiquitate non probantur Indulgentiæ.

Omnia confudit iniquitas.

RESP. Omnia confundit iniquitas, ut veritatem obnubilet. Quid prohibent? quid redarguunt ejus Concilii Canones? Peregrinationes, eleemoſynas, orationes? Abſit. Eorum planè temeritatem compeſcunt, qui vitiis habenas laxantes, abſque vera ad Deum converſione falsò, ſeu temerè ſe credunt ſalvari, ſi obolum erogent pauperi, ſi unum, vel alterum Pſalmum recitent, Phariſaicam imitati ſanctitatem, quæ externas quaſdam ceremonias religioſiùs excolebant, & fuco pietatis nequiſſima flagitia contegebant. Quiſnam ex Pontificibus Indulgentias hujuſmodi edidit? Nonne verè Contritis, & Confeſſis conceduntur? Nonne ſtatum gratiæ requirit Eccleſia? Nonne pœnam dumtaxat, quæ, ablutâ culpâ, remanet, tolli univerſalis eſt Catholicorum ſenſus? Cur ergo contra nos Concilii Canones allegat Hæreticus?

Indulgentiæ ſtatum gratiæ requirunt.

62 OBJIC. 4. Patres antiqui ſuis ſcriptis necdum enatas reprobaverunt Indulgentias: ergo ſunt Papiſtarum novum figmentum. *Antec. prob.* Auguſtinus *Serm. de Martyribus* ait: — Non dixit Deus: vade in „ Orientem, & quære juſtitiam: naviga „ uſque in Occidentem, ut accipias Indul„ gentiam: dimitte inimico tuo, & dimit„ tetur tibi: — *Bernardus* ſerm. 1. de Adventu: — Non te oportet, o Homo, ma„ ria transfretare, non penetrare nubes, non „ tranſalpinare neceſſe eſt, uſque ad temetip„ ſum occurre Deo tuo: — *Gregorius Nyſſenus* integra oratione reprehendit peregrinationem ad ſancta loca Jeruſalem: *Chryſoſtomus* Homil. 1. in Epiſt. ad Philemonem: — „ Ad veniam obtinendam non eſt opus elee„ moſynas, & peregrinationes impendere: — & *Homil.* 38. *in Matth.* aſſerit: — „ Templum Dei ſpeluncam facit Latronum, „ qui lucra terrena, & illicita ſectatur: „ Nam quotidie ingreditur Jeſus in Tem„ plum ſuum, ideſt in Sanctam Eccleſiam, „ & ejicit omnes vendentes gratiam Dei. — Viden', ùt optimè confutantur Romanorum Indulgentiæ, quarum gratiâ tot ineuntur peregrinationes, tot pingueſcunt Fidelium marſupia?

Ad delendam maculā peccati non ſufficit Indulgentia.

RESP. *neg. ant.*, quod nullatenus ex allatis evincitur: ſiquidem Patres ibi loquuntur de Indulgentiis in ordine non ad extinguendum temporarias pœnas, ſed peccatum ipſum quoad maculam, pro qua abluenda non ſunt neceſſariæ peregrinationes, ſed ſincera eſt opus interiore cordis pœnitentia coram Deo, quæ veram gignit charitatem. Eſto tamen, quidquid intendunt Adverſarii; certè Patres non improbant Indulgentias, ſed ad ſummum declarant non eſſe ſimpliciter ad ſalutem neceſſarias; quod utique concedimus, cùm ſua queat Pœnitens in ſe ipſo delicta caſtigare, vel taxatam a Deo punitionem in Purgatorio ſubeundam differre. Sed Hæreticorum prava intentio eſt, ut de medio tollant pias exercitationes, & bona quæque opera præfocent jejuniorum, eleemoſynarum, ſacrarumque peregrinationum ad loca ſanctiora; tametſi Auguſtinus *Epiſt.* 137. *ad Populum Hipponenſem* ſcribit, ſe auctorem fuiſſe, ut quidam ad loca Sancta peregrinarentur. Loquendo de Indulgentiis in *Enchirid. cap.* 65. ait: — Rectè conſti„ tuuntur ab iis, qui Eccleſiæ præſunt, „ tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam ſatis „ Eccleſiæ, in qua remittuntur peccata, „ extra eam quippe non remittuntur. — *S. Bernardus* damnat *Petrobruſianos*, qui ſacras peregrinationes reprehendebant. Nyſſenus *lib.* 3. *de cultu Sanctorum cap.* 8. pluribus oſtendit peregrinationes ad loca ſacra eſſe Deo acceptabiles, exceptis tamen Monachis, aliiſque ſolitudini devotis. Chryſoſtomus *Homil.* 66. *ad Populum Antiochenum* mirificè commendat ſacra hujuſmodi itinera ad Martyrum cryptas. *Homil.* 38. *in Matth.* redarguit Miniſtrorum quorumdam avaritiam, non autem ſanum, & rectum Indulgentiarum uſum.

Sacras peregrinationes commendant SS. Patres.

63 OBJIC. 5. Nullo unquam tempore defuerunt, qui Indulgentiis contradicerent: ſunt ergo explodendæ. Id *Kemnitius* probat auctoritate quorundam Hæreticorum Waldenſium ſcilicet, Wicleſiſtarum, Huſſitarum, Schiſmaticorum, aliorumque ex eadem ſchola, qui ſuis oppugnationibus veritatem confirmant. Si enim damnati ab Eccleſia fuerunt ex eo, quòd Indulgentias, alioſque Fidei articulos oppugnarent: ergo uſus Indulgentiarum eſt legitimus, & laudabilis.

Soli Hæretici impugnaverunt Indulgentias.

64 Dixerit fortè *Calvinus*, quos Eccleſia damnavit, verè ſapientes fuiſſe, ſecus deliraſſe, qui Indulgentiæ defendere ſunt auſi. Hoc enim innuere videtur per ea verba: *Ubi Orbis ſibi ſupere aliquid permiſit, Indulgentiæ paulatim frigere, congelaſcere cœperunt*, lib. inſtit. cap. 9. Sapientia ergo effulſit, dum prophetantes *Lutherus*, *Calvinus*, *Kemnitius* apparuerunt, antiqua dogmata conſtuprarunt, omniumque antiquorum hæreſum abominationes extumulavere? Superioribus ſeculis, cùm tot viri doctrinâ, & ſanctimoniâ celebres florebant, totque Concilia ſacroſancta peracta ſunt, totus Orbis deſipiebat, & Lutheranæ, nec non Calviniſtæ ſapientiæ lucem expectans in ſumma ignorantia verſabatur. Quid excogitari, ne dicam fingi, nequius poteſt?

CONTROVERSIA V.

AN EX ALIIS SIGNIS CONSTET VERITAS INDULGENTIARUM.

UT reliquos obtundam Novatorum arietes, queis Theſaurum Eccleſiæ nequicquam pulſant, extremam lubet aciem inſtruere, & triarios quodammodo in pugnam evocare, alia ſcilicet, atque alia, quibus Catholica hæc theſis defenditur argumenta.

Eccleſia ſe habet ſicut Reſpublica.

65 DICO: *Aliis ſignis veritas Indulgentiarum comprobatur.* PROB. 1. In quacumque Republica ſpectat ad Principem diſtribuere bona communia, ſolutionemque unius pro alio acceptare, quandocunque publicæ

blicæ rei expedire videatur , ùt eſt in praxi ; ſed Eccleſia Dei eſt reſpublica a Chriſto Domino bene inſtituta : ergo ſpectat ad ejus Rectorem , qui eſt Summus Pontifex ſpiritualia communia diſpenſare ; ſed in comperto eſt plurimas eſſe Chriſti , & Sanctorum ſuperabundantes ſatisfactiones , ùt conſtat ex dictis : ergo ad Summum Pontificem pertinet eas Fidelibus , prout ipſorum fert utilitas, diſtribuere . A

Indulgentiarum uſus ex Apoſtolica traditione .

66 SECUNDO . Juxta regulam *S. Auguſtini* lib. 5. de Baptiſmate contra Donatiſtas *cap.* 24. — Quod univerſa tenet Eccle-„ ſia , nec Conciliis inſtitutum , ſed ſemper „ tum eſt , non niſi auctoritate Apoſtolica „ traditum rectiſſimè creditur ; — & *lib.* 2. *cap.* 7. — Multa non inveniuntur in literis „ Apoſtolorum , neque in Conciliis poſte„ riorum , & tamen quia cuſtodiuntur per „ univerſam Eccleſiam , nonniſi ab ipſis tra„ dita , & commendata traduntur . — Sed quandoquam cœperit uſus Indulgentiarum , nulla extat origo certa , nullus certus auctor , & e contra oppoſiti dogmatis certus auctor aſſignatur : ergo uſus Indulgentiarum in Apoſtolicam traditionem referendus eſt , & oppoſitum dogma prorſus averſandum . B *Minor* eſt Adverſariorum , qui negant poſſe certò notari Indulgentiarum auctorem , ùt videre eſt apud *Kemnitium* p. IV. examinis, & ſecum ipſi pugnant in aſſignanda origine ; nullus enim ex Hæreticis ante decimum ſeculum initia fert , quæ tamen longè antiquiora nos oſtendimus ; ex oppoſito idem *Kemnitius* non diffitetur quo tempore , quo auctore cœptæ ſint Indulgentiæ impugnari , videlicet a Waldenſibus ſeculo circiter undecimo : ergo uſus Indulgentiarum manat ex Apoſtolica traditione , & oppoſitum dogma rejiciendum eſt . C

Indulgentiæ fundantur in ſatisfactionibus .

67 TERTIO . Si veritas ſatisfactionum ſtat, ſolidum quoque Indulgentiarum ſtat fundamentum ; ſed illa everti non poteſt : ergo èt hoc . *Major* eſt adverſariorum , qui toto niſu virtutem ſatisfactivam noſtris operibus extorquendam curant . Unde *Hesbuſius* poſt allata *Lutheri* , *Calvini* , & *Kemnitii* argumenta lib. de ſexcentis Pontificiorum erroribus tit. 32. concludit : *Sublato errore de ſatisfactione, ſpontè evaneſcit figmentum de Indulgentiis*. Minor abundè in Controverſiis de Suffragiis probata eſt ; quare unam, vel alteram ſufficit auctoritatem ſubdere . Danielis 4. v. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime* . Proverb. 16. v. 6. *Miſericordia , & veritate redimitur iniquitas* . Luc. 3. v. 8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ* . 2. ad Cor. 7. v. 11. *Ecce enim hoc ipſum , ſecundùm Deum contriſtari vos , quantam in vobis operatur ſollicitudinem : ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem , ſed deſiderium, ſed æmulationem* : ideſt afflictionem pro peccatis . 1. ad Corinth. 11. v. 31. *Si nos metipſos dijudicaremus , non utique judicaremur* : Jerem. 18. v. 8. *Si pœnitentiam egerit a malo ſuo , quod locutus ſum adverſus eam : agam & ego pœnitentiam ſuper malo , quod cogitavi ut facerem ei* : hoc eſt , dimittam pœnam , & flagella , quæ infligere decreveram . D E

Tertullianus *lib. de pœnitentia cap.* 9. : — „ In quantum non peperceris tibi , in tan„ tum , tibi Deus, crede , parcet : — *Origenes* Homil. 3. in lib. Judic. — Ipſe præ„ veni tortoris manus : — & *Homil.* 15. *in Levit.* opera pœnalia vocat pretium , quo peccata redimuntur : *Cyprianus* lib. 3. Ep. 14. habet : — Pœnitentes precibus , & „ operibus ſuis Deo miſericordi ſatisface„ re : — *Ambroſius* ad Virginem lapſam cap. 8. : — Peccator ergo ſi ſibi ipſi non „ pepercerit , a Deo illi parcetur . . . . „ Grande ſcelus , grandem neceſſariam ha„ bet ſatisfactionem : — Chryſoſtomus *Homil.* 10. *in Matth.* — Deliciis antea , & tu„ mulentiâ diffluebas , jejunio , & aquæ po„ tu utrumque compenſa : — *Auguſtinus* in Enchirid. cap. 70. : — In melius eſt vita „ mutanda , & per eleemoſynas de peccatis „ præteritis eſt propitiandus Deus , non „ ad hoc emendus quodammodo , ut ea „ ſemper liceat impunè committere . Ne„ mini enim dedit laxamentum peccandi , „ quamvis miſerando deleat jam facta pec„ cata , ſi non ſatisfactio congrua negliga„ tur : — & in *Pſal.* 50. — Domine non „ erit impunitum peccatum meum . . . , ſed „ ideo nolo , ut tu punias ; quia ego pec„ catum meum punio : — S. *Hieronymus* in cap. 9. Amos : — Sævit , iraſcitur , com„ minatur Deus , & dicit ſe illaturum eſſe „ ſupplicia : ſi agamus pœnitentiam , ipſum „ quoque ſuæ pœnitebit ſententiæ : — & *in cap.* 1. *Joelis* ait , offenſas Dei vitæ auſteritate compenſari . Plures alios Patres omitto , quia omnes in idem conveniunt : ex quibus patet ſoliditas fundamenti , cui innituntur Indulgentiæ . Dicere autem Patres his ſententiis inconſideratè locutos procax eſt *Kemnitii* phraſis , nec reſponſione digna .

68 QUARTO . Ex fundamentali adverſariorum doctrina contra Indulgentias , niſi evertatur Fidelium communio non ſolùm miniſterio Verbi Dei , & Sacramentorum , ſed bonorum quoque operum , & ſatisfactionum , everti non poteſt ratio Indulgentiarum ; atqui communio bonorum operum , & ſatisfactionum everti nullatenus poteſt : ergo nec ratio Indulgentiarum . *Prob. min.* Non eſt minus proviſum Eccleſiæ noſtræ , quàm Sinagogæ ; ſed in Sinagoga aderat bonorum communicatio operum , & ſatisfactionum : ergo . *Min. declaratur* . Deus Populo ſæpè iratus flagella abſtinuit , placatuſque eſt Patriarcharum precibus : ſæpiſſime a Filiis , & Nepotibus famem , mortem , bella , captivitatem , peſtem avertit propter Patrum merita , & Religionem . *Protegam Urbem iſtam* , dicebat 4. Reg. 20. v. 6., *propter me, & propter David* . . . *Obliti ſunt Deum, qui ſalvavit eos* , canebat Pſalmiſta Pſal. 105. v. 21. & 23. *& dixit , ut diſperderet eos : ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus , ut averteret iram ejus , ne diſperderet eos* . Fornicationibus , & Idololatriis provocatus Dominus cædem immiſit graſſantem inter eos , *& ſtetit Phinees , & placavit , & ceſſavit quaſſatio* v. 30. Propter Loth Segor ſalvata eſt : Geneſ. 19. v. 21. *Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas , ut non ſubvertam Urbem , pro qua locutus es* ;

clariſſimas Sodomorum non perdidiſſet Civitates propter decem Juſtos; *non delebo propter decem*: Gen. 18. v. 32. Nunquid ſanctior David B. Virgine? Baptiſtâ juſtior Moyſe? Phinees melior Petro? Loth Stephano? Cur igitùr ipſorum lacrymæ, jejunia, preces, flagella, cruciatus nulli nobis adjumento ſint?

Majus eſt vinculū charitatis, quam conſanguinitatis.

CONFIRMATUR. Majus eſt vinculum charitatis Divinæ, quàm temporalis conſanguinitatis, & terrenæ juriſdictionis; ſed ob vinculum conſanguinitatis, & juriſdictionis ſubjicit Deus temporalibus pœnis filios, & ſubditos ob delicta Parentum, & Dominorum: ergo ob vinculum charitatis Divinæ eximet a pœnis temporalibus Fideles propter merita Sanctorum. *Minor* clara eſt Exod. 20. v. 5. *Ego ſum Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Unde *Auguſtinus* lib. 6. contra Julianum cap. 12. habet: *Quàm multa ſunt teſtimonia divinarum Scripturarum, quæ Parentum peccatis obligant filios: numerare quis poſſit?* Peccavit Cham, & in ejus Filium Chanaam pœna prolata eſt, *Geneſ.* 9.: Pro peccato Salomonis filius ejus diminutione Regni mulctatus eſt 3. *Reg.* 12., Peccavit Acab Rex Iſrael, & Poſteri illius iniquitates portaverunt 3. *Reg.* 21.

69 DICES. Si vera ſunt, quæ præcedenti numero diximus, ſequitur etiam in lege veteri fuiſſe Indulgentias; hoc negavimus Controv. II. n. 24. hujus Partis: ergo.

RESP. *negando ſequelam*. Nam aliud eſt, quòd Deus exaudiat preces, & ſatisfactiones unius acceptet pro alio, aliud eſt Indulgentia, prout a nobis ſumitur. Verum eſt Deo exaudiri preces Servorum ſuorum, & oblatas ſatisfactiones acceptari. Cæterùm ad veræ Indulgentiæ rationem non ſufficit acceptatio ſatisfactionum, ſed neceſſe eſt, ut ſuperfluentes ſatisfactiones diſpenſentur ab habente legitimam poteſtatem. In lege veteri nulli contigit ea poteſtas, cùm nullus haberet Clavium poteſtatem pro lege gratiæ reſervatam. Habebatur quidem bonorum communicatio operum, & ſatisfactionum; & ideo ſupradictam probationem adduximus, ſed ea communicatio non erat ex virtute Clavium, ùt apud nos, neque in hoc ſtat paritas. Vide locum citatum in argumento.

Deus non facit miraculū in confirmationem falſitatis.

70 QUINTO. Deus Indulgentias miraculis confirmavit; ſed Deus in confirmationem rei falſæ miracula non operatur: ergo doctrina de Indulgentiis non eſt falſa. *Prob. maj.* EUGENIUS III. pleniſſimam iis Indulgentiam donat, qui ſumpta cruce ad ſacrum bellum Jeroſolymitanum proficiſcerentur, & illius prædicationem *S. Bernardo* commiſit, quam pluribus miraculis approbavit Deus; ſurdis ſcilicet auditum, claudis greſſum, cæcis etiam ex utero viſum, loquelam mutis reſtituendo; & cùm totaliter diſſipato Gallorum exercitu contra Pontificem, & *D. Bernardum* rumor inſonaret, ad Abbatem acceſſit quidam filium oculis captum offerens, precibuſque reluctantem pervicit, ut filio manus imponeret. Sanctus itaque Pater ſic ad Deum clamans impoſuit manus: *Si verbum prædicationis meæ ex ore tuo exivit, ſi adfuit ſpiritus tuus, hujus cæci illuminatione oſtende*; his dictis vidit cæcus. *S. Franciſcus*, HONORIO Summo Pontifice approbante, pluribus miraculis celebrem promulgavit Indulgentiam pro Eccleſia Sanctæ Mariæ de Angelis, licèt *Kemnitius* id nomine ſugillet inanis fabulæ, nullam adhibens præter ſuam ipſius auctoritatem.

FIT SATIS HÆRETICIS.

71 OBJIC. 1. *Kemnitius*: Uſus Indulgentiarum repugnat doctrinæ de Purgatorio, & de die Judicii: ergo. *Ant. ſic oſtendit.* Pontifices Indulgentias concedere ſolent quindecim mille annorum, quadraginta mille, quinquaginta centena: & GREGORIUS conſecrans Lateranenſem Eccleſiam, tot dierum Indulgentiam conceſſit, quot guttæ caderent è Cœlo, ſi per tres continuò dies plueret; ſed certum eſt Purgatorium tandiù non duraturum, & diem Judicii citiùs adfuturum, cùm opus Incarnationis in medio annorum peractum fuiſſe dicat Scriptura: ergo. Unde fatetur ſe pro germanica ſimplicitate calculum Pontificium non intelligere, quem libenter a Romanenſibus diſceret.

RESP. *neg. ant.* Cujus probatio falſa omnino eſt: nec ſimiles approbantur Indulgentiæ ab authenticis locis, ſed plures fuere ab Hæreticis, ùt a *Veſello*, quem frequenter citat *Kemnitius*, confictæ, aut corruptæ, cùm numerus dierum cum annorum numero confunditur. Aliæ a Quæſtoribus publicatæ, atque immaniter adauctæ ſunt, ut eleemoſynam emungerent, quas poſtmodum Hæretici ſuis libris inſeruerunt. Haud equidem inficias imus Indulgentias ejuſmodi pleraſque circumlatas fuiſſe; ſed veritatem illarum conſtanter negamus, aſſerimuſque eas Pontificiæ approbationis calculum nunquam acceſſiſſe. Quare *Dominicus Soto*: — Quid ergo, *ait*, de Indulgentiis centum, & mille annorum? dicendum, quòd hujuſmodi portenta nunquam Papa concedere cogitavit: — quinimmo plurimas apochriphas declaraverunt, pluresque reformavere: illa verò, quæ adducitur ex Gregorio, ſe ipſa falſam prodit. Sed eſto, veteres Indulgentiæ conceſſæ fuerint quindecim, viginta, aut triginta mille annorum, Canonicas tamen pœnitentias non excedunt. Nam ſi pro perjurio impoſita erat ſeptena, qui per annum ter in diem perjuraret, ſubeunda illi fuiſſet pœna annorum 7665. Si verò etiam perjurio addantur fornicationes, & alia, quibus ſeptena pariter erat injuncta, quiſnam annos ſupputet Canonicæ pœnitentiæ, ſi peccator diutiùs viveret? Impendi ergo potuit Indulgentia præfatis congrua pœnitentiis; quare ſi fortè aſſignetur venia quindecim, vel viginti annorum, effectum ſortietur; remittendo pœnam correſpondentem. Vide infra n. 108., & ſeq.

Plurima Indulgentia ab Hæreticis cōficta.

72 OBJIC. 2. Nequeunt Indulgentiæ peccatis debitam pœnam remittere: ergo

ad

ad nihil deſerviunt: Probat *Lutherus* ant. Pœuas peccatum ſubſequentes omnimodè ſoſtinere debemus, nec evitare poſſumus vitæ labores, & mortem, quæ ſunt peccati originalis pœnæ. Pſal. 88. v. 31. *Si autem dereliquerint Filii ejus legem meam &c. Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*; ſed Pontifex hanc virgam nequit avertere: ergo. Secundò. *A Domino corripimur, ut non cum hoc Mundo damnemur*, ait Paulus 1. Corinth. 11. v. 32.; Sed Indulgentiæ hanc correptiunem non tullunt: ergu. Tertiò. *Noli negligere diſciplinam Domini*, repetit Apoſtolus ad Hebræos 12. v. 5.; ſed hanc diſciplinam non impediunt Indulgentiæ, ideò pruſequitur, *neque fatigeris, dum ab eo argueris &c. in diſciplina perſeverate*: ergo.

Pœnæ aliæ ſunt pro originali, aliæ pro perſonali peccato.

RESP. Pœnæ temporales aliæ ſequuntur uriginale, aliæ perſonale; & ex his aliæ ſunt debitæ in foru externu, aliæ in foro pœnitentiæ: pœnæ ſequeutes peccarum originale ſolent eſſe commones hujus ſeculi ærumnæ, ùt frigus, calor, labor, mors, quas Indulgentiæ non avertunt. Pœnæ ſequentes peccatum perſonale in foro pœnitentiæ ſunt ſtatutæ a Canunibus, & ſecundùm Dei ſententiam exolvendæ in Purgatoriu, & his redimendis Indulgentiæ impenduutur: pœnæ ſequeutes in foro externo ſunt taxatæ a Judice temporali, ùt ſuſpendium, carcer, exilium, & ſimilia; & a Deo ſtatutæ in vindictam externam ad aliorum terrurem, ùt peſtis, bellum, fames, & alia bujuſmodi, & nullas ex iſtis tullunt Indulgentiæ, nec ad boc urdinantur; quamvis verum ſit, quòd ſi quis peccavit, & ſincerè duleat, cuneturque pœnalitatibus Deum placare, aliquando etiam hæc externa flagella ſuſpendat Miſericors Deus. A *Pſalmiſta*, & *Apoſtolo* enumerantur pœnæ, quæ vel debentur uriginali peccatu, vel quæ a Deo tanquam a Judice in externo foro poniente infliguntur: unde nil mirum, ſi per Indulgentias nun tullantur.

Indulgentiæ quas pœnas tollunt.

73 OBJIC. 3. Indulgentiæ ſunt noxiæ Fidelibus: ergo eliminandæ a toto orbe. *Prob. ant.* Id quod impedit bona opera, eſt noxium Fidelibus; ſed Indolgentiæ impediunt bona opera: ergo. *Declaratur min.* Indulgentiæ dicuntur remittere injunctas pœuitentias, puta, jejunia, urationes, & alia bujuſmodi; ſed iſta ſunt upera bona: ergu ſi iſta remittunt, illa impediunt.

RESPOND. *neg. ant., & min. addita probatione*. Indulgentiæ tullunt debitom pœnæ ſuſtinendæ in hoc, vel aliu ſeculu pro peccatis, quod debitum retardat ab ingreſſu Cœlurum, ſi forte mors præveniat; adeoque nun remittunt injunctas pœnitentias, quatenus upera buna ſunt, ſed quatenus debitum eas ſuſtinendi vel in ſpecie, vel in æquivalenti Juſtis morientibus impedit immediatam cunſecutionem beatitudinis: unde Eccleſia concedendu Indulgentias nou vetat exercitium bonorum uperum, ſed remedium præſtat ſolvendi reatum pœnæ temporalis.

Quomodo Indulgentia remittit injunctas pœnitentias.

74 OBJIC. 4. & quia eſt demonſtratio, qua *Tilmannus Heshuſius* ſibi plaudit, jactat, & triumphat, ejus verba reſcribu: — Obſcurant Pontificii neceſſariam doctri-
„ nam de pœnitentia commento Indulgentia-
„ rum: cùm enim docent homines pru ſuis
„ peccatis vel in bac, vel in futura vita
„ ſatisfacere, aut etiam impoſitas ſatisfa-
„ ctiones pecuniâ redimere poſſe, exte-
„ nuant peccati maguitudinem, parvi fa-
„ ciunt judicium Dei adversùs peccatum,
„ inſtillant animis ſecuritatem, atque ve-
„ ræ contritiunis fundamenta evertunt. — *Et infra*. Sepeliunt quoque doctrinam de
„ fide, ſeu fiducia in mediatorem Jeſum
„ Chriſtum: Si enim remiſſio pœnarum
„ pecuniâ emi poteſt, non eſt neceſſe cre-
„ dere in Filium Dei Jeſum Chriſtom: at
„ tota Scriptura clamat, qui non credit
„ in Filium, vitam non videbit, ſed ira
„ Dei manet ſuper eum *Joan.* 3. — Similia profert *Kemnitius*.

RESP. Qui peſſimum inter Lutheranos neſciat hominem hunc, enumeret inter Sanctos, aut ſaltem inter Eccleſiæ Doctores; ſed videamus, quem feriat demonſtratiu adeo ſubtilis: dicat quæſo: quis doctrinam pœnitentiæ obſcurat? Peccati magnitudinem extenuat? Num is, qui ad expiandum peccatum requirit fidem, cuntritiunem, cunfeſſiunem, ſatisfactionem per opera pœnalia, an qui ad expiandum peccatum, nihil aliud exigit, niſi quòd credat? Quis parvipendit ſeveritatem divini Judicii adversùs peccatom? Is ne, qui tenet ſemper dimitti culpam ſimul, & pœnam, ablatoque reatu pœnæ æternæ, nun dari ullum debitom alterius pœnæ, neque in hoc ſeculo, neque in futuro; an qui ſentit, dimiſsâ culpâ, remanere reatum temporalis pœnæ, ratiune cujus Deus a ſuis amicis, immò filiis Chriſti ſanguine reconciliatis duriſſimam exigit pœnitentiam in præſenti, & in futoru acerbiſſimum præparavit expiationis locum? Quis inſtillat animis ſecuritatem? An ne qui docet, præmiſſo actu fiduciæ, quo potat ſibi remiſſa crimina, fide divina eſſe certiſſimum de ſua juſtificatiune; an verò qui prædicat, præmiſſa ſeria peccaturum deteſtatiune, confeſſione, & ſatisfactione, hominem vetat de propitiatu peccatu eſſe ſine metu? Prima ſunt Lutheranorum dogmata, ſecunda Pontificum. Lutherani magnitudinem peccati extenuant, & parvi faciunt ſeveritatem divinæ Juſtitiæ: non Pontificii, qui rectiſſimè, & conſunè ad fidem credunt in Filium Dei, cùm doceant Indulgentias ex eo valere, quia Theſaurum applicant meritorum Chriſti, & non niſi Fidelibus habentibus fidem, eamque non quomodocunque, ſed formatam. Neque credunt pecuniâ redimi peccata, niſi in eu ſenſo, quo dicitur Proverb. 16. v. 6. *Miſericordiâ, & veritate redimitur iniquitas*.

Comparatio inter Catholicos, & Lutheranos.

75 OBJIC. 5. Indulgentia homines perdit: ergo doctrina de Indulgentiis pſeudochriſtianum continet dogma. *Prob. ant.* Indulgentia hominem in peccatum inducit: ergo perdit. *Declar. antec.* Volens Indulgentiam lucrari dat pecuniam Eccleſiæ, &

ejus

ejus Miniſtris, quam tenetur dare pauperibus ſecundùm ordinem divini præcepti juxta illud Joa. 1. cap. 3. v. 17. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus Mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo Charitas Dei manet in eo?* Ergo peccat reſervans pecuniam pro Indulgentia.

RESP. *neg. ant.* Ad cujus probationem DICO *primò*: non omnem Indulgentiam concedi ſub onere eleemoſynæ, ùt ex ſe patet. *Secundò*. Regulariter in Indulgentiarum conceſſione onus eleemoſynæ imponitur, ut pauperibus erogetur, aut locis piis, & nunquam Pontifici, aut Epiſcopis; quia tamen caſum reducunt ad tempus, quo occurreret pauper eleemoſynam petens, cui denegaretur ex motivo reſervandi eam pro lucranda Indulgentia, ideo DICO, quòd non eſt peccatum ommittere actum bonum tempore, quo non urget de eo præceptum: præceptum autem largiendi eleemoſynam non obligat ſemper, cùm ſit affirmativum, ac per conſequens ſæpè abſque ullo peccato poterit occurrenti pauperi denegari, & reſervari pro Indulgentia; in caſu tamen, quo urgeret, non eſt licitum tunc denegare, ut lucremur Indulgentiam.

Præceptum eleemoſynæ non obligat ſemper.

76 OBJIC. 6. Secundùm Catholicorum doctrinam illis, qui Indulgentias ſuſceperunt, conſulitur nihilominus, quòd pœnalitatibus ſtudeant peccata expiare; ſed ſi Indulgentiæ ſubſiſterent, impium foret hujuſmodi conſilium: ergo. *Prob. min.* Si ſubſiſterent Indulgentiæ, Claves certam facerent donationem meritorum Chriſti; ſed impium eſt addere noſtras ſatisfactiones, cùm Chriſti ſatisfactiones abſque ulla comparatione excedant valorem noſtrarum: ergo. *Fortius*. Vel credo per Indulgentiam applicata mihi eſſe Chriſti merita, vel non: ſi primum, non eſt amplius jejunandum, aut orandum; ſolutum eſt enim pœnæ debitum: ſi non, ergo Claves Eccleſiæ non ſunt certæ: ergo Indulgentiæ ſunt nugæ, & blaſphemiæ.

RESP. Certitudinem duplicem eſſe, Clavium, & effectus: certitudo poteſtatis eſt, quòd vera, & certa donatio ſit meritorum Chriſti virtute Clavium Eccleſiæ: certitudo effectus eſt, quòd homo ſciat ſe conſecutum eſſe fructum Indulgentiarum: certitudo poteſtatis eſt omninò infallibilis, & certiſſimè credo, quantum eſt ex vi Clavium mihi applicari merita Chriſti: certitudo effectus eſt fallibilis; quia frequenter deficit diſpoſitio debita ex parte ſubjecti, & eſt ſimile in Sacramento. Ex parte Sacramenti, puta Euchariſtiæ certò, & infallibiliter donantur Chriſti merita, non tamen certa eſt donatio ex parte ſubjecti, cui ſæpe deeſt ſufficiens diſpoſitio a divina inſtitutione requiſita: ex quo patet, quàm ſalubre ſit illud conſilium, ut Fideles poſt Indulgentiam ſuſceptam ſatisfactoriis ſeſe operibus diligenter exerceant.

Duplex certitudo alia poteſtatis, alia effectus.

CONTROVERSIA VI.

AN USUS PASSIVUS INDULGENTIARUM SIT PERFECTORUM.

77 NUllum non lapidem Hæretici movent Eccleſiæ theſaurum funditùs everſuri, quem deprædicant inanitatis, & nequitiæ plenum. Indulgentiam ajunt eſſe rem aridam, imperfectam, & Perfectis incongruam. *Lutherus* Vittembergæ anno 1517. in hæc verba concionabatur: — Indulgentiæ admittuntur propter inertes, & pigros Chriſtianos, qui volunt animosè neque bene facere, neque mala ſuſtinere; nam Indulgentiæ nihil promovent in melius; Ideoque non eſt licitum ad eas hortari: *& anno* 1518. *in Epiſtola ad Leonem X.*: „ Solùm inertibus, frigidè pœnitentibus, delicatis ſcilicet peccatoribus canonicæ pœnitentiæ ſunt impoſitæ. — Quare, ut ex hoc etiam capite ſtabiliatur veritas fidei.

78 DICO I.: *Uſus paſſivus Indulgentiarum eſt etiam Perfectorum*. Prob. concl. Cuicumque habenti debitum convenit illius ſolutionem quærere; ſed cuilibet Perfecto contingit habere debitum pœnæ temporalis pro peccatis: ergo cuilibet Perfecto licet quærere ab eo abſolvi; ſed per Indulgentias ſolvitur tale debitum: ergo convenit Perfecto Indulgentias lucrari. *Minor* principalis conſtat Prov. 24. v. 16. *Septies enim cadit juſtus*: & 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*. Unde ait *Auguſtinus*, Sanctum quemque ſine mendacio dicere poſſe, ac debere: *Dimitte nobis debita noſtra*: igitur & Perfecti aliquando peccant, & debitum pœnæ contrahunt.

Qui habet debitum, debet illud ſolvere.

79 II. Satisfacere Divinæ Juſtitiæ bonum eſt, & cuique conveniens; ſed uſu Indulgentiarum ſatisfit Divinæ Juſtitiæ pro peccatis: ergo bonum eſt, & unicuique conveniens: ergo etiam Perfectis, Deo utpote debitoribus.

Divinæ Juſtitiæ ſatisfaciendum eſt.

80 III. Continuè ſuſpiranti ad cœleſtem Patriam, & cupienti eſſe cum Chriſto id omne competit, quod accelerat ingreſſum ad gloriam, & removet impedimentum, quale eſt debitum pœnæ; ſed id removetur per Indulgentias: ergo Perfectis, & ad cœleſtem Patriam ſuſpirantibus licet Indulgentiarum uſus.

Indulgentia accelerat ingreſſum ad gloriam.

81 IV. Ideò Perfecto repugnat uſus paſſivus Indulgentiarum, vel quia eſt opus malum, vel quia imperfectum; ſed ex nullo capite repugnat: ergo. *Prob. min. quoad primam partem*. Frui Theſauro Chriſti bonum eſt, & ipſum opus, quod præſtatur ad lucrandam Indulgentiam, eſt bonum, ùt jejunium, eleemoſyna, Indulgentia, contritio, Eccleſiarum viſitatio, & ſimilia; finis etiam bonus eſt, major ſcilicet puritas conſcientiæ: ergo ex nullo capite eſt opus malum. *Declaratur ſecunda pars*. Opus aliquod dicitur imperfectum, vel quia impedit majus bonum, vel quia

Frui Chriſti Theſauro bonum eſt.

caret

caret perfectione; neutrum dici poteſt de Indulgentiis: ergo. *Prob. min.* Non primum; quia nſus paſſivus non excludit cætera perfectionis opera, & componitur cum efficaci volnntate exercendi quodcumque genus virtutis, immo etiam majori fervore, cùm ſit liberior a debito pœnæ, & gratior propter receptum ſolutionis beneficium ob perfectiſſimam compenſationem ex Chriſti meritis: & quamvis opera ſanctitatis non habeant in eo valorem ſatiſfactivum in actu exercito, illi tamen profunt ad cumulandum majus meritum, ad moderandas cupiditates, ad comparandas virtutes ad imitationem Chriſti. Neque id opus carere dixeris perfectione; nam carentia perfectionis actum deturpans, & quæ reddit opns imperfectum, debet eſſe debita, ſeu privativa; ſi enim eſt indebita, & purè negativa, non inficit: aliàs nullus creaturæ actus eſſet perfectus, utpote carens perfectione majori, quàm poſſet habere; ſed uſus paſſivus Indulgentiarum nullam dicit carentiam privativam; nam qui lucratur Induigentiam, nihil omittit ex neceſſariis ad eam acquirendam, vel ad legem Chriſti adimplendam, aliter non acquireret Indulgentiam: ergo non includit privativam carentiam: ergo non eſt opus imperfectum.

Carentia negativa perfectionis non vitiat actum.

HÆRETICORUM SOLVUNTUR ARGUMENTA.

82 OBJIC. 1. Ex operibus ſuperfluentibus, quæ ſunt in Viris perfectis, coaleſcit Eccleſiæ Theſaurus, quo Imperfectis ſuppletur per Indulgentias: ergo Viri perfecti abhorrent ab nſu Indnlgentiæ.

RESP. *diſt. conſeq.* Si ſemper haberent ſuperfluentes ſatisfactiones, & de hoc illis conſtaret, *concedo conſeq.* Quia non ſemper abundant, *nego conſeq.* Viri perfecti aliquando peccant, & ex Indulgentiis capere ſubſidium queunt: nec eſt inconveniens, quòd qui ſimpliciter ſuâ abundantiâ aliis ſupplet, ſterili tempore aliorum bonis gaudeat. Præſertim cùm neſciat, utrum indigeat, nec ne; ideo ſemper eſt laudabilis Indulgentiarum nſus etiam in Perfectis.

Semper laudabilis eſt uſus Indulgentiarum.

83 OBJIC. 2. Actus carens virtutis meritoriæ eſt imperfectus; ſed nſus paſſivus Indulgentiarum caret vi meritoria: ergo eſt imperfectus. *Minor* eſt certa; nam uſus paſſivus Indnlgentiarum nihil aliud eſt, quàm ſuſceptio applicationis meritorum Chriſti, in quo nullum eſt meritum; actio verò, quæ merito caret, incongruit charitati, quæ in Viris perfectis ad ulteriorem profectum ſolicitè extimulat: ergo nſus Indulgentiarum non eſt Perfectorum.

RESP. *neg. min.* Ad cujus intelligentiam NOTO: uſum paſſivum Indulgentiarum duo dicere unum de formali, aliud de præſuppoſito. De formali dicit ipſum ſuſcipere Chriſti ſatisfactiones, ſeu liberari a debito pœnæ applicatione ſatisfactionum Chriſti, in quo utique nullum eſt meritum. De præſuppoſito importat opus bonum a Pontifice injunctum, & a lucrante Indulgentias exercitum in charitate, & intentione expiandi debitum; & in hoc datur meritum majus, vel minus, ſecundùm quod fervor charitatis influit. Ex quo ſequitur uſu Indulgentiarum Virum perfectum ulteriùs proficere, nec imperfectè agere. Deindè, ut arbor non ſit arida, ſed utilis, non eſt opus, ut producat duo fructuum genera: ſi ergo talis uſus Indulgentiarum eſt ſolutivus pœnæ, nihil refert, quòd non ſit meritorius.

84 OBJIC. 3. Secundùm Pontificios Doctores melius facit Fidelis, ſi per ſe ipſum adimpleat injunctam pœnitentiam, quàm ſi propter Indulgentias illam omittat; ſed Viri perfecti tenentur ad id, quod eſt melius: ergo tenentur per ſe ipſos pœnitentiam adimplere: ergo illis incongruit Indulgentiarum uſus.

RESP. *diſt. maj.* Melius facit in ſenſu cumulativo, *conc. maj.*, in ſenſu præciſivo, *neg. maj.*; ſed Perfecti tenentur ad melius ſub conſilio, *conced. min.*, & *nego conſeq.* Explico diſtinctionem: ſenſus cumulativus eſt incumbere lucro Indulgentiarum ſimul, & exercitio bonorum operum, ideſt curare acquiſitionem Indulgentiarum, & nihilominus cæterarum virtutum opus non negligere, & hoc eſt melius; quia eſt duplici via proficere, & expeditiorem ſibi aditum aperire ad gloriam. Senſus præciſivus eſt, ſi comparatio fiat in eo præcisè, quod eſt lucrari Indulgentiam, & non alia exercere virtutis opera, & tunc melius eſt illis incumbere, quàm Indulgentiam lucrari. Cæterùm uſus Indulgentiæ, cùm, ut ſupra vidimus, non pugnet cum aliarum exercitatione virtutum, ideò non adverſatur conſilio de meliori; maximè quòd nos lateat, an tempus ſuperſit ad ſatisfaciendum Deo, ideò ſemper eſt ſuadendus Indulgentiarum uſus. Vide ſupra n. 80.

Uſus Indulgentiarum nõ pugnat cum frequentatione virtutum.

85 OBJIC. 4. Perfectis id minimè congruit, quod religioſæ inducit diſciplinæ diſſolutionem; ſed uſus paſſivus Indulgentiarum religioſæ diſciplinæ diſſolutionem inducit: ergo Perfectis non congruit. *Prob. min.* Ob lucrandas Indulgentias neceſſe eſt vagari, & ſolitudinis quietem, quæ plurimùm ad ſpiritualem profectum inducit, deſerere: ergo.

RESP. *neg. min.* Per ſe uſus Indulgentiarum non diſſolvit diſciplinam regularem, nec evagationis eſt cauſa; quia licèt paululum extrahat a ſolitudine ad viſitandas Eccleſias, non tamen impedit interiorem cordis ſolitudinem, & elevationem mentis in Deum. Cęterùm ſi ſequatur diſciplinæ diſſolutio, & evagatio mentis, tunc non expedit Indulgentiam aſſectari, cùm majus detrimentum afferat evagatio, quàm Indulgentia lucrum; ſed malum hujuſmodi eſt per accidens, nec oritur ab ipſis Indulgentiis, ſed ex fragilitate, aut malitia ſubjecti.

Quando utilis eſt uſus Indulgentiarum.

86 OBJIC. 5. Indulgentiæ ſunt pœnarum relaxationes; ſed Perfectorum eſt pœnas amplecti, non averſari: ergo Perfectorum non eſt conſectari Indulgentias; unde quidam Scholaſtici aſſerunt opus majoris charitatis eſſe, velle in Purgatorio ſolvere per rigoroſam

gorosam pœnam ſenſus, quàm cu alieno ſolvere per Indulgentium.

RESP. Pęnas duplicis generis eſſe, uliæ promerentur, & conducunt ad æternam vitum, ùt jejunia, flagella, &c. aliæ retardant ab ejuſdem conſecutione: primarum, nou ſecundarum relaxatio non congruit Perfectis; Indulgentiæ uutem pœnas ſecundi gauerlu relaxant: tollunt anim debitum ſolvendæ pœnæ in judicio Dei; pœnas tamen primi generis non impediunt prædictam æternæ gloriæ conſecutionem: unde liberum eſt lucranti Indulgentias quaſcumque hujuſmodi ſuſtinere. Quare doctrina illorum Scholaſticorum non eſt admittendu; repugnat namque charitati, quæ inclinut in fruitionem Dei ub ipſo inſtanti ſeparationis animæ u corpote, nec ulla eſt utilitas in tolerantia ignis Purgatorii, niſi ſolutio debitæ pœnæ; non enim creſcit meritum, nec charitas uugetur, nec frænantur paſſiones, nec ſequitur conformatio cum Chriſto. Ex quibus patet, quàm juſtè LEO X. damnuverit propoſitiones *Lutheri*: — Indulgentiæ ſunt piæ fraudes Fidelium, & remiſſiones bonorum operum, & ſunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum, quæ expediunt *Prop.* 18. — Indulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolùm publicis criminibus, & propriè conceduntur duris ſolummodo, & impatientibus *Prop.* 21., — & *Prop.* 22. Sex generibus hominum Indulgentiæ non ſunt neceſſariæ, nec utiles: videlicet Mortuis, ſeu morituris, Infirmis, legitimè impeditis, his, qui non commiſerunt criminu, his, qui criminu commiſerunt, ſed non publica, his, qui meliora operantur.

Rejicitur aliquorũ Scholaſticorum doctrina.

CONTROVERSIA VII.

UTRUM INDULGENTIÆ RELAXENT POENAM DEBITAM IN FORO DEI.

87 LUtheri, quem ſequuntur *Calvinus*, *Hobbuſius*, *Kemnitius*, *Thomas Anglus*, aliique Novatores, opinio fert, Indulgentiis pœnas ſolummodo relaxari Eccleſiaſticas Canonum, non verò eas, quæ ſint divino in foro ſolvendæ; ideo *Propoſ.* 19. eu damnatis habet. — Indulgentiæ his, qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatiu actualibus debitæ apud Divinam Juſtitiam, — & 20. Seducuntur credentes Indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum ſpiritus utiles. — Nec deſuere ex Catholicis aliqui idem ſentientes, quos indicant, & refellunt D. Thomas in ſupplemento *quæſt.* 25. *art.* 1., & 2., S. Bonaventura 4. *ſent. diſt.* 20., Beatus Albertus *diſt. eadem art.* 17., & alii. Quanquam igitur eu dictis affatim conſtet oppoſitum, tamen ut omnia præcludantur effugia, neve cum *Calvino* quis conqueratur, quòd non ad omnia reſponſum u nobis fuerit,

88 DICO I. *Indulgentia ſolvit pœna debitum apud Divinam Juſtitiam.* PROB. *conſeq.* Indulgentia operatur virtute Clavium; ſed virtus Clavium ſolvit debitum pœnæ apud Divinam Juſtitiam: ergo Indulgentia remittit pœnam in foro Dei. *Major* conſtat ex alibi dictis. *Minor* videtur clara eu verbis Chriſti *Matth.* 16. *v.* 19. *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum . . . quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*: Matth. 18. v. 18. *quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*; ſi enim ſolùm humanum vinculum ſolveretur, non adderetur illa particulu, *& in cœlo*, & patet u ſimili; quia in illiu verbis traditur poteſtas ſolvendi a culpa; ideo Sacerdos ſolvit a culpa in foro Dei, nedum in foro hominis: ergo quiu traditur poteſtas ſolvendi u pœna, Pontifex per Indulgentium non modò ſolvit a debito pœnæ in foro humano, ſed etiam in divino.

Indulgentia operatur virtute Clavii.

89 II. Per Indulgentias, quas prædicant Catholici, diſpenſatur Theſaurus meritorum Chriſti; ſed Theſaurus meritorum Chriſti ſolvit pęnam in foro Divinæ Juſtitiæ; Chriſtus enim potiſſimè nos juvat apud Patrem: ergo Indulgentiæ propriè dictæ, quas vera Chriſti Eccleſia defendit, a Divinæ reatu Juſtitiæ redimunt.

Chriſtus nobis prodeſt apud Patrē

90 III. Implicat falſum eſſe, quod veru fides docet, & univerſa tenet Eccleſiu; ſed veru fides docet, & univerſu tenet Eccleſia Indulgentiis pœnas ſolvi Divino Judici ab homine dependendas: ergo Indulgentiu prodeſt in foro Dei. *Major* clara eſt ex Apoſtolo 1. Corinth. 15. v. 14 *Inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra*: & Job 13. v. 7 *Nunquid Deus indiget mendacio veſtro ut loquamini pro eo dolo &c.*; & ideo Eccleſia vocatur columna veritatis. *Minor* non indiget probatione; nam id apertè declarunt Pontificum Bullæ, & ſenſus Fidelium, qui propterea tanta ſolicitudine aguntur ad eas lucrandas, non tam ſibi, quàm ab Animabus Purgatorii, quæ ſolicitudo prorſus evaneſceret, niſi ſancitas in Divino tribunali pęnas crederent expiari.

Quod fides docet, & Eccleſia tenet verum eſt.

91 IV. Blaſphemum eſt dicere Eccleſiam, dum Indulgentias donat, majori detrimento eſſe, quàm utilitati; ſed ita contingeret, niſi Indulgentiu pœnam expungeret in Judicio Dei debitam; abſolveret enim u leviſſimis pœnis hujus ſeculi, ſed graviſſimas relinqueret in alio perferendas: ergo.

92 V. Quotieſcumque vinculum Dei, & Eccleſiæ eſt unum & idem: qui ſolvit u vinculo Eccleſiæ, ſolvit etiam a vinculo Dei; ſed vinculum pœnæ canonicæ, & pęnæ ſatisfactoriæ apud Deum ſe habet ùt unum & idem: ergo ſolvens u vinculo pœnæ canonicæ ſolvit etium a vinculo pœnæ ſatisfactoriæ apud Deum. *Major* videtur notu ex terminis; non enim ſtat idem vinculum ſolvi, & non ſolvi, & conſtat a ſimili: quando obligatio Eccleſiæ eſt eadem, ac obligatio Dei, qui ſatisfacit obligationi præcepti Eccleſiæ, ſatisfacit etiam præcepto Dei. *Minor* autem explicatur. Pœnu canonicu, & pęna ſatisfactoria ſe habent ſicut determinatum, & indeterminatum, quatenus Fidelis peccans debet Deo ſatisfacere per hanc, vel illam

Vinculū Dei, & vinculum Eccleſiæ eſt unum.

illam pœnitentiam, per eleemoſynam, aut jejunium, per flagellationem, aut orationem, & ſimilia; Eccleſia verò determinat, quòd tali modo fiat, v. g. ſepteunio jejunii, adeoque vinculum Eccleſiæ non eſt diverſum a vinculo Dei, ſed illud determinat. *Oſtenditur inductione*. Obligat Deus, ut confiteamur peccata Sacerdoti, ut jejunemus, & feſta celebremus; Eccleſia determinat diem Dominicum pro feſto, tempos quadrageſimale pro jejunio, Paſchale pro Communione, & Confeſſionem ſemel in anno præſtandam. Numquid plura ſunt præcepta diverſa? Num, qui ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, Divino adhuc debet præcepto ſatisfacere? Qui diem Dominicum celebravit de præcepto Eccleſiæ, tenetur ne alium colere in obſequium Dei? Ita, *niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*, dicit Dominus. Et rurſus: *juxta menſuram delicti, erit plagarum modus*. Determinat verò Eccleſia perjurium expiandum pœnitentiâ ſeptennii, qui eam explet coram Deo, extinguit totaliter pœnæ debitum, ſi taxatio ſit ad æqualitatem, ſi autem ſit deficiens, ſecundùm partem.

Pœna canonica non eſt ſolùm ad exemplum.

93 VI. Ideo per Hæreticos Indulgentia redimens a pœnis canonicis non redimit a reatu apud Deum, quia canonicæ pœnæ injunguntur ſolùm ad exemplum, & Eccleſiaſticam diſciplinam; ſed hoc eſt falſum: ergo. *Min. oſtenditur*. Non ſolùm imponebantur pro publicis criminibus publicæ pœnitentiæ, ſed pro ſecretis etiam ſecretæ: & confeſſio ſecreta fiebat, ùt conſtat ex Epiſtola LEONIS I. ad Epiſcopos Campaniæ, & invaluit Fidelium mos, ut opera ſatisfactoria occultè exercerentur ſecundùm exemplum, quod nobis exponit David Pſal. 6. verſ. 7. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*.

Indulgentia ſupplent ſatisfactionem ſacramentalem.

94 VII. Ex Eccleſiæ ritu Indulgentiæ injunguntur ad ſupplendam ſatisfactionem ſacramentalem; ſed abſque dubio ſatisfactio ſacramentalis redimit pœnam apud Deum: ergo etiam Indulgentia. *Major eſt certa*. Solent enim Confeſſarii, urgente Jubilæo, vel peculiari Indulgentia, injungere Pœnitentibus leviorem mulctam, ac præcipere, ut lucrandam curent Indulgentiam, ut viſitent loca ſacra, in quibus ſolent eſſe Indulgentiæ ordinariæ: qui mos foret valdè noxius, niſi remitteretur pœna coram Deo; quandoquidem Pœnitens fraudaretur fructu majori, quem ex graviori pœnitentia fuiſſet indepturus.

OBJECTA AB HÆRETICIS DILUUNTUR.

95 OBJIC. 1. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. in Decreto de Indulgentiis jubet in concedendis Indulgentiis, *adhibendam eſſe moderationem juxta veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur*: ergo ſentit per eas ſolùm redimi pœnas canonicas ad diſciplinam ſpectantes exteriorem, in cujus ſignum videmus Sacerdotes imponere pœnitentias etiam in foro Sacramentali illis, qui ſatisfecerunt Eccleſiæ per pœnitentias canonicas; & aliquando Prælatus Fideles abſolvit a publica pœnitentia necdum abſolutâ culpâ, & pœnâ ſacramentaliter: manifeſtum ergo videtur Indulgentiis, quæ canonicas pœnitentias compenſant, non abſolvi reatum debitæ ſatisfactionis apud Deum.

RESP. *nego conſeq.* Pro Eccleſiaſtica diſciplina intelligit Concilium opera quæque ſatisfactoria in Sacramento, & extra ipſum, quæ ſunt in uſu ad Fidelium utilitatem. Senſus verò eſt, ne nimia Indulgentiarum copia enervet curam ſatisfaciendi Deo per opera pœnalia ſponte præſtanda, neve ejuſmodi prætextu negligatur neceſſitas injungendæ in Sacramento gravioris pœnitentiæ ſalutaris, quo ſenſu c. *cùm ex eo* de pœnit., & remiſſ. dicitur: *Per Indulgentias indiſcretas, & ſuperfluas enervari ſatisfactionem Sacramentalem*. Nec utraque probatio quicquam roboris habet. Non prima; quia poſt pœnas canonicas, queis Eccleſiæ ſatisfit, adhuc imponit Confeſſarius ſatisfactionem ad integritatem Sacramenti, & propter alia commoda, quæ in Conciliis enunciantur. Neque ſecunda; nam quando nondum expiatâ culpâ ſacramentaliter quis abſolvitur a publica pœnitentia, hoc contingit, vel quia ſupponitur juſtificatus per contritionem, vel quia pœnitentia publica erat dumtaxat illata propter exteriorem contumaciam, quâ demptâ, Eccleſiæ Miniſter piacularia condonat.

Abſolutis pœnis canonicis adhuc injungitur ſatisfactio ſacramentalis.

96 OBJIC. 2. In eo foro fit abſolutio injunctæ pœnitentiæ, in quo obligat; ſed pœnitentia ſolùm obligat in foro Eccleſiaſtico: ergo ſolùm in foro Eccleſiaſtico fit abſolutio. *Minor probatur*. Pœnitentiæ injunctæ ſunt ab homine; ſed homo non obligat niſi in foro Eccleſiaſtico: ergo.

RESP. *nego min.*, ad probationem adverto duplicem pœnam eſſe ab homine: alia eſt exemplaris, & punitiva, alia ſatisfactiva, & determinativa. Ad primum genus ſpectant excommunicatio, exilium, carcer, triremis, & alia, quæ procedunt ex ſola intentione conſervandæ Reipublicæ, exercendæque vindicativæ forenſis juſtitiæ. Secundi generis ſunt jejunia, flagella, eleemoſynæ, peregrinationes, orationes, queis pœnæ peccatis debitæ ſolvuntur: primæ ſolùm obligant in foro Eccleſiaſtico, & in hoc ſolùm abſolutio fit: ſecundæ obligant in foro Dei, & in eodem foro fit abſolutio. Ratio eſt; quia, ùt vidimus ſuperiùs, ſe habent ùt determinativum ad determinatum.

Duplex pœna ab homine alia exemplaris, alia ſatisfactoria.

97 OBJIC. 3. Quæ ſunt de jure Divino, non ſunt in manu Pontificis; ſed pœnitentia peccati eſt de jure Divino: ergo non eſt in manu Pontificis: ergo Indulgentia nequit illam dimittere. *Min. probatur*. Pœnitentia peccati eſt illa, quam Chriſtus illis verbis prædicavit; *niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*; ſed pœnitentia cadens ſub præcepto, & prædicatione Chriſti eſt de jure divino: ergo.

RESP. Aliqua eſſe juris Divini, in quæ Eccleſia miniſterialiter habet ex conceſſione ejuſdem Chriſti poteſtatem, & hujus generis

Eccleſia habet poteſtatē circa aliqua de jure divino.

ris ſunt culpa, & pęna, quas poteſtate Clavium ſulvit. Hinc abſulutè, & ſimpliciter conceditur Ecclesiæ Clavibus aperire Regnum Cęlorum, & amovere quodcumque impedimentum: cùm ergo tam pęna, quàm culpa impedimento ſint beatitudini conſequendæ, utrumque amovére poteſt, atque ideo etiam per Indulgentiam remittere pęnam ex præcepto Chriſti.

98 DICES. Inferior non poteſt abſulvere ab eo, quod Superior ubligavit; ſed Deus abſolvendo a culpa ubligat ad pęnam temporalem: ergo nullus homo poteſt ab ea abſolvere.

RESP. æquivocationem ſubeſſe illi verbo *abſolvere*: ſi enim accipiatur pro licentia non faciendi, quæ imperantur, argumentum rectè concludit, ſi autem pro applicatione pretii, quo alius abſulvitur a debito, falsò concludit. Quando Pontifex aliquem abſulvit per Indulgentias, dat illi ex meritis Chriſti, ut ſatisfaciat pro ſuis peccatis; hanc verò donationem facit tanquam Chriſti Vicarius, adeoque per facultatem ab ipſo Superiore conceſſam.

Per Indulgentias dantur Chriſti merita, quibus ſatisfit pro peccatis.

99 OBJIC. 4. Poteſtas ligandi, & ſulvendi eſt æqualis; ſed Pontifex non poteſt ligare niſi ad pęnam canonicam: ergo non poteſt abſolvere niſi a pęna canonica: ergo non poteſt relaxare pęnam apud Divinam Juſtitiam.

RESP. Poteſtatem ligandi, & ſolvendi eſſe æqualem quoad materiam, non autem formam; Ecclesia circa id, quod poteſt ſulvere, poteſt etiam ligare; non autem quo modo ſulvere, eodem poteſt etiam ligare. Directè ſulvit a culpa, faciens ex peccatore juſtum, non tamen ligat faciendo directè ex juſto peccatorem. Nihilominus quoad culpam poteſt ligare, ipſam non remittens, & aliquid etiam adjungens, cujus tranſgreſſionem ſequatur culpa. Sub hac limitatione *conceſſa majori*, *negatur minor*, *& conſeq.* Pęna canonica, de qua ſermo, nihil eſt aliud, quàm pęna Deo debita, a Deo taxata, & per Canones determinata; ideo Ecclesia ligans ad pęnam canonicam, prout determinativam pęnæ Dei, ita ligat apud Divinam Juſtitiam, ut, qui eam negligit, ſubeat reatum Divinæ Juſtitiæ, & qui abſolvit, apud Divinam Juſtitiam ſulvat.

Poteſtas ligandi, & ſolvendi, æqualis quoad materiã, nõ quoad formam.

100 OBJIC. 5. Satisfactio, quæ ad pęnæ peccatis debitæ veniam operatur, eſt pars Sacramenti; ſed nullus tantam habet poteſtatem producendi effectum Sacramenti extra Sacramentum; hoc enim pertinet ad poteſtatem excellentiæ: ergo extra Sacramentum nullus poteſt dimittere pęnam peccatis debitam; atqui Indulgentiæ conceduntur extra Sacramentum: ergo pęnam peccatis debitam non remittunt.

RESP. Satisfactio quæcumque eſt pars Sacramenti, *nego*, aliqua ſatisfactio, *concedo*: poteſt enim Juſtus operari ad remiſſionem peccati quoad pœnam, etiam pœnalitatibus ſua ſponte ſuſceptis, neque a Confeſſario imperatis: ergo non quælibet dimiſſio pęnæ eſt effectus Sacramenti: ergo concedens Indulgentias poteſt de bonis communibus Ecclesiæ ſolvere pœnam peccatis debitam, quin dicatur ſulvi pęna, prout ſulvitur in Sacramento: immo poſitâ per Sacramentum mutatione pęnæ æternæ in temporalem, poteſt illam redimere Chriſti ſatisfactionibus; ſed de hoc infra.

Non omnis ſatisfactio eſt pars Sacramenti.

CONTROVERSIA VIII.

AN INDULGENTIÆ ABSOLUTÆ INTELLIGANTUR ETIAM DE NON INJUNCTIS.

101 UT Theſaurum Eccleſiæ prorſus demoliantur Hæretici, plurima objiciunt contra modum, & formam, quibus conceduntur Indulgentiæ, & ex varietate opinionum, quæ inter Scholaſticos controvertuntur, occaſionem capiunt ſubſannandi. Ut ergo tota hæc cauſa illuſtrior fiat, ac ſolidior, neceſſe eſt præſentem Controverſiam, aliaſque diligenter inſtruere, & primùm aliqua præmonere de varietate Indulgentiarum.

§. PRIMUS.

102 I. INdulgentia dividitur ratione effectus in totalem, ſeù plenariam, & in partialem; prima eſt, per quam totus pęnæ reatus dimittitur, partialis, quâ ſolummodò tollitur major, vel minor pars, prout amplior eſt, vel minùs ampla conceſſio. Prima ex parte rationis formalis videtur conſiſtere in indiviſibili, quatenus ex natura ſua in quocumque ſubjecto totum reatum aufert, quamvis ratione materiæ majorem in uno, quàm in alio effectum ſortiatur, utpote quæ graviorem in uno reatum nanciſcatur, in alio leviorem. Nec aliter Sacramentum pęnitentiæ virtutem ex ſua inſtitutione habet remittendi omnia peccata quoad maculam ubicumque: verùm aliquando majora, & plura remittit in uno ſubjecto, quàm in alio: ſecunda verò diviſibilis eſt ex parte rationis formalis, ſcilicet ex vi limitatæ conceſſionis.

103 DICES 1. Indulgentia totalis dividitur a BONIFACIO VIII. *in extravag. antiquorum* de pęnit., & remiſs. in plenam, pleniorem, & pleniſſimam: ergo non conſiſtit in indiviſibili.

In hujuſmodi vocum explicatione Scholaſtici plura dicunt ex ſuo quiſque placito, faſſi reverà ignotam ſignificationem: *Paludanus* diſt. 20. q. 4. ſic explicat: *Plena vocatur, quâ extinguitur pœna mortalibus debita, plenior mortalibus, & venialibus, pleniſſima, quæ pœnam, & culpam venialium tollit*; ſed communiter rejicitur hæc explicatio, quæpote, ùt infrà videbimus, Indulgentiam ad culpæ expiationem falsò extendat. Apud *Turrecrematam* in Commentario diſt. 1. de pęnit. ſic legitur: *Plena remittit totam pœnam injunctam, plenior injunctam, & injungendam ſecundùm Canones, pleniſſima totam pœnam Judicio Dei debitam.* Alii apud *Cordubam* quæſt 11. ſic exponunt: plena dicitur, quæ mortalium confeſſorum pęnam exſulvit, plenior non

Explicatur Indulgentia plena, plenior, & pleniſſima.

non confeſſorum, pleniſſima etiam venialium: *Suarez* diſp. 1. de effectu Indulg. ſect. IV. putat poſſe diverſitatem colligi ex parte cauſæ, non ex parte effectus: & ita plena dicetur, quæ magnam, plenior, quæ majorem, pleniſſima, quæ maximam haber cauſam. Sed quoniam illæ voces jam obſolevere, & tantummodo ſub nomine plenariæ ſolent Indulgentiæ totales concedi, exiſtimant Recentiores eam apud veteres deciſionem importaſſe majorem dumtaxat expreſſionem, non autem majorem ampliationem, & effectum. Haud ego tamen reor Antiquos ea vocabula abſque re multiplicaſſe, verùm potiùs reſpexiſſe ad eorum temporum conſuetudinem circa pœnitentias. Itaque explicatio ſecunda, ùt mihi videtur, punctum attigit.

104 DICES 2. Pontifex aliquando concedit plenariam Indulgentiam, & aliquorum dierum, aut annorum: ergo plenaria non tollit omnem reatum; aliter ad quid illa additio?

Quomodo dari poteſt Indulgentia plenaria cum additione aliquorum dierum, aut annorum.

In hoc etiam variant Doctores: quidam authenticas negant ſe vidiſſe hujuſmodi conceſſiones: alii ad cautelam ajunt fieri additamentum, ut ſi fortè cauſa defecerit ad plenariam, ſufficiat pro illis diebus, vel annis: nonnulli interpretantur eam appendicem, ut dierum, aut annorum Indulgentia per modum ſuffragii Defunctis applicetur. Nec deſunt, qui opinentur additionem eſſe omnino verbalem ex varietate opinionum inductam, & ex conſuetudine retentam. Mihi quidem videtur non mera verba, ſed res in iis vocibus contineri. Suppono Indulgentiam plenariam, & illas quadragenas eſſe alligatas eidem tempori, eidemque operi; aliter nulla eſſet difficultas: optimè namque multiplicato opere, & tempore multiplicitas Indulgentiæ intelligitur. Illud etiam ſuppono, quod apud omnes in confeſſo eſt, formulam concedendi Indulgentias de injunctis quadragenas, ſeptenas, &c. deſumptam eſſe ex praxi Canonum imponentium pœnitentias. Quibus poſitis DICO in conceſſionibus ſupradictis ly *plenariam* cadere ſupra injunctas omnes, ly *quadragenas* ſuper injungendas; vel plenariam includere injunctas, & injungendas a Canonibus, quadragenas addere ſolutionem ulteriorem tot diebus, vel annis correſpondentem in foro Dei. Cavendum tamen in hiſce Controverſiis a quæſtionibus parùm utilibus, & a titulis ſine re, ne irriſionibus Hæreticorum exponamus veritatis ſubſtantiam; ſi enim error in aliquibus Indulgentiis admiſcetur, jam ab Heterodoxia in omnibus Catholici condemnantur.

105 Indulgentiæ partiales uſitatâ formolâ ſolent per dierum, aut annorum numerum concedi, ùt quadraginta dierum, vel ſeptem annorum, & illa *quadragena* vocatur; ſignificatque pœnitentiæ remiſſionem, quæ quadraginta diebus jejuniis, aliiſque laborioſis operibus erit peragenda; altera *ſeptena* dicebatur propter remiſſionem laborum, jejuniorum, & ſimilium, quæ ſeptem annis peragi debebant. Datur alia, quæ *carena* dicitur, & utramque complectitur,

Indulgentia partialis conceditur per dierum, aut annorum numerum.

Quid ſit quadragena, ſeptena, carena.

quadragenam ſcilicet, & ſeptenam; appellabatur *carena* a carentia omnium ciborum; quibus enim hæc pœnitentia imperabatur, quadraginta diebus erat in ſolo pane, & aqua jejunandum, quibus elapſis ingrediebantur ſeptenam, in qua præſcriptum erat jejunium aliquot dierum, & interdictus balnei, equitationis, interdum etiam uxoris, ac ſacræ communionis uſus: alia demum dicebatur tertiæ, vel quartæ partis peccatorum; hoc eſt remiſſio pœnitentiæ pro tertia, vel quarta parte pœnæ peccatis debitæ.

106 Verùm gravis inter Doctores agitatur quæſtio: an ſcilicet, quando conceditur Indulgentia tot dierum, vel annorum, intelligatur de diebus, vel annis Purgatorii, hoc eſt, per Indulgentiam tot annis, vel diebus Purgatorii remitti, quot anni, vel dies in Indulgentia exprimuntur. Aliqui ſentiunt unum annum pœnitentiæ hujus vitæ ſufficere ad redimendam pœnam unius anni Purgatorii. Qua ſuppoſita opinione, Pontificias irrident Indulgentias Hæretici ducti ex eo, quod aliquando tot annorum conceditur Indulgentia, quòd Purgatorium non creditur duraturum. Cui inconvenienti occurrens *Soto* diſt. 21. q. 2. art. 1. aſſerit per unum annum pœnitentiæ hujus vitæ non extingui unum annum Purgatorii, ſed fortè ne diem quidem, aut horam propter nimiam illius pœnæ acerbitatem, quæ non compenſatur adæquatè per rationem voluntarii repertam in ſatisfactione præſentis ſeculi. Sed hæc Doctrina communiter rejicitur; quia Eccleſia tenet per quodlibet Martyrium pro Chriſti fide ſuſceptum extingui debitum graviſſimæ, & diuturnæ pœnæ, quæ ſceleſtiſſimo fuiſſet cuique ſubeunda: docentque plures contritionem quandoque eſſe adeo intenſam, ut remiſſioni totius pœnæ, culpæque ſufficiat, cujuſmodi creditur fuiſſe contritio D. Magdalenæ, & revelationibus notum eſt pœnitentiâ paucorum annorum homines quantumvis impios eminentem fuiſſe gloriam aſſecutos, ùt de famoſa illa muliere *Thaida* proditum memoriæ eſt, & de Latrone, quem memorat *Joannes Climacus* gradu IV. ſuæ Scalæ. Quare cum communiori ſentiendum, illis Indulgentiis tot dierum, vel annorum ex ſatisfactionibus pœnitentialibus remitti, tantumque de pœna Purgatorii, quæ illis annis, & diebus pœnitentiæ hujus ſeculi reſponderet.

Per martyrium deletur qualibet pœna peccatis debita.

Contritio intenſa delet quamcumque pœnam.

107 Ut hæc magis clareſcant, recole, quæ diximus Controv. V. n. 71.; & præterea adverte, quòd effectus Indulgentiæ, v. g. ſeptem annorum ſecundùm ſe correſpondet valori pœnitentiæ, quæ ſecundùm Canones, & prudens Sacerdotis judicium exequenda foret ſeptem annorum ſpatio pro determinatis peccatis, quin peculiares computentur conditiones majoris charitatis, vel majoris affectus, quo quis pœnam ſubiret. Explico rem exemplo: Perjurans juxta Canonum, & prudentis Sacerdotis taxam deberet per annos ſeptem ter in hebdomada jejunare, ter ſe flagellis concidere, ter pauperem alere: Homicidæ verò hæc ſubeunda erat pœnitentia, ut per annos ſep-

tem ſemel in hebdomada jejunaret, unamque paſceret pauperem. Fieri autem poteſt, ut Homicida majori, quàm Perjurus charitate, fervore, & alacritate pœnitentiam impleſet. Attamen ſi uterque ſeptem annorum lucratur Indulgentiam, ſecundus majori neutiquam effectu potitur, quàm primus. Effectus enim Indulgentiæ exæquat quantitatem, & qualitatem laborioſi operis ſecundùm ſe in ſtatu gratiæ exerciti, ſeclusis peculiaribus circumſtantiis, quæ ab extrinſeco, vel ratione ſubjecti adveniunt. Ad ſic ſentiendum videtur nos Canones movere, qui conditiones perſonæ, præſertim internas non attendebant, utpote Eccleſiæ incognitas; atque hoc pacto benè, & perſpicuè ſalvatur determinata menſura effectus Indulgentiarum.

Fructus Indulgentiæ correſpondet fervori, & ſubjecti diſpoſitionibus.

108 Cæterùm, ſi me ſcitaris, quid ſentiam in hac re, reor (ſalvo tamen meliori judicio) fructum Indulgentiæ correſpondere diſpoſitioni Fidelium, dum Indulgentias lucrantur; ideſt tantam Purgatorii pœnam redimi, quantam Fidelis ille redemiſſet ſeptenam implens pœnitentiam eo fervore, quo eſt diſpoſitus, dum Indulgentiam adipiſcitur. Ducor *primò* ad ita opinandum ex eo, quòd Indulgentia operetur ad modum Sacramenti *ex opere operato*; effectus autem *ex opere operato* in Sacramentis actuali diſpoſitioni ſuſcipientis correſpondet: ergo Indulgentia ſuum producit effectum actuali commenſuratum Fidelium fervori. Ducor *ſecundò*, quia Canones præcipiunt pœnitentias, a quibus redimit Indulgentia, injungendas ex prudenti Sacerdotis judicio; ſed prudens Sacerdotis judicium attenditur penes ſubjecti diſpoſitionem: ergo etiam fructus Indulgentiæ. Ducor *tertiò*, quia Indulgentiæ impendi ſolent excitandæ animarum devotioni; ſed ſi fructus correſpondet præſenti diſpoſitioni, datur occaſio majoris excitandæ devotionis; quia ſpe lucri majoris diligentiùs quiſque diſponitur: ergo. Hinc deduco, eandem Indulgentiam ſeptenam v. g., cæteris paribus, majorem effectum producere in ſubjecto habente majora peccata. Nam Indulgentia ſeptennis attenditur ad qualitatem pœnitentiæ ſeptem annorum injunctæ a prudenti Sacerdote; prudens autem Sacerdos debet majorem pro graviori crimine pœnitentiam præcipere; major verò pœnitentia adimpleta in æquali fervore, ac minor, majorem Purgatorii pœnam redimit; ac per conſequens, cùm Indulgentia commenſuretur pœnitentiæ injunctæ in eo fervore exercendæ, quem Fidelis habet tempore, quo Indulgentiam lucratur, ſequitur majorem, cæteris paribus, ſortiri effectum in illo, qui plura, quàm qui minora habet peccata.

Indulgentia producit effectum commenſuratum fervori.

Indulgentiæ conceduntur ad excitandū fervorem.

109 DICES: ergo augmentum Indulgentiæ pendet ab arbitrio Confeſſarii, quod falſum eſt; ſicut enim Sacerdos poteſtatem non habet concedendi Indulgentias; ita neque augendi. *Sequela probatur*. Sacerdos poteſt prudentialiter ſeptenam imponere pœnitentiam graviorem alicui, cui de facto gravior non debeatur: ergo tunc creſcet ex puro Confeſſarii arbitrio effectus Indulgentiæ.

A

RESP. *neganda conſequentia*. Menſura Indulgentiæ adæquatur prudenti quidem, ſed juſto judicio, non autem erroneo. Illa taxatio licèt juſta videatur, reverà tamen juſta non eſt: ſicut ſi propter infirmitatem ſpiritus, vel carnis prudenter credat minorem pœnitentiam Fideli imponendam, ſeptenam v. g. ordinariam, cui debetur ſeptena gravior, non propter hoc Fidelis per Indulgentiam ſeptenam tantum pœnæ Purgatorii redimit, quantum redimeret, ſi in eo ſtatu gratiæ majorem impleret pœnitentiam. Dixi, *propter hoc*, quia non adhuc examinavimus, an Indulgentia de injunctis eas comprehendat, quæ forent injungendæ.

B

110 II. Dividitur Indulgentia ratione temporis in perpetuam, & temporalem: prima dicitur, quæ ità loco, rei, aut perſonæ conceditur, ut tandiù duret, quandiù ille locus, res, perſona niſi ab habente poteſtatem revocetur. Temporalis appellatur, quæ diei, vel anno, vel rei pro una vice alligatur.

Indulgentia; alia eſt perpetua, alia temporalis.

111 III. Dividitur ratione ſtatus in Indulgentiam pro Vivis, & pro Mortuis: de prima infra dicemus: pro Vivis alia conceditur in vita, alia pro articulo mortis. Quid autem veniat pro mortis articulo, conſideranda ſunt conceſſionis verba: ſi Bulla exprimat determinatè pro vero articulo, tunc certum eſt, non niſi in vero mortis articulo ſortiri effectum; ſi verò generaliter ſolùm mentionem faciat mortis articuli, dicunt Doctores comprehendi etiam præſumptum articulum, & in eo etiam habere fructum.

Indulgentia; alia pro vivis, alia pro mortuis.

C

Quid veniat pro mortis articulo.

112 QUÆRES primò, num, qui lucratus eſt Indulgentiam in mortis articulo præſumpto, poſſit eandem lucrari, quando verus aderit mortis articulus?

RESP. non convenire Auctores; ſed in hoc non eſt multum laborandum: nam juxta vulgatum axioma: *Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant*. Unde attendendum eſt ad verba Concedentis, quæ loqui ſolent de ſolo vero articulo, & ad illum Indulgentiam reſervare, ut ex hoc ſeculo Decedenti proſit. Cæterùm ſi ſupponatur lucrari Indulgentiam in præſumpto articulo, cùm ſemel habuerit ſuum effectum, & fuerit expleta, abſque dubio non valebit pro vero mortis articulo.

D

Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant.

113 QUÆRES ſecundò, an Indulgentiæ pro vita conceſſæ queat Fidelis fructum ſibi reſervare pro tempore majoris neceſſitatis, v. g. pro mortis articulo, aut pro tempore, quo erit in Purgatorio?

E

RESP. negativè; quia Indulgentia non habet effectum, niſi ſecundùm mentem Concedentis in conceſſionis Decreto expreſſam; ſed in conceſſionibus non exprimitur talis reſervatio: ergo non poteſt Fidelis ſibi talem fructum reſervare in tempus majoris indigentiæ. Præterea Indulgentia producit effectum adinſtar Sacramenti *ex opere operato*, dum actualiter ponitur ultima diſpoſitio: Sacramenta verò, ſive ſint Inſtrumenta phyſica, ſive moralia non ſuſpendunt effectum, niſi fortè ſuſcipiantur cum obice: ergo neque Indulgentia. Demum Indulgentia

Indulgentiæ effectum non habent, niſi ad mentem Concedentis.

gentia ſequitur naturam cauſæ, pro qua conceditur; ſed cauſa Indulgentiæ in vita ſolet eſſe præſentanea: ergo præſentaneo fructu defungitur.

114 DICES. Finis Indulgentiæ eſt Fidelem diſponere, ut abſque impedimento ſolvendæ pœnæ Deo fruatur in inſtanti ſeparationis: ergo pro illo neceſſitatis articulo poterit ſibi fructum reſervare.

Finem quis non conſequitur, niſi per media propria.

RESP. *nego conſeq.* Finem conſequitur nemo, niſi per media congrua; Indulgentia in vita non eſt medium mortis articulo, aut Purgatorio accommodatum; quia carens legitimâ ad id tempus reſervatione, nullam habet virtutem. Præterea Indulgentia ad auferendum conceditur impedimentum gloriæ, divinæ tamen ſatisfaciendo Juſtitiæ, cui ſæpè neceſſe eſt de præſenti ſatisfacere ad finem a Pontifice intentum, nempe aliquod bonum, quod tunc Eccleſiæ magnopere intereſſit.

115 INSTABIS. Poteſt quis vivens facere, quòd Miſſæ *de Requiem* celebrentur, ut ſibi proſint, quando erit in Purgatorio: ita enim fecit *Magnus Albertus* apud *Dicaſtillum* in Hiſtoria S. Dominici: ita *Carolus* V. Imperator; & fieri poſſe defendit Magiſter *Lezana* tom. 4. verbo *Miſſa*: ergo etiam reſervari poterit Indulgentia; quia utrobique eſt par ratio; tam enim Sacrificium, quàm Indulgentia fructificant *ex opere operato*, applicatione ſcilicet theſauri meritorum Chriſti.

In Sacrificio Miſſæ datur fructus impetratorius, & ſatisfactorius.

RESP. E Sacrificio duplex oritur fructus, Impetratorius, & ſatisfactorius: impetratorius poteſt abſque dubio ordinari ad tempus Purgatorii, Deum exorando, ut dignetur ex Chriſti meritis nos citiùs liberari ab igne piaculari, corda Fidelium excitans ad offerenda ſuffragia: ſatisfactorius verò non poteſt manere ſuſpenſus, cùm ſit quædam Chriſti donatio actuali commenſurata ipſius Fidelis diſpoſitioni, exhibens ſolutionem pro tanto debito. Quando autem exhibetur ſolutio, debitum extinguitur; ſuapte enim virtute Sacrificium ex divina inſtitutione pendet, & in cauſalitate ſequitur Sacramenti naturam, cujus effectus non remanet ſuſpenſus, niſi ponatur obex, etiam in eorum ſententia, qui moralia eſſe docent Inſtrumenta. Quocirca nemini liberum eſt ſibi fructum ſatisfactivum reſervare, præſertim de Indulgentia, cujus tota pendet virtus a Concedentis intentione; hæc autem nullo modo adeſt, ſed potiùs repugnat ex tenore Diplomatum, ubi determinatur ſtatus, nec libera relinquitur Fidelibus diſpoſitio.

116 REPLICABIS. Quorundam opinio fert, Indulgentias pro Vivis conceſſas, privatâ poſſe auctoritate Defunctis applicari: ergo etiam poterit pro tempore Purgatorii Indulgentia reſervari, utvis pro Vivis conceſſa; videtur enim par ratio.

Indulgentia non operatur ſupra mentē Pontificis.

RESP. Antecedens eſt falſum; Indulgentia ſiquidem non operatur ſupra mentem Pontificis, cujus eſt diſpenſare Theſaurum Eccleſiæ: quando autem ſimpliciter concedit pro Vivis, non habet intentionem pro Defunctis; quia Indulgentia perſonalis eſt: aliquando tamen Pontifex Privilegium concedit, ut pro Defunctis applicari poſſit, quale eſt illud, quod CLEMENS IX. Carmelitis conceſſit pro Indulgentiis Ordinis, dixi pro Indulgentiis Ordinis, non pro omnibus; quia expreſsè dicit *prædictas Indulgentias*, hoc eſt, confirmatas ab ipſo pro Ordine: ſi verò alius Pontifex aliud amplius Privilegium conceſſit ad nihil deſeruit, quia CLEMENS X., & INNOCENTIUS XI. omnes revocaverunt Indulgentias, quæ authenticè non fuerunt probatæ, & quorum Diplomata Sanctæ Sedi non fuerunt exhibita.

117 QUÆRES tertiò. Num Indulgentia alligata Feſto transferri poſſit ipſo translato?

Translato Feſto, transfertur Indulgētia.

RESP. Si pro Feſto intelligatur ſolùm Officii ſolemnitas, non transfertur Indulgentia: ſi verò Feſtum quoad omnia transferatur, mutando auctoritate Pontificis, aut Epiſcopi diem ab uno ad alium, transfertur Indulgentia; quia non conceditur Indulgentia diei, v. g. 25. Martii, ſed Feſto tali die occurrenti, ideſt Annunciationi: unde non eſt alligata Feſto propter diem, ſed diei propter Feſtum, quo translato, transfertur Indulgentia.

Indulgentia perſonalis, realis, ac localis.

118 IV. Dividitur Indulgentia ratione rerum in perſonalem, realem, & localem; prima eſt, quæ conceditur ipſi perſonæ abſque ulla alligatione ad aliquam materiam, ùt Morienti in articulo mortis; realis, quæ determinatæ alicui materiæ innectitur, ùt calculis, granis, Crucibus, & ſimilibus; localis, quæ determinato loco affigitur, ùt tali Templo, huic Sacello, & Altari: dicitur localis, & realis, non quia rebus, & locis proſit; ſed quia iis rebus, & locis inhæret in ordine ad perſonas, & in earum utilitatem.

119 QUÆRES primò. Quid ad Indulgentiam conferant ligneus v. g. Globulus, Cruces, & ſimilia?

Explicatur Indulgentia realis.

RESP. Ut faciliùs Indulgentiæ recordentur, ut clariùs cognoſcamus determinationem, & reſtrictionem Indulgentiæ, atque Pontificis auctoritatem. Imagines etiam, ut devotio erga prototypum vehementiùs excitetur; namque aliquam rem ſacram ſignare debent; puta Imagines aliquem Sanctum, vel Chriſtum: Cruces, & calculi aliquod myſterium indicant, in cujus venerationem promovemur, & cùm ſimilia eſſe ſoleant Inſtrumenta pietatis ad uſum honeſtum ordinata, qualis eſt orare, ideo eorum geſtatio, & uſus eſt virtualis quædam fidei profeſſio.

120 QUÆRES ſecundò. Si res frangitur, num pereat Indulgentia?

Quid dicendum de rebus, quando franguntur.

RESP. Si ita frangitur, ut moraliter eadem res non perſeveret, ſine dubio perit Indulgentia: ſin autem fractio talis ſit, ut res eadem moraliter habeatur, etiam Indulgentia perſeverat. Hinc aliqua ſi varientur grana, Indulgentia non aufertur, ſi Numiſma fractum arte reintegretur, ſi aliqua pars Crucis deperdatur, ùt titulus, vel pars alia, dummodo non excidat propria forma Crucis, vel talis Crucis, ùt de Caravaca,

vaca, Indulgentia ſemper durat. Cæterùm ſi calculi ita mutentur, ut ex Roſario fiat Corona Beatæ Virginis, in Numiſmate tollatur omninò Imago, in Cruce deperdatur forma, ceſſat Indulgentia; quia non remanet eadem res moraliter.

121 QUÆRES tertiò. Ut obtineantur Indulgentiæ, num ſit neceſſe hujuſmodi res ſemper ſecum præferre?

Quando debet res, cui applicata eſt Indulgentia, ſecum deferri.

RESP. non poſſe in hoc certam regulam figi, ſed attendendum eſſe tenorem conceſſionis; quæ ſi exprimat, *qui tulerit Crucem, calculum, & oraverit*, neceſſaria proculdubio eſt delatio. Sin autem conceſſio præciſè explicet, qui oraverit *cum tali grano, ante talem Crucem recitaverit talem calculum*, non eſt opus ipſa delatione: ſufficit ea in actu adhibere Inſtrumenta; atque hoc præſertim uſuvenit in calculis.

122 QUÆRES quartò. Diruto Templo, an extinguatur Indulgentia?

Quando diruto Templo, ceſſet Indulgentia.

RESP. Templum dirui dupliciter per partes ſcilicet, & ex toto; ſi per partes ita diruitur, ut unâ deſtructâ ſubinde reparetur, non perit Indulgentia; quia perſeverat idem moraliter: ſi ex toto, vel ita ut reædificetur in eodem loco abſque morali interruptione, vel quòd alibi transferatur: ſi alibi transfertur, nonnulli Doctores diſtinguunt, ſi translatio fiat auctoritate Superioris, cujus imperio fuit dirutum, admittunt transferri Indulgentiam: ſi auctoritas defuit, dicunt non transferri; ſed reverà Indulgentia ceſſat; quia nullo modo eadem eſt Eccleſia identitate nec ædificii, nec loci. Excipio caſum, quo Indulgentia concedatur Eccleſiæ Parochiali alicujus Oppidi: perſeverat Indulgentia, etiam ſi Eccleſia ſolum vertat aliò translata: ſin autem reædificetur ſive in eodem, communior eſt D. D. opinio non ceſſare Indulgentiam. Ego tamen ambigo; quia novum illud ædificium, cùm egeat nova benedictione, aut conſecratione, non videtur idem eſſe moraliter. Animadvertendum tamen eſt Indulgentiam ceſſare tam in primo, quàm in ſecundo caſu, ſi Templum deſtruatur per ſententiam Judicis taxantis hoc in pœnam; quia eo ipſo omne privilegium deperditur.

123 QUÆRES quintò. Ad lucrandam Indulgentiam Viſitanti quinque Altaria, an ſufficiat orare ex eodem loco?

Quid requiritur ad Indulgentiam quinque Altarium acquirendam.

RESP. Si poſitio corporis ſit ſemper eadem, non ſufficit, etiamſi animum dirigat ad hoc, & illud Altare; quia in re non viſitat hoc, & illud Altare, nec eſt illi corporaliter præſens; ſi verò varietur corporis poſitio vertendo faciem modò ad unum, modò ad aliud, tunc videtur moraliter præſens, & viſitans, & ſic conſequi Indulgentiam.

124 QUÆRES ſextò. An, quando conceditur Indulgentia Viſitanti talem Eccleſiam, ſit neceſſe ingredi corporaliter?

In quo caſu neceſſarius ſit ingreſſus Eccleſiæ ad lucrandam Indulgentiã.

RESP. Quando viſitatio annexum habet aliquod opus eſſentialiter peragendum in Templo, ùt canere in Choro, viſitare hoc Sacellum, abſque dubio neceſſarius eſt corporalis ingreſſus. Cùm verò ſimpliciter præcipitur pia viſitatio, aliqui volunt neceſſarium eſſe corporalem ingreſſum, alii negant in caſu magni concurſus, quo impediretur introitus; tunc enim reputatur intus moraliter, ſi extra fores oret, & probatur a ſimili de auditione Sacri.

125 QUÆRES ſeptimò. Quid dicendum in caſu, quo fores Eccleſiæ eſſent clauſæ? Si oret ante eas, lucratur ne Indulgentiam?

Quid agendũ in caſu, quo fores eſſent clauſæ.

RESP. Res certè dubia eſt; nihilominus dicerem, ſi abſque ſua culpa nequit Eccleſiam introire, tunc lucrari Indulgentiam; quia ex uno capite videtur moralis viſitatio, & ex alio Indulgentia eſt in materia favorabili. Addit *Suarez*: Cæmeterium venire nomine Eccleſiæ, unde ſi in caſu neceſſitatis dicatur Miſſa, dicitur Fidelis verè Miſſam audire in Eccleſia: ita dicendum de Indulgentia: hæc tamen valent in caſu neceſſitatis, extra quem certior opinio amplectenda eſt.

126 QUÆRES octavò. Quando Indulgentia eſt alligata diei, utrum viſitatio Eccleſiæ ſufficiat, ſi fiat nocte ante auroram, aut poſt Solis occaſum?

Quo tempore debet Eccleſia viſitari.

RESP. affirmativè. Nam dies feſtus, cui conceditur Indulgentia a media nocte ad mediam noctem computatur, quamvis exterior ſolemnitas incipiat a primis Veſperis ad ſecundas; ſicuti enim obligatio audiendi Miſſam, recitandi Officium, abſtinendi a ſervilibus regulatur ſecundùm diem naturalem; ita videtur ſentiendum de Indulgentia: an verò privilegium ita ſit favorabile, ut primas Veſperas comprehendat, non audeo affirmare, niſi quando exprimitur.

127 QUÆRES nonò. Toties ne eodem die lucratur Indulgentiam, quoties quis Eccleſiam viſitat ingrediens, & egrediens?

Quoties in die lucrari poſſit Indulgentia.

RESP. negativè regulariter: ordinariè enim Indulgentiæ in viſitatione Eccleſiarum conceduntur pro una vice: aliquando autem ſolent Pontifices concedere toties quoties, ſed raro, & niſi clarè exprimatur, ſtandum eſt regulæ generali.

128 QUÆRES decimò. Si in Templo, ſive Altari, cui conceditur Indulgentia, aliæ reperiantur, valet ne Indulgentia conceſſa poſteriùs?

RESP. ſecundùm præſentem, & ordinariam formulam non ſubſiſtere; ſolent enim hæc apponi: *Volumus autem, ſi aliàs pro Chriſtifidelibus in quocumque anni die dictam Eccleſiam, ſive Capellam, aut Altare in ea ſitum Viſitantibus aliam Indulgentiam conceſſerimus, præſentes nullæ ſint*. Quoniam verò illud verbum *conceſſerimus* videtur excludere ſolùm conceſſas ab eodem Pontifice, & non ab aliis, ideò particulæ generaliter excluſivè ponuntur, *ſi aliæ fuerint*: quòd ſi talis excluſio non ſit, omnes ſubſiſtent.

§. SE-

§. SECUNDUS.

129 HIs præmiſſis venio ad præcipuam difficultatem, videlicet, an quando in conceſſione non ſit mentio de injunctis, ut, cùm dicitur, *concedimus plenariam Indulgentiam, remiſſionem peccatorum*; immo etiam quando dicitur, *concedimus Indulgentiam quadraginta dierum, centum annorum*, & ſimilium, ſenſus ſit, remittimus omnem pœnam in foro ſacramentali impoſitam, & imponendam, aut quadraginta, v. g. dies pœnitentiæ, ſive impoſiti fuerint, ſive non; an verò ſenſus ſit, remitti ſolùm pœnitentiam a Confeſſario injunctam, & pœnam illi correſpondentem in Purgatorio, v. g. quis confitetur perjurium, cui ſecundùm Canones imponitur ſeptena; Confeſſarius pro pœnitentia imponit, puta jejunium, quærimus, an, quando conceditur Indulgentia plenaria, remittatur ſolùm pœnitentia a Confeſſario injuncta, ſcilicet jejunium, an etiam pœnitentia injungenda per Canones, ſcilicet ſeptena, & pœna correſpondens in Purgatorio.

Quid ſit remiſſio de injunctis, & nõ injunctis.

Prima ſententia docet per Indulgentias abſolutas, quæ de facto conceduntur, in quibus non ſit mentio de injunctis, ſolùm remitti peccata delata ad forum pœnitentiale, pro quibus ſuit impoſita pœnitentia, & pœnam in Purgatorio, ſeu apud Divinam Juſtitiam illi correſpondentem; quæ ſententia habet graviſſimos Patronos, & antiquos, ùt *Alenſem* part. 4. diſt. 23., *Durandum*, *Paludanum* 4. diſt. 20., *Adrianum* VI. in 4. ſent. quæſt. de Indulgentiis §. *Sed ex hoc patet ulteriùs*; qui etiam ſuadent, ut ad recipiendum copioſiorem fructum curemus graviores a Confeſſario pœnitentias. Altera opinio fert hujuſmodi Indulgentias comprehendere injunctas, & non injunctas.

130 DICO: *Indulgentia abſoluta comprehendit injunctas pœnitentias, & non injunctas.* Concluſio videtur *D. Thomæ* 4. ſent. quæſt. 1. diſt. 20. art. 3. Et PROB. I. Indulgentiæ juxta commune axioma, tantum valent, quantum ſonant; ſed Indulgentiæ abſolutæ ſonant in ſenſu univerſali: ergo non comprehendunt ſolùm pœnitentias injunctas.

Indulgentiæ abſolutæ ſonant in ſenſu univerſali.

II. Favores ſunt ampliandi, quantum verba patiuntur; ſed Indulgentia eſt favor: ergo eſt amplianda, quantum verba patiuntur; ſed verba patiuntur ſenſum univerſalem: ergo in ſenſu univerſali ſunt explicanda.

Favores ampliandi.

III. Et eſt ratio *S. Thomæ*. Indulgentia nihil aliud eſt, niſi applicatio meritorum Chriſti facta ab habente poteſtatem diſpenſandi Theſaurum Eccleſiæ: ergo ejus fructus, & valor deſumendi ſunt juxta mentem Concedentis Indulgentiam; diſtributio enim bonorum tanta eſt, quantam facit actu Adminiſtrator; ſed Diſpenſans Indulgentiam non reſtringit mentem ad ſolas injunctas pœnas in caſu concluſionis: ergo.

IV. BONIFACIUS VIII. *in extravaganti* alibi citata concedit Indulgentiam plenam, pleniorem, & pleniſſimam; ſed ſi ſolas injunctas comprehenderet, ſupervacanea ſuiſſet conceſſio Indulgentiæ plenioris, & pleniſſimæ: ergo.

CONFIR. primò. Ex Gloſſa, quæ aſſerit interrogatum BONIFACIUM hac de re reſpondiſſe pro pleniſſima intelligere Indulgentiam omnem, ad quam ſe Claves extendunt; ſed Claves ſe extendunt ad non injunctas: ergo includunt injunctas, & non injunctas.

CONFIRM. ſecundò. Idem Pontifex, teſte *Paludano*, Pœnitentiario interdixit, ne Confitentibus anno Jubilæi pœnitentias injungeret: ergo intellexit ſe Indulgentiam concedere de non injunctis. Fertur etiam PIUS V. privatim interrogatus dixiſſe, Indulgentias abſolutè prolatas non reſtringi ad injunctas. Sic *Bartholomæus ab Angelo* lib. de conſol. pœnitentis cap. 4. lib. 1. Sed hæ reſponſiones non tantum pondus afferunt deciſionibus, cùm privatæ ſint.

Auctoritas Pontificum.

V. Sæpè conceduntur Indulgentiæ ſub graviſſimis oneribus, ùt ſunt Indulgentiæ Urbis anno Jubilæi, pro quibus lucrandis a remotis Regionibus peregrinari debent Fideles, & per dies quindecim quatuor Patriarchales Eccleſias viſitare, S. Petrum ſcilicet, S. Paulum, S. Joannem Lateranenſem, Sanctam Mariam Majorem. Et MARTINUS V. plenariam conceſſit in Concil. Conſtant. *ſeſſ.* 45. ſub onere, ut, qui vellet eam lucrari ſemel in vita, jejunaret per annum ſingulis feriis VI., & pro mortis articulo, alium annum ſimiliter, & reliquum vitæ tempus, vel jejunaret, vel alia pietatis opera exerceret; ſed ſi hujuſmodi Indulgentiæ ſolas injunctas includerent, major pars Fidelium plus laboris, & pœnæ inſumeret, quàm eſſet pœnitentia injuncta, & fructus Indulgentiæ: ergo.

Indulgentia Urbis Anno Jubilæi.

VI. Aliquando conceditur Indulgentia ſub forma, per quam ſignificatur tantum pœnæ remitti, quantum per Baptiſma, & in eum ſtatum Fideles reſtitui, in quo fuerunt poſiti lavacro regenerationis; ſed ſi ſolas injunctas includeret, hoc non verificaretur; remitteretur ſiquidem ſola pœna correſpondens injunctæ pœnitentiæ: ergo.

Indulgentia aliquãdo aſſimilatur Baptiſmo.

VII. Frequenter conceduntur Indulgentiæ ſub onere contritionis abſque confeſſione, quarum exempla habemus in illa *extravaganti* BONIFACII, & in Templo S. Laurentii extra muros in Agro Verano orantibus coram illis duabus parvis Crucibus, quarum una eſt intra Eccleſiam, altera ſub portico; ſed niſi comprehenderent non injunctas, nihil valerent; nam purè contritis, & non confeſſis nulla injungitur pœnitentia: ergo.

VIII. Aliquando in Bulla conceſſionis præcipitur Confeſſariis, ut ſalutares pœnitentias injungant volentibus lucrari Indulgentias; ſed hoc in caſu non intendit relaxare Pontifex pœnitentias, quas præcipit imponi: ergo intendit remittere non injunctas; aliter ad nihil deſerviret.

Põtifex præcipit injungi pœnitentias.

IX. Efficaciùs. Si hujuſmodi Indulgentiæ ſolas injunctas redimerent, tunc aut nullius eſſent fructus, aut modici; hoc non videtur dicendum: ergo. *Prob. major*. Nunc quidem leviſſimas pœnitentias injungunt

Quid requiritur, ut Indulgentiæ ſint utiles.

Con-

Conſeſſarii, & vix unius diei, aut hebdomadæ pro graviſſimis criminibus, & tamen conceduntur Indulgentiæ plurium dierum, & annorum: ergo ferè nullum ſortirentur effectum, immo ſæpè nullum; nam illæ pœnitentiæ ſolent eſſe aliquando medicinales, adeoque Pœnitentes etiam lucrantes Indulgentias tenentur adimplere.

Populus credit Indulgentias remittere omnes pœnas.

X. Univerſus Populus credit omnes in plenariis Indulgentiis redimi pœnas, & in aliis plurium annorum totidem correſpondentes: ergo Eccleſia quodammodo Fideles eluderet non explicando veritatem, ſi dumtaxat injunctæ remitterentur.

§. TERTIUS.

CONTRARIÆ OBJECTIONES SOLVUNTUR.

131 OBJIC. 1. Odioſa ſunt reſtringenda; ſed Indulgentiarum conceſſio odioſa eſt: ergo reſtringenda. *Min. declaratur*. Indulgentia enervat injunctas pœnitentias, a quibus relaxat, bona communia diſtribuendo: hoc autem valdè odioſum eſt, utpotè in animarum perniciem, ſeu in minorem earum utilitatem: ergo.

Odioſa non debent extendi.

RESP. Dictum illud verum eſſe quoad caſus ſimiles, & perſonas: odioſa enim non debent extendi præter verborum tenorem, undè non debent ampliari ad caſus, & perſonas non expreſſas, etſi par ratio videatur. In noſtro autem caſu verba patiuntur ampliorem ſignificationem, adeoque abſque abſurdo extenduntur ad non injunctas, & injunctas. Quarè licèt Indulgentiarum conceſſio odioſa videatur, quatenus relaxat pœnitentias, Indulgentiæ tamen ſavorabiles ſunt, quatenùs a pœna debita in ſoro Dei redimunt, amoventque impedimentum retardans gloriæ aſſecutionem: & licet minoris videantur utilitatis præciſivè acceptæ, eo quòd Fidelis privatur merito æternæ vitæ, quod implendo pœnitentias lucratus fuiſſet, cùm tamen aliorum bonorum operum exercitia non excludant, non vergunt in animarum perniciem. Bona verò communia, quæ diſtribuuntur, aliquod detrimentum non patiuntur, utpotè ea infinitis Chriſti meritis coaleſcentia.

132 OBJIC. 2. Generalis conceſſio juxta jus commune interpretanda eſt, ùt habetur in cap. *Licèt. de translat. Epiſcop.*; ſed jus commune concedit Indulgentias ſolùm de injunctis: ergo. *Minor probatur*. In jure canonico ſemper additur particula de injunctis: & antiquus mos Eccleſiæ fuit concedere de ſolis injunctis: hunc verò morem etiam nunc ſervare intendit; unde in literis conceſſionis ponitur illa formula *ſecundùm formam Eccleſiæ conſuetam*: & ſæpè mentionem facit plurium annorum, & dierum reflectens ad Canones injungentes Pœnitentibus pœnas ſub ſimilibus regulis: & quia Eccleſia per Concilia antiqua, & noviſſimè per Tridentinum præcepit, ut proportionatæ peccatis pœnitentiæ injungantur, ideo præſumit de facto injungi a Conſeſſariis, quod niſi fiat, non ipſa, ſed Conſeſſarii damnandi ſunt; non enim debet quolibet die vel congregare Concilia, vel Conſtitutiones addere, quibus opinantium abuſus Scholaſticorum reprobet; ad plura etenim neceſſe eſt, quod permiſſivè ſe habeat.

Nullum jus datur reſtringens Indulgẽtias ad ſolas injunctas.

RESP. *concedo maj.*, *& nego min.* Non enim in jure aſſignabilis eſt locus aliquis, ubi reſtrictio univerſaliter detur de ſolis injunctis: ſit quidem aliquando mentio de injunctis, ſed etiam aliquando non ſit, ùt in Indulgentia, quam pro recuperanda Terra Sancta conceſſit INNOCENTIUS III., GREGORIUS VII. ad Monachos Maſſilienſes, SERGIUS pro Eccleſia S. Martini in Montibus, & plura ſimilia exempla habemus apud alios Pontifices: quare ex eo, quòd frequenter priori formulà utantur Pontifices, non ſequitur, quòd ſtatuerint jus univerſale. Nec oppoſitum evincit inſerta probatio; illa etenim formula *ſecundùm formam conſuetam Eccleſiæ* non appellat ſupra injunctas pœnitentias, ſed ſuper alia requiſita per modum conditionis ex parte ſubjecti, ùt ſtatus gratiæ, oratio pro bono Eccleſiæ, pro hæreſum extirpatione. Determinatio autem dierum, vel annorum ponitur ad diſtinguendam quantitatem, & qualitatem Indulgentiarum: alluditur quidem ad Canones, non quia Concedens Indulgentiam velit pœnitentias eſſe impoſitas; ſed quia poſſent imponi. Præcipit abſque dubio Eccleſia per Concilia ſeveras injungi pœnitentias, & peccatis proportionatas, immo ita fieri præſumit; ſed cùm non ignoret diminutionem ſervoris, atque difficultatem in acceptandis pœnitentiis gravioribus, novit etiam Conſeſſarios recentiores fragilitati compatientes, leviores imponere: ac proindè Indulgentias largitur ampliores.

Quare Eccleſia largitur ampliores Indulgentias.

133 DICES. Non eſt congruum, quòd Negligentes ea Indulgentiis commodum reportent, ut eis valeant, ac ſi condignas ſuſcepiſſent pœnitentias, & Fervidis æquiparentur, qui libenter graviſſimas ſubeunt pœnitentias: ergo minimè dixeris, non injunctas ſatisfactiones in literis comprehendi.

Eccleſia pia Mater.

RESP. Si attendamus ad ſubjecti diſpoſitionem, antecedens verum eſt, falſum autem, ſi ad pietatem Eccleſiæ reſpicimus. Hæc enim tanquam pia Mater debilibus compatitur, & infirmos pariter, ac fortes ſublevare ſolicita eſt. Aliquando etiam pro publico bono, non reſpiciendo ad tepeſcentium filiorum demerita, univerſali utitur poteſtate Clavium in concedendis Indulgentiis: ideoque percunctanti BONIFACIUS VIII., quid pro pleniſſima intelligeret? *Eam*, reſpondit, *ad quam ſe extendunt Claves*.

134 DICES. Reſponſio fuit dubitantis ob diverſitatem opinionum.

Ad quid ſe extendat poteſtas Clavium.

RESP. Non eſſe dubium, quin Pontifices aliquando privatim interrogati in rebus dubiis citra fidem propter diverſitatem ſententiarum inter Scholaſticos ſuſpenſum reliquerint judicium. Cæterùm in noſtro caſu, cùm reverà poteſtas Clavium ſe extendat etiam ad non injunctas, juxta hanc univerſalitatem operatur Indulgentia, quoties accedat intentio Pontificis.

135 OBJIC.

135 OBJIC. 4. INNOCENTIUS III. in Concilio Lateranenſi relatu cap. *Cum ex eo* de pœnit., & remiſs. limitat poteſtatem Epiſcopis, ne ultra annum de injonctis Indulgentias concedant; & cap. *Noſtro* eodem titulo idem Archiepiſcopis præcipitur. Sed ſi Indulgentiæ poſſent non injunctas comprehendere, decretum eſſet nullum; nam intendit tollere ſupervacaneas, & indiſcretas Indulgentias, quæ utique non tollerentur, ſi limitatio ſolùm caderet ſuper injunctas, & de non injunctis diſponere poſſent pro ſuo arbitrio.

Niſi Pōtifex illimitatas concedere poteſt Indulgentias.

RESP. Argumentum probare alias a Pontifice non poſſe, niſi limitatas Indulgentias concedere, tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem, hoc eſt quoad tempus, & quoad pœnitentias, videlicet de ſolis injunctis. Ceterùm nulla Pontifici limitatio ponitur, adeoque ejus conceſſio in abſolutis Indulgentiis ad non injunctas extenditur.

136 OBJIC. 4. Non remittitur, niſi quod eſt debitum; ſed nullus eſt debitor pœnitentiæ agendæ, niſi fuerit impoſita: ergo quando per Indulgentiam Pontifex remittit pœnitentiam, intelligitur de injuncta, etiamſi non exprimatur.

Peccatores Deo debitores ſunt.

RESP. *Nego min.* Licèt enim graves Canonum pœnitentiæ non injungantur; Peccatores tamen revera ſunt earum debitores coram Deo ſaltem in æquivalenti juxta peccatorum naturam, ac per conſequens ſolvit Indulgentia pœnas in foro Dei debitas.

137 OBJIC. 5. Recta ratio dictat, quòd nullus judicet niſi delata ad ſuum judicium: ergo recta ratio dictat, quòd Concedens Indulgentiam non abſolvat a pœna niſi judicatos in foro Eccleſiaſtico; ſed Eccleſia non judicat, nec abſolvit peccata niſi per confeſſionem expoſita: ergo etiam Indulgentia: ergo non niſi injunctas redimit pœnitentias, quæ confeſſo Peccatori imponuntur.

RESP. Antecedens verum eſſe de judicio per particularem ſententiam, falſum de judicio per ſententiam generalem. Concedens Indulgentiam procedit ſolùm per ſententiam generalem, ſolâque generali peccatorum cognitione dirigitur: unde non eſt neceſſe, ut ſupponat peccata per confeſſionem expoſita in particulari, ſed poteſt ab expoſitis, & non expreſſis abſolvere quoad pœnas; quare ſola abſolutio poteſtate Ordinis per particularem ſententiam neceſſariò ſupponit peccata ad judicium delata. Nec eſt neceſſe, ut Eccleſia ſciat, quanta ſit pœna, quæ remitti debet; cùm certiſſimè queat Judex pœnam condonare, quin ſciat determinatè, quanta ſit.

Concedens Indulgentiam procedit per ſententiam generalem.

CONTROVERSIA IX.

AN, QUANDO MENTIO FIT DE INJUNCTIS, INDULGENTIA SOLAS A CONFESSARIO IMPOSITAS REDIMAT POENITENTIAS.

138 HÆc Controverſia inter Scholaſticos fortiùs agitatur, quàm præcedens; nam plerique docentes in Indulgentiis abſolutis contineri injunctas, & non injunctas, ſuſtinent in aliis ſolùm injunctas comprehendi: quâ ſententiâ in *Bellarmino* notatâ *Ameſius* hæreticus quatuor haſce intulit concluſiones: *ergo Indulgentiæ Papales tollunt primò partem Sacramenti; ſecundò fructus dignos pœnitentiæ; tertiò compenſationem injuriarum Deo illatarum; quartò medicinam animæ peccatrici neceſſariam.* Hæc ille; ſed quàm impiè arguat, liquebit ex dicendis. Interim venio ad reſolutionem propoſitæ difficultatis, an reverà, quando conceditur Indulgentia cum expreſſione de injunctis, intelligatur etiam de impoſitis a jure.

Ameſius Hæreticus.

139 DICO I. *Quando fit mentio de injunctis, comprehenduntur pœnitentiæ, & a Confeſſario impoſitæ, & a jure.* Probatur concluſio ex communi axiomate *Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant*; ſed illud verbum *de injunctis* æqualiter ſignificat injunctas a jure, & injunctas ab homine; quia reapſe Canonum ſtatuta pœnitentias injungunt; & qui peccat, juxta qualitatem criminis dicitur illas mereri, ſicut qui frangit legem pœnalem, dicitur reus pœnæ in vero ſenſu, etiamſi pœna indicta ſit ſententiæ ferendæ, nec magis hoc nomen *de injunctis* in conceſſione Indulgentiæ determinat ad injunctas a Sacerdote, quàm hoc nomen *cenſura* determinat potiùs ad cenſuram juris, quàm hominis. Quare ſicuti cenſura abſolutè prolata in proprietate ſermonis utrumque comprehendit, ità hoc nomen *de injunctis*; atque ideo Indulgentia non Injunctas ſolùm a Confeſſario, ſed etiàm a jure pœnas relaxat.

Canones verè injungunt pœnitentias.

140 II. Si particola *de injunctis* non complectitur impoſitas a jure, ſequitur Indulgentias ſub hac forma conceſſas fermè nullius eſſe fructus; nam leviſſimæ nunc a Sacerdotibus imponuntur pœnitentiæ; hoc autem dici nequit, tum quia eſſet in poteſtate Confeſſarii variare ſtatum Indulgentiæ de majori in minorem; tum quia fraudaretur pia mens Fidelium aliquid plus ſe lucrari exiſtimantium: ergo dicendum eſt comprehendere, & quæ a Confeſſario, & quæ a jure imponuntur.

Non eſt in poteſtate Confeſſarii variare ſtatum Indulgentiæ.

141 III. Aliquando ſimiles Indulgentiæ conceduntur ſub conditione ſolius contritionis; tunc autem nulla eſt pœnitentia a Sacerdote impoſita, ſed dumtaxat a jure: ergo tunc relaxant impoſitas a jure: ergo illa particula in proportione locutionis injunctas a jure complectitur, ſeù abſtrahit a jure, & ab homine.

Aliquando acquiritur Indulgentia ſine Confeſſione.

142 IV. Vel illa remiſſio intelligitur de pœnitentiis impletis, vel non: ſi primum: ergo Indulgentia nullum habet fructum;

En

tum ; nam per adimpletionem pœnitentiæ, debitum pœnæ correſpoudentis in Purgatorio eſt extinctum ; ſi de non impletis : ergo melioris conditionis ſunt in lucro Indulgentiarum Negligentes, quàm Soliciti. Sin autem dixeris æqualem pœnam deleri pro aliis peccatis, pro quibus non eſt impoſita pœnitentia : ergo jam Indolgentia non comprehendit ſolùm injunctas a Confeſſario.

Indulgentiæ alias prodeſſe debent ferventibus, quàm negligentibus.

DICES. Remittit pœnam correſpondentem pœnitentiis impletis in peccato mortali. *Sed contra*. Jam Indulgentiæ non prodeſſent Timoratis, & Ferventibus, qui ſoliciti ſunt in implendis ſatisfactionibus, & per ſe ſolùm Negligentibus faverent, quod eſt abſurdum, & contra antiquam praxim, quæ durior erat cum Tepidis, quam cum Ferventibus in pœnitentiis relaxandis, ſicut ex Conciliis vidimus Controv. IV. : ergo pro injunctis intelliguntur etiam, quæ ſunt a jure ; & ſic benè explicatur, quonam modo omnibus proſint.

Beneficium Principis intelligitur de iis, quæ ſe habent per ſe.

143 V. Beneficium, & privilegium Principis intelligitur de illis, quæ ſe habent per ſe, nedum per accidens ; quæ enim ſe habent per ſe in omnibus ſunt primò requiſita, & intenta ; ſed per ſe eſt, quod Fideles peccantes debeant Canonum pœnas ſubire, & per ſe eſt, quòd Sacerdotes graviores debeant injungere pœnas in jure taxatas ; per accidens autem eſt, quòd non injungantur a Confeſſario, ne confeſſio odioſa reddatur, ſtante infirmitate Pœnitentium : ergo Indulgentia ab injunctis per ſe, ſeù a jure abſolvit, & non tantùm per accidens minores citra æquitatem injunctas.

Majus eſt relaxare pœnas injunctas, quàm non injunctas.

144 VI. Secundùm regulam juris poſitam cap. *Ex parte* 17. de Decimis : *Ubi majus conceditur, minus conceſſum eſſe videtur* ; ſed majus eſt relaxare pœnitentias injunctas : ergo, ſi Indulgentia concedit primum, ſecundum etiam concedere videtur : ergo quando ponitur particula *de injunctis*, in ſenſu ampliativo intelligenda eſt. *Major patet* ; quando enim majus, & minus ſunt ejuſdem ordinis, & ad eandem poteſtatem pertinent, ſicut in caſo noſtro, non videtur pati exceptionem, maximè cum ſimus in materia favorabili. Hinc, ſi alicui conceditur facultas abſolvendi generaliter a cenſuris reſervatis & ab homine, intelligitur etiam conceſſa facultas abſolvendi a cenſuris non reſervatis & a jure. *Minor* autem evidens eſt ; fortius enim vinculum eſt debitum in foro Dei, & ſimul per definitivam ſententiam in foro ſacramentali, quàm debitum ſolùm in foro Dei. Pœnitentia injuncta a Confeſſario eſt debita in foro Dei, & ſacramentali : ſecùs impoſita a jure : ergo primum eſt majus debitum, quàm ſecundum ; unde intulit *Cajetanus* de Indulg. cap. 7. propter hanc rationem reſtricta facultate circa injunctas non inferri reſtrictionem circa non injunctas ; quia reſtricto majori non cenſetur reſtringi minus ; benè quidem e contrario : ergo ampliato majori cenſetur minus ampliari.

Reſtricto majori non cenſetur reſtringi minus.

A

ADVERSARIORUM ARGUMENTA SOLVUNTUR.

145 OBJIC. 1. INNOCENTIUS III. in cap. *Cum ex eo* de pœnit., & remiſs. dicit : *Per indiſcretas, & ſuperfluas Indulgentias . . . . pœnitentialis ſatisfactio enervatur* : ergo ſignum eſt, quòd Indulgentia de injunctis, de qua ibi eſt ſermo, dumtaxat de pœnitentiis a Confeſſario impoſitis intelligatur.

Indiſcretæ Indulgentiæ enervant ſacramentales ſatisfactiones.

B

RESP. *Nego conſeq.* Quamvis afficiant ſolùm injunctas a Confeſſario, adhuc enervatur per indiſcretas Indulgentias ſatisfactio ſacramentalis ; eapropter ex laudato capit. nihil contra nos.

146 OBJIC. 2. Additio illius particulæ *de injunctis* debet, quando exprimitur, aliquid operari, quod non operatur, quando reticetur ; ſed ſi ampliatur ad injunctas a jure, nihil ſpecialiter operatur ; quia, etiamſi omittatur, per nos Indulgentia utrumque genus pœnitentiæ redimit ; atque id maximè contingit in plenariis omnia peccata complectentibus abſque diſcrimine, quòd pœnitentiæ ſint, nec ne injunctæ : ergo ſi aliquando additur *de injunctis* debent aliquid ſpecialiter operari.

C

Ad quid deſervit particula de injũctis.

RESP. *Nego min.* Additur enim ad tollendam æquivocationem, ne quis intelligeret per Indulgentias culpas ſaltem veniales redimi, & potiſſimè in plenariis, per quas non deſunt affirmantes maculam venialem expiari. Additur ad exprimendum eas Indulgentias dari potiſſimè pro gravibus peccatis ; quia pœnitentiæ annorum expreſsè in conceſſionibus ſolent injungi pro gravioribus delictis. Additur ad ponendam certitudinem, quòd tollitur obligatio adimplendi injunctas a Confeſſario, quæ certitudo non ita clarè conſtat, quando non ſit mentio de Injunctis.

D

147 OBJIC. 3. In hujuſmodi Indulgentiarum conceſſionibus, antiquior ſervatur mos relaxandi pœnitentias annorum, & quadragenarum ; ſed antiquorum mos relaxabat pœnitentias verè a Sacerdote injunctas : ergo etiam nunc ſolùm injunctas ab homine relaxat. *Explicatur argumentum*. Eccleſia conſuevit obligatos ad plurium annorum pœnitentiam ab onere ſublevare, ne nimis, duriùſve præmerentur ; & ab hoc uſu alleviandi pondus Pœnitentium orta Indulgentiarum conſuetudo eſt. Quare dicendum, quòd Concedens Indulgentiam non niſi a Confeſſariis injunctas redimere pœnitentias intendat.

E

RESP. *Nego conſequent.* propter eandem adductam rationem. In Indulgentiis retinet Eccleſia antiquam formulam annorum, & quadragenarum ; ſed nunc non injungit pœnitentias in foro Sacramentali per quadragenas, & ſeptenas : ergo non intendit ſolùm redimere ſacramentaliter impoſitas, ſed etiam per Canones ; aliter inutiles forent hujuſmodi Indulgentiæ per quadragenas, & ſeptenas, quæ nunquam imponuntur. Quare ſicuti compatiens oneribus remittebat ſeveritatem pœnitentiarum : ita indulgens Fidelium

Eccleſia compatiendo Fidelium fragilitati remittit pœnas.

delium imbecillitati, tanquam pia Mater Parvulis panem ſtangens Canonicarum pęnitentiarum, quas juata peccatorum qualitatem ſubire oporteret, debitum remittit.

DICES. Revera nec olim, nec hodie pęnitentiæ Canonum obligant, niſi a Sacerdote imponantur; decreta enim ſtatuunt, quid ſit imponendum: ergo non niſi injunctas ab homine redimit Indulgentia.

Pœnitentiæ non injunctæ obligant in foro Dei.

RESP. Non obligare in foro ſacramentali, & ad culpam, ſi omittantur, obligare tamen in foro Dei, quatenus Peccans tenetur ſecundùm qualitatem delicti tantundem vel in ſpecie, vel in æquivalenti ſuſtinere, ut Deo ſatisfaciat; unde, ut ab hoc onere ſubleventur Fideles, Eccleſia juſtis de cauſis largitur Indulgentias.

DICES. Intentio Concedentis antiquitùs Indulgentias non fuit ſolummodò liberandi ab onere, & debito, ſed etiam a periculo novi peccati in omiſſione pęnæ injunctæ; ſed hoc periculum peccandi nunc etiam iis imminet, quibus pęnitentiæ ſacramentales injunguntur: ergo intentio Eccleſiæ eſt eas ſolas redimere, & non alias, in quibus non militat eadem ratio.

Indulgentiæ conceduntur ob bonum cōmune Fidelium.

RESP. Ratio concedendi Indulgentias neutiquam innititur diſpoſitioni Recipientis, ſed altiori, & univerſaliori motivo, ſcilicet communi Fidelium bono; adeoque præſcindit, quòd inſtet, nec ne, novæ periculum culpæ. Itaque intendit Eccleſia quaſcumque comprehendere pęnitentias. Cæterùm falsò dicitur antiquitùs punitionis ſeveritas ob peccati periculum relaxata; nam ex Conciliis conſtat præceptum eſſe, ut Diligentibus, & Ferventioribus fieret remiſſio: duriùs cum aliis ageretur: non reſpiciebatur ergo ad peccati periculum, quod majus erat in Tepidis, quàm in Ferventioribus.

148 OBJIC. 4. In hujuſmodi conceſſionibus ſolet apponi clauſula, *conceditur remiſſio de peccatis, de quibus liberaliter fuerint corde contriti, & confeſſi*, ùt conſtat ex Decreto INNOCENTII III. in Lateranenſ. Concilio pro expeditione Terræ Sanctæ, & ex MARTINO V. in Concilio Conſtantienſi: ergo ſignum eſt, quòd remittuntur ſolùm injunctæ a Confeſſario. Qua de re PIUS V. interroganti explicuit, quando fit mentio de Injunctis, intelligi ſolas injunctas ab homine.

Sæpè conceditur Indulgentia abſq; onere Confeſſionis.

RESP. Aliquando etiam non exigi confeſſionem, ùt videtur non exigere illa, quam de injunctis ſeptem annorum, & totidem quadragenarum PAULUS III. conceſſit Viſitantibus Eccleſias Ven. Societatis Jeſu inter ſolemnia Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Corporis Chriſti, Feriæ VI., & Dominicæ totius anni, ſi ibi unum *Pater*, & *Ave* recitaverint, & Verbum Domini devotè audierint, ſi in dictis Eccleſiis prædicetur, ùt habetur *in Bull. Societ. Jeſu*: unde noſtra aſſertio ex hoc confirmatur.

Confeſſio aliquando exigitur per modum conditionis.

Veruntamen quando additur confeſſio, hæc exigitur per modum conditionis, & ob ſecuritatem ſtatus gratiæ requiſiti ad lucrandas Indulgentias. Reſponſio PII V. privata fuit, ùt auctoris particularis.

149 OBJIC. 5. Si hujuſmodi Indulgentiæ præcontinent injunctas a jure, fit, ut poſſint illis prodeſſe, qui propter tepiditatem a ſubeundis pęnalitatibus abhorrent, & inviti Deo ſatisfaciunt pęnarum perpeſſione, atque ideò graviores a Confeſſariis impoſitas pęnitentias gravatim exequuntur; ſed hoc eſt omnino falſum: ergo. *Major* videtur ex dictis conſtare. *Minorem* fusè probat Navarrus *de Indulg. not. 21.*, cujus argumentorum robur ad hæc reducitur: indigni ſunt aliena ope, qui ſibimet opitulari nolunt; nec ex publico ærario ſuccurritur illis, qui, cùm poſſint de ſuo, æs alienum quærunt: ergo, qui non vult Deo ſatisfacere mediis pęnalitatibus, indignus eſt, ut ſuccurratur per Indulgentias ex Chriſti ærario, cùm ſuis ſatisfactionibus non juvet Torpentes, ac Deſides; ideoque vigilantiam præcipit: ergo multò minus id poteſt velle a Chriſto Delegatus.

RESP. *Concedo majorem*: ſi tamen exequantur, quæ in conceſſione injunguntur. Neque in hoc ullum eſt abſurdum, ſicut in opinione contraria nullum eſt, quamvis melioris ſint conditionis ad lucrandas indulgentias, qui negligenter ſe habent in adimplendis injunctis a Sacerdote pęnitentiis, quàm Diligentiores; quia illi capaces ſunt recipiendi fructum Indulgentiæ, ſecùs iſti, qui pęnitentiâ functi, ſatis Deo ſecerint. Ratio autem adducta currit in diſtributionibus bonorum communium ex debito, & ubi periculum eſt, ne ærarium non ſit omnibus ſuffecturum; tunc enim indignus eſt, ut ex ærario juvetur, qui, cùm poſſit ex proprio ſolvere, recuſat.

Quomodo ærarium ſit in bonum cōmune.

Quando autem diſtributio oritur ex liberali Principis beneficio, & æqualitas rationis motivæ in omnibus ſervatur; tunc quiſquis requiſitas adhibeat conditiones, eſt capax. Adde, quod Eccleſia Indulgentiarum conceſſione utitur, ut ad ſervorem excitet Fideles, qui ſpe fructus illecti libenter opera injuncta exequuntur, conſcientiam diligentiùs expurgant, quod emolumentum eſt ſanè maximum.

CONTROVERSIA X.

AN, QUI INDULGENTIAS LUCRANTUR, TENEANTUR ADIMPLERE SATISFACTIONES SACRAMENTALES.

Ameſii, & Gerardi illationibus reſpondetur.

150 IN reſolutione hujus Controverſiæ refringam ea, quæ *Ameſius*, & *Gerardus* hæretici ambo inſerunt ex *Bellarmini* doctrina, & in ſuperiori Controverſia nos poſuimus. Igitur ſtatus quæſtionis eſt, an, qui Indulgentias acquirunt, debeant ſub mortali pęnitentiam implere ſibi a Confeſſario injunctam: nonnulli Doctorum ſentiunt affirmativè, ſed cum communiori.

Pœnitentiæ medicinales non tolluntur per Indulgentias.

151 DICO. *Lucratus plenariam Indulgentiam poteſt omittere ſacramentales ſatisfactiones*. Dixi *plenariam*; quia ſi Indulgentia ſit partialis, non erit fortè ſufficiens ad delendum totum reatum pęnæ, cujus eſt reus apud Deum, adeoque tenetur injunctam a Confeſſario implere. Dixi *ſatisfactiones*;

quia ſi pœnitentia injuncta eſt medicinalis, ad eum tenetur; quandoquidem Indulgentia proprium medicinæ ſpiritualis effectum non comprehendit. His poſitis, probatur concluſio, quæ eſt D. Thomæ *quæſt. 25. ſuppl. art. 1. ad 4.* ubi pravam ſolvens illationem, quam noſtris temporibus collegit *Amiſius*, aſſerit, conſilium ſolùm eſſe de non omittendis injunctis: INNOCENTIUS III. cap. *Cum ex* de pœnit., & remiſs. dicit *per indiſcretas, & ſuperfluas Indulgentias . . . pœnitentialis ſatisfactio enervatur*; ſed ſi poſitâ Indulgentiâ perſeverat obligatio adimplendi injunctam a Confeſſario, non enervantur ſatisfactiones ſacramentales: ergo ſignum eſt auerri. Ratio a priori eſt; quia ad eundem effectum datur Indulgentia, pro quo imponitur ſatisfactio ſacramentalis, ad extinctionem videlicet pœnæ peccatis debitæ in foro Dei. Sed hic effectus habetur per acquiſitionem Indulgentiæ: ergo non ſtat obligatio ejuſdem adimplendæ; nam quacumque viâ ſolvatur debitum, non adeſt ulterior obligatio ſolvendi hac, vel illa determinata ſolutione. *Explicatur*. Condonatâ a Judice pœnâ per acceptationem ſolutionis exhibitæ ab amicis ipſius Rei, non tenetur Reus ipſe ad pœnam ſibi a Miniſtris taxatam; ſed Deus, poſitâ Indulgentiâ, condonat pœnam peccatori debitam, Chriſti, & Sanctorum ſatisfactiones acceptando: ergo Peccator non tenetur ad eas, quas Sacerdotes divinæ Juſtitiæ adminiſtri taxant.

OBJECTIS RESPONDETUR.

152 OBJIC. 1. Obligatio pœnitentiæ in foro ſacramentali eſt juris divini, ùt docet Trident. *ſeſſ. 14. cap. 3., & 8.* Ratio eſt; quia judicium, & Tribunal Sacramentale eſt ſupremum, & definitiva Sacerdotis ſententia ſoli Deo ſubjacet, unde dicitur: *quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis*; ſed nemo juris Divini poteſt vinculum auferre: ergo obligatio ſacramentalis adimplendæ ſatisfactionis non tollitur a Pontifice per Indulgentiam. Licèt enim ex ſuprema poteſtate Miniſtros eligat, & accidentalia mutet in Sacramentis, intrinſeca tamen variare nullatenus poteſt.

Indirectè tollitur ſatisfactionis ſacramentalis.

RESP. *concedo major., & diſting. min.* Obligationem juris Divini nemo poteſt auferre, directè diſpenſando, *concedo min.*, indirectè per ſubtractionem materiæ, *nego min.* Mediâ Indulgentiâ adimitur obligatio ſatisfactionis ſacramentalis, quatenus aufertur debitum pœnæ apud Divinam Juſtitiam, quod eſt materia injunctæ pœnitentiæ a Sacerdote. Itaque non aufertur per diſpenſationem, nec intervenit uſus alicujus illegitimæ poteſtatis. Plura exempla ſunt in promptu ex aliis materiis, votorum præſertim, in quibus indirectè tolluntur obligationes ortæ ex jure Divino.

153 OBJIC. 2. Obligatio ſatisfactionis ſacramentalis naſcitur per ſe a Sacramenti integritate, quam nequit diſſolvere Indulgentia: ergo per Indulgentiam non ceſſat obligatio ſatisfactionis, quæ eſt pars ſacramentalis, ſicuti neque extinguitur obligatio aliarum partium.

RESP. Obligationem integritatis oriri ex debito pœnæ in foro Dei remanente poſt dimiſſam culpam; quarè hoc ſublato nulla remanet neceſſitas integrandi Sacramentum mediâ pœnitentiâ Sacerdotali. In nullo enim juſto judicio, cujuſmodi eſt ſacramentale, exigitur ſatisfactio pro debito, cujus remiſſio jam habetur. Cùm igitur Indulgentiarum virtute diluatur debita poſt peccati remiſſionem pœna, propterea deſinit obligatio integrandi Sacramentum: & eſt ſimile ſecundùm aliquid, quando in confeſſione ex juſta cauſa non omnia explicantur peccata, quæ aliter eſſent ad formandum juſtum, & integrum judicium explicanda. Hoc ad explicationem dico; cæteroquì paritas non eſt adæquata.

Non exigitur ſatisfactio pro debito ſoluto.

154 OBJIC. 3. Quia in Indulgentia partiali non adeſt certitudo, quòd Indulgentia adæquet reatum, remanet obligatio exequendæ pœnitentiæ ſacramentalis; ſed nemo etiam certus eſt ſe eſſe Indulgentiam plenariam conſecutum: ergo etiam in plenaria Indulgentia tenetur ad dictam ſatisfactionem. *Explico a ſimili*. Quamvis per actus veræ dilectionis, & contritionis deleatur peccatum; tamen quia neſcimus nos eſſe divinæ gratiæ compotes, ideò tenemur ex præcepto peccata Confeſſario aperire: ergo utvia Indulgentia adimat pœnam; quia tamen de ejus conſecutione ambigimus, tenemur ad pœnitentiam ſacramentalem.

RESP. Certitudinem duplicem eſſe *Metaphyſicam*, & *Moralem*. Ad hoc, ut quia non teneatur Injunctam ſatisfactionem adimplere, non eſt neceſſaria metaphyſica certitudo, ſed moralis ſufficit, ſcilicet quòd hic, & nunc, penſatis omnibus, nullum prudens dubium ſit, ne non fuerit Indulgentiam lucratus: & etiam in Indulgentia partiali, ſi prudenter judicet totum pœnæ debitum fuiſſe deletum, poterit tutò excuſari. Exemplum de confeſſione non eſt ad rem, tum quia confeſſio aliquando, nempe juxta Eccleſiæ deſignationem, vel explicationem ſemel in anno, cadit ſub præcepto; nec contritio vim habet juſtificandi, niſi per ordinem ad confeſſionem.

155 OBJIC. 4. Si Indulgentia vinculum diſſolveret ſacramentalis ſatisfactionis, tolleret etiam obligationem cujuſque jejunii a divina, & humana lege imperati, aliarumque pœnalitatum; atqui hoc eſt abſurdum: ergo. *Sequela oſtenditur*. Jejunia, aliæque pœnalitates indicentur ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis; ſed Indulgentia extinguit debitum pœnæ, quæ eſt materia ſatisfactionis: ergo tollit obligationem jejunii.

RESP. *nego ſequelam majoris, ejuſque probationem*. Extinguere pœnam peccatis debitam in foro Dei non eſt tota ratio præcipiendi jejunium, aliaſque pœnalitates, verùm & alia concurrunt; indicuntur enim inſuper, ut Fideles diſponant ſe ad impetrandam juſtificationis gratiam, ad compeſcendas cupiditates, ad imitanda Chriſti exempla;

Ad quid imponantur jejunia.

pla, ad exercendos actus virtutum, ad majus gratiæ augmentum; eaque propter, ceſſante etiam debito pœnæ, remanet eorum obligatio. Veruntamen ſatisfactio Sacerdotalis qua talia per ſe ſolùm tendit ad redimendam pœnam peccatorum, quâ condonatâ, ceſſat ejus obligatio.

156 OBJIC. 5. Solent Pontifices in pleniſſima quaque Indulgentia præcipere Confeſſariis, ut ſalutares pœnitentias injungant, & praxis Confeſſariorum eſt illas imponere: ergo videtur Indulgentia obligationem non diſſolvere.

Indulgentiæ valent ſecundùm mentem Concedentis.

RESP. *concedo antec., & nego conſeq.* Indulgentia valet juxta mentem Concedentis. Quando jubet Pontifex injungi pœnitentias, non intendit per Indulgentiam redimere pœnam correſpondentem injunctis, ſed aliis, quæ forent injungendæ, & ideò Pœnitens injunctas tenetur implere. Confeſſarii autem ſemper aliquid pœnitentiæ ſolent imponere ad medicinam, & propter incertitudinem futuri Indulgentiæ lucri. Multis de cauſis Indulgentiarum aſſecutio difficilis creditur; ideoque conſilium commune eſt, ne Indulgentiarum prætextu injuncta pœnitentia negligatur. Et nos ipſi vehementer adhortamur quemque, ut certam faciat cauſam ſuæ remiſſionis.

Quàm difficile acquirere Indulgentias.

157 DICES. Si Indulgentia obligationem deſtruit adimplendi pœnitentiam ab homine præſcriptam, ſi quis eam velit adimplere, nullum ſortiretur effectum *ex opere operato*; non enim eſſet pars Sacramenti, nec per Claves elevaretur; ſiquidem eatenus eſt pars Sacramenti, quatenùs obligat ex præcepto Confeſſarii: hoc non videtur dicendum, ne dicamus plus damni afferre Indulgentias, quàm lucri; privaret enim Fideles augmento gratiæ *ex opere operato* conſequendæ iis, qui ſatisfactionis penſo funguntur. Minimum verò gratiæ incrementum, quod *ex opere operato* percipitur exequenti ſatisfactionem, majus eſt bonum, quàm cujuslibet redemptio pœnæ temporalis. Quamobrem ajebat S. MATER THERESIA ſe libenter, quæcunque paſſa erat tormenta graviſſima, iterum perpeſſuram, ſi meritum conſequi poſſet recitationi unius Angelicæ Salutationis correſpondens.

RESP. *nego ſeq.* Nam Confeſſarius imponens pœnitentiam ſemper obligat, ſemperque conſequenter pœnitentia fit pars Sacramenti, & elevatur per Claves. Definit poſtea obligatio ratione materiæ ſubtractæ, quæ poſtmodum ſequitur per lucrum Indulgentiæ, ſi Fidelis Indulgentiam conſequatur, priuſquam injunctam compleat. Quoniam verò non exhauritur virtus gratiæ productiva *ex opere operato*, quam plures Doctores attribuunt ſatisfactioni ſacramentali; ideo adhuc acquiſita Indulgentia fructum ſortitur in eo, qui vult ipſam adimplere, uti laudabile eſt; maximè quia poteſt ceſſare obligatio ſatisfactionis ùt punitivæ, non autem ùt medicinalis.

Impoſita pœnitentia ſemper elevatur per Claves.

158 DICES I. Implicat ceſſare obligationem ſatisfactionis Sacerdotalis ùt punitivæ, & non ùt medicinalis; nam Confeſſarius non obligat, niſi ùt Judex, non ùt Medicus: Medici enim ſolum eſt conſulere, & conſuli: unde pœnitentia qua medicinalis non eſt pars Sacramenti: ergo non cadit ſub obligatione: ergo Indulgentiam adeptus non tenetur Fidelis medicinalem adimplere pœnitentiam.

Confeſſarius Judex, & Medicus.

RESP. *nego ant., & ejus probationem*, quæ omnino falſa eſt; obligat enim Confeſſarius ùt Judex, & etiam ùt Medicus. Sacramentale Tribunal non Juſtitiæ eſt dumtaxat vindicativæ, ſicut forenſe, ſed reconciliationis quoque, & emendationis, quo fit, ut Confeſſarii poteſtas æquè præteritum afficiat, ac futurum. Quemadmodum enim diſpoſitio ex parte Pœnitentis non eſt ſola peractorum criminum deteſtatio, ſed propoſitum etiam non peccandi de cætero; haud aliter Sacerdotis auctoritas non eſt in præterita dumtaxat, verùm etiam in futura. Hinc Concilium Tridentinum mandat Confeſſariis, ut in ſatisfactionibus aſſignandis utrumque attendant, punitionis ſcilicet rationem, & medicinæ: & de utraque complexivè ſubdit, quòd ſicut habet poteſtatem ſolvendi, ita & ligandi. Et ſanè Confeſſarius, ſi tanquam Medicus prudenter exiſtimet differendam abſolutionem, nonne eam differens verè ligat, non aliter ac ùt Judex id faceret? Reſervationes, cenſuræque an non ſalutares tibi videntur pœnæ? Ecquis eas dixerit non obligare? Cur ergo pœna medicinalis in Sacramento non eandem ad obligandum vim præſeferat?

159 OBJIC. 6. Indulgentiæ, quæ nunc conceduntur, ſunt ejuſdem rationis, ac illæ, quæ antiquitùs Lapſis concedebantur; ſed quæ dabantur Lapſis, non eximebant a convenienti ſatisfactione: ergo etiam quæ nunc conceduntur. *Major* eſt certa; nam Concilium Tridentinum taxat methodum Indulgentiarum juxta veterem formam. *Minor* etiam patet ex *D. Cypriano* ad Martyres ſcribente: *Ideo peto, ut eos, quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello.* Viden'? Ad Indulgentiam non ſolùm exigitur impoſitio pœnitentiæ, ſed etiam quòd fermè ſit adimpleta.

RESPONDEO. In primis argumentum hoc jam concedit aliquam poſſe pœnitentiæ partem remitti ratione Indulgentiæ: ſecundò *Cyprianus* vult, ut priùs aliquam ſatisfactionem exegerint Lapſi, quàm de reliqua abſolvantur, vel quia præcedens adimpletio ſe haberet tanquam diſpoſitio ad acquirendam Indulgentiam, ſicuti nunc aliqua opera pœnalia injunguntur ad illam lucrandam, vel quia imponeretur ſatisfactio, quæ ſimul, & ſemel eſſet medicina ad præcavenda futura: quod habetur ex eodem Cypriano *lib. de Lapſis*. Et noſtra etiam opinio eſt a pœnis ſalutiferis haudquaquam eximi Fideles per Indulgentias, maximè quia in veteri diſciplina non dabatur Lapſis venia, niſi probaretur ſincera converſio per adimpletionem impoſitæ pœnitentiæ, ſaltem quoad partem. Vide infra n. 179.

Lapſis imponebatur pœna medicinalis.

160 Ex dictis colliges, Confeſſarium pro gravibus poſſe peccatis levem imponere pœnitentiam, præcipiendo, ut lucrandam

curet

Quando Confeſſarius poteſt pro gravibus peccatis levem imponere pœnitentiam.

curet hanc, vel illam determinatè Indulgentiam; quia idem eſt æquivalenter, ac injungere pœnitentias Canonum.

161 Sed contra hanc illationem inſurgunt quidam Recentiores, inter quos Ivenin. *Diſſert.* 14. *de Indulgent. quæſt.* 5. *c.* 4.: qui verbis *D. Cypriani* Miniſtros, ſi modò pœnitentias leviores imponant, Lanios appellat, non Paſtores, linguam eorum non Sacerdotis, ſed Diaboli, Lupos non Cuſtodes; quia cùm Homo non ſit Deo major, relaxare pœnitentiam nequit peccatis conſentaneam, quam ſtatuit Deus nemini remittere, niſi aut actualis, aut habitæ in voto pœnitentiæ convenientes, ac condigni fructus eam expunxerint.

Poteſt quis ære alieno ſpontè oblato pro libito uti.

Sed quiſnam reprehenderet illum, qui Reo conſuleret, ut de alieno ære ſibi ſpontè oblato Creditori ſatisfaceret? Confeſſarius quando levi impoſito onere injungit Pœnitenti, ut Indulgentiam lucretur, nihil aliud facit, quàm illi imponere, ut Eccleſiæ Theſauro ſibi gratis oblato in ſuum commodum utatur. An verò aliena ope ſit indignus, qui ſibi, cùm poſſit, opitulari nolit? vide ſupra n. 149. Nec dictis officit adducta ratio in argumento; jam enim reſponſum fuit ſuperiùs num. 152.; ſed quid dicendum ad objecta ex *Cypriano*? Nobis utique non coaptantur; quia S. Doctor totus ibi eſt in reprehendenda Lapſorum temeritate, quos debitam refugientes ſatisfactionem abſolvebant indocti Sacerdotes, atque ad Eucharistiam admittebant: nos verò minimè aſſerimus Pœnitenti, qui injunctam ſatisfactionem renuat, ſubrogandam eſſe Indulgentiam; ſed dicimus poſſe a Confeſſario levem imponi, ſi præcipiat, ut detur opera lucrandæ alicui determinatæ Indulgentiæ, dummodo pœnitentia non fuerit medicinalis, ùt in caſu de Lapſis.

CONTROVERSIA XI.

AN INDULGENTIA DELEAT SALTEM CULPAM VENIALEM.

162 PErpauci Doctores, *Paludano* duce, Indulgentiæ pleniſſimæ dant vim deletivam venialium etiam quoad culpam directè, poſitivè, & per ſe. Dixi *venialium*; quia apud Catholicos omnes in confeſſo eſt Indulgentias non remittere lethalium maculas: & fundamentum habetur ex Trident. *ſeſſ.* 6., *& ſeſſ.* 14 definiente, quòd peccatum mortale perſonale, aut originale non deletur, niſi per Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ in re, & debito modo ſuſceptum, aut per contritionem cum Sacramento in voto; atqui Indulgentia non eſt Sacramentum, nec contritio: ergo Indulgentia non habet, unde remittat mortalium culpam.

Indulgentia non remittit peccata mortalia.

Dixi *poſitivè*, *per ſe*, *& directè*; nam quòd indirectè dimittat, quatenùs occaſione Indulgentiæ excitatur affectus deteſtativus peccati, ex eo quòd Eccleſia applicat Christi, & Sanctorum merita ad impetrandam Fidelibus gratiam remiſſionis, nullam involvit repugnantiam: cùm quilibet Juſtus poſſit de congruo mereri alteri primam gratiam. Itaque in ſenſu proprio procedit difficultas, an ſcilicet Indulgentia qua talis expiet venialium maculam.

Indirectè poteſt remittere venialia, & etiam mortalia.

163 DICO. *Indulgentia quæcumque ſolam pœnam, nullam culpam remittit.* Concluſio eſt communis: & *probatur primò*. Indulgentia quæcumque nullum alium habet effectum, niſi qui correſpondet Sacramentali pœnitentiæ; ſed pœnitentia ſacramentalis qua talis ſolam pœnam remittit, nullo modo culpam: ergo pariter Indulgentia. *Major* patet. *Minor* oſtenditur: INNOCENT. III. capit. pluries citato *de pœnitentia, & remiſſione*, prohibens indiſcretas Indulgentias, dixit per eas enervari ſacramentales ſatisfactiones, ad quod attendens Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *Decret. de Indulgent.* ut eaſdem ſuperfluas reformaret, ſubjungit rationem, *ne diſciplina Eccleſiaſtica enervetur*: ergo ſignum eſt Indulgentias ſubrogari ſacramentalibus ſatisfactionibus: immo *Navarrus* Notab. 10. de Indulgentia aſſerit INNOCENTIUM declaraſſe per Indulgentias ſolùm pœnas remitti.

Indulgentiæ effectus correſpŏdet pœnitentiæ ſacramentali.

164 SECUNDO. Concilium Trident. eodem loco præcipit, ut Indulgentiæ revocentur ad veterem Eccleſiæ conſuetudinem; ſed, ùt habetur ex Concil. Lateranenſ. ſub INNOCENTIO III., Apoſtolica Sedes conſuevit antiquitùs Indulgentias non extendere ultra unius anni, vel quadraginta dierum pœnitentiæ remiſſionem, ſemperque addere de injunctis: ergo non niſi pœnas habet relaxare, non verò culpas.

Indulgentiæ antiquitus nō extendebantur ultra annum.

165 TERTIO. Forma conceſſionis Indulgentiarum attendit ad modum, quo injunguntur a Canonibus pœnæ, quarum ex relaxatione nomen eſt Indulgentiis factum; ſed iſte modus culpis nullimodè applicari poteſt: ergo. *Minor explicatur*. Formula conceſſionis Indulgentiarum eſt, *concedimus quadraginta, vel centum dierum Indulgentiam, ſeptem, vel trium annorum*; ſed hujuſmodi locutiones ne violenter quidem explicari poſſunt de remiſſione venialium: ergo.

166 QUARTO. Indulgentia vel delet culpam ùt quoddam Sacramentum, vel ùt ſacramentale, nullatenus enim *ex opere operato* poteſt Indulgentia obliterare peccati labem; ſed neque Sacramentum eſt Indulgentia, neque ſacramentale: ergo. *Minor* quoad primam partem eſt de fide: quoad ſecundam oſtenditur. Sacramentalia propriè dicta comprehenduntur a Theologis ſub hoc verſiculo: *Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens*: ideſt Oratio Dominica, aqua luſtralis, eſus eulogiorum, qui olim erat in uſu, Confeſſio generalis, elargitio eleemoſynæ, benedictio Epiſcopi, vel Abbatis conſecrati; ſed inter hæc non enumeratur Indulgentia: ergo. Ulteriùs verior, & probabilior ſententia eſt ſacramentalia non delere venialia *ex opere operato* immediatè, ſed tantùm mediatè, excitando ſcilicet fervorem charitatis: deinde ſi Indulgentia eſſet ſacramentale, omnis Indulgentia eſſet ſacramentale, cùm omnis, & quælibet ſit applicatio Theſauri Eccleſiæ, ſed, adverſariis fatentibus, non omnis eſt ſacramen-

Indulgentia nec eſt Sacramentum, nec ſacramentale.

Quæ ſint ſacramentalia.

men-

mentale, & per conſequens remiſſiva venialium : ergo nulla .

Benedictio Papæ quo ſenſu eſt ſacramentale .

167 DICES . Benedictio Papalis eſt ſacramentale ; ſed benedictio Papalis eſt Indulgentia : ergo aliqua Indulgentia eſt ſacramentale : ergo omnis, cùm pro omni ſit eadem ratio .

RESP. Benedictionem Papalem juxta conceptum Papalis benedictionis ſacramentale eſſe : minimè verò prout Indulgentiam importat præſentibus conceſſam . In hujuſmodi benedictionibus duo ſeparabilia interveniunt : benedictio Papæ, & conceſſio Indulgentiæ . Prout eſt benedictio, ſacramentale eſt conveniens cum benedictione Epiſcopi , & Abbatis conſecrati : ùt autem largitio Indulgentiæ nullam habet rationem ſacramentalis, nullamque propterea vim præſefert remittendi venialia . Præterquamquod cùm hæc Indulgentia ſit quorundam dierum, nequit explicari , quomodo venialia remittat .

Non tollitur veniale , niſi per aliquam mutationem voluntatis .

168 QUINTO . Macula venialis haud poteſt auferri , niſi mutatâ per aliquid intrinſecum voluntate ; ſed per Indulgentiam non mutatur intrinſecè voluntas : ergo per eam non auferatur culpa venialis . *Major* clara eſt ; ſiquidem donec moralis voluntarietas objecti , & actus venialiter peccaminoſi perſeverat , durat etiam macula venialis ; ſed hæc voluntarietas durat , quouſque voluntas eadem manat moraliter irretractata : ergo . Nunc *probatur minor* . Vel Indulgentia immutat voluntatem producendo donum aliquod habituale gratiæ , vel excitando voluntatem ad actum venialibus contrarium .

Ecclesia non poteſt inſtituere Inſtrumentum productivum ex opere operato .

Non primum ; quia in communi ſententiâ Eccleſia non habet poteſtatem inſtituendi inſtrumentum productivum gratiæ *ex opere operato* , & ideò aliqui ex Adverſariis probant Indulgentiam remittere culpam venialem ; quia ad ejus expiationem non eſt neceſſaria gratiæ infuſio . Si verò dicatur ſecundum, tunc non eſt Indulgentia , quæ maculam delet , ſed ille actus *ex opere operantis* .

169 DICES . Sicuti attritio ſe ſolâ non delet mortale , ita nec veniale ; quia attritio nec reſpicit Deum ultimum finem , nec peccatum deteſtatur ſub motivo charitatis , unde non opponitur culpæ veniali , quæ fervori charitatis adverſatur : ergo ſicuti attritio cum Sacramento delet mortale , ita cum Indulgentia delet veniale .

Indulgentia nō poteſt producere aliquod donum habituale gratiæ .

RESP. In eorum ſententia , qui docent , attritione venialia deleri , inſtantia nihil concludit . Cæterùm *negatur conſeq.* quia ſi attritio *ex opere operantis* non aufert veniale , ne Indulgentia quidem aufert ; deberet enim tunc Indulgentia *ex opere operato* , & per modum cauſæ illud tollere , adeoque producendo aliquod donum habituale gratiæ , quod non approbant adverſarii : ſicut proportionaliter accidit in Sacramento Pœnitentiæ cum attritione ; quippequæ delendo mortali, cùm non ſufficiat, conjungenda eſt cum eo , quod producat aliquod habituale, nempè gratiam ſanctificantem .

170 SEXTO . Theſaurus Eccleſiæ per Indulgentias diſpenſatus nequit efficaciùs , & immediatiùs operari in deſtructionem peccati , quàm operetur diſtributus per alia media ex præſenti Chriſti providentia ; ſed Chriſti , & Sanctorum merita in præſenti providentia operantur deſtructionem peccati dumtaxat mediatè , quatenùs homo in virtute meritorum Chriſti propriis actibus movetur ad delendum peccatum , quibus vel illud deſtruit *ex opere operantis* , ſcilicet per contritionem , vel diſponitur ad ſuſcipiendam gratiam ſacramentalem . Itaque in hoc omnes conſentiunt , ut quoad pœnam unus queat alteri offerre ſolutionem , donando ſua opera ; ſecus nequit alteri ſua propria commodare , ut eidem immediatè mereatur remiſſionem culpæ , vel ita donare ſuam diſpoſitionem , quæ ſit immediata ad ſuſceptionem gratiæ ſacramentalis . *Breviùs* . Dicitur communiter unus poſſe pro altero ſatisfacere , non tamen pro altero conteri , aut mereri . De facto ne Ipſe quidem Chriſtus hoc modo ſe habuit quoad exercitam in nobis deletionem culpæ . Cùm ergo Indulgentia per modum Sacramenti non applicet Chriſti merita , neque donum aliquod gratiæ habituale nobis ingeneret , ideo non aliter diſtribuitur Theſaurus , quàm applicando ſolutionem pro pœna ex Chriſti , Sanctorumque ſatisfactionibus .

Unus poteſt pro altero ſatisfacere, non autem conteri, & mereri.

171 SEPTIMO . Uſitata conceſſionis forma prærequirit ſtatum gratiæ , & deletionem quoad maculam peccatorum , pro quibus conceditur Indulgentia : ergo evidens ſignum eſt Indulgentiam maculas non delere . *Antec. explicatur* . Indulgentiis præſertim plenariis , de quibus poteſt eſſe ſuſpicio , an culpam deleant , apponitur contritionis , & confeſſionis conditio ſub terminis abſolutis , & generalibus ; ſed termini generales , & abſoluti non læthalia modò , ſed etiam venialia complectuntur : ergo contritio præſuppoſita debet etiam extendi ad venialia . Hinc uſus Timoratorum eſt , ut die quoquo ſolemniori , cui affixa Indulgentia fuerit ſub conditione confeſſionis , vel contritionis , conſcientiam excutiant , & expurgent leviſſimis quoque defectibus . Ratio autem a priori , cur Indulgentiæ plenariæ compos fiat nemo , quin læthalem maculam , & venialem etiam priùs abluerit , eſt manifeſta ; nam pœna peccatis debita nunquam dimittitur, niſi deleto priùs culpæ reatu . Hinc Thomiſtis videtur peccatum veniale per accidens æternaliter puniri , quando videlicet in Damnato conjungitur cum mortali , ea ducti ratione , quòd manente reatu culpæ , nequit reatus pœnæ auferri , ac proinde cùm nequeat in Inferno extingui culpæ venialis reatus , ſequitur nunquam poſſe pœnam remitti ; ſed Indulgentia eſt remiſſiva ſolius pœnæ , & non culpæ : ergo .

Confeſſio requiſita pro Indulgentiis ſe extendit etiam ad venialia .

Nemo lucratur plenariā Indulgentiā, niſi purgetur a culpa mortali , & veniali .

Remanente culpa, nequit deleri pœna .

Minor hucuſque ratione probata eſt , nunc breviter probatur auctoritate .

172 Et in primis D. Thomas *ſupplement. quæſt. 25. art. 1. in corpore* loquendo de Indulgentiis — Dicendum , quod valent, & „ quantum ad forum Eccleſiæ , & quantum „ ad judicium Dei ad remiſſionem pœnæ „ reſiduæ poſt contritionem , & abſolutionem , & confeſſionem , ſive ſit injuncta , „ ſive

„ ſive non . . . . Ad ſecundum dicendum, „ quòd iſte, qui Indulgentiam ſuſpicit, „ non abſolvitur ſimpliciter loquendo a debito pœnæ, ſed datur illi, unde debitum ſolvat . . . . Ad tertium dicendum, „ quòd effectus ſacramentalis abſolutionis „ eſt diminutio reatus, & hic effectus non „ inducitur per Indulgentias, ſed pro eo „ faciens Indulgentias ſolvit pœnam, quam „ debuit, de bonis Eccleſiæ communibus, ùt ex dictis patet. — Quam doctrinam repetit continuò in illa, & ſequent. quæſt. de Indulgentiis. Gaſpar Iuenin *tom. 2. de Sacrament. quæſt. 2. de Indulgentia cap. 2.* ubi declarans Indulgentiam non remittere culpam, ſed ſolam pœnam, habet : — „ ergo abſolutio, quam includit in ſuo „ conceptu, non eſt culpæ remiſſio, ſed pœnæ tantùm, & quidem temporalis, quæ „ poſt dimiſſam culpam alioquin ſolvi deberet. — Gregorius Valentia *tom. 4. ſupra quæſt. 25. ſupplem. D. Th. punct. 1.*, ubi inquirit, quid ſit Indulgentia, habet : — Licèt alii Doctores aliis verbis Indulgentiam Eccleſiaſticam deſcribant, tamen „ quoad rem ipſam attinet, omnes, qui „ rectè, & orthodoxè ſentiunt in hac plena „ deſcriptione conveniunt : Indulgentia Eccleſiaſtica eſt relaxatio pœnæ temporalis „ judicio Divino peccatis actualibus poſt „ remiſſam culpam debitæ per applicationem ſuprabundantium Chriſti, & Sanctorum ſatisfactionum facta extra Sacramentum ab eo, qui legitimam ad hoc „ auctoritatem habet. —

Definitio Indulgentiæ.

Laurentius Neeſſen. *tom. 2. Theolog. tract. de Indulgent. cap. 6.* ubi inquirit, quid ſint Indulgentiæ, dicit : — Materialiter illas „ conſiderando, non ſunt aliud, quàm remiſſio pœnæ temporalis reſtantis ex peccato condonato. —

P. Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 49 ſect. 4.* ait : — Ex dictis concludimus, quid „ ſit Indulgentia, quam ſic poſſumus definire : eſt quidem actus ſpiritualis juriſdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur a reatu pœnæ temporalis extra „ Sacramentum. —

Layman *tract. 7. de Indulg. cap. 1.* Indulgentia rectè definitur apud Henriquez *lib. 7. cap. 1. num. 2. Clement. 6. in extravag. Unigenitus de pœn., & remiſs.* : — Pœnæ „ temporalis Deo debitæ remiſſio extra Sacramentum per applicationem ſatisfactionis Chriſti, & Sanctorum. —

Ergo Indulgentia ſuum non ſortitur plenum effectum, remittendi videlicet totam pœnam correſpondentem mortalibus, & venialibus peccatis, niſi ſubjectum ſit mundatum ab omni reatu culpæ mortalis, & venialis : hæc conſequentia ita legitima, & neceſſaria eſt, ut, conceſſis præmiſſis, negari non poſſit : & ideò illam tenent laudati Doctores, aliique plures, ùt conſtat ex Layman *cap. 6. n. 2.* — „ Ex quo infertur primò non poſſe aliquem „ plenam omnium peccatorum Indulgentiam „ conſequi, niſi ab omni culpa veniali liber ſit, nam alioquin homo, quamvis „ juſtus, non conſequetur Indulgentiam pœnæ „ iis venialibus peccatis correſpondentem, „ quibus adhuc affectus eſt. —

P. Suarez *diſp. 50. in 3. quæſt. tom. 4. ſect. 1.* — Certum eſt, donec auferatur culpa „ venialis, non poſſe tolli reatum pœnæ „ temporalis proportionatæ ; quia intimè „ conjunctus eſt cum ipſa culpa, quæ intrinſecè habet reddere hominem dignum „ pœnâ . . . . Solùm ergo ſupereſt probandum Indulgentiam per ſe non habere vim „ ad tollendam culpam venialem habitualiter manentem : inde enim conſequenter „ conſtabit, nec pœnam tali culpæ debitam „ poſſe remittere, niſi aliundè ſupponat „ culpam ablatam. — Hactenus Suarez ſuam aſſerens doctrinam eſſe communem. —

Neeſſen. cit. *dub. 7.* — Quinimmo ultra ſtatum gratiæ requiritur, ut ipſum „ peccatum ſit remiſſum ad hoc, ut per „ Indulgentiam tollatur pœna peccato debita, & propterea nemo quantumvis in „ gratia conſtitutus obtinet remiſſionem „ pœnæ peccati venialis, cujus veniam nondum conſecutus eſt. —

Andreas Duallius *Comment. in 1. 2. Divi Thomæ tract. de Indulgentiis quæſt. unica art. 6. de effectibus Indulgentiarum* : — Deindè ſicut „ Indulgentia ſupponit peccatum mortale dimiſſum, ut effectum ſuum ſortiatur, ita etiam ſupponit culpam venialem „ dimiſſam, illudque de neceſſitate, loquendo de generali pœnarum relaxatione ; licèt enim Indulgentiæ fructum in peccato „ veniali poſſimus conſequi, ùt enim ipſum „ non impedit gratiæ infuſionem, ſic neque „ pœnæ temporalis relaxationem impediret, „ nunquam tamen conſequimur remiſſionem „ pœnæ particularis, quæ debetur huic peccato veniali, quod non eſt remiſſum, & „ cujus nullam ſaltem implicitè, & virtualiter diſplicentiam habuimus : ſupponit „ ergo Indulgentia de neceſſitate remiſſionem cujuſvis culpæ etiam venialis, ad „ hoc ut generalem ſuum effectum contineat. —

173 Si quis inſtet, ac dixerit hinc fieri, ut non ſolùm pauci, ſed nullus plenariâ Indulgentiâ potiatur ; quia nemo ſit expers a ſorde, cùm ſepties cadat Juſtus, facilè reſpondetur negando aſſumptum. Nam Doctores in materia de gratia oſtendunt, Viros ferventes poſſe per aliquod breve tempus omnia vitare peccata venialia, unde datur locus, ut plenariam Indulgentiam lucrentur. Loca verò Scripturæ non indicant, Juſtum fore nunquam ſine peccato, ſed identidem in venialia prolabi : hinc Scriptura non inquit : *Septies in die cadit Juſtus*, ſed tantùm *ſepties cadet Juſtus*, ideſt *frequenter* ; atque ideo ſcriptum eſt in *multis offendimus omnes*, non verò *in omnibus*.

Viri ferventes ad aliquod tempus poſſunt evitare peccata venialia.

Quòd ſi lubeat opinari Juſtum ſepties quotidie delinquere ; nedum tamen ſubſiſtit mens Adverſariorum ; nam Scriptura *Prov. 24. verſ. 16.* ſtatim ſubdit, *& reſurgit*. Poteſt ergo reſurgens a venialibus, lucrari Indulgentiam ; & dum tempus adeſt Indulgentiæ conſequendæ, per contritionem venialia poterit emendare. Et jam Moraliſtæ ſatis multa, ac facilia cuuneiant pharmaca, quæ quotidianis medeantur levibus culpis.

Tempore Indulgentiæ emundanda conſcientia.

Uber-

Difficultas in acquirenda plenaria Indulgentia.

Uberrima cæteroqui nobis ſuppetit eruditio ex Patribus, & Conciliis ad commonſtrandum, quàm difficile ſit etiam Juſtis plenariam Indulgentiam conſequi, niſi iidem fuerint penè aſſidui in lacrymis, & pœnitentiis. Qua ſuper re conſulendi ſunt, qui ex profeſſo agunt de Indulgentiis. Unus mihi ſufficiat ex Theologis, qui Tridentino Concilio interfuere *Joannes Heſſelius* Academiæ Lovanienſis Laureatus *part.* 2. *Catechiſmi cap.* 46. — Si plenariam Indulgentiam acciperet omnis, qui utcumque contritus eſt, „ & confeſſus, qui eſt in ſtatu gratiæ, „ malè diceret BONIFACIUS VIII. *extravag. antiquor.*: quod unuſquiſque mereretur, & efficaciùs conſequeretur Indulgentias, qui Baſilicas ipſas ampliùs, & „ devotiùs frequentaret. Quare non eſt „ penſandum, ùt quidam docent, quòd „ quicumque Indulgentiarum particeps fuerit, ſi ſtatim moreretur, abſque ulla „ pœna continuò ad cœli gaudia tranſiturus ſit: multùm oportet pro peccato pœniteat, & valdè piè, perfectèque participet Indulgentias, cui hoc contingit: „ & reverà ſi ad hoc ut plenarias Indulgentias homines acciperent, ſufficeret eos „ eſſe in ſtatu gratiæ, plurimùm evacuaretur ſtudium pœnitentiæ, & ſatisfactionis, „ nec vellent homines ullam ſubire pœnitentiam, ſi putarent ſe alioquin plenarias „ Indulgentias, & totius promeritæ pœnæ „ condonationem eſſe accepturos. —

CONTRARIA IMPUGNANTUR ARGUMENTA.

174 OBJIC. 1. Virtus Indulgentiæ tanta eſt, quanta Eccleſiæ in iis concedendis poteſtas; ſed poteſtas Eccleſiæ ſe extendit ad culpam: ergo Indulgentia culpam delet. *Probatur minor*. Poteſtas concedendi Indulgentias ex verbis Matth. 16. v. 19 deſumitur: *Tibi dabo claves regni Cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Sed hæc promiſſio, utpotè generalis, culpam comprehendit, quæ impedit aſſecutionem gloriæ: ergo.

RESP. *Nego min.* cujus probatio ſupra intentum probat, videlicet per Indulgentiam mortalem quoque culpam abſtergi; nam verba omnino generalia ſunt, & mortale peccatum maximo gloriæ impedimento eſt. In eo igitur textu ampliſſima Juriſdictionis facultas Petro, ejuſque Succeſſoribus promittitur, eaque tradita eſt, cùm Jo. 21. verſ. 17. dixit: *Paſce oves meas*: itemque deſponſa fuit Ordinis poteſtas circa peccata, quæ Jo. 20. v. 23. conceſſa eſt per illa verba: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Haud tamen inde ſequitur, ut quotieſcumque fungitur poteſtate Juriſdictionis, utatur etiam Ordinis poteſtate: quinimmo pura Juriſdictionis poteſtas ad culpam non extenditur. Cùm ergo Pontifex Indulgentias impertiatur ex mera Juriſdictionis poteſtate, fit, ut minimè includat culpam, quæ ſub poteſtate Ordinis cadit.

Indulgentia eſt actus poteſtatis Juriſdictionis, non Ordinis.

175 OBJIC. 2. Forma conceſſionis culpam comprehendit: ergo Indulgentiâ ineſt virtus deletiva culpæ. *Antec.* patet ex his Bullarum formulis: *Concedimus Indulgentiam, & remiſſionem omnium peccatorum; relaxamus tertiam partem peccatorum*, & ſimilia: quæ locutiones abſque vi trahi nequeunt ad pœnas peccati.

RESP. *Nego antec.* cujus probatio nimis probat; eæ ſiquidem formulæ afficiunt & mortalia, non modò quia indefinitè, ſed etiam quia permultæ plenariam omnium continent peccatorum gravium, leviumque remiſſionem. Quinimmo præcipua Eccleſiæ intentio eſt ſuccurrere Peccatorum læthalium onere gravatis. Ergo ſi verbum illud *peccatum* propriè ſignificat culpam, Indulgentia caſſabit etiam læthalia: quod aſſerere Catholicorum audet nemo; propalam enim faciunt aliæ formulæ culpas mortales non comprehendi, ùt cùm dicitur, *relaxamus tertiam partem, dimidiam partem peccatorum*; evidens namque eſt ex mortalibus partem non auferri, manente alia, ſed ubi unum tollitur, omnia ſimul auferri. Dum igitur habetur in Indulgentiis peccatorum remiſſio, appellatur ſupra pœnas peccatis debitas: frequens enim in Scripturis eſt nomen peccati pro pœna, ùt patet 2. Machab. 12. v. 46. *ut a peccatis ſolvantur*, & alibi ſæpè.

Eccleſia per Indulgentias intendit ſuccurrere Peccatoribus.

Peccatorũ remiſſio appellat ſupra pœnas peccatis debitas.

DICES: BONIFACIUS VIII. expreſſè ponit abſolutionem a culpa, & a pœna, ſic extravag. *Antiquorum* pro Anno Jubilæi.

RESP. Verò veriùs Fidelis plenariâ Indulgentiâ potitus ab utroque culpæ, pœnæque piaculo abſolvitur; quia a culpa mundatur per confeſſionem, quæ præmittitur per modum conditionis neceſſariò requiſitæ: a pœna verò; quia Indulgentia ad ejus ſolutionem applicat Chriſti ſatisfactiones: Indulgentia ergo completivè accepta, præſuppoſitas nempe conditiones includens, a culpa, & a pœna abſolvit, non verò ſecundùm ſe.

Indulgentia completivè ſumpta abſolvit a culpa, & a pœna.

176 OBJIC. 3. Caſſando veniali non eſt neceſſaria infuſio gratiæ: pia quæque motio ſufficit: ergo malè negatur Indulgentiæ virtus deletiva venialis culpæ, quandoquidem Indulgentia ſit pium opus, & tantidem valeat, immo etiam pluris quàm benedictio Papalis, & aſperſio Aquæ benedictæ; eſt enim diſpenſatio Theſauri Eccleſiæ, & virtualis quædam Chriſti benedictio ad animæ purgationem ordinata.

RESP. Argumentum hoc, cui valdè fidit Macedo *de Clavibus Petri Tract. de Indulg. c.* 5. undique nutat. I. Quia dubium eſt, an adimendo veniali ſit opus novâ gratiâ, quod plures affirmant. II. Anceps eſt ſententia, num pia quævis affectio veniale purget; graviſſimi enim Doctores exigunt fervorem charitatis. III. Controverſum eſt, an benedictio Epiſcopi, Aqua luſtralis, & reliqua ſacramentalia *ex opere operato* venialia abſtergant. IV. Diſpenſatio Theſauri ſecundùm ſe, & virtualis Chriſti benedictio etiam mortalia quidem expungunt, ſed in Sacramentis. Quare cenſendum eſt, Indulgentiâ nullam culpam, at ſolam extingui pœnam; eſt enim diſtributio Theſauri duntaxat qua

Theſaurus Eccleſiæ ut ſatisfactivus diſtribuitur per Indulgentias.

ſatisfactivi, & ea poteſtate Juriſdictionis, quæ ſolvit a ſola pœna. Tendit autem ad purgationem animæ, quatenus piaculum pœnæ eſt quoddam culpæ elementum, quod in anima reſidet, ipſamque arcet a gloria citiùs potienda.

177 OBJIC. 4 Si Indulgentia non ſanat leviora, irrita eſt intentio Eccleſiæ in concedendis plenariis. Etenim rariſſimi, cùm ad Indulgentias incumbunt, cujuſvis etiam venialiter criminoſæ affectionis ſunt expertes. Immo in exequendis conditionibus plerumque venialia committuntur: ergo ferè nullus hujuſmodi Indulgentias lucrifaceret.

Eccleſia ſemper vellet, quod haberetur fructus Indulgentiarum.

RESP. Optima eſt intentio Eccleſiæ: quantum eſt ex ſe, effectum ſemper intendit. Aſt identidem ejus mens in irritum cadit propter obicem ex parte ſubjecti. Nullum tamen inde abſurdum. Sanè Chriſtus ſemper aſſequi effectum vellet in omnibus, queis Sacramenta miniſtrantur. At quoties caſſa, & irrita ſunt, maximè verò Sacramentum Pœnitentiæ? Quoties exercetur fruſtrà? Immo ex hoc capite habenda eſt ratio, cur ſecundùm revelationes pauci Indulgentiarum compotes fiant, quæ præſertim ſint plenariæ; idque confirmatur ex Eccleſiæ praxi, quæ propterea Indulgentias ſæpè congerit, ut aliqua tandem ſit efficax; quia ad plenariam requiritur puritas a qualibet veniali noxa; quod rarò admodum contingit; eaque propter Eccleſia in his potiſſimùm ſemper actu exigit contritionem, & confeſſionem; & ut ad hanc ſublimem purgationem inducat, ſpe maximi lucri per plenarias Indulgentias adhortatur Fideles. Vide ſupra num. 171., & ſeqq., ubi datur inſtantia contra dicta.

Difficultas lucrandi plenariam Indulgentiam.

178 OBJIC. 5. Id debemus Eccleſiæ concedere, quod eſt è majore ipſius dignitate, & excellentia: ſed quòd Indulgentia deleat veniale, reſpectu Eccleſiæ eſt dignitatis, & excellentiæ majoris: ergo.

Eccleſiæ dignitas debet eſſe in Scripturis fundata.

RESP. Lungè majorem etiam dignitatem, & excellentiam ſaperet, ſi per Indulgentias mortalia tolleret. Eccleſiæ igitur excellentia rationabilis, quæ Scripturis, & Patribus conſonet, attribuenda eſt. Etenim ſi plus æquo extollimus Eccleſiam, Hæreticorum ſannis exponimus. Vim autem, quæ venialia obliteret, neque ex Scripturis, neque ex Patribus eruas.

179 DICES. Veniale nihil eſt aliud, quàm reatus pœnæ debitæ actui malo; ſed reatum pœnæ abradit Indulgentia: ergo.

Veniale non conſiſtit in pœna actui malo debita.

RESP. Hoc argumentum Scotiſtam auctorem ferit. Etiam mortale reatum præfefert æterni ſupplicii, & Theſaurus Eccleſiæ, utpote conflatus ex Chriſti ſatisfactionibus, ad redimendam valet æternam pœnam. Quamobrem Indulgentia, cùm ſit hujus Theſauri diſpenſatio, mortale poſſet expungere; quod ne Adverſarii quidem admittunt. Denique Indulgentia Purgatorii ſupplicia extinguit; nec tamen per *Scotum* in Purgatorio ullum veniale expiatur, ſed omnia delentur in morte. Ex eo igitur, quod Indulgentia tollat pœnam, male infertur venialem quoque noxam deleri. Falsò cæteroqui dicitur veniale omnino conſiſtere in pœna actui malo debita; nam eſſe reum pœnâ oritur a culpa, adeoque pœnæ reatus formaliter acceptus non eſt ipſa culpa; de quo alibi.

180 DICES iterum. Indulgentia canonicam pœnitentiam ſupplet Reo ſubeundam: unde URBANUS II. in Concil. Claromontano *Can.* 2. dicit: *Iter illud pro omni pœnitentia ei reputetur*; ſed canonica pœnitentia conducebat ad remiſſionem culpæ, cùm imponeretur ante abſolutionem: ergo.

Indulgentia quando ſupplet canonicã pœnitentiam.

RESP. Inſtantia nimis probat; nam canonica pœnitentia diſponebat ad remiſſionem culpæ mortalis: Indulgentia loco eſt pœnitentiæ canonicæ, quam ſubire neceſſe eſt a tempore reparationis gratiæ, & reparatæ amicitiæ Dei per contritionem. Iden Ferventibus, & de peccato contriſtatis fiebat remiſſio. Quæ autem præcederet converſionem, diſponebat ad purgationem a peccatorum maculis, eique correſpondent opera injuncta in conceſſione Indulgentiarum.

CONTROVERSIA XII.

AN INDULGENTIA SIT ABSOLUTIO PRO VIVIS.

181 INdulgentiæ quidditas, & eſſentia, ut plenè tandem, abſolutèque ad oculum reſultet, unum remanet expendendum, quidnam in ſuo conceptu primario ſignificet. Quòd, ut clarius ſit, tria adverte in Indulgentiis adeſſe *ſolutionem*, *diſtributionem*, & *remiſſionem*. Solutio eſt, quâ Deo pretium exhibetur ſatisfactivum pro Fidelibus veniam indeptis, qui apud Divinam erant Juſtitiam obſtricti. Diſtributio, quâ hoc pretium capitur ex communi gaza, iiſque applicatur, qui velint Indulgentiarum beneficio gaudere. Remiſſio demum fit, poſito, & applicato jam pretio, dum ceſſat obligatio erga Divinam Juſtitiam, quæ ſacramentalem, & canonicam, aut etiam purgatoriam ſatisfactionem exigebat. Inre tria hæc ſemper concurrunt; quia ex Apoſtolo ad Hebr. 9. v. 22. *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*: ideſt piaculum pœnæ, culpæque non abraditur, niſi facta aliqua compenſatione. Et ratio præclara eſt; quia Eccleſiæ Præſulibus, cùm deſit abſolutum pœnæ, culpæque dominium, deeſt facultas pro libito gratis omnia dimittendi. Sunt enim Æterni Judicis Adminiſtri, & ejus nomine operantur; adeoque non niſi quadam compenſatione Deo depenſa, abſolvunt. Idipſum emicat in ſacramentali abſolutione, ubi non niſi applicatis Chriſti meritis, quæ Deus acceptat, delicta abolentur. Itaque Eccleſia per Indulgentias pœnam non tollit, niſi ſolvendo pretio exhibito, quod aliundè non accipit niſi ex Theſauro, & ex bonis communibus Eccleſiæ, ac per conſequens intervenit diſtributio, quâ poſitâ, reatus pœnæ condonatur.

In Indulgẽtia reperiuntur ſolutio, diſtributio, & remiſſio.

Præſules Eccleſiæ Miniſtri ſunt Æterni Judicis.

Difficultas apud Doctores in eo conſiſtit, an hujuſmodi pœna relaxetur per abſolutio-

ſolutionem , ſeu an Indulgentia ſit quædam judiciaria abſolutio , & ſententia vinculum pœnæ dimittens , Eccleſiæ Theſaurum applicando ; ea proportione , qua ſacramentalis culpæ dimiſſio vocatur , & eſt abſolutio . Prima ſententia *Durandi* 4. Sentent. diſt. 20. quæſt. 2. , *Paludani* ibidem , *Sylveſtri* in ſumma verbo *Indulgentia* , *Adriani* VI. in 4. Sent. quæſt. de Indulgent. , *S. Antonini* 1. part. Summæ tit. 10. , tenet Indulgentiam eſſe puram ſolutionem . Secunda ſententia adducens pro ſe *D. Thomam* quæſt. 25. ſupplem. art. 1. ad 2. docet eſſe puram diſtributionem . Tertia demum *Cajetani* tract. 5 ad *Julium* cap. 6. , *Dominici a Soto* 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 2. , *Petri Soto* lect. 2. de Indulgentiis , *S. Bonaventura* 4. diſt. 20. p. 2. quæſt. 5. ſuſtinet eſſe abſolutionem , ſi de Indulgentia , quæ pro Vivis conceditur , fiat ſermo .

Indulgentia eſt actus juriſdictionis , ut ſolventis.

182 His poſitis DICO : *Indulgentia pro Vivis eſt judiciaria abſolutio Eccleſiæ Theſaurum applicans* . Prob. concl. PRIMO . Actus Juriſdictionis quà ſolventis Reum , eſt judiciariâ abſolutio ; ſed Indulgentia eſt actus proprius Juriſdictionis qua ſolventis Reum : ergo Indulgentia eſt judiciaria abſolutio . *Major* facilè probatur ; quia licet Juriſdictio plures habeat actus ; tamen ut ſolvens Reum , judiciariam abſolutionem exercet , ſicut Juriſdictionis actus ut ligantis eſt juridicum vinculum , quo ſubditus ligatur . *Minor* quoad primam partem negari nequit ; nam largitio Indulgentiæ ad aliquam poteſtatem ſpectat : non ad poteſtatem Ordinis ; quia hæc per ſe ad Sacramenta ordinatur , & Pontifex , Cardinalis , Epiſcopi electi , & confirmati , ſed nondum Sacerdotio inſigniti ſecundùm communem ſententiam Indulgentias facere poſſunt : ergo pertinet ad poteſtatem Juriſdictionis ; nulla enim alia poteſtas datur in Eccleſia . Præterea poteſtas concedendi privilegium eſt poteſtas Juriſdictionis ; ſed Indulgentia magnum privilegium eſt , cùm per eam graviſſima Purgatorii pœna in leve opus commutetur : ergo eſt actus Juriſdictionis . Quoad alteram partem oſtenditur . Poteſtas concedendi Indulgentias pertinet ad Juriſdictionem Clavium , ùt habetur in cap. *Cum ex eo* de pœnit. , & remiſs. , ideo Catholici omnes eam probant contra Hæreticos ex illo Matth. 16. v. 19. *Tibi dabo claves Regni cælorum* . . . ſed non eſt poteſtas Clavium ùt ligantium : ergo ùt ſolventium . *Explicatur* . Ad eandem partem juriſdictionis ſpectat remiſſio pœnæ per Indulgentias , ad quam ſpectat liberatio ab excommunicatione : unde ex illo Chriſti *quæcumque ligaveritis ſuper terram* &c. pronunciato immediatè poſt doctrinam datam de excommunicatione *dic Eccleſiæ* &c. , deducunt Catholici facultatem in Eccleſia faciendi Indulgentias ; ſed actus Juriſdictionis liberans ab excommunicatione eſt ſententiaria abſolutio : ergo etiam debiti pœnæ remiſſio per Indulgentiam .

183 SECUNDO . Actus , qui nequit exerceri niſi in ſubditos poteſtate judiciaria , debet eſſe vel condemnatio , vel abſolutio ; ſed largitio Indulgentiæ eſt actus , qui exercetur in ſolos ſubditos judiciaria poteſtate , & non eſt condemnatio : ergo eſt abſolutio . *Minor* habetur definita ab ALEXANDRO III. in Epiſtola ad Epiſcopum Cantuarienſem , ùt refertur in cap. *Quod autem conſuluiſti* de pœnit. , & remiſs. , ubi docet neminem poſſe Indulgentias concedere , niſi ſubditis , quia ſolummodo proprius Judex ſolvere poteſt , & ligare ; debitum verò ſolvere quis poteſt etiam non ſubdito ex bonis illi communibus , qualia ſunt incluſa in Theſauro Eccleſiæ , de quo participare licet cuicumque Fideli .

Indulgentiæ non poſſunt concedi niſi ſubditis .

184 TERTIO . Indulgentiæ ratio , & natura non ſunt per recentiores Pontifices mutatæ , ſed eædem ſemper perſeverant ; unde BONIFACIUS VIII. extravag. *Unigenitus* , aliique Succeſſores declaraverunt ſe Indulgentias facere ſecundùm modum uſitatum a Prædeceſſoribus . Hinc qui recedunt a doctrina noſtra , hodiernas Indulgentias ajunt eſſe diverſæ rationis ; ſed antiquitùs natura Indulgentiarum erat per modum abſolutionis : ergo etiam nunc . *Minor* conſtat tum ex Bullarum tenore , in quibus dicunt Pontifices ſe abſolutionem concedere , quam formulam uſurpat MARTINUS V. in Concil. Conſtantienſi , GREGORIUS VII. in pluribus Epiſtolis , aliique : tum ex antiquo uſu , quo Pœnitentes ab injunctis abſolvebantur canonicis pœnitentiis : tum ex facto *Pauli* , qui quem inceſtuoſum priùs judicialiter pœnitentiæ ſubjecerat , judicialiter abſolvit .

Antiquitùs Indulgentiæ erãt per modum abſolutionis .

185 QUARTO . Semper uſus in Eccleſia viguit Defunctis concedendi Indulgentias ſolùm per modum ſuffragii , quâ formulâ uſi nunquam Pontifices fuere pro Vivis ; non alia de cauſa , niſi quia Defuncti non poſſunt judicialiter abſolvi ; cùm in Defunctos directa non habeatur Juriſdictio : ergo ſignum eſt , quòd Indulgentia pro Vivis quædam abſolutio eſt .

Pro Defunctis Indulgẽtiæ conceduntur per modũ ſuffragii .

186 QUINTO . Applicatio pura Theſauri Eccleſiæ a Pontifice facta Fidelibus non aliter differt ab ea , quàm unus de ſuis ſatisfactionibus alteri facit , niſi propter majorem , vel minorem univerſalitatem , & propter bona aliena , vel propria ; ſed unus Fidelis ſuas ſatisfactiones alteri applicans , non facit illi Indulgentiam propriè dictam : ergo neque Pontifex per puram Theſauri applicationem : ergo ſignum eſt Indulgentiam eſſe applicationem juridicè abſolutivam .

Fidelis alteri non facit Indulgentiam applicando ſuas ſatisfactiones .

CONTRARIA ARGUMENTA .

187 OBJIC. 1. In Clementina *Unigenitus* explicatur Indulgentia per diſpenſationem Theſauri , & applicationem : ergo non eſt juridica abſolutio . Et reverà aliter dici nequit ; nam Theſaurus conſtat ſatisfactionibus Sanctorum , ſicut habetur in eadem Clementina ; ſed nequit ex Sanctorum ſatisfactionibus oriri poteſtas juriſdictionis , & judiciariæ abſolutionis : ergo habere nequit Indulgentia rationem abſolutionis . Nec dixeris abſolutionem eſſe ex parte , qua Theſaurus conſtat Chriſti ſatisfactionibus ; nam Theſaurus , & Indulgentiæ hujuſmodi voluntariam partitionem

 non

non admittunt; unicus enim eſt Theſaurus ex utraque ſatisfactione coaleſcens, unicâque actione Indulgentia conceditur.

Indulgentia eſt abſolutio, & diſtributio.

RESP. Pontifex in laudata Clementina id affirmat, quod ultrò nos concedimus, in collatione ſcilicet Indulgentiæ fieri diſtributionem Theſauri; ſed non aſſerit eſſe puram diſtributionem; immo Indulgentiam Anni Jubilæi concedit ſecundùm conſuetam, & antiquam formam Eccleſiæ, quæ abſque dubio fuit per modum abſolutionis. Nec aliquid convincit ratio *Soti* diſt. 21. quæſt. 1. art. 2. Nam aliud eſt, quòd ſatisfactiones Sanctorum concurrant ad conſtituendum Theſaurum: aliud eſt, quòd poteſtas applicandi oriatur ab iiſdem ſatisfactionibus. Concurrunt Sanctorum ſatisfactiones ad conſtituendum Theſaurum, ſed non fundant poteſtatem, quam habet Eccleſia ad illum diſtribuendum: hanc enim Chriſtus conceſſit.

188 OBJIC. 2. Quælibet judiciaria abſolutio prærequirit cognitionem cauſæ; ſed frequenter Pontifices concedunt Indulgentias non cognitâ causâ eorum, quibus conceditur, ùt cùm in communi concedunt Indulgentiam facienti hoc, vel illud: ergo non eſt abſolutio.

Omnis abſolutio prærequirit cauſæ cognitionem.

RESP. Omnem abſolutionem prærequirere cognitionem cauſæ ſibi proportionatam. Abſolutio particularis, & ab homine prærequirit cognitionem particularem ſecundùm allegata, & probata juxta qualitatem fori exterioris, aut interioris. Abſolutio generalis generalem cognitionem; hanc verò ſemper habet Pontifex, ſive loquamur de finali, propter quam concedit Indulgentiam, ſive de materia circa quam, videlicet peccata; novit ſiquidem frequenter Fideles culpis irretiri, & graves ſcit a Canonibus ſtatui pœnas, graviores ſupereſſe in Purgatorio; ſive de conditionali requiſita ex parte ſuſcipientis, cùm eam ipſe determinet, quam, ſi Fidelis adimpleat, ùt par eſt, lucratur Indulgentiam, ſecus non percipit fructum: unde etiam quando Pontifices concedunt aliquam Indulgentiam in communi, habet ſufficientem cognitionem pro tali conceſſione.

189 OBJIC. 3. Indulgentia pœnas Purgatorii redimit; ſed in Purgatorio Pontifex non habet judiciariam poteſtatem: ergo Indulgentiam faciens, non abſolvit, ſed Theſaurum præcisè diſtribuit.

RESP. Æqualem poteſtatem habere Pontificem in Purgatorium, quàm in Infernum: undè quemadmodum virtute Clavium media abſolutione ſacramentali dimittit pœnam æternam dimittendo culpam; ita abſolvendo a pœnitentiis injunctis ab homine, aut a jure, abſolvit a pœna Purgatorii correſpondente.

Pontifex indirectam habet juriſdictionem in Purgatorio.

Primum importat nullum inconveniens: ergo neque ſecundum: igitur indirectam Pontifex habet juriſdictionem in Purgatorio, quatenus abſolvit a reatu debiti præſentis, quod Vivi habent coram Deo, quo hic non ſoluto, ſolvendum erit in Purgatorio.

190 OBJIC. 4. Ideò Indulgentia eſt abſolutio, quia eſt actus juriſdictionis, ſicuti abſolutio ab excommunicatione, ùt dictum eſt n. 182. Sed ab excommunicatione abſolvitur etiam Nolens, Invito tamen nihil prodeſt Indulgentia: ergo non eſt abſolutio.

Quando Invitus abſolvi poſſit.

RESP. *Nego conſeq.* Licèt aliquando Invitus juridicè abſolvi poſſit a pœna, cùm ſcilicèt nulla conditio voluntaria ex parte ipſius prærequiritur; tamen nullus abſolvitur Invitus, quando aliqua conditio liberè ab ipſo apponenda eſt. In noſtro caſu neceſſariò requiruntur conditiones liberè adimplendæ ab illo, qui lucrari vult Indulgentias, ùt Eccleſiæ viſitatio, contritio, confeſſio, eleemoſyna, & alia hujuſmodi, ac per conſequens Nolenti nil prodeſt privilegium abſolutionis in ſuo conceptu conditionatum.

191 OBJIC. 5. Abſolutio juridica non ſubſiſtit in non ſubditum; ſed Indulgentia ſubſiſtit in non ſubditum: ergo non eſt abſolutio. *Minor declaratur* in cap. *noſtro* de pœnitent., & remiſs. Archiepiſcopus concedit toti Provinciæ Indulgentiam, & Archiepiſcopo ſoli Diœceſani ſubduntur, non autem omnes Provinciales: ergo.

Provinciales in pluribus ſubduntur Archiepiſcopo.

RESP. *nego min. ad probat.* DICO: Provinciales abſolutè quidem, & in omnibus Archiepiſcopo non ſubſunt; tamen in pluribus caſibus a jure ſtatutis ſubduntur, inter quos comprehenditur privilegium Indulgentiæ, maximè quia favorabile. Vide infra n. 235.

192 OBJIC. 6. Noſtra reſolutio repugnat Doctrinæ *S. Thomæ*, & rationi: ergo non ſubſiſtit. *Antecedens* elucet ex eo, quòd ſemper *Angelicus* loquendo de Indulgentiis, utitur verbo diſpenſationis, applicationis, ſolutionis, & quæſt. 27. ſupplem. art. 4. ad 3. hæc expreſsè habet: *Indulgentia autem non per modum ſententiæ, ſed per modum diſpenſationis cujuſdam* &c. Rationi autem adverſatur; quia ſemel poſita diſtributione Theſauri, ſequitur integra compenſatio debiti abſque alio actu Juriſdictionis: ergo.

RESP. *nego antecedens* quoad utramque partem, & quidem *Angelicus* perpetuus eſt in eo, quòd Indulgentia ſit actus formalis Juriſdictionis non ligans: ergo abſolvens. Sæpè verò utitur verbo diſpenſationis; quippequod verè per abſolutionem hanc diſtribuuntur bona communia. Haudquaquam enim Indulgentia eſt dumtaxat licentia, qua conceditur Fidelibus exemptio ab injunctis, ùt Hæretici autumant, contra quos Doctor idem ſcribit ibidem q. 25. art. 1., ſed compenſatio miſericors bonis communibus facta;

Indulgentia eſt compenſatio miſericors bonis communibus facta.

unde quando dixit *non eſt per modum ſententiæ*, loquitur de ſententia ab homine purâ, & particulari compenſationem non involvente, etenim directè largitionem Indulgentiæ comparat anathematum abſolutioni, cui nulla includitur compenſatio ex parte abſolventis facta, & quæ particulari fertur judicio: unde benè dixit ad 2. *Iſte qui Indulgentias ſuſcipit, non abſolvitur ſimpliciter loquendo a debito pœnæ, ſed datur illi, unde debitum ſolvat*, ideſt de communibus Eccleſiæ bonis.

Non officit autem ratio in argumento addu-

adducta , quæ potiùs noſtræ addit doctrinæ robur . Dum Pontifex Iudulgentiam impertitor , tollit obligationem pœnæ . Si verò Indulgentia eſſet pura diſtributio , Pontifea handquaquam pœnæ debitnm auſerret , ſed ille , cui offertur pretinm Theſauri ; quemadmodnm ſi quis pro Amico offerar Judicei ſolutionem , & Judea acceptet , & condonet debltnm , Ipſe dicitur gratiam facere, ac Reum dimittere , non verù qui pretium obtullt . Cùm ergo Pontifex verè pœnam dimittat , concedatque peccatorum remiſſionem , non ſe habet ùt purus diſtributor , ſed ùt delegatus Judex nomine Dei abſolvens .

Pontifex nomine Dei abſolvit .

193 OBJIC. 7. Indulgentia eſt privileginm omnibus commune adinſtar Theſauri , qnem diſtribnit ; ſed ſi eſſet abſolatio non eſſet privilegium omnibus commune : ergo . *Minor declaratur* . Pontifex non eſſet particeps ullius Indulgentiæ ab ipſo toti Orbi conceſſæ , nec Epiſcopus ſuo Populo collatæ ; nullus enim ſe ipſum abſolvit , cùm abſolutoria ſententia diſtinctionem jurinm , & Perſonarum reqoirat , immo èt ſnperioritatem .

RESPONDENT hulc argumento diverſimodè Auctores : quidem apud *Sylveſtrum* negat Pontificem conſortem eſſe Indulgentiæ a ſe Populo conceſſæ , ſed earum dumtaxat , quas Prædeceſſores conceſſere . *S. Thomas* loco proaimè citato affirmat omnes lucrari , ne ſit Pontifea pejoris conditionis in commnnione bonorum , quàm cæteri : ſi enim non eſt capax obtinendi Indulgentiam a ſe latam , neque erit capax Induigentiæ Prædeceſſorum ; nam ſicut nullus eſt ſibi ſupetior , nec in ſe ipſum habet juriſdictionem , ita neqoe par in parem ; unus verò Pontifex alteri par eſt , cui accedit nſus , ſiquidem & ſuas , & Prædeceſſorum luctantur Iudnlgentias .

Par in parem nō habet imperium .

Ricardus 4. *Sent. diſt.* 20. *art.* 4 , & poſt ipſum Cajetanus *tract.* 15. *de Indulgentia cap.* 5. , aliique ſuſtinent Pontificem ſe ipſum abſolvere ; quatenus ſicut Confeſſario concedit poteſtatem , nt eum ſacramentaliter abſolvat , ita eidem concedit , ut per Indulgentiam a pœna liberet , & judicet .

Hæc reſponſio communior non placet *Navarro* de Jubilæo notab. 20. ; quia non habens poteſtatem circa aliquid , nequit alteri dare ; ſed Pontifea non habet poteſtatem ſe ipſum ligandi , & ſolvendi : ergo alteri eam concedere non poteſt : ad illud de Confeſſione ait non a Pontifice tribui Confeſſario facultatem , ſed a Divino jure , vel ab Eccleſia , quæ ſecundùm *Pariſienſes* ſupra Pontificem eſt . Sed quoniam hæc ſolutio plura continet alibi examinanda , ſufficiat iſthic advertere , eodem modo dici poſſe poteſtatem circa Indulgentias eſſe juris divini, vel Eccleſiæ , & per conſequens juxta dicta ab hoc Auctore , quid ſnperiùs ad Pontificem , ratione cujus poteſt Indulgentiam obtinere .

Qui nō habet aliquam poteſtatem non poteſt alter illam dare .

Navarrus igitur Impugnatâ ſuperiori ſententiâ loco cit. cum aliis ſentit Pontificem percipere Indulgentias non ùt abſolutiones , ſed ùt ſolutiones ſunt : quæ opinio aliis diſplicet ; qnia actus diſtribuendi Eccleſiæ Theſaurum , etiam præciſâ abſolutione eſt actus juriſdictionis ; aliter quilibet Fidelis poſſet illum diſtribuere ; ſed nullns habet juriſdictionem in ſe ipſum : ergo Pontifex non poteſt lucrarl Indulgentias , etiam ùt ſolntiones . Ulteriùs nna eſt voluntas, nna formula conceſſionis , una vis Indulgentiæ ſive reſpectu Populi , ſive reſpectu Concedentis : ergo ſecundùm quod valet nni , valere debet èt alterl .

Quilibet actus diſtributivus Indulgentiæ eſt actus juriſdictionis .

Addunt aliqui , Indnlgentiam Pontificl jam non valere infallibiliter , ſolnmmodo prodeſſe , prout ſuffragia unins Fidelis oblata alteri proſuut . Omnes iſti modi ſunt probabiles ; mihi tamen alius modns ſatis communis arridet deſumptus a *D. Thoma* laudato loco , diſtinguens in Pontiſice duplicem perſonam Judicis , & Vicarii Chriſti , Miniſtri Eccleſiæ , & privati Fidelis . Concedens ergo Communitati Indulgentiam fit ipſe particeps ùt pars Communitatis , hanc abſolvens ùt Chriſti Vicarius , ſe ipſum etiam ùt membrum illius liberat , & redimit . In moralibus enim non requiritur major diſtinctio perſonarum , quàm moralis ; præſertim nbi ſtatnta ſunt generalia , & non coercitiva , ſed directiva , & ordinata ad bonum commune : unde Pontifex iiſdem legibus tenetur , quas condidit ; & poteſt ſe ipſum , ſicot alios diſpenſare , ùt etiam videre eſt in Votis .

Explicatur quomodo Pontifex acquirat Indulgentias .

194 DICES *primò* . Non ideo Pontifex tenetur leglbus , quia ſibi obligationem Imponat , ſed quia jus natorale præcipit , quòd caput membris conformetur ; ergo exemplum non probat .

RESP. Eodem modo jus Divinom naturale exigit bona communia deberi ſingulis , & prodeſſe indigentibus ea Communitate : ac proinde Chriſtum Pontifici conceſſiſſe facultatem ſibi , & aliis Indulgentias concedendi , ut ſic caput corpori conformetur .

Bona communia debent ſingulis prodeſſe .

195 DICES *ſecundò* . Si diſtinctio moralis perſonarum ſufficit ln moralibus, fieri poſſet nt Confeſſarius , vel ſaltem Pontifex ſe ipſum qneat abſolvere ; hoc non eſt dicendum : ergo .

RESP. *negando ſequelam* . Tum quia abſolntio ſacramentalis eſt particnlaris , judicium particulare requirens , & ligariva Pœnitentis mediâ ſatisfactione : ſecùs accidit in Indulgenila . Tum quia Pontifex non inſtituit ſubſtantiam Sacramenti Pœnitentiæ , licèt ad ipſum pertineat deputare Miniſtros ; nnde cùm ſubſtaotia Sacramenti ea Chriſti inſtitutione ſit ad alternm , illam nullus mutare poteſt ; Indulgentiam verù etiam ſecundùm ſubſtantiam facit Pontifex ex auctoritate ſibi a Chriſto conceſſa , & alinnde non eſt de eſſentiali conceptu Indulgentiæ , quòd ſit ad alterum : unde non eſt eadem ratio .

Abſolutio ſacramentalis eſſentialiter eſt ad alterū .

CON-

CONTROVERSIA XIII.

AN, UT INDULGENTIA SUBSISTAT, REQUIRATUR PIA, ET JUSTA CAUSA.

196 C*Auſa* in præſenti intelligitur finis movens, & impellens Pontificem ad concedendam Indulgentiam; *pia, & juſta*, hoc eſt ad honorem Dei, vel Eccleſiæ utilitatem conducens; ut ſubſiſtat, ideſt, ut valeat. Namque apud omnes in confeſſo eſt Indulgentiam concedere abſque rationabili cauſa illicitum fore; quia imprudenter diſtribuerentur bona communia Eccleſiæ, quod a fortiori conſtabit ex reſolutione præcipuæ quæſtionis. Paludanus 4. *Sent. diſt.* 12. *art.* 1. *quæſt.* 4. ſuſtinet Indulgentiam abſque cauſa rationabili conceſſam valere: communior tamen ſententia oppoſitus tenet.

Illicitum eſt concedere Indulgentias abſque motivo rationabili.

197 DICO. *Ad valorem Indulgentiæ neceſſaria eſt legitima cauſa.* PROB. 1. auctoritate Pontificum. MARTINUS V. in Concil. Conſtant. ſtatuit ſuſpectos de Fide inter alia interrogandos, *an credant Pontificem juſtis de cauſis poſſe Indulgentias facere*. CLEMENS VI. in extravag. *Unigenitus* ait: *& propriis, & rationabilibus cauſis nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis*. LEO X. in Decretali ad *Cajetanum* habet: *Poſſe pro rationabilibus cauſis eiſdem Chriſtifidelibus Indulgentias* &c. INNOCENT. III. in Concil. Lateranenſi, ùt refertur de pœnit., & remiſs. cap. *Cum ex eo*, dicit, *per ſuperfluas, & indiſcretas Indulgentias enervari ſatisfactiones ſacramentales*; & quare enervantur, niſi quia hujuſmodi Indulgentiæ ſunt infructuoſæ. Dicuntur autem indiſcretæ, & ſuperfluæ, quia juſtis de cauſis non conceſſæ.

198 PROB. 2. Diſpenſatio bonorum facta a Miniſtro contra voluntatem Domini non ſubſiſtit; ſed faciens Indulgentiam ùt Miniſter Chriſti diſpenſat ejus bona: ergo ſi fiat contra ejuſdem voluntatem, non valet; ſed quoties abeſt juſta cauſa Indulgentiæ, diſpenſatur Chriſti Theſaurus contra ipſius voluntatem: ergo. *Major* eſt certa; actio enim Miniſtri contra Domini intentionem non eſt Miniſtri qua talis, ac proindè non ùt unum facit cum Domino, ſeu ùt agens nomine illius. *Minor* autem evidens eſt 1. Corinth. 4. v. 1. *Sic nos exiſtimet homo ùt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*: & 1. Petri 4. v. 10. *Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*. Conſequentia eſt legitima; unde remanet probandum ſubſumptum ſic. Intentio Chriſti, & Sanctorum eſt, ut ſatisfactiones cadant in majus incrementum gloriæ Dei, & Eccleſiæ utilitatem; ſed Indulgentia conceſſa abſque juſta cauſa non cedit in majus incrementum gloriæ Dei, & Eccleſiæ utilitatem: ergo eſt contra intentionem Chriſti, & Sanctorum.

Diſpenſatio bonorum contra voluntatē Domini non ſubſiſtit.

Explicatur I. Poteſtas Miniſtrorum Eccleſiæ eſt in ædificationem, non in deſtructionem: 2. Corinth. 10. v. 8. *Nam, & ſi amplius aliquid gloriatus fuero*, dicebat Paulus, *de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram*. Atqui prodiga, & imprudens diſpenſatio bonorum communium abſque juſta cauſa non eſt in ædificationem: ergo in deſtructionem. II. Poteſtas Miniſtrorum Eccleſiæ eſt prudens: Matth. 24. v. 45. *Quis, putas, eſt fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuus ſuper Familiam ſuam*: & 1. Cor. 4. v. 2. *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur*. Sed diſpenſatio abſque juſta cauſa non eſt fidelis, & prudens: ergo non eſt ſecundùm poteſtatem a Domino conceſſam: ergo eſt diſpenſatio nullius valoris.

Poteſtas Miniſtrorū Eccleſiæ eſt in ædificationem non in deſtructionem.

199 PROB. 3. Diſpenſatio facta in lege Superioris ab inferiori abſque rationabili cauſa, in omnium ſententia non ſubſiſtit: unde diſpenſatio Pontificis in voto, juramento, & matrimonio rato, abſque juſta cauſa eſt nulla; ſed conceſſio Indulgentiæ eſt quædam diſpenſatio in lege Superioris; quia per eam Fidelis redimitur a pœna pœnitentiali, & Purgatorii debita apud Divinam Juſtitiam: ergo abſque juſta cauſa eſt irrita, & nulla.

Diſpenſatio inferioris abſque juſta cauſa eſt nulla.

200 PROB. 4. Juxta præſentem providentiam Deus ùt juſtus Judex non remittit abſolutè abſque rationabili cauſa totam pœnam, ſed paulatim; unde dimittendo culpam, aliquam pœnam dimittit, ſed non omnem, ſcilicet majorem, minoremve magis, minuſve diſpoſito: omnem in Sacramento Baptiſmi, non omnem in Sacramento Pœnitentiæ: attendit, ut omnia complectar verbo, ad aliquam cauſam, ſic exigente juſtitia legali, quæ reſpicit bonum commune: ergo multò minùs Pontifex abſque juſta cauſa poteſt abſolutè per Indulgentiam liberare a pœna, cùm ſit Chriſti Judicis Vicarius, & Judex inferior.

OPPOSITA SOLVUNTUR ARGUMENTA.

201 OBJIC. 1. Ad diſpenſandum temporale ſubſidium, v. g. eleemoſynam, ſufficit indigentia pauperis: ergo ad diſpenſandum ſpiritualem Indulgentiæ eleemoſynam ſufficit indigentia Fidelium, quæ ſemper datur. *Explicatur*. Ut unus Fidelis ſuas alteri ſatisfactiones diſpenſet, ſufficit alterius indigentia abſque alia extrinſeca ratione: ergo, ut Pontifex diſpenſet bona communia, ſufficit communis Fidelium neceſſitas, nempe Deo ſint debitores. *Secundò*. Ratio ſufficiens diſpenſandi Theſaurum in Sacramento Pœnitentiæ eſt liberatio a miſeria peccati: ergo ratio diſpenſandi Theſaurum in Indulgentia eſt liberatio a pœnæ miſeria; quæ ratio nunquam deeſt.

RESP. *ant.* Falſum eſſe univerſaliter in Œconomo, cui ad mentem, & diſpoſitionem Domini eſt omnino operandum. Immo falſum eſt in Domino, quando in operando debet attendere ad juſtitiam legalem, tunc non ſufficit ratio indigentiæ, ſed aliud extrinſecum requiritur, ſic exigente bono com-

communi; & maximè quando Indigus ſibi poteſt ſubvenire, præſertim verò, ſi dum liberaliter ſuccurritur, detur anſa fovendæ incuriæ. Pontifex ergo Indulgentiam faciens non eſt Dominus Theſauri, ſed Œconomus, & non omnimodè, ſed ex juſtitia legali adſtrictus. Præterea abſolutio nimiùm liberalis fovet negligentiam; proindeque, omnibus perpenſis, irrationabilem Indulgentiam dicimus eſſe omni utilitate vacuam.

Pontifex in Indulgentiis debet attendere ad juſtitiam legalem.

Ad explicationem negatur paritas; quia Fidelis quiſque ſuarum eſt ſatisfactionum Dominus, ſecus Pontifex. Deinde Fidelis attendit ſolis legibus charitatis: Pontifex verò tenetur ad juſtitiam legalem, quæ circa publicum bonum verſatur, nec præcisè circa peculiare hujus, vel alterius bonum. Ad ſecundam negatur etiam paritas: nam ſententia ſacramentalis abſolutionis fertur ſecundùm ſtatuta Chriſti, exercendo juſtitiam particularem in bonum Pœnitentis, attenta ejuſdem propria diſpoſitione: Indulgentia verò fertur a Pontifice ùt Judice univerſali, unde in ea debet attendi juſtitia legalis, quæ per ſe non verſatur circa ſingulare bonum hujus, vel alterius; atque ideò præter intrinſecam ſubdito Indigentiam, commune etiam bonum reſpiciat, neceſſe eſt.

Fidelis eſt Dominus ſuarum operationum.

202 OBJIC. 2. Ideò Indulgentia abſque rationabili cauſa non ſubſiſtit; quia eſt actio Œconomi præter Domini voluntatem operantis; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo. *Probatur minor*. Plura Œconomi faciunt contra Domini voluntatem, quæ facta tenent, quamvis illicitè fiant, ùt ſi Œconomo Dominus præcipiat vinum emere, aut frumentum, ipſe abſque dubio intendit, ut opportuno tempore emat, & pretio mediocri: attamen ſi opus Domini negligens, illud emat rigoroſo pretio, contractus valet: & in ſimili ſi præcipiat centum ſcuta inter pauperes diſtribuenda, certè voluntas Domini eſt, ut magis indigentibus plus detur: attamen ſi amicis minùs indigis plus det, actio ſubſiſtit: ergo a pari: licèt prudens diſtributio Theſauri Eccleſiæ exigat cauſam juſtam, tamen etiamſi abſque ea fiat, erit valida.

RESP. *nego min.* ad cujus probationem adverto, obligationem in Œconomo ſe conformandi voluntati Domini aliquando eſſe circa ſubſtantiam actus, aliquando circa modum illius: quando eſt circa ſubſtantiam actus, ejus carentia actum reddit illicitum, & irritum. In caſibus argumenti, conformitas cum voluntate Domini eſt conditio de modo actus, non autem de ſubſtantia; quia ejus carentia non eſt contra principalem finem. Dominus enim principaliter intendit juſto pretio emere, & eleemoſynam pauperibus facere, quòd verò intrà juſtum pretium ſit magis, vel minùs rigoroſum, quòd pauper magis, vel minùs indigeat, accidentale eſt: ſi verò injuſto pretio emeret, & divitibus eleemoſynam largiretur, contra ſubſtantiam ageret, & actio non valeret. In noſtro autem caſu juſta cauſa eſt de ſubſtantia actus; quia eſt omnino neceſſaria ad finem principalem, propter quem conceditur poteſtas Eccleſiæ, ſcilicet in ædificationem: eſſet autem in deſtructionem, cùm enervaretur Eccleſiaſtica diſciplina, ùt probatum eſt ex cap. *Cum ex eo* de pœnit., & remiſs.; & ratio a priori eſt, quòd hæc poteſtas datur ad immutandum jus a Superiore ſtatutum; quia datur, ut Peccatur eximatur a pœna perſonali, quam debet ex Divina Juſtitia ſolvere; quando poteſtas eſt hujuſmodi, conditio cauſæ juſtæ eſt de ſubſtantia actus; irrationabilis namque voluntas Inferioris irritare nequit, aut immutare æquum, & rationabile placitum Superioris.

Quæ ſit obligatio Œconomi.

Juſta cauſa eſt de ſubſtantia actus in Indulgentiis.

203 OBJIC. 3. Defectus Gubernatoris contra juſtitiam legalem, niſi violet commutativam, non invalidat actionem; ſed largitio Indulgentiæ abſque cauſa eſt ſolùm contra legalem juſtitiam: ergo non irritatur juſtâ deficiente cauſâ. *Major* probatur exemplis. Diſpenſatio in jejunio, Officio, auditione Sacri, Voti Sacerdotalis, injuſta abſolutio ab excommunicatione, ſicut & injuſta excommunicatio valent, etiamſi rationabilis deſit cauſa, & adverſentur rectæ gubernationi: ergo.

RESP. *diſting. maj.* Defectus Gubernatoris non invalidat actionem in his, quæ ſunt ſui juris abſoluti, & in quibus Gubernator ſe habet ùt ſupremus Dominus, *tranſeat major*: in his, quæ non ſunt abſoluti juris ſui, ſed in quibus ſe habet ùt Vicarius alterius, *nego majorem*. Jam diximus in caſu noſtro Pontificem ſe gerere tanquam Vicarium, & alterius diſpenſatorem, unde illatio non tenet. Ad allata exempla non deſunt, qui hujuſmodi diſpenſationes opinentur eſſe nullas; juxta quos noſtra roboratur aſſertio; verùm admittendo illas ſubſiſtere, ideo valere dicerem, utpote quæ verſantur omnino circa leges humanas, quæ ſunt abſoluti Eccleſiæ juris. Deindè poſteriora duo exempla nobis ſavent; quia excommunicatio injuſta defectu cauſæ irrita eſt: abſolutio pariter injuſta ab Inferiore lata item evanida; ſicut etiam futilis habetur diſpenſatio Inferioris in aliis caſibus. Rurſus Indulgentia ſine juſta cauſa importat defectum juſtitiæ commutativæ. Etenim Indulgentia, prout eſt Theſauri diſtributio, habetur tanquam ſpiritualis eleemoſyna alienorum bonorum in caſu non permiſſo; prout autem eſt abſolutio, includit defectum juſti Judicii contra ſatisfactionem Deo debitam.

Quando diſpenſatio ſine cauſa valeat.

Indulgentia ſine cauſa importat defectum juſtitiæ commutativæ.

204 OBJIC. 4. Non minùs collatio beneficii indigno eſt contra jus Divinum, quàm largitio Indulgentiæ abſque rationabili cauſa; ſed collatio beneficii indigno eſt valida, quamvis illicita: ergo item Indulgentiæ conceſſio.

RESP. *nego min.* Collatio beneficii indigno jure divino naturali nulla eſt, ſive beneficium conſideretur ùt bonorum operum præmium; in quo caſu hæc collatio eſt contra juſtitiam commutativam, cùm meritum Digni fraudetur: ſive ùt ſtipendium Miniſtrorum Eccleſiæ, qua ratione collatio Indigno graviſſimum Reipublicæ damnum infert: inde enim haud majus detrimentum, quàm ex indignis Miniſtris capit Reſpublica. Quare argumentum nihil probat.

Collatio beneficii indigno nulla eſt.

205 DI-

205 DICES . Beneficii collatio indigno, minus dignum eſt contra jus Divinum , & ab infideli diſpenſatore profecta ; tamen abſque dubio valida eſt , ſi modò electus verè ſit dignus : ergo ſtat vis argumenti .

RESPONDET Cardinalis *de Lugo* quoſdam alios ſecutus , validam eſſe talem collationem ; propter graviſſima , quæ ſequerentur incommoda, ſi pro vero Miniſtro haberetur , qui reverà non eſſet . E contra grave damnum emanaret , enervatio videlicet Eccleſiaſticæ diſciplinæ , ſi Indulgentia temerè conceſſa ſubſiſteret . Quare collatio beneficii valida eſt : diſpenſatio Indulgentiæ invalida .

Reſponſio hæc videtur probabilis , ſi aliqua adhibeatur exceptio ; nam ſi ratio univerſaliter valeret , nulla daretur electio ipſo facto irrita ob defectum , v. g. omnimodæ ſcientiæ , ob labem ſimoniæ &c. quod tamen apertè Canonum ſanctionibus adverſatur . Quod autem hoc ſequeretur , patet ; ſatiùs enim eſt habere veram Paſtorem , quàm nullam , ne magno cum Reipublicæ detrimento acta ab ipſo Miniſtro nulla ſint . Cæterùm graviſſima ea , quæ in reſponſione innuuntur incommoda , nequaquam contingerent ; quandoquidem apud Doctores acta exercita a non habente juriſdictionem , ſi illam communiter exiſtimetur habere , valida ſunt , ſupplente Eccleſia defectum .

Diſpenſatio contra mentē Superioris nulla eſt.

RESP. igitur actum dupliciter intelligi contra Jus Divinum , ſeu contra legem Superioris, violando legem , & diſpenſando in lege . Violatio legis non tollit vim legis , ſed facit contra ipſam ; ac proinde valida eſt actus ſubſtantia , quamvis illicita : diſpenſatio autem legis vim ejuſdem infringit reſpectu illius , cui fit diſpenſatio : unde cùm fit ab Inferiori contra præceptum Superioris , actus eſt nullus ; lex enim ab intrinſeco petit conſervari in ſuo vigore , niſi aliter viſum Legislatori fuerit . Res clareſcat exemplo . Voto ſimplici caſtitatis obſtrictus , ſi nubat , facit contrà Jus Divinum ; tamen factum tenet ; ſi verò diſpenſetur abſque rationabili cauſa , diſpenſatio eſt irrita ; quia in primo caſu adeſt ſola violatio juris , in ſecundo diſpenſatio . Nunc ad rem : collatio beneficii minùs Digno , ſeu non Digno eſt contra Jus Divinum prohibens ; eaquepropter valida eſt , ſed illicita : collatio Indulgentiæ abſque cauſa eſt diſpenſatio in Jure Divino ; quia relaxat obligationem ſatisfaciendi Deo per perſonalem ſolutionem , quare nulla eſt .

206 DICES . In caſu noſtro nulla datur juris diſpenſatio ; quia Jus Divinum exigit , ut peccator Deo ſatisfaciat , vel per ſe , vel per alium , unde nulla intervenit diſpenſatio .

In Indulgentia aliqua adeſt diſpenſatio.

RESP. *nego ant.* Juſtitia vindicativa directè , & ex ſe perſonale exigit peccati ſupplicium , & hoc neceſſe eſt ab abſterrendum a malo , ne detur anſa impunè peccandi ; qui enim fuit in delitiis , eſſe debet in tormentis ; itaque dum ex vinculo charitatis pœnitentia alterius acceptatur , aliqua intercedit diſpenſatio .

207 OBJIC. 5. Ex communi Doctorum favores conceſſi intuitu Indulgentiæ non habentis juſtam cauſam ſubſiſtunt , ſavor , v. g. eligendi Confeſſarium , abſolvendi a reſervatis , diſpenſandi in votis datus occaſione Indulgentiæ habet ſuum effectum , etiamſi Indulgentiæ deſit juſta cauſa : ergo ipſa etiam Indulgentia valebit . *Prob. conſequentia* . Propter quod unumquodque tale , & illud magis ; ſed hæc privilegia conceduntur propter Indulgentiam , & ut Fideles melius ad eam ſe diſponant : ergo ſi illa ſubſiſtunt , multò magis Indulgentia debet ſubſiſtere .

Quando favores ſubſiſtunt.

RESP. admiſſo antecedente ſecundùm aliquos Recentiores , *nego conſeq.* ; & ratio diſparitatis eſt , quòd illa privilegia utpote juris humani cadunt ſub libera Pontificis poteſtate , & utcumque ſine juſta cauſa conferantur , ſuum ſortiuntur effectum ; ſi cum debitis exerceantur conditionibus , ùt ſi Confeſſarius abſolvat a reſervatis Pœnitentem diſpoſitum , diſpenſet in voto ex rationabili cauſa . Diſpenſatio verò Indulgentiæ non eſt liberi juris , ſed aſt Pontificis miniſterialiter operantis , & diſpenſantis in jure alterius ; unde non ſortitur effectum deficiente rationabili motivo . Nec valet , quòd illa privilegia concedantur in ordine ad Indulgentiam ; quia utrumque abſolutè conceditur , & utriuſque effectus intenditur a Pontifice, licèt unum cum ordine ad aliud ; immo magis primum videtur intendere , quàm ſecundum , cùm in eo ſiat majus beneficium Fideli ; tendit enim privilegiorum favor ad ſanandam animam quoad culpam ; Indulgentia verò quoad pœnam . Vide Controv. ſeq.

CONTROVERSIA XIV.

AN CAUSA NECESSARIA AD VALOREM DEBEAT ESSE ÆQUALIS .

Æqualitas cauſæ debet eſſe proportionis , non quantitatis .

208 ÆQualitas cauſæ ad effectum Indulgentiæ non eſt neceſſe, quòd ſit quantitatis , ſed ſufficit proportionis ; quod tunc habetur , quando , penſatis omnibus , prudenter major Dei honor , & ſpiritualis utilitas Eccleſiæ accreſcit ex conceſſione Indulgentiæ , quam , eâ non conceſſâ , per rigoroſam peccatorum punitionem adveniret . Porro hæc proportio attenditur penes medium ad finem , penes videlicet qualitatem operis injuncti ad finem , pro quo Indulgentia conceditur , non autem ad ipſam rem in ſe , ſeu ad ipſum opus in ſe : unde conſiderari non debet præcisè , quòd opus ſit leve , vel grave ſecundùm ſe , magis , minuſve laborioſum , ſed quòd aptum ſit , & utile ad finis conſecutionem . Quare fieri poteſt , ut idem opus , v. g. ùt quatuor ſit aptum in una circumſtantia ad finem pro Indulgentia majori , & in alia unum ſit , & opus ſecundùm ſe ſatis leve ſufficiat pro Indulgentia plenaria , pro qua non ſufficiat opus aliàs graviùs . Explico rem exemplis . Quando conceditur Indulgentia pro Templo aliquo conſtruendo ſub onere eleemoſynæ , unus dena-

denarius oblatus a Paupere erit ſufficiens ad Indulgentiam lucrandam , a Divite oblatus nequaquam ; quia dicit S. Thomas *queſt.* 25. *ſuppl. art.* 2. *ad* 3. denarius ùt a Divite oblatus non habet proportionem cum fine , nec Dives tam modicum offerens dicitur conſerre ſubſidium . Aſſiſtentia ante fores Baſilicæ Sancti Petri , dum Pontifex benedicit Populo, ſecundùm ſe levis res eſt , ad proteſtationem tamen fidei de Chriſti Capite, & venerationem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ eſt medium valdè opportunum . Hæc autem proteſtatio eſt illius Indulgentiæ finis . Ad cujus majorem intelligentiam adverto , aliter judicandum eſſe de Indulgentiæ cauſa , quando uni conceditur , ac quando datur in communi : primo modo oportet , ut opus injunctum, prout ab illo particulari eliciendum , ſit fini proportionatum , pro quo datur Indulgentia ; quando verò datur ſecundo modo , ſcilicet in communi , non eſt neceſſe , quod ſit proportionatum , prout a ſingulis , ſed prout ab omnibus ; & hoc maximè contingit , quando finis Indulgentiæ eſt res aliqua determinata , ùt Bellum contra Saracenus , conſtructio alicujus Loci pii, & ſimilium .

Aſſiſtites ante fores D. Petri , dum Papa Populo benedicit, acquirunt plenariam Indulgentiã .

His pro terminorum intelligentia poſitis , inquiritur , an ad valorem Indulgentiæ ſufficiat quælibet pia cauſa , & juſta , an neceſſe ſit , quòd ſit proportionata . Prima ſententia *Durandi, Paludani* 4. Sent. diſt. 20. q. 4. , *Sylveſtri* in ſumma , *D. Antonini* tit. 10. part. pr. eſt affirmativa : ſecunda *Cajetani* tract. 25. de cauſa Indulg. , *D. Bonaventuræ, Ricardi* 4. ſent. diſt. 20. , & communiter eſt negativa , cum qua .

209 DICO . *Ad valorem Indulgentiæ requiritur proportionata cauſa* . PROB. 1. Secundùm Pontificum declarationem poteſtas faciendi Indulgentias piis , & rationabilibus cauſis innititur , ùt patet extravag. *Unigenitus* CLEMENTIS VI. , & ex Decretali LEONIS X. ad *Cajetanum* ; atqui cauſa rationabilis eſt cauſa proportionata ; ſiquidem , ſi rationabilis eſt , conſonat rectæ rationi ; recta ratio improportionem refugit : ergo cauſa debet eſſe proportionata .

Cauſa rationabilis eſt cauſa proportionata .

SECUNDO . Ita ſe habet parva cauſa ad magnam Indulgentiam , ſicut nulla ad parvam ; ſed parva Indulgentia ex nulla cauſa non ſubſiſtit ; ergo neque magna ex parva cauſa . Ille enim exceſſus magnæ Indulgentiæ in ordine ad parvam cauſam facit , quòd hæc conſideratur , tanquam ſi non eſſet .

Parva cauſa reſpectu magna Indulgẽtiæ pro nulla cenſetur .

TERTIO . Æqualiter conſideratur poteſtas faciendi Indulgentias , & poteſtas diſpenſandi in Votis , & Juramentis ; utrobique includitur poteſtas in jus Superioris infirmandum ; ſed diſpenſatio in Votis , & Juramentis pro ſui valore requirit cauſam non ſolùm piam , ſed etiam proportionatam, ſicut docent Doctores , & habetur apud *Gloſam* cap. *Non eſt* de Voto, & cap. *Quanto* de Jurejurando : ergo etiam Indulgentia ad ſui valorem non ſolùm piam , ſed etiam proportionatam prærequirit cauſam .

Ita ſe habet poteſtas circa Indulgentias, ac circa vota.

QUARTO . Illa cauſa requiritur ad valorem Indulgentiæ , quæ neceſſaria eſt, ut actio illa ſit fidelis Diſpenſatoris , & non prodiga , in ædificationem , non in deſtructionem ; ſed ad hunc effectum cauſa debet eſſe proportionata : undè non ſolùm dicitur prodigus , & diſſipator , qui bona Domini profundit abſque cauſa , ſed etiam qui pro minimo maxima , & pretioſa diſperdit : ergo abſque proportionata cauſa non ſubſiſtit Indulgentiæ valor .

Indulgentia debet eſſe a fideli Diſpẽſatore .

QUINTO . Ita ſe habet honeſtas cauſæ ad Indulgentiæ conceſſionem , ſicut diſpoſitio Pœnitentis ad ſacramentalem abſolutionem : utrobique enim poteſtas eſt miniſterialis , & conditionata ; nec eſt efficacior poteſtas faciendi Indulgentias ; atqui ſacramentalis abſolutio non operatur , niſi detur proportionata diſpoſitio ſubjecti : ergo neque Indulgentia .

Honeſtas cauſæ comparatur ad diſpoſitionem pœnitentis .

CONTRARIORUM OBJECTIONES SOLVUNTUR.

210 OBJIC. 1. Si ad valorem Indulgentiæ requiritur cauſa proportionata , non poteſt pro eadem modò major , modò minor Indulgentia concedi ; ſed conceditur : unde pro eadem cauſa aliquando unius anni , aliquando quadraginta dierum Indulgentiam dat Pontifex : ergo non requiritur æqualitas cauſæ , ſed ſufficit quæcumque , dummodo pia ſit .

RESP. *nego min.* Licèt enim ſit eadem cauſa materialiter , & in eſſe rei , formaliter tamen , & in eſſe medii utilis , & conducentis ad finem intentum non eſt eadem , ſed ex diverſitate circumſtantiarum variatur in eſſe magis , minuſve ad finem accommodatæ ; ſicut parva eleemoſyna tempore charitatis pluris æſtimatur , quàm alio tempore . Eadem oratio , idemque jejunium imminente Dei flagello utilius, & opportunius eſt ad illum placandum , quàm in aliis circumſtantiis : ita in caſu Indulgentiæ idem opus ſecundùm diverſitatem circumſtantiarum magis conducit ad finem intentum , & per conſequens diſcriminatur formaliter , licèt idem ſit in eſſe rei .

Eadem res diverſificatur ſecundum tempus , & finem .

DIXI Orationem , & jejunium utiliora eſſe imminente flagello Dei , quatenus hìc , & nunc magis condùcunt ad avertendam iram Dei ; quia hoc demonſtrat praxis Eccleſiæ, quæ, dum calamitates impendent, nova ſuperaddit ordinariis , & quotidianis pietati operibus ad Deum placandum inſtituta .

Neque propterea opus illud ſufficienti caret libertate , ut fiat ab hilari Donatore , & cum merito , ùt quidam objicit . Nam Chriſtus præcipiens , ipſumque præceptum jejunium commendans innuit ungendum eſſe caput , ideſt hilariter eſſe adimplendum, & animo alacri . Stat igitur cum neceſſitate præcepti plena libertas pro hilari donatione . Sana Theologorum doctrina eſt Votum , quod cæteroquì eſt de meliori bono, factum de rebus aliundè præceptis eſſe honeſtum obligans , & reddens opus magis meritorium ; attamen voluntas nequit opus illud omittere libertate morali , hoc eſt licitè : neceſſitas ergo præcisè extrinſeca non minuit operis bonitatem , nec meritum , quando in

Votum ſicut, & præceptũ reddit opus magis meritorium .

exercitio liberam relinquit phyſicam executionem . Loquimur hìc de Jejunante affectu abſoluto , non de Jejnnante ex affectu conditionato, ſi non eſſet Infernus , ſi Deus non puniret, non jejunarem : maximè quia in voluntariis jejuniis, quamvis appareat major libertas, adeſt tamen aliud periculum potens impedire majorem bonitatem operis , proprietas ſcilicet voluntatis . Eapropter apud Viros probè moratos in uſu eſt nihil agere , nullamque pœnalitatem ſuſcipere , niſi de conſenſu Directoris , aut Superioris . In voluntariis inſuper deeſt bonitas de linea obedientiæ , quæ accreſcit ex præcepto Eccleſiæ , vel Superiorum . Quæ de jejunio dicuntur , de aliis bonis operibus intelligenda ſunt .

211 DICES contra reſponſionem argumento datam . *D. Thom.* ſupplem. q.25. art.2. in corp. ait : *Rebus eodem modo ſe habentibus quandoque datur unus annus viſitantibus Eccleſiam unam , quandoque 40. dies* : ergo pro eadem cauſa tam in eſſe rei , quàm formaliter datur diverſa Indulgentia .

RESP. *S. Thomas* non impugnat nos , ſed quoſdam opinantes quantitatem Indulgentiæ ita eſſe commenſurandam ex quantitate cauſæ , ut cauſa ſit ratio remiſſionis . Hoc argumento probat cauſam effectivam remiſſionis eſſe Theſaurum , non devotionem , aut fidem , aut cauſam , pro qua datur Indulgentia , quod veriſſimum eſt . Quomodo autem verificetur in ſenſu *D. Thomæ* eandem eſſe cauſam , cùm tamen Indulgentia modò major , modò minor impenditur , ideo eſt , non quia cauſa non ſit proportionata , ſed quia in ratione cauſæ proportionatæ habet latitudinem , ſicuti in commutationibus , aut conditionibus eadem res , puta vinum , admittit latitudinem intra limites juſti pretii , ideoque pluris venditur, vel minoris . Sic Pontifex , ſtante latitudine cauſæ proportionatæ , modò majorem , modò minorem Indulgentiam impertitur .

Cauſa effectiva remiſſionis eſt Eccleſiæ Theſaurus .

Cauſa ſæpè habet latitudinem .

212 OBJIC. 2. Sæpe leviſſimum opus pro maxima Indulgentia imponitur ; ſed opus leviſſimum nullam habet proportionem cum maxima Indulgentia : ergo . *Major* conſtat exemplis , ùt cùm Viſitantibus unam Eccleſiam , paucis precibus injunctis , conceditur plenaria : aſſiſtenti populo ad benedictionem Papalem plenariam , & alia hujuſmodi Pontifex elargitur . Quamobrem aut dicas Populum decipi , aut Indulgentias abſque proportionata cauſa ſubſiſtere .

RESP. *nego min.* loquendo de leviſſima cauſa tam formaliter , quàm materialiter . Jam diximus : eadem cauſa , quæ levis ſecundùm ſe videtur, in ordine ad finem gravis eſt ; tametſi Pontifices ſemper ad cauſæ proportionem attendant, quare, ùt refert *S. Thomas* laudato loco ad 4. Viſitantibus Apoſtolorum Limina , tranſeundo Mare conceduntur quinque anni Indulgentiæ , tranſeundo Montes tres anni , non tranſeundo Montes , nec Mare unus annus : adſtantibus ſimiliter in Laterano , dum publicè, ſtatutis diebus, capita Sanctorum Petri, & Pauli oſtenduntur , Romæ degentibus conceditur Indulgentia 300. , ex circumvicinis Provinciis 600. , ex remotis Regionibus plurimorum dierum . Circa aſſiſtentiam Populi Benedictioni diximus num. 208. Non ergo decipitur Populus , qui in caſu conceſſæ Indulgentiæ debet ſupponere cauſam, non examinare . Quòd ſi reverà aliquando cauſa deficit , accidentale eſt ; non ſecus ac in adminiſtrandis Sacramentis , aliquando ſubſtantialis defectus accidit : nec obſtat , quòd Indulgentiæ tantum valeant , quantum ſonant . Hoc intellige ; ſi adſint requiſita , nempe auctoritas in Concedente , ſtatus gratiæ in Suſcipiente , & alia hujuſmodi , queis adnumeratur ſufficientia cauſæ .

Pontifices ſemper ad cauſæ proportionem attendunt .

213 OBJIC. 3. Efficacia Indulgentiæ innititur Theſauro Eccleſiæ non virtuti injuncti operis ; atqui Eccleſiæ Theſaurus tranſcendit omnem Indulgentiæ condonationem : ergo ſtante quacumque cauſa ſubſiſtit valor Indulgentiæ .

RESP. Theſaurus eſt cauſa formalis , & operativa , ſeu effectiva Indulgentiæ ; quia ex eo deſumitur pretium , quo pœnæ debitum redimitur , & intrinſecè tollit illud , ſed præter hanc cauſam requiruntur aliæ , ùt extrinſeca efficiens , ſeu auctoritas in Diſpenſante , diſpoſitiva ex parte ſubjecti, ùt ſtatus gratiæ , & finalis , & motiva , ad quam conſtituendam ingreditur opus injunctum , tanquam medium in ordine ad finem conſequendum .

Ad Indulgentiam requiruntur etiam cauſæ extrinſecæ .

214 OBJIC. 4. Tunc datur proportionata cauſa , quando major eſt honor Dei, poſità Indulgentià , quàm eà non poſità , licèt haberetur remiſſio pœnæ per rigoroſam ſatisfactionem mediis pœnitentiis ; atqui major Dei honos ſemper habetur , poſità quacumque cauſà : ergo quæcumque cauſa ſufficit . *Minor probatur* . Minimus honor Dei pluris æſtimandus eſt , quàm redemptio a qualibet temporali pœna , ac proinde ſanctiores Viri pro minima Dei gloria contemnunt pœnam ſibi , vel aliis debitam redimere ; ſed poſità quacumque cauſà minimus ſaltem honor Dei habetur : ergo .

RESP. *nego min.* cujus probatio paralogiſat a ſenſu abſoluto ad comparativum . Verò veriùs honor Dei minimus ſecundùm ſe eſt majus bonum quocumque bono Creaturæ, & cujuſcunque temporalis pœnæ remiſſione . Falsò tamen bonum in hac dicitur majus , quàm in alia circumſtantia per hoc , vel illud improportionatum medium . Itaque cùm debitæ pœnæ extinctio pœnitentiis peracta cedat etiam in Dei honorem , & aliquando majorem , quàm per hoc , aut illud pium opus ; ideo non ſemper, admiſsà quavis causà , major ſequitur Dei honos per Indulgentiam , quàm per non ipſam , etſi aliàs ex ſevera ſatisfactione haberetur pœnarum remiſſio .

Honor Dei ſecundùm ſe eſt maximum bonum .

215 OBJIC. 5. Si ad valorem Indulgentiæ cauſa exigitur proportionata , Indulgentia nullum habet effectum ; hoc non eſt dicendum : ergo . *Major declaratur* . Si cauſa eſt proportionata , ejus adimpletio totam exinguit pœnæ quantitatem ſibi congruam , adeoque nullum Indulgentiæ effectum relinquit .

RESP. *nego maj.* cujus probatio æquivocatio-

Digitized by Google

Explicatur quid importet cauſa proportionata.

cationem includit. Nam quando dicitur: cauſa debet eſſe proportionata, ly *proportionata* non appellat ſupra quantitatem effectus; ita ut tantùm debeat valere, & tantum de pœna auferre, quantum auferret pœnitentia injuncta. Tunc enim certè non intercederet Indulgentia, ſed mutatio unius operis in aliud. Proportio igitur cauſæ, quæ exigitur, reſpicit qualitatem Indulgentiæ, & eſt ſenſus, quòd pro majori Indulgentia detur major cauſa, minor pro minori, & quòd operis injuncti aliqua ſit proportio ad finem moventem. Utcunque igitur opus injunctum aliquam pœnæ partem extinguat, multum nihilominus etiam relinquit per Indulgentiam expiandum, ùt v. g. finis Indulgentiæ erit recuperatio Terræ Sanctæ, opus injunctum eleemoſyna: ad hunc finem largitio unius Regalis in pauperem erit medium proportionatum, non tamen extingueret tantundem pœnæ, quantam redimeret Indulgentia unius anni, vel plenaria.

216 DICES. Contra allatam doctrinam ſentit *S. Thomas* in ſuppl. q. 25. art. 2. in corp., & ad 1. Ubi hæc habet: *Undè in arbitrio dantis Indulgentiam eſt taxare quantum per Indulgentiam de pœna dimittatur: ſi tamen inordinatè remittat, ita quòd homines quaſi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens tales Indulgentias, nihilominus quis plenam Indulgentiam conſequitur.* ergo.

Vindicatur doctrina D. Thomæ.

RESP. Si mens *D. Thomæ* perpendi rectè velit, neutiquam S. Doctor proportionatam negat cauſam ad Indulgentias; nam quæſt. 71. ſuppl. art. 10. quærit: an Indulgentiis juventur Defuncti: ſibi opponit, quòd poſſet Pontifex liberare pro libito animas a pœnis, cùm ſecundùm Indulgentis arbitrium valeant Indulgentiæ, & reſpondet: *Hoc tamen ſequitur, quod Prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas in Purgatorio liberare; quia ad hoc, ut Indulgentiæ valeant, requiritur cauſa conveniens Indulgentias faciendi, ùt ſupra dictum eſt.* Cauſa verò conveniens non eſt quæcumque cauſa, ſed proportionata, & cùm referat ſe ad dicta quæſt. 25. ſignum eſt, quòd ibi non intendit quamcumque cauſam eſſe ſufficientem, ſed rationabilem.

DICES: quæſt. 25. art. citato dicit: *Unde quæcumque cauſa adſit, quæ in utilitatem Eccleſiæ, & honorem Dei vergat, ſufficiens eſt:* ergo.

Cauſa legitima eſt cauſa proportionata.

RESP. *Angelicus* appellat ſuprà cauſam proportionatam; unde eſt ſenſus *quæcumque cauſa proportionata adſit* &c., ideo in ſolutione ad quintum addit, *ſi cauſa legitima adſit*: legitima verò non eſt quæcumque cauſa, niſi ſit proportionata, & hoc patet ex ratione, quam præmittit, inquiens cauſam cedere in honorem Dei, in utilitatem Eccleſiæ oportere; quia non aliter ii intenderunt, qui meritoria ſunt operati, nec eorum intentio fuit relaxandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quod ſequitur ex oppoſita ſententia. Intenditur ergo cauſæ proportio ad Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem, non autem ad relaxationem.

DICES: *S. Doctor* clarè ſententiam refellit aſſerentem valere Indulgentias relatè ad cauſam.

RESP. optimè refellit ad ſenſum Adverſariorum, quos impugnat loquentium de cauſa æquivalenti ad effectum, hoc eſt, de cauſa effectiva remiſſionis, quam ipſe ponit in ſolo Theſauro. Impugnat ergo aſſerentes opus injunctum eſſe oportere æquivalens pœnæ per Indulgentiam dimittendæ; quia tunc Indulgentia nil operaretur applicando Theſaurum; minimè verò impugnat proportionem cauſæ motivæ, & finalis extrinſecæ. Clariſſima elucet mens *D. Thomæ*, ſi modò attentè legatur.

QUÆDAM CORROLARIA EX DICTIS INFERUNTUR.

Indulgentia generalis exigit cauſam generalem.

217 INFERTUR I. Indulgentia generalis toti Eccleſiæ, ſive immediatè omnibus tale quicquam operantibus, ſive mediatè aliquo loco, v. g. orantibus in Templo D. Petri, cauſam requirit communem; cauſæ enim proportio ſit, oportet eum effectu, qui, cùm ſit communis, talem etiam exigit cauſam, ſcilicet publicam Eccleſiæ, vel cujuſquam principalis Provinciæ utilitatem. Etenim ſalus magnæ partis maximo totius corporis bono vertitur ob unitatem membrorum, præſertim in moralibus, ubi ex corruptione partis in corpore myſtico facilè totum corpus detrimentum patitur. Nec deſunt exempla, ùt Indulgentiæ conceſſæ in Conciliis, pro recuperanda Terra Sancta. Sin autem Indulgentia ſit univerſalis ſolùm reſpectivè ad aliquam Provinciam, vel locum, ſufficit cauſam eſſe reſpectivè univerſalem; ſic enim ſervatur proportio; & quando Indulgentia conceditur mediante loco, ſatis eſt, quòd cauſa locum afficiat, vel Sanctum aliquem, qui ibi colitur, ùt patet in Templo Sancti Petri.

Pro Indulgentia particulari particularis cauſa ſufficit.

218 INFERTUR II. Pro perſonali Indulgentia ſufficit cauſa peculiaris; tum quia ſervatur inter Indulgentiam, & cauſam proportio; tum quia Apoſtulus fecit Indulgentiam Inceſtuoſo, ne a Dæmone perturbaretur, aut nimiâ præmeretur triſtitiâ; tum a paritate diſpenſationis in Voto, quod ſi publicum eſt, publicam cauſam exigit, ſi perſonale, perſonalem. Cauſa verò perſonalis poterit eſſe vel aliqua ſpiritualis neceſſitas perſonæ, ut v. g. inducatur ad meliorem frugem, ut, ſi animo dejectus ſit, erigatur ad ſpem ſalutis, ut Indulgentiæ lucro inducatur ad fugiendum proximum peccandi periculum, & ſimilia: vel meritum perſonæ in bonum Eccleſiæ, vel in præmium laboris exerciti, ut propter hoc excitentur alii ad virtutes exercendas, & ad laborandum in vinea Domini. Hujuſmodi Indulgentiæ ſolent Patribus donari ad Concilia, vel Religioſis ad ſua Comitia euntibus. Porrò meritum, dignitas, & alicujus particularis neceſſitas tanta eſſe poteſt, ut pro Indulgentia ſufficiat univerſali, quia perſona hæc ſit valdè Eccleſiæ proficua, ùt Regum, vel aliorum ſalus Miniſtro-

Quæ cauſa particularis ſufficiat pro particulari Indulgentia:

niſtro-

niſtrorum. Licèt autem, quæ mox enumeravi, ea ſe non ſufficiant, multùm tamen conducunt ad complendam cauſam aliundè non proportionatam.

219 Adverſatur Doctrinæ huic Sotus 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 2. *art.* 2. ſemper exigens ad valorem Indulgentiæ publicam cauſam; quia Theſaurus, cùm bonum commune ſit, non videtur diſpenſandus, niſi pro communi bono, cujuſmodi fuit mos veterum Conciliorum.

Bonum commune poteſt particularibus concedi.

RESP. Theſaurus eſt quidem commune bonum; ſed diſpenſandus ad plurium, vel etiam ſingulorum Fidelium, ſive etiam unius utilitatem, proùt videbitur expedire. Cauſa non debet eſſe proportionata Theſauro ùt ſic, ſed applicationi hìc, & nunc faciendæ, quæ ſi univerſaliter fiat, univerſalis debet eſſe cauſa, ſi particulariter, particularis: nec contrarius eſt Veterum uſus. Plurimas etenim Indulgentias ex ſingulari motivo conceſsere Pontifices, ùt quas cum limatura catenarum miſerunt Regibus Gregorius, Leo, & alii, ùt alibi vidimus.

Spes alicujus boni publici eſt ſufficiens cauſa pro Indulgentia.

220 INFERTUR III. non eſſe neceſſarium ad legitimandam cauſam, quòd de præſenti aliqua neceſſitas, vel grave malum immineat, ùt contendit idem *Soto*: ſufficit enim reformatio Fidelium, quòd ſcilicet ſpe Indulgentiæ promoveantur Catholici ad rectam, & diligentem conſcientiæ expurgationem, ad frequentem Sacramentorum uſum, ad deferendas inimicitias, pravas conſuetudines, periculoſas occaſiones, & ad ſimilia chriſtianæ pietatis exercitia: & ad hunc finem plerique Pontifices plenarias Indulgentias, & Jubilæa concedunt.

Sæpè poteſt concedi Indulgentia abſque additione alicujus operis.

221 INFERTUR IV. Ad complementum cauſæ haud eſt neceſſaria adjunctio alicujus operis a Fidelibus exequendi. Ratio eſt; quia poteſt aliundè cauſa omnino eſſe adæquata abſque adjutorio operis injuncti; ſicuti dum ex præcedentibus meritis in bonum publicum conceditur propter magni cujuſquam Viri dignitatem, & ſimilia: hujuſmodi exempla Indulgentiarum plurima ſunt in promptu ex GREGORIO VII. lib. 1. Epiſt. 34., lib. 2. Epiſt. 61. Quinimmo hujus generis aliquæ exiſtentibus in mortis articulo donantur, ne nimio timore Moribundi percellantur.

Poteſt Indulgentia concedi, vel ut grave damnum avertatur, vel ut aliquod bonum obtineatur.

222 INFERTUR V. Concedi poteſt Indulgentia ad obtinendum magnum aliquod bonum Fidelibus, vel malum ab iiſdem amovendum, ùt ſunt v. g. Eccleſiarum, & Hoſpitalium erectiones, bella contra Eccleſiæ inimicos, ad peſtem, ſamemque propulſandam: de his plura habemus exempla; impenditur enim Indulgentia ſub conditione manus adjutricis, hoc eſt, ut eleemoſyna porrigatur. Hæ rationes planè ſunt honeſtæ, exiguntque, ut fiant orationes, quibus, ut ferventiores ſint, additur ſpes Indulgentiarum, præſertim quòd hæc intendunt reapſe bonum animæ, tametſi corporalia immediatè afficiant, ut nullam propterea quiſquam injicere poſſit ſimoniæ labem, cùm ſpiritualia ad corporeum immediatè ordinentur, ſed ad ſpirituale tandem, ùt in finem ultimum reducenda.

Poteſt in concessionibus cauſa reticeri.

223 INFERTUR VI. non opus eſſe, ut ad Indulgentiæ valorem cauſa explicetur, ſi ea modò adſit, & a Concedente clanculum cognoſcatur: ſicut in ſacramentali abſolutione non eſt neceſſe, quòd ſubintellectæ diſpoſitionis exprimatur conditio; quare non ſunt Indulgentiæ piæ fraudes, ùt dicebat *Altiſſiodorenſis*, quando abſolutè a Pontificibus promittuntur; ſemper enim ſubintelligitur cauſa; malè arguas cauſam deficere, quæ non exprimitur; illud enim axioma: *Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant*, eſt conditionatum, ſupponens legitimam auctoritatem in Concedente, & juſtam cauſam, rectamque in Suſcipiente diſpoſitionem, queis præſuppoſitis omnimodam continet infallibilitatem; quamvis exercitè in irritum cadat ex defectu alicujus conditionis in actu requiſitæ, ſicut in ſacramentali abſolutione ſecundùm ſe infallibili, ſæpè tamen irritatur effectus; quia in actu exercito deeſt requiſita conditio.

Explicatur id, quod dicitur: Indulgentiæ tantû valent, quâtum ſonant.

Semper in Indulgentiis præſumenda eſt cauſa.

224 INFERTUR VII. Temnendæ non ſunt Indulgentiæ, etſi irrationabiles appareant; ſemper enim præſumendum eſt pro rectitudine Concedentis ob prudentiam, & ſanctitatem, quæ in Prælatis præſumitur; tum propter peculiaria auxilia, quibus adjuvantur Pontifices, etiam in rebus facti.

Incertum eſt, an cauſa præſumpta ſufficiat ad Indulgentiam.

Num verò ſi prudenter judicet Pontifex ſufficientem cauſam, quæ reverà non ſit, Indulgentia ſubſiſtat; res admodum eſt incerta. Videtur ſufficiens utpote prudens Theſauri diſpenſatio. Obſtat tamen par ratio in ſacramentali abſolutione; nam ſi Confeſſarius pœnitentiam injunctam prudenter putet ſufficientem, quæ non ſit, tota non deletur pœna: immo univerſaliter in his, quæ habent effectum *ex opere operato*, niſi punctum in re attingatur, nihil efficitur, ùt omnino conſtat inductione Sacramentorum. Porrò ſicut ad effectum requiritur in Suſcipiente vera, & non putata diſpoſitio: ita ad valorem in Concedente rationabilis cauſa, adeoque non ſufficit exiſtimata prudentialiter. Præterea utvis Pontifex Indulgentias immediatè impertitur, tamen miniſterialiter impertiendi poteſtas cum conditione juſtæ cauſæ eſt Juris Divini, & a Chriſto profecta: quemadmodum Juris eſt Divini diſpoſitio, quæ in ſuſcipiente Sacramenta requiritur: ergo non apparet major ratio, cur non ſufficiat putata diſpoſitio, quàm non realis cauſa. Itaque reor inanem fore Indulgentiam abſque vera cauſa; ùtut excuſandus ſit a peccato, ſi quis temerè ex ignorantia indulgeat.

CON-

CONTROVERSIA XV.

AN SUMMO DUMTAXAT PONTIFICI POTESTAS FACIENDI INDULGENTIAS DIVINO JURE COMPETAT.

UT hæc gravis Controverſia faciliùs, & clariùs expliceiur, præmittenda ſunt aliqua minùs difficilia, & præcipuè qoibus poteſtas concedendi Indulgentias jure humano conveniat.

§. I

Facultas in Epiſcopo cōcedendi limitatos Indulgentias.

225 NOTO *primò*: Epiſcopis jure humano data eſt poteſtas concedendl ſobditis Indulgcorias unios anni die Dedicarioois Eccleſiæ, & quadraginta dierum in Anniverſario Dedicationis, qoadraginta ſimiliter dierum de injunctis pro alia qualibet juſta cauſa, ùt habetur cap. *Cum ex eo* de pœnit., & remiſs., cap. *Noſtro*, cap. *Quod autem* eodem titulo; & cap. *Indulgentiæ* in 6.. Quæ poteſtas, licèt a primo Capite deſcendat, dicitur ordinaria; qoia ex vi Eccleſiaſticæ Ordinationis conſequitur ad munus, & dignitatem Paſtoralem, ſicut alia munera Juriſdictionis neceſſaria ad prudens, & legitimum Eccleſiæ regimen. Sanè ordinario jure hæc poteſtas convenit Epiſcopo; nam ùt docet S. Thomas *ſuppl. quæſt. 26. art. 3.*, Epiſcopus ex vi ſui gradus eſt quaſi Rex in Regno, & Judex veniens cum Pontifice in partem ſolicitudinis Eccleſiæ. Limitatio autem ſopradicta prudentiſſima eſt, & opportuna ad hoc, ne indiſcretè prodigantor Indulgentiæ, ſicut innuitur in laudato cap. *Cum ex eo*.

Limitatio eſt pro foro Dei.

Hæc autem limitatio eſt pro foro Dei; eſt enim pro vera Indulgentia, quæ pœnam remittit in Dei foro debitam: ergo limitatio ſe extendit ad forum Dei, præſertim quòd in foro contentioſo, & exteriori ùt tali non concedontur Indulgentiæ. Hinc non benè dixit *Sylveſter* eas poſſe ab Epiſcopo ampliari in foro pœnitentiali; textos enim cap. *Cum ex eo* de ſacramentali pœnitentia clarè meminit, quæ ne enervetur, imprudens Indulgentiarum copia interdicitur. Adverte Indulgentiam noius anni conceſſam diei Dedicationis ipſo actu expirare: quæ verò datur pro die Anniverſario, fore perpetuam, donec revocetur; ex quibus plura inferuntur.

Plures Epiſcopi non poſſunt concedere ſimul plures quadragenas.

226 I. contrà *Paludanum* extranei plures Epiſcopl loco eidem haud qoennt annuente loci Epiſcopo ſimul, vel ſucceſſivè plures concedere Indulgentiarum quadragenas. Etenim, ut illi Epiſcopi tali ioco Indulgentiam concedant, habeant, oportet, inibi juriſdictionem; atqui enim in locum nulla iis competit Juriſdictio, quam nec Epiſcopus loci delegare poteſt, cùm & ipſe non habeat pro pluribus quadragenis, ſed pro una tantùm: ergo.

227 DICES: Epiſcopus alieno poteſt Sacerdoti concedere facultarem audiendi confeſſiones: ergo a pari etiam poteſt alteri Epiſcopo faciendi Indulgentias facultatem impertiri.

RESP. Adducta paritas non probat. Alieno Sacerdoti jam poteſtate Ordinis prædito facilè poteſt loci Epiſcopus Joriſdictionis poteſtatem attribuere. Cæterùm alieno Epiſcopo nulla eſt in talem locum Juriſdictio, nec ulla poteſt conferri ab Epiſcopo loci in ordine ad plures qoadragenas.

Plures ſucceſſive Epiſcopi eidem loco plures quadragenas poſſunt concedere.

228 II. contra *Geminianum*, & *Cordubam*: Epiſcopi plerique proprii ſucceſſivè poſſunt plures impendere quadragenas eidem loco, & eadem die: quia ex uno capite veram quiſque habet Juriſdictionem in eum locum, & ex alio ona Indolgentia aliam non excludit; quamobrem ſæpè eodem in loco plures ſunt Indulgentiæ: aliondè poteſt rationabilis adeſſe cauſa, & motivum indiſcretæ Indulgentiæ deeſſe.

Epiſcopi non habent facultatem faciendi Indulgentias pro Defunctis.

229 III. contra *Gabrielem* in ſupplemento: Epiſcopo non eſt facultas indulgendi pro Deſunctis; quia facultas reſtringitur ad Subditos, quales non ſunt Defunctorum animæ. Etenim in ordine ad indulgendum eſt facultas conceſſa tanquam Judici abſolventi, ſicut habetur in cap. *Quod autem*; atqui nulla per modum abſolutionis Indulgentia fertur pro Deſunctis: ergo. Maximè quia SIXTUS IV. apud *Gabrielem* lect. 57. in Canonem indicat, quòd Indulgentia noo extenditur ad Deſunctos, niſi expreſsè Pontifex extendat; ſed pro Epiſcopis non extenditur licèt poſitivè non excludatur: ergo. Quòd ſi ex praxi deſumendum eſt argumentum, videmus nunquam ab Epiſcopis tales Indulgentias fieri.

230 DICES. *Silicæus Toletanus* Epiſcopus aliquando Indulgentiam conceſſit pro Deſunctis..

RESP. Vel ex ſpeciali Pontificis indulto hoc fecit, vel nullum habuit effectum.

Indulgentia ultrà quadragenam irrita eſt.

231 IV. Indulgentia ab Epiſcopo lata ultra quadragenam noo ſolùm illicita eſt, ſed nulla. BONIFACIUS VIII. cap. *ultim.* de pœnit., & remiſs. explicans jus antiquum apertè definit, ſtatuitque nullius eſſe roboris. An verò irrita ſit ſecundùm totum, an verò dumtaxat ſecundùm exceſſum, variant Doctores: ſupplementum *Gabrielis*, *Geminianus*, *Calderinus*, aliique, ut aorument omnino irritam, his ducuotur rationibus. *Primò*. Quia laudatus Pontifex abſolutè profert non valere; locutio autem abſoluta totum comprehendit. *Secundò*. Juriſdictio illa eſt conditionata; dicitur namque in cap. *Noſtro*: *ita tamen ut ſtatutum Concil. Generalis non excedat*; ſed Juriſdictio conditionata, non impleta conditione, nulla eſt. Hinc Jodex poteus ſolùm condemnare ad carcerem, ſi ad mortem condemnet, nihil efficit. *Tertiò*.. Quia in pœnam præſumptæ temeritatis totum irritatur. Verùmenimverò *Gloſſa* cum pluribus ſuſtinet, ſolùm irritam fore quoad exceſſum. 1. Quia illo actu intendit facere totum id, quod poteſt; ſed pro quadragena poteſt: ergo. 2. In favorabilibus utila per inutile non vitiatur:

In favorabilibus utile per inutile non vitiatur.

hic

hic ſumus in favorabilibus : ergo . 3. Quando Indulgentia excedit cauſam , licèt in totum non ſubſiſtat , ſubſiſtit tamen ſecundùm cauſæ proportionem : ergo quando excedit poteſtatem , licèt in totum non ſubſiſtat, ſubſiſtit tamen ſecundùm quantitatem poteſtatis . 4. Jura non ſunt conditionata , nec ullam pœnam imponunt , ſed ſolùm limitant poteſtatem ; & ſic fundamenta contraria diſſolvuntur . A

232 V. Fas eſt Epiſcopo Subditis exiſtentibus extra Territorium facere Indulgentiam ; quia non eſt actus Juriſdictionis contentioſæ , & in non Subditum , qui actus prohibetur a jure in alterius Territorio : undè ſicut Epiſcopus exiſtens extra proprium Territorium poteſt Subditum in Territorio exiſtentem ab excommunicatione abſolvere , & illi Indulgentiam facere , & ſicut Sacerdos , hoc eſt Parochus , poteſt abſolvere ſuum Subditum exiſtentem in alieno Territorio , ſi ibi ſimul contingat adeſſe : ita Epiſcopus exiſtenti Subdito extra Territorium potis eſt Indulgentiam facere , etiam cum onere viſitandi Eccleſiam alieni Territorii ; quia non concedit Indulgentiam Eccleſiæ , ſed ſuo Subdito illam Eccleſiam viſitanti . B

Epiſcopus extra Territorium Subditu poteſt concedere Indulgentiã.

233 VI. Epiſcopus electus , & confirmatus , & ſi non fuerit conſecratus , poteſt Indulgentiam concedere : quia largitio Indulgentiæ eſt actus Juriſdictionis : ſed Epiſcopus electus , & confirmatus licet non conſecratus habet veram Juriſdictionem , ùt dicitur cap. *Ex tranſmiſſa* de electione : ergo . C

Epiſcopus nõ conſecratus poteſt facere Indulgentiã.

Si autem ſit electus , ſed non confirmatus , licèt eſſet conſecratus , non poteſt ; quia jura ante confirmationem non tribuunt Juriſdictionem. Advertendum tamen, ne fortè ſit nominatim ſuſpenſus , vel excommunicatus ; hæ namque cenſuræ Juriſdictionem impediunt , & acta irritant , ſicuti ſuis locis habetur ; quare is Epiſcopus nec per modum ſuffragii poteſt Indulgentias facere , nec Subdito dare licentiam , ut eas faciat ; utrumque enim actus a Juriſdictione emanat . D

234 VII. Epiſcopus exiſtens in peccato validè Indulgentiam facit ; quia perſonalis malitia non aufert Juriſdictionem ; ſicuti patet exemplo Miniſtrorum in collatione alicujus Sacramenti : an verò etiam licitè ſecluſo ſcandalo ? Pendet ex illa univerſali quæſtione de Sacramentis , an omnes actus ſacri Miniſtrorum , licèt non Sacramenta , facti in peccato ſint novum peccatum : qui enim partem ſuſtinent affirmativam , conſequenter dicunt illicitè fieri , qui verò negativam , negativè reſpondebunt , cùm facere Indulgentiam ſit actio quidem ſacra , ſed non videatur graviter ſacra , eo quòd ad ſolam pœnæ dimiſſionem ordinatur . E

Exiſtens in peccato validè facit Indulgentiam.

§. II.

235 NOTO *ſecundò* : Jus Archiepiſcopo facultatem attribuit faciendi Indulgentiam pro tota Provincia ; quod conſtat ex cap. *Noſtro* de pœnit. , & remiſſ. , ſic explicante HONORIO III. , nec intelligitur ſolùm , quando actu viſitat , ſed etiam extra tempus viſitationis : Primatibus autem , & Patriarchis facultas non conceditur . Cardinalibus in Eccleſiis ſuorum titulorum datur facultas Indulgentiæ centum dierum cap. *Cum ex* de majorit. , & obedient. : an verò extra ſuas Eccleſias aliquam facultatem habeant , nihil in jure definitur , ſi qua erit , ex alio capite manabit . Ex commiſſione Pontificis abſque dubio habent ejus Legati poteſtatem : an verò facultas Legatorum ſit ordinaria , an delegata , variant Doctores , affirmante *Navarro* , negant alii .

Archiepiſcopus facere poteſt Indulgentiam pro tota Provincia.

Primatibus , & Patriarchis nulla facultas cõceditur.

Cardinales in ſuis titulis centum dierũ Indulgentiã poſſunt concedere.

Quid de Legatis dicendũ.

236 NOTO *tertiò* : nullum alium Prælatum cujuſcumque Dignitatis jure humano poteſtatem habere faciendi Indulgentias ; quia laudata jura ſolummodo de Epiſcopis meminerunt ; & cap. *Accedentibus* de exceſſib. Prælator. quidam Abbates reprehenduntur , quòd facultatem hanc ſibi arrogent . Num autem conſuetudo alicui poſſit facultatem acquirere Indulgentias faciendi ; *Soto* cum quibuſdam negat , eâ doctus ratione , quòd poteſtas hujuſmodi a Chriſto derivanda ſit immediatè , vel per ſuum Vicarium , cùm Indulgentia ſit diſpenſativa in proprio Dei foro ; ſed conſuetudo non procedit a Chriſto , nec a ſuo Vicario : ergo . Accedit *cap. 2. citat.* de pœnit. , & remiſſ. in 6. , ſcilicet nulla conſuetudine induci poſſe , ut contra ſui Superioris voluntatem aliquis ſibi Confeſſarium eligat : ergo neque ut faciat Indulgentias ; videtur enim par ratio . *Alenſis* cum aliis defendit poſſe , ex eo quòd legitima conſuetudo præſcripta in aliis caſibus tribuit Juriſdictionem ad diſpenſandum in Votis , & ſimilibus . Verùm cùm legitima conſuetudo non ſit , ubi ſaltem tacita voluntas Capitis deſit , ſemper hæc Juriſdictio pendebit a Pontifice . Hinc infero :

Cõſuetudo an poſſit tribuere facultatem faciendi Indulgentias.

237 Primò Abbates ab Epiſcopis exemptos carere facultate faciendi Indulgentias , cùm eorum dignitas ſit purè humana ; ſed ſi jure humano illam non habent , aliundè illis non advenit , immo ex cit. juribus carent , nec alibi conceditur : ergo .

Quid de Abbatibus exẽptis.

238 Secundò Capitulum , Sede Vacante , carere pariter tali facultate ; quia ex jure hæc poteſtas Dignitati Epiſcopali alligatur ; ſed Capitulum non ſuccedit in Epiſcopali Dignitate , licèt Eccleſiam gubernet : ergo . Interim, Sede Vacante , fruetur Populus Indulgentiis conceſſis a Prædeceſſoribus , vel ab Archiepiſcopo , vel a Pontifice : quòd ſi nulla ſit , nullum eſt inconveniens , cùm non ſint ad ſalutem neceſſariæ .

Quid de Capitulo, Sede Vacante.

239 Tertiò Parochum, & Confeſſarium nullum jus in hoc habere : non enim ex uno capite hæc eſt poteſtas Ordinis ; character enim Ordinis ad Sacramenta dirigitur , &

Quid de Parochis, & Confeſſariis.

ex

ex alio non ſunt Epiſcopi ; adeoque non comprehenſi in jure . Dicuntur quidem Coofeſſarii apud quoſdam Canoniſtas in foro ſacramentali facere Indulgentias poſſe ; ſed hoc ideò , quia in ſatisfactionem peccatorum Fidelibus injungere queunt , ut lucrentur Indulgentias , & etiam quia ad minores pœoitentias obligant , cùm Pœnitentes majoribus indigeant ; ſed hoc noo eſt propriè loqueodo facere Indulgentias .

240 Quartò Prælatus Regulares cujuſcumque dignitatis oulla gaudere poteſtate faciendi Indulgentias ; nam licèt dicantur habere Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem , reverà tamen non ſunt Epiſcopi : Jura autem ſolos Epiſcopos comprehendunt : & inſuper hoc declaratur in Clementioa de pœnit. , & remiſs. cap. *Abuſionibus* , & in Clementina de privileg. cap. *Religioſi* . Hinc notandum : quando Filiationes Ordiois concedunt , noo faciunt Indulgentias ; quia poteſtas Indulgentiarum eſt poteſtas Clavium , & Juriſdictionis ; ſed nullam veram habent Juriſdictionem in illos Benefactores , qui inter Filios Ordinis adſcribuntur : ergo : ſecundò quia nullum applicant Theſaurum : non merita Chriſti , quia Theſaurus iſte ſpectat ad univerſalem Eccleſiam , & ſolus diſtributor eſt Pontifex , ùt patet in Clement. *Unigenitus* : non merita Religioſorum ; quia , etſi daretur , non prodeſſet hic Theſaurus , cùm ſit finitus , & valdè deficiens ; & undenam ſciat Prælatus Regularis merita Religioſorum ſuffectura pro tot Filiationibus , quas concedit ? Deindè quamvis harum applicatio ſatisfactionum ſolveret a pœna peccatis debita coram Deo , haud tamen eximeret debitum ſacramentalis pœnitentiæ ex Jure Divino ab Eccleſia præceptæ : Indulgentia autem habet hanc efficaciam ab hoc onere liberandi . Dixi , *etiam ſi daretur* ; quia hujuſmodi particulares Theſauri reverà noo dantur .

Quando Regulares concedunt Filiationes Ordinis , non faciunt Indulgentias .

Non dantur particulares Theſauri .

PRIMO , quia , ſemel admiſſis hiſce ſingularum arculis familiarum , nihil jam ad publicum Eccleſiæ Theſaurum de Sanctorum ſatisfactionibus pertineret a Summo Pontifice diſpertiendum contra claram veritatem , & Pontificum extravagantes . Etenim Eccleſia tota in Epiſcopatus , Abbatias , & Religioſorum Familias diviſa eſt . Si verò ſatisfactiones ad privatum propriæ Commuoitatis Theſaurum ſpectarent , cùm bona ad particulares Theſauros ſpectantia cadant ſub ordioaria poteſtate Præſidis illius Provinciæ , & in caſibus dumtaxat extraordinariis ſub diſpoſitione Supremi Capitis , & Judicis veniant , ſequitur Pootificem in caſibus ſolummodo extraordinariis jus habiturum in Theſauris ſatisfactionum Sanctorum ; quo quid abſurdius ?

SECUNDO . Si peculiares hujuſmodi finganiur Communitatum gazæ , eadem ratione , & a fortiori fingi etiam ſingularum poſſet Theſauriolus perſonarum , ſicut enim in temporalibus plures , qui ſimul negotiantur , Theſaurum faciunt communem , & qui ſoli , ſibi ſolummodo theſaurizant ; ità in ſpiritualibus : unde ſatisfactiones operum particularium reconderentur in perſonalem Operantis arculam , ſicuti ſatisfactiooes operum Communitatis in illius Theſaurum ; poterit ergo unuſquiſque de ſuis ſatisfactionibus jam præteritis diſponere , prout voluerit , ad expiationem pœnæ pro peccatis de novo commiſſis , eaſdemque Amicis , & aliis Fidelibus applicare pro tempore , quo fuerint in gratia , & ſimilia , proportionali modo , quo publicus diſpenſatur Theſaurus . Hæc autem omnia , ùt patet , ſunt abſurdiſſima .

TERTIO , & a priori . Religioſorum ſatisfactiones vel reponuntur in Theſauro Religionis , quando actu fiunt , vel quando jam ſunt factæ ; neutro modo : ergo . *Minor explicatur* . Quando fiunt , vel diriguntur ab Operante pro aliquo , vel non . Si primum , pro eo valent , cui diriguntur ; quia Operans eſt immediatus illarum Dominus : ſi nullis diriguntur , aut etiam ſi ſtante illa directione , non habeant effectum in eo , pro quo directæ fueroot , jam tales ſatisfactiones Dei ſunt , ac per conſequens in Theſauro publico reponuntur . Literas ergo participationis , dum Prælati Regulares concedunt , non faciunt Indulgentiam , immo nec applicant Religioſorum ſatisfactiooes ; quia earum non habent immediatum dominium , ac proindè , niſi in illos dirigantur a Subditis , nihil efficiunt .

Operans eſt immediatus Dominus ſuarum operationum .

241 DICES . Poteſt Prælatus Subdito præcipere , ut tale jejunium faciat , & pro determinata perſona offerat : ergo illius ſatisfactiones poteſt Superior immediatè applicare .

Scotus Quodlib. 20. negat antecedens ; quia de bonis Subdito moraliter neceſſariis præcipere non poteſt , ut extraneo donet per modum eleemoſynæ ; hæc etenim facienda eſt de ſuperfluis ; atqui ſuorum ſatisfactiones operum Subdito ſunt moraliter neceſſariæ , nec Prælato innoteſcit , an Subditus ſatisfactionis indigeat , vel ſuperfluas habeat : ergo . Concedendum tamen videtur antecedens ; quia Superior etiam in Subditorum voluntatem jus exercet ; Votum enim non exteriorem modò ſubjicit perſonam , ſed ea etiam , quæ ad voluntatem ſpectant ; maximè ſi per aliquas circumſtantias aliqualiter ſenſibiles fiant . Unde præcipere poteſt jejunium , & ejus applicationem . Nec ratio urget *Scoti* ; prudenter enim conſtare poteſt Prælato , ſicut illa applicatio nullum Subdito afferat nocumentum : maximè quia nihil demitur de merito , ſed augetur per obedientiæ exercitationem , & aliundè Subdito frequens ſuppetit occaſio pro ſuis peccatis ſatisfaciendi , immo ratione ſtatus Religioſi minora ſunt debita .

Votum non ſolùm ſubjicit exteriorē Perſonā , ſed voluntatem .

INSTABIS illa applicatio eſt omnino ſpiritualis , & interna : ergo noo ſubditur Prælato viſibiliter , ſeu ſenſibiliter præcipienti .

Sed jam ſupra diximus : Prælatus in Subditorum voluntates jus exercens poteſt irritare , aut diſpenſare in Voto purè interno : maximè quia ratione extrinſecæ alicujus circumſtantiæ ſufficienter illa applicatio efficitur ſenſibilis .

URGEBIS . Non poteſt præcipere circum-

comſtantlas neceſſarias, ut opos ſit ſatisfactoriom, v. g. ſtatum gratiæ: ergo neque applicationem operis.

RESP. *neg. conſeq.*; ſuffieit enim, quòd a Prælato ſtatus gratiæ ſuppouatur.

Soto, & *Corduba*, ſi Prælatus præcipere poſſit jejuniom, & applicationem, admittunt etjam poſſe applicare ſatisfactionem. Hoc tamen negari debet; nam quamvis Subditorum opos præcipere poſſit, Soperioris tameu voluntas opus morale Subditorum non dirigit. Tota bonitas, & operis moralis efficacia eſſentialiter pendet ab intrinſeco ipſius operantis. Si præceptum opus fiat a Subdito abſque rectitudine, immo cum malitia, bona Superioris voluntas malitiam non impedit. Ut autem opus illud in eſſe ſpiritualis eleemoſynæ, vel donationis conſtituatur, operantis voluntas reqoiritur, quæ dirigat ipſum opus. Nam ſi operans non alienet opus ſuum, nullus alienare poteſt; quare poterit equidem jejuniom Prælatos, & applicationem præcipera, ſed non idem Prælatus ſatisfactionem applicare.

Prælatus non poteſt diſponere de ſatisfactionibus ſubditorum.

242 Quid ergo efficiunt communicationis Literæ, ſeu filiationis? Sanè plurimum. I. Sæpè Iudulgentiarom Ordinis conſortes fiunt Filii ſpirituales. II. Partem fructus capiunt ex ſatisfactionibus, meritiſque de congruo eorum operum, quæ juxta regulas pro Benefactoribus fieri ſolent; & eorum etiam, quæ fiunt pro omnibus univerſaliter. III. Et meritum congrui, & ſatisfactiones participant operum, quæ particulariter Religioſi in utilitatem Beuefactorum dirigunt, cùm ad ſimilia frequenter adhortentur Prælati: quæ Orationes faciliùs a Deo exaudiontor pro conjunctis ſpiritualiter. IV. Aliquando abſque opere a Religioſis oblato, in particulari ſaltem, Deus hos ſpirituales Filios exaodit propter Religioſorum ſanctitatem, qoibus conjunguntur.

Ad quid deſerviant Literæ communicationis.

243 NOTO *quartò*. Poteſtas faciendi Indulgentias delegari etiam poteſt contra *Marſilium* 4. quæſt. 22. art. 2. Ratio eſt; quia omnis alia poteſtas Juriſdictionis ſive ad forum internom pœnitentiæ, ſive ad forum externum contentioſum poteſt delegari: ergo etiam poteſtas faciendi Indulgentias: quod etiam comprobatur ex uſo; ſolet enim plerumque Summus Pontifex Sanctæ Sedis Legatis, & Prolegatis, aliiſque Viris inſignibus hujuſmodi facultatem impertiri; & quia Laici ad Eccleſiaſtica munera, & ad ſacras actiones non admittuntur; ideo de via ordinaria illis non delegatur, quidquid ſit de extraordinaria, de qoa agitur, ubi de legibus, & cenſuris: unde de jure communi ſolus Clericus eſt capax talis delegationis.

Poteſtas faciendi Indulgentias delegari poteſt.

244 Ex dictis infertur primò, Epiſcopum poſſe alteri delegare poteſtatem faciendi Indulgentiam unius quadragenæ; quia ille poteſt, qui habet poteſtatem ordinariam; ſed Epiſcopus habet ordinariam poteſtatem unius quadragenæ in ſua Diœceſi: ergo illam poteſt delegare.

Epiſcopus poteſt ſuam facultatē delegare.

245 Infertor ſecundò contra *Felinum* tract. de Indulg.; quòd quando alicui privilegiom conceditur obtinendi a Confeſſario in mortis articulo Indulgentiam, illam obtinere non poteſt a Laico, vel ab alio Clerico, qui Confeſſarius non ſit; quia Clericus quicumque, & multò minùs Laicus Confeſſarii nomine non venit: crederem tamen poſſe illam obtinere a ſimplici Sacerdote; qoia in mortis articolo qoilibet Sacerdos Confeſſarii munus gerere poteſt, unde ratione officii videtur Confeſſarius. Ut autem Confeſſarius Indulgentiam concedat, non eſt neceſſe, quòd acto confeſſiones audiat; quia Indulgentia non petit neceſſariò ſimul actu concedi cum ſacramentali abſolutione.

A quo poſſit obtineri Indulgentia in mortis articulo.

246 Infertur tertiò. Conceſſionem Indulgentiæ ſigno aliqoo ſenſibili ferendam eſſe; quia procedit a poteſtate Capitis viſibilem Eccleſiam viſibiliter gubernantis: unde Indulgentiæ largitio eſſe debet actu ſenſibili exercita.

Indulgentia debet actu ſenſibili impertiri.

§. III.

RESOLVITUR PRINCIPALIS DIFFICULTAS.

247 His ſommatim prælibatis, quæ ad jus humanom pertinent, jam ad reſolutionem accedo propoſitæ difficoltatis circà Jus Divinum, quam breviter expedio. Ei namque exactiùs examinandæ agitari deberet quæſtio: *An Epiſcopi Juriſdictionem immediatè a Deo, vel a Pontifice habeant*. Igitur in præfatiarom ſuppoſito ex dicendis in tract. de Ordine, quòd Epiſcopis Juriſdictio immediatè veniat a Pontifice, inquirimos, an Divino Jore ſolummodo poteſtas faciendi Indulgentias Summo Pontifici conveniat. Felinus *tract. de Indulgent. n.* 44., & Panormitanus *in Clement. Secundam* de pœnit., & remiſs. Concilio Generali poteſtatem faciendi Indulgentias tribuunt pro tota Eccleſia. Sotus 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 1. *art.* 4., Corduba *quæſt.* 12. *de Indulg.*, Medina *de Indulg. diſp.* 5., *&* 6. ſoſtinent convenire Epiſcopo in ſua Diœceſi, quibos addendus Marſilios *in* 4. *q.* 22. *art.* 2., qui Juris Divini poteſtatem cuilibet Sacerdoti adſcribit.

248 DICO: *Soli Summo Pontifici ex Jure Divino competit Indulgentias facere*. PROB. *primò*. Ille poteſt Jure Divino Indulgentias facere, cui Christus commiſit; at ſoli Pontifici commiſit: ergo illi ſoli convenit Jure Divino. *Min. habetur* in Clementina *Unigenitus*, ubi explicatâ exiſtentiâ Theſauri Eccleſiæ dicitur — Quem per Beatum Petrum Cœli clavigerum, ejuſque Succeſſores, ſuos in Terris Vicarios commiſit Fidelibus ſalubriter diſpenſandum, & propriis, & rationalibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ tam generaliter, quàm ſpecialiter. — His verbis traditur Petro, ejuſque Succeſſoribus poteſtas Indulgentias faciendi, & licèt non ponatur particula expreſsè ſignificativa, quòd ſoli Petro conveniat, hoc tamen clarè eruitur ex eo, quòd poteſtatem commiſit

Christus ſoli Petro, Succeſſoribuſque conceſſit poteſtatem faciendi Indulgentias.

Indul-

Indulgentias faciendi ſive totales, ſive partiales, tam generaliter, quam ſpecialiter, quæ utique explicatio æquivalet particulæ *Soli*, quæ poſſet addi.

249 Poteſtatem faciendi Indulgentias Chriſtus dedit Eccleſiæ, quando Claves tradidit Regni Cœluram; ſed ipſas tradidit ſoli Petro, Matth. 16. v. 19. *Tibi daba claves Regni Cælorum*, ſicuti ſolj Petro dedit caram ovium: Joann. 21. *Paſce oves meas*: ergo ſoli Petro, ac proinde ſolis Pontificibus facultatem conceſſit faciendi Indulgentias.

Apoſtolis data poteſtas cū ſubordinatione ad Petrū.

250 Nec obſtat, quòd Matth. 18. v. 18. Chriſtas univerſis Apoſtolis eamdem promiſſionem faciat, quam c. 16. v. 19. fecerat Petro in ſingulari: *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*... Nam prima promiſſio ſubordinatur ad illum, ſupra quem fundata erat Eccleſia, & a quo, ùt ANACLETUS Papa Epiſt. 2. dixit, Sacerdotalis Ordo eſt derivatus: *In novo Teſtamento poſt Chriſtum Dominum a Petro Sacerdotalis cœpit Ordo*.

Regimen Eccleſiæ Monarchicum.

251 Regimen Eccleſiæ eſt Monarchicum: ergo omnis Juriſdictio pendet ab uno; in hoc enim ab aliis Monarchica gubernatio diſtinguitur, quod in hoc aliorum poteſtas ab uno derivatur, & pendet, ùt in temporali Monarchia patet: ergo poteſtas faciendi Indulgentias, cùm ſit Juriſdictionis, ab uno emanat, & pendet: hic unus eſt Pontifex univerſalem gubernans Eccleſiam: ergo. Ideoque INNOCENTIUS I. In Epiſt. ad Concil. Carthagin., quæ eſt 91. inter Epiſtolas *D. Auguſtini*, ſcribit: *A quo*, hoc eſt Petro, *ipſe Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emerſit*.

Solus Papa habet poteſtatem in tota, & in qualibet parte Eccleſiæ.

252 Vel hæc poteſtas, quæ in aliis a Papa ſupponitur, eſt in totam Eccleſiam, vel in aliquam partem; nullo modo eſt ex Jure Divino: ergo. *Min. declaratur*. Si poteſtas in totam Eccleſiam diverſa eſt ab illa, quam habet Pontifex, jam non erit ſubordinata, ac proinde dabitur duplex ſuprema poteſtas Independens, quo nil abſurdiùs dici poteſt. Si in partem Eccleſiæ, erit inanis, utpote quæ nullum habeat Theſaurum, quem diſpenſet; unus enim eſt Theſaurus meritorum Chriſti, non diviſus: ergo ad ſolùm Pontificem pertinere debet.

Quæ ſunt Juris Divini, nō poſſunt tolli a Pontifice.

253 Si Juriſdictio faciendi Indulgentias ex Jure Divino aliis præter Pontificem conveniret, haudquaquam poſſet a Pontifice limitari, ſicuti fit cap. *Cum ex eo*. Neque Pontifici eſſet fas irritare, quas ſupra quadragenam Indulgentias concedit Epiſcopus, nec Epiſcopis iiſdem omnem poſſet facultatem auferre, ùt ibidem declaratur. Nam quæ Divini immediatè Juris ſunt, non cadunt ſub ſtricta Pontificia limitatione; quemadmodum liquet in poteſtate Ordinis, quæ a Pontifice tolli nequit, nec impediri, ſaltem quoad valorem actus, licèt uſus limitari, ſuſpendique poſſit.

Judiciaria Poteſtas abſolvendi in Sacramento eſt delegata.

254 Magis eſt neceſſaria ad Eccleſiæ Regimen judiciaria poteſtas abſolvendi ſacramentaliter, quàm abſolvendi per Indulgentias; atqui Juriſdictio ſacramentalis pœnitentiæ in Inferioribus a Pontifice non eſt Juris Divini, ùt dicitur de Pœnit.: ergo etiam Juriſdictio ferendi Indulgentias.

DISOLVUNTUR ARGUMENTA.

255 OBJIC. 1. Potens condere leges pro Eccleſia univerſali, eodem poteſt jure Indulgentias facere; ſed Generale Concilium habet poteſtatem condendi leges pro tota Eccleſia: ergo etiam faciendi Indulgentias; & hac uſum poteſtate eſt Concilium Baſilienſe ſeſſ. ultima. Concilii verò poteſtas generalis ſanè Juris eſt Divini, ùt dixit Concilium Conſtantienſe.

Concilii fert leges, & Indulgētias auctoritate Capitis.

RESP. *negando min.* Concilium Generale, ſi legitimum eſt, utpote habens Caput, quod adſiſtit, vel per ſe, vel per Legatos; & tunc leges, & Indulgentias facit ex inſtatu Capitis, atque ex ejus auctoritate, quâ Concilii acta omnia ſubſiſtunt, eâque ablatâ, corruunt. Sin autem eſt illegitimum, tunc nulla, & irrita ſunt quæcumque agit, aut decernit. Quòd ſi contingat, ut, Sede Vacante, legitimum habeatur Concilium, quod ſemel accidiſſe legitur, nempe Concilium Conſtantienſe tempore ſchiſmatis congregatum, ad ipſam ſpectat leges ferre neceſſarias ad gubernandam Eccleſiam pro eo tempore, non quidem Jure Divino, ſed naturali, & gentium, quod jubet, deficiente Capite, gubernandam a Primatibus Rempublicam. Nuſquam igitur ſuppetit ratio dicendi fuiſſe Generali Concilio conceſſam a Chriſto immediatè poteſtatem faciendi Indulgentias; eo, vel maximè quòd regendæ Eccleſiæ, dum Sedes vacat, Indulgentiæ nentiquam ſint neceſſariæ. Baſilienſe verò Concilium fecit aliquam Indulgentiam, dum erat legitimum, & tunc ex auctoritate Capitis. Quæ demum indulxit in ſeſſionibus illegitimis, caſſa, & irrita ſunt, quamvis poſtmodum NICOLAUS V. aliqua confirmans ſpectantia, non ad doctrinam, ſed ad externam Juriſdictionem, utramque etiam Indulgentiam approbaverit. Porrò Concilium Conſtantienſe declaravit ſe habere poteſtatem ex Jure Divino, non tamen in omnibus, ſed in caſu ſchiſmatis propter legitimi Incertitudinem Capitis in ordine ad eligendum Summum Pontificem.

Quando Concilium habet poteſtatem Jure Divino

Natalis ſeculo XV., & XVI. diſert. VIII. n. LIII.

Hic *Natalis Alexander* totus eſt in refellendo *Andrea Duallio* Doctore, & Profeſſore Sorbonico, qui in Præfat. lib. de auctorit. Papæ, & Concilii uſurpatam dicit a Synodo Baſileenſi facultatem concedendi plenarias Indulgentias, nobiſcum aſſerens ejuſmodi poteſtatem uni Romano Pontifici competere. Refellit, inquam, quia *Indulgentias*, ſic ille, *concedere multò magis Eccleſia poteſt, quàm Summus Pontifex, cùm claves Regni Cælorum, & poteſtas ligandi, atque ſolvendi S. Petro datæ non ſint, dumtaxat ut ſingulari, ac privatæ perſonæ, ſed ùt Eccleſiam univerſam repræſentanti, ùt frequenter inculcat S. Auguſtinus*. At quamvis hujus non ſit loci quæſtio, an Concilium univerſale ſit ſupra Pontificem, ùt ex præmiſſis intendit *Natalis*; tamen etſi Chriſtus facultatem ligandi, & ſolvendi Petro conceſſerit, non quidem ùt perſonæ privatæ, & particulari, ſed ùt Eccleſiam repræſen-

tanti ; nihilominus haud inſeras , multò id magis ab Eccleſia , quàm a Petro poſſe præſtari . Dat Rex cuiquam Urbis Præfecto facultatem condendi leges , non quidem ùt ſingulari Perſonæ , ſed ùt Repræſentanti , & Regenti ; quiſnam dixerit , ſi poteſt Gubernator, poſſe èt Civitatem , immo hanc multò magis , quàm Gubernatorem ipſam ? Gubernator , ùt repræſentat Civitatem, eſt ejus Caput : non poteſt ea ſola quicquam abſque Capite ; corpus enim acephalum nihil operatur : ſic in noſtro caſu .

A

256 OBJIC. 2. Ærarii temporalis diſpenſatio ad temporalem Rempublicam pertinet : ergo diſpenſatio Theſauri ſpiritualis pertinet ad Rempublicam ſpiritualem ; ſed generale Concilium , teſte MARTINO V. in fine laudati Conſtantienſis Synodi , Chriſtianam repræſentat Rempublicam : ergo ad ipſum ſpectat diſpenſare per Indulgentias Eccleſiæ Theſaurum ; ſed Concilium non habet hoc jus ab homine , cùm nulli ſubjiciatur : ergo a Deo .

B

Reſpublica Chriſtiana eſt perfectè Monarchica .

RESP. *ant.* verum eſſe , quando Reſpublica non eſt Monarchica ; quia tunc non dependet ab uno : Reſpublica autem Chriſtiana eſt perfectè Monarchica , ab uno pendet , totamque ab eo capit juris dicundi facultatem , quo deficiente poteſtas devolvitur ad Chriſtum (loquendo de ea , quæ Juris eſt Divini) utpote Eccleſiæ inſtitutorem : ſicuti , Capite ab humana Republica ablato, auctoritas ad Communitatem redit , quæ in Caput ſuum tranſtulit poteſtatem , dum Capiti ſe ſubjecit . Quanquam igitur in Concilio omnes ſint Eccleſiæ Paſtores , ſi tamen Caput abſit , aut Sedes vacet , non habet Jus Divinum Indulgentias faciendi ; cùm in dicto caſu Concilium repræſentet Eccleſiam abſque Capite , & aliundè non ab ipſo , ſed a Chriſto accipit poteſtatem Pontifex .

C

257 OBJIC. 3. Epiſcopatus eſt Juris Divini , ùt habetur Act. 20. verſ. 28. *Poſuit vos Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei* : ergo omnis illorum ordinaria poteſtas eſt Divini Juris : ab eodem quippe Jure ſcatet Juriſdictio alicujus dignitatis , abs quo ipſa dignitas eſt : ergo quilibet Epiſcopus poteſt Divino Jure ſuis Indulgentias ſubditis facere .

D

Epiſcopatus eſt Juris Divini radicaliter .

RESP. *diſt. ant.* eſt Juris Divini radicaliter , quatenus Deus Eccleſiam condidit gubernandam per Epiſcopos , medio Capite , ſeu quatenus Petro , ejuſque Succeſſoribus præcepit , ordinavitque , ut Epiſcopos eligerent , & aſſumerent in partem ſolicitudinis Eccleſiæ , *concedo* : eſt juris Divini immediatè , & ſpecialiter per ſe , *nego* : in cujus ſignum , ùt probatur in tract. de Romano Pontifice , Chriſtus dumtaxat Petrum ordinavit in Epiſcopum ; cæteros autem Apoſtolos ipſi Petro in Epiſcopos dedit ordinandos ; ſed de hoc alibi ex profeſſo .

E

In Apoſtolis duplex dignitas ſeparabilis .

258 DICES . Epiſcopi juxta declarationem Concilii Florentini ſuccedunt Apoſtolis ; ſed Apoſtolatus eſt immediatè Juris Divini : ergo etiam Epiſcopatus .

RESP. In Apoſtolis duplex dignitas diſtinguitur , Apoſtolatus , & Epiſcopatus . Prima abſolutè Juris eſt Divini ; altera formaliter, & immediatè humani . Apoſtolos Chriſtus omnes in Apoſtolatum adlegit : in Epiſcopatum verò conſecrandos reliquit Petro .

A

259 OBJIC. 4. Omnis Sponſus ex vi ſui ſtatus gaudet poteſtate diſpenſandi bona Sponſæ ; ſed quilibet Epiſcopus ſuæ eſt Eccleſiæ Sponſus : ergo habet ex vi ſui ſtatus , qui ex Deo eſt , diſpenſare per Indulgentias ejus bona .

Epiſcopi ſunt Coadjutores Papæ .

RESP. Argumentum non evincere ; nam poteſtas *in Epiſcopis eſt taxata ſecundum Papæ ordinationem* , ùt loquitur S. Thomas *q. 26. ſuppl. art. 3.*

B

260 OBJIC. 5. Ex Canoniſtarum axiomate , quod poteſt Papa in tota Eccleſia , poteſt Epiſcopus in ſua ; ſed Papa Jure Divino ferre poteſt Indulgentias pro tota Eccleſia : ergo Epiſcopus eodem Jure pro ſua .

Quando intelligitur : quod poteſt Papa in tota Eccleſia, poteſt Epiſcopus in ſua ..

RESP. dictum illud ſemper intelligi cum ſubordinatione ad Papam , & multas habet exceptiones , quæ in jure canonico exprimuntur : quod ſit intelligendum cum ſubordinatione , habetur 2. diſt. quæſt. 6. cap. *Qui ſe ſcit* , & ſeq. : excipiuntur autem cauſæ majores , & ad primum gradum attinentes , ùt dicitur de tranſlat. Epiſcop. cap. *Tranſlati* , de Officio Legati cap. *Majores* , & alibi , inter quas enumerantur diſpenſatio in impedimentis matrimonii , tranſlatio , diviſio Epiſcopatus , mutatio , & alia pleraque apud Abbatem , alioſque Canoniſtas .

C

CONTROVERSIA XVI.

AN AD FRUCTUM INDULGENTIÆ NECESSARIUS SIT STATUS GRATIÆ

261 QUòd ſtatus gratiæ ad effectum Indulgentiæ ſit neceſſarius , dupliciter intelligitur . *Primò* pro toto tempore , quo adimplentur conditiones ad lucrandam Indulgentiam requiſitæ : & in hoc ſenſu agetur in ſequenti Controverſia . *Secundò* , an ſtatus gratiæ neceſſarias ſit in ultimo complemento diſpoſitionum , ſeu quando ultima conditio ponitur , ad quam ſequitur effectus Indulgentiæ , & in hoc ſenſu procedit difficultas , ad cujus intelligentiam .

D

Subjectū Indulgentiæ debet eſſe illud, quod perſonaliter peccavit .

262 Suppono *primò* , ſubjectum capax Indulgentiæ eſſe oportere hominem adultum, qui perſonaliter peccaverit ; effectus enim indulgentiæ eſt relaxatio pœnæ peccato actuali debitæ . Non eſt tamen neceſſe actualis uſus rationis , quando ultimum opus complet , ſed ſufficit , quòd ex intentione lucrandæ Indulgentiæ cœptum opus ſit , & non retractetur intentio ; undè Dormiens , Amens , Phreneticus lucrifacere poſſunt Indulgentiam , ſi in eo ſtatu ultimam conditionem exequantur , v. g. Sacramentalem abſolutionem .

E

Soli Catholici capaces ſūt Indulgentiæ .

263 SUPPONO *ſecundò* ſubjectum eſſe oportere hominem interiùs , & exteriùs Catholicum, baptizatum , veræ Fidei profeſſorem ; quia Eccleſiæ Theſaurus nec prodeſt ,

nec

nec diſpenſari poteſt, niſi ejuſdem membris ſine Baptiſmo, & verâ fide interiori non ſunt actu Eccleſiæ membra: ergo ſunt incapaces fructus Indulgentiarum. Hinc Hæretici licèt Baptiſmate inſigniti; quia vera carent Fide, ſunt Indulgentiæ cujuſvis omnino expertes.

Excommunicati Indulgẽtias non lucrantur.

264 SUPPONO *tertiò*, Subjectum hoc non debere eſſe excommunicatum; quia excommunicatio Fidelium communione, & bonorum Eccleſiæ participatione privat, etiamſi excommunicatus propter contritionem ſit in gratia: undè non admittitur ad Sacramenta, & ad Divina Officia. His poſitis,

265 DICO. *Ad effectum Indulgentiæ requiritur ſtatus gratiæ*. PROB. I. Quotieſcumque ad effectum alicujus agentis *ex opere operato* vera prærequiratur pœnitentia, toties ſtatus gratiæ eſt neceſſarius; ſed ad lucrandam Indulgentiam neceſſariò vera prærequiritur pœnitentia: ergo ſtatus gratiæ. *Minor* expreſsè habetur in extravag. *Unigenitus* CLEMENTIS VI., ubi in præambulo ad Indulgentiam Jubilæi explicans univerſalem Indulgentiarum naturam, qualitatem Theſauri Eccleſiæ, conditiones ex parte Concedentis, ex parte Subjecti, ex parte Cauſæ requiſitas, hæc ad rem noſtram ponit: *Sed per Beatum Petrum Cœli clavigerum, ejuſque Succeſſores, ſuos in Terris Vicarios commiſit Fidelibus ſalubriter diſpenſandum ex propriis, & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tàm generaliter, quàm ſpecialiter (prout coram Deo expedire cognoſceret) verè pœnitentibus, & confeſſis miſericorditer applicandum*. Quod confirmat conſuetudo perpetua Eccleſiæ, quæ ſolet in Bullis exigere contritionem, vel confeſſionem, ùt innumeris conſtat exemplis. Et licèt aliquando hoc non ponatur expreſsè, intelligitur tamen, dum concedantur de more Prædeceſſorum.

Ad Indulgentiam prærequiritur pœnitentia.

Non dimiſſâ culpâ, non dimittitur pœna.

266 II. Non remiſsâ culpâ, non dimittitur pœna; quouſque enim perſeverat culpæ reatus, ſtat jus ad pœnam, & ad vindictam; ſed proprius Indulgentiæ effectus eſt pœnam peccatis debitam remittere, ùt ex laudata Extravag., & ex communi Doctorum ſententia conſtat: ergo non habet effectum, ubi culpæ reatus perſeverat.

Indulgentia eſt favor.

267 III. Indulgentia includit favorem, quatenus a perſonali debito redimit debitorem, applicando pro eo alterius pretium; ſed favor inimicis non conceditur, maximè circa ea, quæ inimicitiam fovent, ac conſervant, ùt ſunt peccata: ergo exiſtentibus in peccato non conceditur Indulgentia.

Mẽbra mortua non participant influxum a Capite.

268 IV. Indulgentia fructificat, in quantum Chriſti bona, qui eſt Eccleſiæ, & Sanctorum Caput, communicat; ſed membra mortua influxum Capitis viventis non participant: ergo exiſtentes in peccato, utpote membra mortua, fructum Indulgentiæ non participant.

Averſus a Deo non poteſt liberari a pœna.

269 V. Eſt indignus, quem Dei Vicarius liberet a debito, qui remanere vult Deo averſus, & habitualiter complacet in debito; ſed Peccator eſt Deo averſus, & in debito complacet apud Divinam Juſtitiam contracto, quatenus voluntariè perſeverat in peccato gignente reatum pœnæ: ergo non meretur abſolvi per Indulgentiam. Docet enim *S. Thomas* q. 27. ſuppl. art. 1. circa hanc quæſtionem, eum conſequi non poſſe a Miniſtro remiſſionem pœnæ, qui non eſt conſecutus a Deo remiſſionem culpæ; quomodo enim debet, & poteſt Miniſter dimittere, ſi non dimiſit Dominus?

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

270 OBJIC. 1. Merita Sanctorum Peccatoribus applicata proſunt ad obtinendam gratiam, & alia bona; atqui per Indulgentias applicantur Sanctorum merita, ùt habemus in laudata Clementina: ergo Indulgentiæ exiſtentibus in peccato proficuæ ſunt: ergo non carent omni effectu.

RESP. Aliquando Sanctorum merita de congruo obtinent Peccatoribus gratiam, vel diſpoſitionem ad illam; quia applicatur ad hunc effectum ſub ratione meriti, ſicuti quando Eccleſia orat Deum, ut per merita Sanctorum Peccatoribus tribuat gratiam; at per Indulgentias non applicantur Sanctorum merita ſub ratione meriti, ſed ſatisfactionis ad extinguendam pœnam, ùt expreſsè docet eadem Clementina: atque ideò eſſentialis conceptus Indulgentiæ eſt relaxatio pœnæ, quæ non dimittitur, non dimiſsâ culpâ.

Conceptus Indulgentiæ eſt relaxatio pœnæ.

271 OBJIC. 2. Ubi major eſt miſeria, ibi datur majoris miſericordiæ locus; ſed exiſtens in peccato eſt in maxima miſeria: ergo ibi majoris datur miſericordiæ locus; ſed Indulgentia eſt quædam miſericordia: ergo Peccator hujuſce miſericordiæ eſt capax.

RESP. ita ſanè: majori miſericordiâ opus habet major miſeria, atque inter miſerias peccatum eſt maxima. Aſt non quælibet miſericordia quamlibet miſeriam ſublevat, quæ non ſit proportionata. Miſeria, cui Indulgentia ſuccurrit, eſt pœna, cujus ſibi remittendæ non eſt capax Peccator nolens cauſam amovere.

Peccatum eſt maxima miſeria.

272 OBJIC. 3. Remiſſio pœnæ in ſuo formali conceptu non includit infuſionem gratiæ: ergo per Indulgentiam Peccatoribus poteſt concedi. Neque dixeris infuſionem gratiæ prærequiri ùt neceſſariam conditionem; nam reſpectu bonorum operum donantur a Deo majora, quàm pœnæ remiſſio, nempe gratia excitans, conſenſus prævenientibus auxiliis ad ſubſtantialem ſanctificationem pertinentibus: ergo per Indulgentiam, quâ fortiùs, & efficaciùs Eccleſiæ merita applicantur, dabit pœnæ remiſſionem.

RESP. Optima eſt reſponſio inter arguendum data, quam impugnatio non infringit. Prævia namque auxilia, quæ ad juſtitiam diſponunt, ex natura ſua juſtificationis gratiam, & ſtatum juſtitiæ non ſupponunt, ac proinde Peccatoribus conceduntur. Cæterùm pœnæ remiſſio ſupponit eſſentialiter remiſſionem culpæ: ſicuti pœnæ debitum eſſentialiter ſupponit debitum culpæ;

Auxilia præcedentia ad juſtificationẽ non ſupponũt gratiam.

pæ; quamobrem culpæ Reo prodeſſe haud poteſt Indulgentia.

273 OBJIC. 4. Indulgentia id præſtat, quod ſacramentalis pœnitentia, ac proinde quivis Indulgentiam adeptus a pœnitentiali abſolvitur onere; ſed pœnitentia ſacramentalis prodeſt Reo noxæ mortalis, & pro eo ſtatu adimpleta eximit Pœnitentem ab obligatione: ergo pariter Indulgentia.

Pœnitentia ſacramentalis in peccato exercita pœnam coram Deo non extinguit.

RESP. cæteris omiſſis, *nego minorem*. Pœnitentia ſacramentalis in mortali exercita debitum non extinguit pœnæ coram Deo; ac proinde Pœnitens, ut ſatis Deo faciat, ad novam tenetur. Aliqui tamen opinantur eximi Pœnitentem ab onere novæ pœnæ, ut præceptum Confeſſarii adimpleat. Quarè ad ſummum colligitur, Reum peccati ſibi tamen ignoti, ſi prudentialiter credat ſe Indulgentiæ compotem factum, ab onere poſſe ſacramentalis pœnitentiæ abſtinere; haud tamen infertur pœnam ei fore dimiſſam.

274 OBJIC. 5. Stat, quòd quis peccatum novum habeat ſimul cum pluribus jam dimiſſis; ſed huic prodeſt Indulgentia: ergo non eſt neceſſarius ſtatus gratiæ. *Min. declaratur*. Quamvis debitum pœnæ peccati non dimiſſi per Indulgentiam nequeat aboleri, tamen poteſt debitum pœnæ, quod peccatis correſpondet jam dimiſſis: ergo pro pœna iſtis debita Indulgentiæ ſuffragantur.

Peccatū impedit effectū Indulgentiæ.

RESP. *nego min.*, *& probationem*, & omiſſis iis, quæ in hac materia de ſatisfactione tradi ſolent, DICO: propter peccatum novum fit indelebile debitum pœnæ peccati jam dimiſſi; juxta *Ezechielem* bonum ita ſe habet ad malum, ita malum ad bonum: quare ſicuti bona opera jam peracta, ſuperveniente peccato, inepta fiunt ad præmium in ſenſu compoſito; ita peccatum non remiſſum quoad culpam impedit remiſſionem pœnæ peccati jam dimiſſi.

Indulgentia, ablato obice, non ſortitur effectum.

275 Hinc infertur, Indulgentia, ablato obice, non ſortitur effectum: valet enim ſecundùm mentem Concedentis, qui applicat Theſaurum, quando ponitur conditio, ùt patet ex univerſali Diplomatum formula, quo tempore elapſo, non ſubſiſtit. Nec alia ſanè eſt intentio Eccleſiæ Indulgentiam concedentis, ut ad veram Fideles pœnitentiam incitet extra tempus ordinarium obligans ad emendationem, quæ intentio fruſtranea eſſet, ſi, ablato obice, dum in Paſchate confitemur, Indulgentia fructificaret.

Ut aliquid reviviſcat, debet prius habuiſſe ſuū eſſe.

Deindè quæſtio eſt de ſubjecto non ſupponente. Ut, ablato obice, quidquam reviviſcat, habuerit aliquando oportet ſuum eſſe ſubſtantiale in rerum natura. In caſu noſtro Indulgentia nunquam habuit eſſe, cùm ad ejus ſubſtantiam exigatur contritio. Num verò poſſit Indulgentias facere Pontifex ſub conditione reviviſcentiæ, in proprietate ſermonis negandum eſt; ſic enim extenditur Indulgentia ad tempus, quo ponetur conditio contritionis; ſed in hac ſolius nominis quæſtione piget immorari.

176 DICES. Pœnitentia ſacramentalis, ſublato obice, ſuum effectum ſortitur: ergo èt Indulgentia.

RESP. *negando antec.* ex communiori ſententia. Deinde *nego paritatem*. Stante peccato ſtat ſacramentalis pœnitentia in ſuo eſſe ſubſtantiali, ùt eſt pars integralis Sacramenti, ſecus Indulgentia, ùt dictum eſt.

CONTROVERSIA XVII.

AN OPUS INJUNCTUM DEBEAT FIERI IN STATU GRATIÆ.

§. I.

Pontifex poteſt facere Indulgentiā, nullo impoſito onere.

277 QUamvis Pontifex copiam Theſauri facere poſſit, quin nullum opus injungat, ſicut ex *Pauli* exemplo deducitur, qui Inceſtuoſum redemit a pœna, ne mœrore nimio contabeſceret: ex praxi, qua identidem Moribundis abſque ullo gravamine indulgetur: ex ratione, quia cauſa finalis poteſt aliundè compleri, & coaptari, ſeclusâ conditione operis; utplurimum tamen, & de via ordinaria ſemper aliquod pium opus exercendum ſolet imponi, de quo præſens quæſtio inſtituitur, an *id opus exequendum ſit in ſtatu gratiæ*. Ad intelligentiam rei,

Omiſſa conditione, non acquiritur Indulgentia.

278 SUPPONO *primò*, Indulgentiam quamque inanem fore, niſi impleatur appoſita conditio; nam promiſſio quæque conditionata ſive in humanis, ſive in Divinis in irritum cadit, ſi imperata conditio deficiat, ùt patet exemplo Sacramentorum; ſed Indulgentia eſt promiſſio conditionata: ergo non ſubſiſtit, non impletâ conditione, & quidem ſecundùm totum; promiſſio enim indiviſibiliter fit ſub conditione totius operis: ergo ſi præſcriptum opus omittitur ex ignorantia, vel impotentia, quamvis partem aliquam, & aliud quicquam melius poneretur, nihil de Indulgentia acquiritur. Nec ſupplet factum bona voluntas; quia conditio eſt operis in re, non in voto; tametſi Deus præmium bonæ voluntati non retrahet; quemadmodum cupiens ſuſcipere Sacramentum conſequitur aliquid, non tamen effectum Sacramenti proprium.

Omiſſio alicujus partis operis injuncti, Indulgentiæ conſecutionem non impedit.

279 INQUIRES primò, an, ſi parva quantitas injuncti operis omittitur, impediatur Indulgentia? Ambigunt Doctores: nec immeritò Indulgentia valet, prout ſonat. Conditio eſt de integritate operis, quod niſi integrum ſit, videtur conditio inexpleta. Cæterùm non videtur materiæ parvitas immutare ſubſtantiam rei. Auditio ſacri, omiſsâ minimâ parte, recitatio Officii, Pſalmo relicto, jejunium ex modico imperfectum, abſolutè dicuntur jejunium, recitatio, auditio. Adverte: materia, quæ parva eſt in ordine ad unum, non erit parva in ordine ad aliud, v. g. omiſſio unius *Pater* in Roſario modicum reputabitur; non comparativè ad onus recitandi ſolùm quinquies *Pater*: hæc igitur materiæ parvitas non abſolutè, ſed reſpectivè penſitanda eſt.

280 INQUIRES ſecundò, an, quando indeterminatè imponitur onus, v. g. oratio, vel eleemoſyna, ſufficiat minimum quid unius, vel alterius?

SUP-

Quæ quantitas operis requiratur, ſi opus injungatur indeterminatum.

SUPPONITUR I. aliquando opus injungitur determinatum in ſpecie, & numero v. g. tanta eleemoſyna, talis oratio: & tunc certò præſtandum eſt, quod eſt determinatum. Aliquando injungitur opus disjunctivè, vel jejunium v. g., vel eleemoſyna: tunc alterutrum ſat eſt. Sin opus determinetur ſolùm in ſpecie, non autem numero, v. g. eleemuſyna, aut oratio, tunc quæritur, an ſi quis minimum præſtet orationis, aut eleemoſynæ, lucretur Indulgentiam. Bellarminus *de Indulg. lib. 1. cap. de cauſa Indulgentiæ* reſpondet negativè, & probat exemplo. Si finis Indulgentiæ ſit converſio Hæreticorum, atque indeterminatè præcipiatur oratio, certè unum *Pater*, & *Ave* non erit ſatis; etenim operi injuncto eſſe debet aliqua cum fine proportio, quæ ſanè abeſt tam modicæ orationi cum tanto fine, ſimul etiam ſumptæ cum aliorum Fidelium precibus. Idem ſenſus videtur *D. Thomæ* q. 25. ſuppl. art. 2. ad 3. ubi: Denarium, ait, reſpectu pauperis fore ſubſidii ſatis ad fabricam erigendam, quæ finis eſt Indulgentiæ, ſecus reſpectu divitis.

Minimū opus non ſufficit pro Indulgētia.

Quæ reſolutio Bullarum tenori conſona eſt, in quibus, dum imponitur eleemoſyna, addi ſolet particula, *quantum ferunt vires uniuſcujuſque*; quare videtur ſupponere, quòd minimum opus ab eo præſtitum, qui longè majus poteſt, ad Indulgentiam non ſufficere.

Sufficit opus internum.

281 SUPPONITUR II. Injunctum opus ſatis eſſe etiam merè internum, & hoc in praxi; nam ſemper imponitur contritio, quæ eſt actus internus. Licèt autem non ſemper ſit tota conditio, eadem tamen eſt ratio de parte, ac de toto. Item conceditur Indulgentia facienti veſperæ examen conſcientiæ, quod ſola mente fit: in articulo mortis Indulgentia impenditur invocantibus corde Sacratiſſimum JESUS, vel MARIÆ nomen, ſi ore proferri nequit. Ratio eſt; quia opus internum, v. g. oratio mentalis, poteſt eſſe valdè proportionata, & conducens ad finem intentum, puta ad Hæreticorum converſionem, ad concordiam inter Chriſtianos Principes.

282 DICES cum *D. Bonaventura*: Eccleſia non judicat de internis: ergo opus purè internum non eſt ſatis.

Eccleſia apponit conditiones pro Indulgentia.

RESP. Laudato axiomati ſuæ inſunt difficultates, & in noſtro caſu non eſt locus; nam Eccleſia non judicat internum, ſed volentibus lucrari Indulgentiam hanc ponit conditionem, in quo nullum eſt inconveniens.

283 DICES iterum cum eodem Doctore: Indulgentia ponitur loco ſacramentalis pœnitentiæ; ſed hæc debet eſſe opus externum: ergo.

Opus injunctum non eſt loco pœnitentiæ.

RESP. Inſtantia deficit *primò*, quòd opus injunctum non ponitur loco ſacramentalis ſatisfactionis; ſed eſt Indulgentia, quæ ejus loco ponitur, & non quidem directè, ſed quatenus effectus Indulgentiæ, nempe relaxatio pœnæ debitæ coram Deo, tollit onus præſtandæ ſacramentalis pœnitentiæ. Deficit *ſecundò*; quia falsò dicitur pœnitentia eſſe non poſſe opus merè internum; cujuſmodi ſunt mentis oratio, & actus contritionis, qui ſolent a Confeſſariis imponi, & utique valdè ſatisfactivi ſunt. *Tertiò* tandem deficit; quia ſacramentalis pœnitentia injungitur per verum judicium particulare ſecundùm allegata, & probata in foro ſacramentali. Indulgentia verò per ſolam generalem ſententiam, & opus præcisè exactum ùt conditio, ſeu ùt medium conducens ad finem extrinſecum intentum.

Cultus Sanctorum per actus internos.

284 DICES tertiò. Opus injungitur ad honorem Sanctorum, & ad publicam Eccleſiæ utilitatem; at iſta per actiones exteriores obtinentur: ergo.

RESP. æquè benè hæc habemus, & ſæpè meliùs per actiones interiores. His poſitis, venio ad propoſitam difficultatem.

285 Status quæſtionis eſt, an *opus injunctum adimpleri debeat in ſtatu gratiæ*, v. g. an viſitatio Eccleſiæ, jejunium, & ſimilia præſtanda ſint a Perſona Deo grata. Circa hanc difficultatem triplex verſatur ſententia: duplex extrema, altera media: prima tenet neceſſarium eſſe ſtatum gratiæ, quando opera injuncta adimplentur. Hanc defendit *Cajetanus* tract. 9., & 15. de Indulg., & plures ex Scholaſticis, tutiorem fatetur *D. Antoninus*, & abſque dubio probabilior eſt. Altera docet non eſſe neceſſarium ſtatum gratiæ, & hanc theſim poſt *D. Antoninum* ſequuntur plures ex recentioribus. Tertia diſtinguit Indulgentias conceſſas ob extrinſecum finem immediatè temporalem, cui conſequendo æquè conducit opus factum in peccato, ut pro Templo erigendo, pro bello contra Turcas gerendo, & hujuſmodi, quæ veniunt ſub formula: *Manus adjutrices*. His neceſſariò non exigitur ſtatus gratiæ: ſi verò Indulgentiæ ſint ad finem extrinſecum ſpiritualem, puta ad obtinendam a Deo pacem inter Catholicos Principes, ad Hæreticorum, & Infidelium converſionem, ad rectum Summi Pontificis regimen, aut pro fine, cui affectando fuerit neceſſe Deum exorare, ut aliquod bonum impertiri nobis dignetur, vel malum avertere, in his conditionem implendam eſſe in ſtatu gratiæ, docet Bellarminus *lib. 1. de Indulg. cap. 13.*, aliique ex antiquis, & recentioribus, & utique rationi magis conſentanea videtur opinio.

Pro qua NOTO in præſenti difficultate non comprehendi omnia, quæ ad Indulgentiam neceſſaria ſunt, opera etiam remota, ſed proxima tantùm. Si quis ab Hiſpania Romam accedens in peccato, ſed antequam Romæ exordiatur opera injuncta, puta jejunium, Eccleſiarum Viſitationem, ſe in ſtatu gratiæ ponat, abſque dubio lucretur Indulgentiam; quia illud opus remotum, iter v. g. de materiali ſe habet, & per accidens. His poſitis.

§. II.

§. II.

Formula conceſſionis indicat requiri ſtatū gratiæ.

286 DICO. *Opera exercenda pro effectu Indulgentiæ ſtatum gratiæ requirunt.* PROB. I. Regulariter Pontifices in concedendis Indulgentiis opera complexivè uniunt cum vera pœnitentia; formula ſiquidem ordinaria eſt, *Concedimus Indulgentiam omnibus, qui contriti, vel verè Pœnitentes viſitaverint talem Eccleſiam, tale, vel tale opus fecerint.* Ponderandæ ſunt Conſtitutiones de indictione Jubilæi CLEMENTIS VII., JULII III., & GREGORII XIII., in quibus expreſsè habetur, *ut Fideles confeſſi, & verè pœnitentes viſitent Eccleſias.* Si in Jubilæis, ubi gratia Sedis Apoſtolicæ ſolet eſſe liberalior, Populus eſt frequentior ex remotis etiam Provinciis, certòque certiùs plures inquinati ſunt mortali crimine, exigitur nihilominus ad opera adimplenda ſtatus gratiæ; a fortiori in ordinariis quibuſcumque Indulgentiis illa particula, *pœnitentes, & contriti viſitaverint* &c. ſignificat opus in ſtatu gratiæ exequendum. Quoniam verò Indulgentia ſemper intelligitur juxta conſuetam formulam, niſi fiat exceptio; ideo etiamſi non exprimatur, dummodo non excludatur poſitivè, ſemper eſt ſubintelligenda conditio, ut opus fiat in ſtatu gratiæ.

Finis Indulgentiarum.

287 PROB. II. Opus Injunctum pro Indulgentia ut deſerviat, debet eſſe fini, pro quo fertur, proportionatum; ſed opus in ſtatu peccati exercitum non eſt proportionatum fini: ergo non deſervit ad lucrandam Indulgentiam. *Explicatur minor.* Finis expreſſus Indulgentiarum, quæ noſtris temporibus conceduntur, eſt, ut Deum moveatur ad dandam pacem Chriſtianis Principibus, ad Infideles convertendos, ad dirigendum Pontificem in recto Eccleſiæ regimine; ſed opus mortuum non eſt aptum ad hæc: ergo non habet proportionem cum fine.

Indulgentiæ Sacramentis vivorum cōparantur.

288 PROB. III. Eccleſiæ Theſaurus ex operibus vivis conflatur: ergo per viva item opera debet applicari. Quando Theſauri fit copia in Sacramentis, quæ per ſe non juvant niſi ſpiritualiter Vivos, vivæ etiam ſint oportet diſpoſitiones proximæ actuales, ut in Sacramentis Vivorum elucet. Porrò Theſaurus per Indulgentias ſolùm impenditur Vivis, eaque propter communis eſt Doctorum ſententia effectum Indulgentiæ, nempe deletionem pœnæ nunquam produci, niſi deletâ jam culpâ; ac proinde in modo agendi Vivorum Sacramentis Indulgentia comparatur.

Opus injunctum debet eſſe aliqualiter ſatisfactivum.

289 PROB. IV. Ideo apud Doctores opus ad Indulgentias injunctum de ſe tantæ non eſt tantæ ſatisfactionis, quantæ Indulgentia eſt; quia gratia Indulgentiæ in eo conſiſtit, ut propter opus de ſe pœnæ minoris ſatisfactivum major remiſſio concedatur: ergo ſupponitur opus aliqualiter ſatisfactivum. Sed opus in peccato nullius eſt ſatisfactionis apud Deum: ergo.

Si opus mortuum eſt, Indulgētia eſſet indiſcreta.

290 PROB. V. Finis partialis, propter quem opus injungitur, eſt ne Indulgentiæ ſint indiſcretæ, ut dicit INNOCENTIUS III.; ſed per opus mortuum non evitatur indiſcretio Indulgentiæ: ergo. *Explica argumentum.* Indiſcretio in eo conſiſtit, quod frequentatis Indulgentiis abſque causa ſatisfactio ſacramentalis enervetur; quia eximitur Pœnitens a debito luendæ perſonali pœnæ. Ut huic relaxationi fiat modus, aliquod apponitur gravamen, ſubrogaturque in partem pœnitentiæ ſacramentalis, vel Canonum. Sed nulla ſacramentalis pœnitentia, ut proſit, fieri debet in ſtatu peccati: ergo etiam opus injunctum: & maximè quod adimpletum in peccato nunquam reviviſcit; nam opus mortuum, quocumque poſito, non redit ad vitam; ſolùm etenim reviviſcit, quod eſt mortificatum.

291 PROB. VI. Cauſa rationabilis requiſita in Indulgentiis pro Vivis concurrit ad fundandam infallibilitatem juſtitiæ; ſed opus Injunctum exercitum in peccatu jus juſtitiæ apud Deum fundare non poteſt: peccatores ſiquidem non exaudit Deus: ergo.

292 PROB. VII. Ut *S. Thomas* docet, cauſa pia tendere debet in Dei honorem, & Eccleſiæ utilitatem; ſed opus exiſtentis in peccato, quamvis in ſpecie bonum ſit, non cedit in Dei honorem, & utilitatem Eccleſiæ, & ideo in Scriptura conqueritur Deus, quòd pollutis labiis eum laudant Sacerdotes, & Populus: ergo.

§. III.

CONTRARIORUM ARGUMENTA SOLVUNTUR.

293 OBJIC. 1. Poteſt Pontifex Indulgentiam facere injungendo opus abſtrahens a ſtatu gratiæ, & peccati: ut enim ſubſiſtat Indulgentia, ſufficit legitima auctoritas in Concedente, pietas cauſæ, capacitas in Recipiente; ſed ſi poteſt, ita ſemper debemus interpretari; (quia favores ſunt ampliandi) ergo.

RESP. Utique verum eſt, requiri ad Indulgentiam in Concedente legitimam auctoritatem, in Recipiente capacitatem, & pietatem in cauſa, ſeu cauſam piam. Hæc autem non debet eſſe utcumque pia, ſed rationabilis, & proportionata; non eſt autem hujuſmodi, niſi fiat ab exiſtente in gratia, ſicut probatum eſt: & in hoc ſenſu Indulgentia interpretanda eſt; nec alia valet interpretatio, quia repugnaret Bullarum tenori, ùt probat prima ratio adducta: repugnaret fini, ùt probat ſecunda; & licèt Indulgentia ſit favorabilis, quia debitum noſtrum ex alieno ſolvit, eſt tamen odioſa, quatenus perſonales ſatisfactiones enervat; ideoque opus illud injunctum, ut talem enervationem impediat, vim debet aliquam ſatisfactivam habere; nullum autem haberet opus mortuum.

Quando Indulgentia dicitur favorabilis, & odioſa.

294 OBJIC. 2. Poteſt Summus Pontifex indulgere abſque operis conditione: ergo multò magis ſub conditione operis ſecundùm ſe boni, non attendendo ad ſtatum gratiæ, aut peccati.

RESP.

RESP. *nego conſeq.* nam quando nullum opus imponitur, aliunde cauſa eſt adæquata, & finis aliunde obtinetur: attamen quando opus injungitur, conducere debet ad proportionandam cauſam; opus autem mortuum ad nihil deſervira poteſt. Notandum: aliqua abſolutè omitti poſſunt; at ex ſuppoſitione, quòd fiant, tali modo fieri debent. Ita ex ſuppoſitione, quòd Pontifex injungat opus, debet eſſe rationabile, ideſt conducens ad finem intentum, ac per conſequens debet eſſe opus factum in gratia.

Opus injungitur ad complendam cauſam.

295 OBJIC. 3. Finis Indulgentiarum eſt Fidelium utilitas, & morum reformatio; ſed opus moraliter bonum in Peccatore utile eſt ad hunc finem; quia ſaltem remotè diſponit ad juſtitiam, & in agenta poteſt mores corrigere: ergo.

RESP. Opus debet eſſe proportionarum non ſolùm fini intrinſeco, & ſecundario, ſed extrinſeco etiam, & primario. Perfectio Fidelium eſt finis intrinſecus, & ſecundarius. Non eſt ergo ſatis, quòd opus injunctum remotè conducat ad juſtificationem: deindè etiamſi perfectio Fidelium eſſet finis extrinſecus, & primarius, non concluderet argumentum; nam diſpoſitiones proximæ actuales pro Indulgentia ejus naturæ correſpondere debent: natura verò Indulgentiæ eſt Vivis ſuum effectum communicare; unde opera debent eſſe vitalia; ſicut a paritate in Sacramentis Vivorum declaravimus.

Debet dari proportio cū fine primario.

296 OBJIC. 4. Opus in ſpecie bonum, ſed in individuo malum; quia aliquo gravi, vel levi peccato vitiatur, ſecundùm Doctores valet ad lucrandam Indulgentiam, & ratio eſt; quia non minùs ad honorem, & laudem Dei ordinantur præcepta, quàm Indulgentiæ; ſed per opus in ſpecie bonum, utvis malum in individuo adimplentur præcepta: ergo per actum bonum in ſpecie, licèt in individuo malum, lucrari Indulgentias poſſumus: ergo a fortiori per opus bonum exercitum in ſtatu peccati; nam minùs vitiat actum ſtatus peccati, quàm actuale peccatum actui conjunctum.

RESP. peccatum veniale, quando conjungitur cum actu bono concomitanter, & per accidens, tunc non vitiat actum bonum. & actus bonus in individuo remanet meritorius, & ſatisfactivus, & ad lucrandæ ſufficit Indulgentiæ. Quando veniale influit in actum bonum, tunc illum vitiat, & pravum efficit, demeritorium, & diſplicentem Deo, & tunc actus ille non ſufficit pro lucranda Indulgentia; quia eſt contra proportionem ad finem, & non ſolùm non eſt placativus Dei, ſed ipſum ad indignationem provocat. Ad probationem verò reſpondeo: non omnia præcepta per pravum actum adimplentur, ùt patet de præcepto Confeſſionis, & Communionis, & eorum, quæ ſubſtantiam, & modum præcipiunt: & ex iſtis paritas deſumenda eſt propter Indulgentiæ naturam.

Peccatum veniale dupliciter conjungitur cum actu bono.

297 OBJIC. 5. Si opus in ſtatu gratiæ eſſet adimplendum, neceſſe foret Confeſſionem præmittere pro juſtificatione; ſed hoc eſt contra praxim; ſolent enim opera injuncta, puta eleemoſynam, jejunium, Eccleſiæ viſitationem præmittere: ergo.

RESP. Aliquando ante alias conditiones expreſsè confeſſio præcipitur per hæc verba, *qui confeſſi viſitaverint* &c., ùt in probatione concluſionis adnotavimus, & tunc quidem confeſſio præmitti debet. Dum verò id non exprimitur, planè ſufficiet juſtificatio ex contritione, cum propoſito confitendi: quoad praxim Religioſi plures ſolent, & pii Seculares confeſſionem præmittere: alii id non faciunt ex ignorantia obligationis, vel ducti oppoſita probabili opiniona; quæ ſi vera ſit, fructum Indulgentiæ acquirunt, ſin falſa, illum amittunt.

Plures præmittunt Confeſſionem.

298 DICES. Si res ita ſe habet, perpauci Indulgentiæ fiunt compotes, cùm pauci mundo corde jejunent, viſitent Eccleſias &c.

RESP. concedendo Inſtantiam valdè conſentaneam uſui Eccleſiæ, quæ ad eundem finem Indulgentias iterat, revelationibus, & Doctorum ſenſui, qui ob incertitudinem, & difficultatem acquirendæ Indulgentiæ ſuadent perſonales ſatisfactiones haud eſſe negligendas.

Rarò acquiruntur Indulgentiæ.

299 DICES *ſecundò*. S. Thomas *quæſt.* 25. *ſuppl. art.* 2. aſſerit, Indulgentiam non attendi juxta meritum lucrantis: & de facto ad eam non requiritur meritum, cùm ſit Privilegium; hinc qui plus meriti habet, non indè majorem lucratur Indulgentiam.

RESP. Ad affectum proprium Indulgentiæ non requiritur meritum; quia Indulgentiæ effectus eſt ſolutio pœnæ ax alienis ſatisfactionibus; tamen eſt neceſſarium ratione finis, cui impenditur Indulgentia, ſcilicet ut Deus moveatur ad hoc, vel illud concedendum, quod non fit ex opere non meritorio. Deindè opus debet eſſe alicujus pœnæ ſatisfactivum, ut ampliorem Indulgentia remiſſionem pariat. BONIFACIUS VIII. in ſua extravaganti dixit: *Unuſquiſque autem plus merebitur, & Indulgentiam efficaciùs conſequetur, qui Baſilicas ipſas ampliùs, & devotiùs viſitaverit*: efficaciùs conſequetur, qui enim devotiùs exequitur præſcripta opera, certiorem reddit cauſam, & indiſcretio Indulgentiæ certiùs tollitur, quando opera ſunt magis ſatisfactiva. Obiter adverte phraſim Pontificis, *efficaciùs conſequetur, qui devotiùs viſitaverit*: ergo efficaciter, qui devotè: ergo inefficaciter, qui indevotè. Sicuti major, minorve devotio majorem, minoremve conſecutionem connotat, ita nulla nullam.

Ad effectum Indulgentiæ nō requiritur meritum.

300 INFERTUR *primò*. Qui ſatisfacit, & conditiones per alium exequitur, ſit oportet in gratia; ipſe enim Indulgentiam lucratur, & cujus nomine fiunt opera. Ei verò, per quem operatur, non eſt ſtatus gratiæ neceſſarius, ſi in opere exequendo ſe habet præcisè ùt Inſtrumentum, & Miniſter; ſicuti ſe habet Famulus, vel Miniſter in largitione eleemoſynæ. Sin autem in opere ſe gerat ùt cauſam principalem proximam, ùt dum opus eſt perſonale, quemadmodum flagellatio, jejunium, oratio, & ſimilia, debet eſſe in gratia; hæc enim opera Deum non movent, niſi

Satisfaciens per alium debet eſſe in gratia.

prout

pront a Juſto elicita ; quamvis bona etiam voluntas Imperantis ſecundùm ſe moveat.

Quando per alium acquiritur Indulgentia.

301 Quòd ſi percancteris, an quis lucrari Indulgentiam poſſit per alium ? In illis operibus, quæ per Miniſtros fieri conſueverunt, poteſt, ſive exprimatur, ſive non, dummodo oppoſitum non colligatur expreſsè. Secus in iis, quæ per alium præſtari non ſolent per Inſtrumentum, niſi explicetur; quia opera ſunt perſonalia : ita communiter.

Status gratiæ pro privilegiis annexis non requiritur.

302 INFERTUR *ſecundò* ſtatum gratiæ neceſſarium non eſſe pro uſu privilegiorum, quæ aliquando in Bullis Indulgentiæ conceduntur, ùt facultas eligendi Confeſſarium, comedendi laticinia diebus vetitis, audiendi Sacrum tempore Interdicti, vel in privatis Oratoriis, & ſimilia ; quia hæc ſunt accidentalia, & extrinſeca Indulgentiæ, & æquè benè conducunt ad finem intentum, ſive cum gratia, ſive cum peccato exerceantur, ùt ſuppono : ſi enim aliunde ſtatum gratiæ requirunt, non valet illatio.

CONTROVERSIA XVIII.

AN, QUANDO INJUNGITUR CONFESSIO, INTELLIGATUR DE CONFESSIONE IN VOTO.

SÆpe Pontifices Indulgentias concedunt ſub hac formula : *Concedimus verè Pœnitentibus, & Confeſſis* &c., quarum exempla habemus in extravaganti *de pœnit.*, *& remiſſ.*, Clement. unic. *de Reliq.*, *& venerat. Sanctor.*, In Concilio Lateranenſi ſub INNOC. III. decret. ultimo, & alibi, tam ſecundùm antiquam, quàm ſecundùm hodiernam conſuetudinem. Inquirimus ergo, dum exprimitur Confeſſio, utrum neceſſe ſit illam ponere in re, an ſufficiat in voto : hoc tenet *Paludanus* in 4. diſt. 20. q. 4. art. 3., niſi in caſu, quo quis attritionem ſolùm habeat, quem plures Summiſtæ ſequuntur. Primum defendunt *Adrianus*, *Durandus*, *Cajetanus*, & alii ſive ex Antiquis, ſive ex Modernis, cum quibus

Confeſſio in proprietate ſonat confeſſionem in re.

303 DICO : *quando confeſſio exprimitur, neceſſaria eſt confeſſio in re* : hæc ſententia ſeverior eſt, & ſuadenda etiam per Adverſarios. PROB. I. Secundùm laudatum axioma : *Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant* ; ſed confeſſio in proprietate ſermonis, & ſecundùm regulas juris, & Conciliorum ſonat Confeſſionem in re, & non ſolùm ejus propoſitum : ergo in re requiritur, nec ſufficit in voto.

Propoſitio copulativa utrumque importat.

304 II. Secundùm regulam Scripturæ, Canoniſtarum, & Philoſophorum propoſitio copulativa utramque partem comprehendit ; ſed hæc propoſitio *Contritis, ſeu verè Pœnitentibus, & Confeſſis* eſt copulativa : ergo utramque comprehendit ; atqui interior pœnitentia, ſeu contritio debet eſſe in re, & non ſolùm in propoſito : ergo etiam confeſſio : & conſtat a pari : quando in Bulla ponitur, *qui Eccleſiam viſitaverit, & oraverit*, ajunt Adverſarii utrumque poni oportere, viſitationem ſcilicet, & orationem ; quia propoſitio eſt copulativa : ergo idem dicendum erit in noſtro caſu, cùm propoſitio idem ſit copulativa.

Pontifex intendit frequentiam Sacramentorum.

305 III. Quando Confeſſio, & Communio exprimuntur, intendit Pontifex pro fine ſaltem ſecundario frequentiam, & reverentiam Sacramentorum promovere, cùm in hoc Chriſtiani, niſi excitentur, negligentes ſint ; ſed veneratio, & frequentia Sacramentorum per ſolam Confeſſionem, & Communionem in voto non promovetur : ergo requiritur in re.

Quando ſufficit Confeſſio in voto.

306 IV. Quoties non eſt eadem ratio de Confeſſione tantùm in voto, & in re : nomen confeſſionis explicari non debet de confeſſione tantùm in voto ; ſed non eſt ratio eadem ; nam ex confeſſione in re multò majora bona eveniunt, majuſque adeſt certitudo gratiæ, & major labor, qui ad proportionandam cauſam concurrere poteſt : ergo intelligi non debet de ſolo Confeſſionis voto.

Indulgentia redimit injunctas pœnitentias.

307 V. Indulgentia per ſe primò redimit pœnitentias injunctas ab homine ; ſed pœnitentiæ ab homine non injunguntur niſi in confeſſione in re : ergo realis confeſſio requiritur.

Rarò quis per contritionem juſtificatur.

308 VI. Pontifex concedens Indulgentiam univerſalem intendit, quantum eſt de ſe pluribus, immo omnibus prodeſſe : ergo intendit ponere medium regulariter neceſſarium, ut eam plurimi lucrentur ; ſed ad hunc finem neceſſaria eſt confeſſio in re, rarò enim quis per contritionem juſtificatur : ergo, quando exprimitur Confeſſio, abſque dubio intelligitur de reali.

Cõmunio exigitur in re.

309 VII. Sicut Confeſſio imponitur ad acquirendum ſtatum gratiæ, ita Communio ad majorem puritatem, & gratiam ; ſed licèt utrumque aliunde haberi queat, Communio requiritur in re : ergo non obſtante, quòd ſtatus gratiæ aliunde poſſit obtineri, Confeſſio erit neceſſaria in re, ſaltem quando exprimitur.

RESOLVUNTUR ARGUMENTA.

310 OBJIC. 1. Confeſſio præſumitur imponi pro recuperanda gratia ad effectum Indulgentiæ neceſſaria ; ſed gratia ſolà confeſſione in voto recuperari poteſt : ergo non eſt neceſſaria in re.

Ex pluribus motivis poteſt injungi confeſſio.

RESP. Major probari debet, non præſumi ab Adverſariis, qui tanquam certo principio innituntur. Non debet etenim determinatè mens Pontificis præſupponi pro una parte, quando plurimæ adſunt rationes pro alia. Non eſt dubium, quin faciens Indulgentiam poſſit velle confeſſionem in re, tanquam conditionem ad effectum Indulgentiæ : non eſt dubium, quin faciens Indulgentiam injungere poſſit confeſſionem in re, pro adæquanda cauſa, pro frequentia illius Sacramenti promovenda, pro majori ſecuritate ſtatus gratiæ. Ut ergo credamus eam injungi tantùm pro gratia recuperanda, certa, & efficax ratio aſſignari debet. Deinde *diſting. min.* Gratia recuperatur per confeſſionem in voto, ùt in paucioribus, *concedo*,

ùt

ùt in pluribus, *nego*. Pontifex autem plures, immo omnes Indulgentiis juvare intendit, ideo generale facit privilegium, & generale ponit medium ad finem conducens.

311 OBJIC. 2. Si confeſſio eſt neceſſaria in re, etiam contritio propriè dicta erit neceſſaria; ſed hoc eſt falſum: aliter qui cum ſola attritione confeſſus non lucraretur Indulgentiam: ergo. *Sequela oſtenditur*: ſicut formula confeſſionem, ita èt contritionem imponit: ergo ſicut injungit veram confeſſionem in re, ita èt veram contritionem.

Nomine contritionis venit etiam attritio.

RESP. Si quis ſequelam concederet, nullum eſſet inconveniens; quia utrumque imponi poteſt pro conditione. Cæterùm *negatur ſequela*; quia in proprietate ſermonis apud Patres, & ſecundùm modum loquendi Scripturæ, verbum *contritio* ſignificat dolorem de peccatis, ſive ex amoris motivo, ſive ex motivo pœnæ, & timoris, ſicut hoc nomen *pœnitentia*; & in vulgari modo loquendi ſæpe in eodem ſenſu uſurpatur; adeoque abſque inconvenienti textus accipitur pro contritione perfecta, & imperfecta; ſecus eſt de verbo Confeſſio, quæ in proprietate ſermonis, & ex communi modo loquendi realem confeſſionem ſignificat.

312 OBJIC. 3. Si ex dicta formula eruitur confeſſio in re, ſequitur, quod qui habet ſola venialia, confiteri deberet pro lucranda Indulgentia; hoc a Doctoribus non admittitur: ergo. *Sequela patet*. Bulla ſiquidem dicit *Contritis*, *& Confeſſis* non ſpecificando læthalia, aut venialia: ergo univerſaliter loquitur.

RESP. A pluribus conceditur major abſque abſurdo; nam pro habentibus ſola venialia imponi poteſt pro conditione ad lucrandam Indulgentiam, & neceſſaria eſſe poteſt ad adæquandam cauſam: nec nimis aſperum videtur; ſiquidem privilegium Indulgentiæ, & præcipuè plenariæ (quam non lucratur, niſi mundus ab omni culpa etiam veniali; cùm Indulgentia ſolius pœnæ relaxativa ſit) magnus eſt favor, quem libenter Fidelis acceptare poteſt ſub onere confeſſionis etiam culparum venialium: nec deeſt uſus apud Religioſos, ac Timoratos.

Magnum privilegium eſt Indulgentia.

Secundò alii defendentes aſſertionem noſtram *negant majorem*, *& aſſignant diſparitatem*; quia ex uſu Eccleſiæ ſolùm mortalium confeſſio ſolet præcipi; maximè quia confeſſio abſolutè appellat ſupra mortalia, ſicut mortalia abſolutè dicuntur peccata; immo videmus graviorea pœnitentias ſive ab homine, ſive a Canone pro mortalibus imponi; undè in Indulgentiis confeſſio in re abſolutè accipitur pro gravibus peccatis.

Confeſſio appellat ſupra mortalia.

313 DICES. Moraliter fieri non poteſt, ut quis omnia confiteatur venialia: ergo prima reſponſio non ſubſiſtit.

RESP. *nego ant.* Non eſt neceſſe confiteri, niſi ea, quæ poſt moralem diligentiam occurrunt, ſicut proportionabiliter dicitur de mortalibus. Si qua verò fuerint omiſſa, delentur per generalem confeſſionem, quæ ſe habet adinſtar virtualis eorundem deteſtationis. Quocirca ſi in opinione quorundam ſola attritio delet venialia, a fortiori extinguet generalis ea ſimul cum attritione, vel contritione conjuncta accuſatio.

Venialia per generalē confeſſionem delentur.

314 OBJIC. 4. Ex forma juris confeſſio ſonat confeſſionem in Paſchate præceptam: ergo lucraturo Indulgentiam ſufficit ſtato tempore in annum confiteri.

RESP. *diſtinguo ant.*: ex forma juris, quæ habetur in cap. *Utriuſque ſexus*, *concedo*, juris Indulgentiarum, *nego*. Quis credat velle Pontificem obligare ad confeſſionem dumtaxat annualem? Quando Indulgentiam dat Confeſſis, vel Communicantibus, non intendit Communionem Paſchatis; verùm ſicut pro tempore determinato aſſignat Indulgentiam, ita etiam vult conditiones adjectas adimpleri. Ratio eſt; quia Indulgentiæ conceſſio eſt privilegium, & diverſum ab eo fructum gignit, qui per communem legis adimpletionem reportatur; unde etiam opera impoſita diverſa eſſe debent, & ab iis diſtincta, ad quæ per leges communes obligantur Fideles.

Confeſſio annualis nō ſufficit.

315 DICES. Si confeſſio neceſſaria eſt, & quidem realis, fruſtra in Bullis exigeretur contritio, quandoquidem confeſſio non ſtet abſque dolore.

RESP. *nego conſeq. ſubſum.*, tum quia ſufficit ad majorem expreſſionem poni, ſicut fit in aliis caſibus; tum ut tollatur dubium, an ſufficiat confeſſio invalida, qua aliàs annuæ confeſſionis præcepto ſatisfieri quidam docebant: quod a fortiori dubitari poteſt, an pro lucranda Indulgentia ſufficiat. Quare Indulgentia Concilii Lateranenſis ſub INNOCENT. III. attribuitur Contritis corde, & confeſſis ad diſtinguendam Indulgentiam ſolis Contritis attributam, quæ forma aliquoties eſt uſitata, & proinde in aliis quibuſdam Indulgentiis additur *Confeſſis*, ad exprimendum aliquid plus, ut ſcilicet concipiatur imponi tanquam conditio ad illas lucrandas, & non præcisè tanquam medium ad acquirendum ſtatum gratiæ; nam cùm ad hanc ſufficiat contritio ex dilectionis motivo, ne quis credat injungi confeſſio ad hunc finem, ſed pro cauſa, utrumque explicatur. Sicut ergo haud fruſtra in Bullis quibuſdam dicitur *verè Pœnitentibus*, *corde contritis*, licèt pœnitentia debeat eſſe vera ad lucrandam Indulgentiam, & contritio ſit dolor cordis; ita in noſtro caſu.

Quare ponatur contritis, & confeſſis.

316 OBJIC. 5. Si confeſſio requiritur in re, ſequitur unica non poſſe confeſſione plures eodem die conceſſas Contritis, & confeſſis Indulgentias acquiri; nam die non ſolet eodem iterari confeſſio; ſed hoc videtur contra praxim: ergo.

RESP. Argumentum hoc ſolvant Adverſarii in caſu, quo exigatur communio, quæ multò minùs poteſt iterari. Igitur hæc particula *Confeſſis* ſolet dumtaxat in Plenariis apponi, quarum ſi unam lucreris, non datur alteri acquirendæ locus, niſi novum committatur peccatum. Tunc ſicut repetendus eſt dolor ad aliam Indulgentiam, ita non eſt abſurdum novam confeſſionem ponere. *Secundò*. Juxta communem, confeſſione non iterata, pluribus nemo potiri Indulgen-

dulgen-

Quando eodē di. iterari poſſit Indulgentia.

dulgentiis poteſt ſub hac formula, *qui confeſſi viſitaverint*; eſt enim conditio prærequiſita ad viſitationem. *Tertiò*. In aliis formulis *concedimus Contritis, & confeſſis* ſufficit ad plures Indulgentias unica ejuſdem diei confeſſio; quia intelligitur quidem per modum conditionis, ſed generalis, & etiam quia videtur Pontifex intendere, ut in hoc ſenſu ponatur obligatio, cùm agitur de operibus, quæ vel iterari nequeunt die eodem, ſicut jejunium, vel uſu non iterantur, ſicut Communio, inter quæ acccenſetur confeſſio. Hinc qui noſtræ opinioni adſtipulantur Doctores, inferunt non eſſe neceſſariam eodem die confeſſionem in caſu formulæ mox explicatæ: ſatis fore, ſi poſita fuerit pridie, vel tribus etiam ante diebus, eo quòd per modum generalis conditionis exigatur, & ita ad communionem præmitti conſueverit.

317 Num autem unico opere quiſquam poſſit plurium compos Indulgentiarum fieri, diſtinguendum eſt. Si plures unico actu concedantur, ùt quando dicitur, talem Eccleſiam inviſenti Indulgentias Stationum Urbis Romanæ concedimus, uno tnoc opere omnes acquirimus. Sin autem concedantur diverſis actibus, ùt dum habenti unam Crucem, datur alia præſeferens Indulgentiam ſub conditione unius *Pater*, & *Ave*, tunc abſque dubio opus multiplicari debet; quia diverſa eſt formaliter conceſsio, diverſus effectus, cùm ex duplo pœna remittatur, ac proinde multiplex opus eſt neceſſarium.

Multiplicatâ Indulgentiâ, debet opus multiplicari.

Fateor planè: opus ſufficere idem poteſt pro cauſa utriuſque Indulgentiæ adæquata, dum altera Deo placando, altera Sancto cuiquam honorando impenditur ſub conditione orationis, quoad utrumque poteſt finem deſervire. Veruntamen licèt idem opus in ſpecie utrique motivo deſerviat; non tamen idem numero opus pro duabus numero Indulgentiis ſat eſt; quælibet enim eſt peculiaris conceſsio ſub propria ſingillatim conditione.

316 DICES. Plures quandoque eodem actu leges adimplemus: ergo actu eodem plures etiam Indulgentias adipiſcimur.

Plures leges non adimplētur unico actu

RESP. *antecedens* non eſt in omnibus verum; plures namque ſunt leges, quibus non fit ſatis, niſi adimpleantur ſingulæ per ſuos peculiares actus; quæpote ſiue tali operationi, aut tempori alligatæ. Eadem ſanè recitatio Horarum non ſatisfacit hodiernæ ſimul obligationi, & craſtinæ: item, qui quatuor Petro debet ex furto, & totidem ex mutuo, non ſatisfacit utrique, ſi tantùm quatuor ſolvat. Haud aliter ſe habet Indulgentia, quæ impenditur pro Cruce A, & alligatur tali materiæ, ac tali conditioni, tenditque ad ſolvendum tale debitum v. g. ùt quatuor. Alia conceſſa Cruci B tali materiæ, ac conditioni adnexa dirigitur ad ſolvendum aliud debitum ùt quatuor: unde ſicut una Indulgentia non ſolvit ùt octo; ita una conditio, ſeu unum opus non valet pro utraque.

Cùm dixi plures Indulgentias poſſe lucrifieri per unum opus, quando uno actu conceduntur, intelligendum eſt de illis, quæ uniæ operi applicantur, v. g. *Viſitanti tale Sacellum concedimus omnes Indulgentias conceſſas Altari D. Petri Romæ*. Nam ſi in genere ſint applicatæ tali loco, v. g. *tali Eccleſiæ concedimus Indulgentias ſeptem Eccleſiarum Urbis*, intelliguntur conceſſæ viſitanti totidem Altaria. Sicuti quando conceditur Indulgentia Stationum, intelligitur pro illis diebus, quibus Romæ habentur. Adverte ſecundùm declarationem Cancellariæ in iſtis Conceſſionibus non comprehendi Plenariam, niſi exprimatur.

319 Ad complementum conditionum ex parte Suſcipientis quæritur, an neceſſaria ſit intentio lucrandi Indulgentias?

Quæ intentio requiratur pro Indulgētia.

Quidam ſentiunt affirmativè ex natura privilegii, quod non conceditur niſi volenti; maximè cùm ſit conditionatum, & exigat opus liberè exequendum. Quamobrem etſi ponatur opus injunctum, haud tamen conducit ad Indulgentiam, ad quam minimè ordinatur, ſed in alium finem, a quo valor operis abſumitur. Alii negativè reſpondent ex eo, quòd Fidelis orans pro alio, huic prodeſt etiam neſcienti: ita Pontifex communis Theſauri copiam facere poteſt etiam ignoranti, ſi modò ponantur requiſita. Ratio eſt; quia quiſque ſaltem implicitè intendit, ut ſua ſibi proſint opera, quantum poſſunt.

Ignorantia prodeſt neſcienti.

Hinc inferunt: ſi quis ratus ſe rem gratam amicu facturum impetret eidem Bullam, & eleemoſynam eroget, ſubſiſtit Indulgentia, dummodo ille ratum habeat; quia per ratihabitionem cenſetur ipſe fuiſſe eleemoſynam elargitus; ſecus dicendum, ſi amicus recuſaret, vel alteri tertio addiceret, qui ratum nequit habere, quod ſuo nomine non eſt factum.

Subſiſtit Indulgentia, ſi Amicus Bullam pro eo accipiat.

Habes ulteriùs non poſſe a religioſo Bullam acceptari, pro qua amicus eleemoſynam dedit, niſi per licentiam Prælati, cujus eſt facultatem eleemoſynæ faciendæ impertiri; illa etenim acceptatio eſt largitio eleemoſynæ per alium.

320 QUÆRITUR II. an conceſſam alicui Eccleſiæ Indulgentiam pluries lucretur, qui eodem die ipſam adeat pluries?

Quoties lucrari poſſit Indulgentia.

RESP. Si Indulgentia eſt perpetua, nec tempori alligata, acquiri poteſt, quoties inviſitur Eccleſia. Debet tamen viſitatio non eſſe moraliter continua, ſed disjuncta; nec multiplex ſit Indulgentiæ ejuſdem lucrum, ſi quis ingrediatur, & egrediatur ſucceſſivè; ille enim ingreſſus, & regreſſus non eſt moralis viſitatio multiplex, ſed continua potiùs deambulatio. Quando autem Indulgentia eſt temporalis, & diei adnexa, ſemel tantùm acquiritur. Si per totam octavam, vel novendium datur ad fovendam devotionem alicujus Sancti, vel Templi, qualibet die quis lucrabitur. Si detur ad plures dies, quia Populus unà ſimul accurrere non omnis poteſt, nequit lucrum iterari. Hæc citra diſputationem ſunt.

321 QUÆRITUR III. An, ut aliquis Indulgentiâ potiatur, neceſſe habeat mente proponere, ſe Deo pro viribus perſonaliter ſatisfacturum?

Cajetanus *tom.* 1. *quæſt.* 1. *tract.* 10., Navarrus *not.* 21. præter ſtatum gratiæ, & alia

Non requiritur propoſitū faciendæ pœnitentias.

alia requiſita exigunt etiam propoſitum affinem adnitendi, ut ea propriis Deo quiſque piaculiaria dependat. Sed enim communiter hæc conditio rejicitur a Doctoribus, qui ad Indulgentiam requirunt poteſtatem Concedentis, juſtam cauſam ſine obice, præterea nihil; atqui negligens ſatisfactiones perſonales non ponit obicem (ſuppono enim non peccare graviter) & adeſt juſta cauſa, licèt fortè pro Negligentibus debeat eſſe major, adeſt in Pontifice auctoritas: ergo dantur omnia pro valore. Idipſum evenit in diſpoſitione voti, quæ valida eſt, dummodo adſit juſta cauſa, & auctoritas Pontificis, etiamſi quis geſtiat voto exonerari. Itaque in Bullis habetur *Concedimus Pœnitentibus*, *Confeſſis* &c., nunquam tamen *volentibus ſatisfacere*; quia non requiritur hæc voluntas a *Cajetano*, *& Navarro* expetita, cùm Indulgentia ſuppleat.

122 DICES. In Bullis habetur *Concedimus verè Pœnitentibus*; ſed non ſunt verè Pœnitentes, qui hoc propoſito carent: ergo.

Quinam dicantur verè pœnitentes.

Neganda eſt minor. Verè pœnitens eſt, qui de peccato dolet, confitetur, paratuſque eſt facere mandata Confeſſarii; quamvis poſt mortem reſervet reliquam ſolutionem.

321 DICES ſecundò. Abſolutio ſacramentalis tantum de pœna remittit, quanta eſt diſpoſitio: ergo a pari: quantum fuerit propoſitum ſatisfaciendi, tantundem Indulgentia remittet.

Abſolutio operatur per modum cauſæ phyſicæ, Indulgentia per modum ſententiæ.

RESP. *neg. conſeq.* Abſolutio operatur adinſtar cauſæ phyſicæ ſe attemperantis cum ſubjecto: Indulgentia verò operatur per modum ſententiæ ſupponentis juſtam cauſam, legitimam auctoritatem, & conditionem adimpletam: quæ omnia adeſſe ſupponimus: cætera accidentalia ſunt.

324 DICES tertiò. Indignus eſt, cui de publico ſubvenitur, qui cùm poſſit, ſibimet ipſe nolit ſuccurrere, ſicut uſuvenit in civilibus: ergo.

Indignitas negativa, & poſitiva.

RESP. Hanc poſitivam non eſſe indignitatem, ſed negativam. Etiam Theſaurus temporalis ex juſta cauſa diſpenſatur potantibus ex proprio ſibi ære opitulari, præcipuè ex ſuperfluis, ùt hic accidit. Verùm hæc clariùs explicata ſolutio eſt P. V. Controv. VIII., & Controv. IX.

CONTROVERSIA XIX.

AN INDULGENTIÆ PROSINT DEFUNCTIS.

Nec Beatis, nec Damnatis Indulgentiæ prodeſſe poſſunt.

325 AD coronidem hujus doctrinæ aliquid de Indulgentiis diſputandum remanet, quæ mortali hac vita functis applicari poſſunt. Nomine Defunctorum veniunt purgantium animæ, quæ ſunt in ſtatu medio, & communem cum Beatis certitudinem habent ſalutis, & inſtar Viatorum debent pro peccatis remiſſis debitas Deo pœnas luere. Certum eſt enim Damnatos incapaces eſſe cujuſcumque Indulgentiæ; eò quia pœnis irremiſſibiliter illigantur juxta illud *ite in ignem æternum*, & Beati, cùm nulli piaculo ſint obnoxii, nullum etiam ex Indulgentiis fructum capiunt. Solæ itaque purgantes animæ in quæſtionem veniunt.

326 Recentiores Acatholici, dum Purgatorium è medio tollunt, Indulgentias purgantibus prodeſſe animabus tanquam de ſubjecto negant non ſupponente. Nec defuerunt ex Catholicis etiam, qui juxta Fidem Purgatorium confitentes, ab eo tamen Indulgentiarum ſuffragia excluderent, ùt *Hoſtienſis* in Summa lib. 5. ſub tit. de remiſs. §. *Quibus proſint*, & §. *Uti operantur*, Gabriel. *lect.* 57. *in Canonem Miſſæ*, Gerſon. *alph.* 60. *lit. B.* . . . Verùm oppoſitum omnino eſt tenendum; ideoque

Eccleſiæ uſus & doctrina circa Indulgentias pro Defunctis.

327 DICO: *Indulgentiæ proſunt Defunctis*. Hæc concluſio abſque errore negari non poteſt, & PROB. 1. Eccleſia uſu, & doctrinâ celebrat Indulgentias Defunctis prodeſſe; ſed Eccleſia decipere, aut errare non poteſt in his, quæ ad Fidem ſpectant, vel ad Mores; cùm ipſa ſit Veritatis fundamentum: ergo Indulgentiæ Defunctis proſunt. *Major patet* ex perpetua conſuetudine Pontificum concedentium pro Defunctis Indulgentias: ſic PIUS II., & INNOCENTIUS VIII., qui viſitantibus Eccleſiam Sanctonenſem Indulgentiam conceſſerunt liberandi animas a Purgatorio. CALISTUS III. ſimilem impendit Eccleſiæ Tyrazonenſi. PASCHALIS I. (& non V., ùt notant aliqui) Indulgentias pro Defunctis largitus eſt, quas undecim Pontifices poſtmodum approbaverunt pro Eccleſia Sanctæ Praxedis. Extant quoque Indulgentiæ pro Defunctis in Eccleſia S. Laurentii extra muros. SIXTUS IV. declaravit Indulgentias pro Defunctis valere: quam declarationem poſtquam *Gabriel* vidit, priorem retractavit ſententiam. Idem declaravit LEO X. In Bulla ad *Cajetanum* contra Lutherum, qui art. 17. inter proſcriptos aſſerebat: *Sex generibus hominum Indulgentiæ non ſunt neceſſariæ, nec utiles, videlicet Mortuis &c.*

Si prodeſt Defunctis ſatisfactio particularis, multò magis univerſalis.

328 SECUNDO. Efficaciùs eſt meritum, & univerſalis Eccleſiæ ſatisfactio, quàm unius dumtaxat Fidelis; ſed meritum perſonale, & unius ſatisfactio ſecundùm fidem Defunctis prodeſt: ergo multò magis meritum, & ſatisfactio totius Eccleſiæ; ſed meritum, & Eccleſiæ ſatisfactio applicantur per Indulgentias: ergo.

Animæ Purgatorii ſunt de foro Eccleſiæ.

329 TERTIO. Indulgentiæ, cùm ſint communium bonorum diſtributiones, iis proſunt, qui & indigent, & ſunt de foro Eccleſiæ; ſed animæ Purgatorii ſunt de foro Eccleſiæ, cui in charitate uniuntur, & eleemoſynis, orationibuſque juvantur, & inſuper maximè indigent, dum verſantur in ſuppliciis: ergo illis proſunt Indulgentiæ.

Theſaurus aliquando diſpenſatur pro captivis.

330 QUARTO: non eſt minor Eccleſiæ poteſtas in ſuum Theſaurum, quàm Reipublicæ temporalis in ſuum; ſed hæc diſpenſat aliquando utiliter Theſaurum ad Captivos redimendos ſub aliena degentes poteſtate, quamvis Subditi non ſint: ergo etiam Eccleſia poteſt Theſaurum per Indul-

gentias utiliter diſpenſare ad redimendos ſub pœna detentos , ſive propriè Subditi , ſive impropriè ſint .

IntentioChriſti, & Sanctorum eſt juvare Defunctos.

331 QUINTO . Theſaurus Eccleſiæ per Indulgentias diſpenſatus prodeſt ſecundùm Chriſti , & Sanctorum intentiunem ; atqui eorum intentio eſt , ut animabus Purgatorii profint : ergo . *Minor prob.* Chriſti merita , & Sanctorum ordinata ſunt ad Fideles prumovendus uſque ad conſummationem gloriæ , quæ eſt finis ſanctificationis : ergu eurondem intentio eſt juvare , quotquot indigent , ad gloriam prumoveri , cujuſmodi ſunt Defunctorum animæ : ergu .

OBJECTIONES SOLVUNTUR .

332 OBJIC 1. Petro , ejuſque Succeſſoribus non eſt conceſſa poteſtas ſolvendi niſi Viventes ſuper terram ; ſed Defuncti non vivunt ſuper terram : ergu non eſt data facoltas ſolvendi Defunctos : ergo Indolgentiæ eis non proſunt . *Maj.* habetur Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis ; ſuper terram* dixit : argo non niſi ibi exiſtentes : eo modo , quo ſi Rex Hiſpaniæ Proregi Neapolitanu dixerit : *quidquid ſtatueris, vel quomcumque liberabis Neapoli , ratum habebo Matriti* , certè poteſtas limitaretur ad ſolos Neapolitano in Regno degentes , nec Siculos poſſet liberare .

Solvuntur Purgantes per exhibitionem pretii.

RESP. *nego maj.* ſi accipiatur ly *ſolvere*, proot abſtrahit a ſolvere per abſolotionem , & per exhibitionem pretii . Ad probationem ly *ſuper terram* ſignificat actum ſolvendi exequendum eſſe ſoper terram , nun autem quòd objectum ſolotiunis , ſeo materia , circa quam verſari debet ſulutio , neceſſariò ſoper terram debeat exiſtere : ſicoti diſpenſatio Theſauri ſoper terram exercetur, quamvis Theſaurus ipſe nun ſit in terra , ſed in divina acceptatione ; ita largitio ſpiritualis eleemuſynæ per Indolgentias ſoper terram exercetur : illa verò , cui fit , poteſt eſſe ſub terra . Nec adductum probat exemplum ; quia ſi loquamur de ſolutione ſpectanta ad forum contentioſom , limitatur ad locum Juriſdictionis , ſed nihil avincit contra nos , cùm ſolutio per Indulgentias non ſit contentioſa : ſin autem loquamur de ſulutione voluntaria , poteſt exerceri etiam in altena Provincia , ùt vidimus ſupra n. 330., & infra n. 343.

Solutio duplex contentioſa , & voluntaria .

333 OBJIC. 2. Diſtributio Theſauri per Indolgentias eſt actus Juriſdictionis ; ſed Puntifex in animas Purgantium Juriſdictionem non habet , cùm ad forum Dei pertineant , & a Deo jam ſint judicatæ : ergo illis utiliter Indulgentiarum Theſaurus non diſtribuitur .

Duplex Juriſdictio directa , & indirecta .

RESP. *diſt. min.* Non habet Juriſdictionem directam , *conc.* , indirectam , *nego min.* . Directa Juriſdictio conſiſtit in poteſtate ligandi , & ſolvendi per juridicam ſententiam ; indirecta autem in poteſtate applicandi bona Eccleſiæ in Defunctorum utilitatem , & eſt Juriſdictio applicans talia bona per modum ſuffragii , ùt infrà explicabitor . Nec aliter Prorex Neapolitanus poteſt per ſententiam Neapolitanum Civem liberare a captivitate Turcharum ; poteſt tamen per mudum ſuffragii , offerendo ex Reipublicæ bonis pretium ſulutiunis .

334 OBJIC. 3. Indulgentiæ iis prodeſſe haud queunt , qui non ſunt miſericordiæ capaces ; ſed Defuncti non ſunt ad capiendam miſericordiam idonei ; nam teſte Scriptura , *poſt mortem non datur locus pœnitentiæ , & miſerationi* : ergo . *Major clara eſt* ; nam Indulgentia eſt actus miſericordiæ , ad eorom dumtaxat utilitatem , qui ſunt capaces , ordinata .

Purgātes capaces ſunt Miſericordię.

RESP. *nego min.* Miſericordia malum ſublevat , quod alterum aſt culpæ , alterum pœnæ ; quiſquis igitur eſt in ſtatu remiſſibilis culpæ , vel pœnæ , miſeratione frui poteſt , quo in ſtatu degont Porgantes animæ , in pœnis ſcilicet tempurareis , quæ per miſericordiam , ſeu per Indulgentiam remittontur, qoæ ad pœnas temporales relaxandas ordinantor . Scriptura ibi , cùm dicit nullom fore poſt mortem pœnitentiæ , & Miſericordiæ locum, intelligitur quoad lethalem culpam , quam niſi vivens deleat , nemo poſtquam e vivis deceſſerit , ab ſe unqoam poterit amuvere .

335 OBJIC. 4. Ut valeat Indolgentia , adeſſe debet conveniens cauſa cedens in Eccleſiæ utilitatem ; ſed pro Defunctis hujuſmodi cauſa aſſignari non poteſt , cùm ipſi nihil poſſint in utilitatem Eccleſiæ : ergo .

Facimus per nos ipſos , quod facimus per amicos .

RESP. *neg. min.* Nun eſt neceſſe , ut ipſi Defuncti operentur in utilitatem Eccleſiæ : ſufficit, quòd ipſarum nomine quis amicus exequatur conditiunes, quæ ad finem ab Eccleſia intentom condocant ; quidquid enim facimus per amicos , per nos ipſus facere videmur . Atque hæc poteſt eſſe ratio , cur Defonctis Indulgentiæ per modom ſuffragii cuncedantur ; quia ipſi per ſe conditiunes nequeunt adimplere ; ſed de hoc infrà .

336 OBJIC. 5. Indulgentiæ uperantur juxta arbitrium facientis ; ſed non eſt io arbitrio Pontificis Defunctum omnino liberare a pœna ; uno enim mumento poſſet umnes Purgatorio extrahere , immu deberet ; qoandoquidem charitas avext ſoblevare quotquot poteſt , & eos præſertim, qui ſibimet inutiles ſunt ; hæc aotem videntor inconvenientia : ergo .

Pontifex non habet cauſam liberandi omnes a Purgatorio .

RESP. Ad valorem Indulgentiæ exigitur proportionata ratiunabilis cauſa , quam Pontifex habere non poteſt , ut vacuum animabus Purgatorium faciat . Deinde Indulgentia non valet , niſi qui opus adimplet , ſit in gratia ; ſed non eſt in poteſtate Puntificis facere , ut Vivens ſit in gratia , dom conditiunem implet : ergo neque eſt in ejus poteſtate omnes Defunctus a Purgatorio liberare .

CON-

CONTROVERSIA XX.

AN INDULGENTIA JUVET MORTUOS VIA ABSOLUTIONIS .

337 INdulgentia prodeſt vià abſolutionis, dum pœnas relaxat per juridicam ſententiam , qua Summus Pontifex auctoritate a debito abſolvit . Michael Medina *diſq. 7. cap.* 34. , & *diſq* 8. *cap.* 41. , Joannes Angelus relatus a Major. 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 6. docent Pontificem per Indulgentiam judicialiter Defunctos abſolvere , ſicut Viventes ; ſed communis Doctorum ſententia oppoſitum tenet , quam approbavit Schola Pariſienſis oppoſitam damnans ùt ſcandaloſam .

338 DICO igitur : *Indulgentia Defunctis non prodeſt viá abſolutionis* . PROB. 1. Perpetua Eccleſiæ conſuetudo fuit , ut cuique Indulgentiæ pro Defunctis apponeret hæc verba , vel ſimilia *per modum ſuffragii* . Id conſtat exemplorum inductione , quæ in ſuperiori Controverſia recenſuimus ; atqui Indulgentia per modum ſuffragii non eſt per ſententiam juridicam : quis enim non videt, ſuffragium neutiquam eſſe auctoritativam abſolutionem , ſed quoddam genus ſpiritualis eleemoſynæ ? ergo .

Suffragium eſt quoddam genus ſpiritualis eleemoſyna.

339 SECUNDO . Nequit Pontifex juridicè per Indulgentiam abſolvere ſuo judicio minimè ſubjectos ; Defunctus non ſubjacet Pontificis judicio : ergo juridicè nequit abſolvere . *Minor* habetur expreſsè a GELASIO Papa in Epiſt. ad *Fauſtum* , & in Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ apud *Gratianum* 24. quæſt. 2. Can. *Legatur* , & Can. *Ne quiſquam* , qui clarè docet Mortuos conſtitutos in Divino Judicio non poſſe ab Eccleſia judicari , ùt ex LEONE Papa in Epiſt. ad *Ruſticum* Epiſcopum Narbonenſem apud eumdem *Gratianum* laudato loco Can. 1. ubi Pontifex : *De communione privatis , & ita Defunctis eorum cauſa judicio Dei reſervanda eſt* .

340 TERTIO . Juridica ſententia non fertur niſi in Subditum , ùt in materia Indulgentiarum habemus ab ALEXANDRO III. ad Epiſcop. Cantuarienſem ; ſed Defunctus non eſt propriè Subditus Pontificis : ergo ab eo nequit juridicâ ſententiâ abſolvi. *Minor declaratur* . Qui non poteſt modo ſenſibili directè gubernari , non eſt proprius Pontificis Subditus ; undè Joan. 21. Chriſtus dixit Petro : *Paſce oves meas* : Doctrina ſcilicet , Legibus , Sacramentis , Admonitionibus , quæ omnia ſenſibiliter exercentur ; ſed Defunctus non eſt ſenſibiliter gubernabilis per Sacramenta , Leges , Admonitiones : ergo .

Defuncti non diriguntur a Papa .

341 QUARTO . Abſolvere per ſententiam eſt correlativum ad ligare per ſententiam ; unde Dominus dixit Petro Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ſolveris ſuper terram* : *Quodcumque ligaveris ſuper terram* ; ſed Pontifex non poteſt Defunctum ligare , cùm ipſum nequeat ad ſuum Tribunal accerſere , cauſam cognoſcere , obedientiæ ſubjicere : ergo neque abſolvere .

Pontifex nequit Defunctum ligare .

342 QUINTO . Qui ab aliquo Judice judicatus , & condemnatus eſt , nequit judicialiter abſolvi , niſi a ſuperiori Judice ; ſed Defunctus eſt a Chriſto Judice judicatus , & condemnatus ad pœnam , & Pontifex non eſt eo Superior : ergo non poteſt Defunctum judicialiter abſolvere ; eatenus enim Viventem juridicè abſolvit , quatenus licèt reus ſit pœnæ apud Deum , cauſa tamen eſt adhuc ſuſpenſa ; undè Pontifex prævenire poteſt , & ſuâ ſententiâ Reum a debito liberare .

CONTRARIORUM ARGUMENTA SOLVUNTUR .

343 OBJIC. 1. Illos poteſt juridicè abſolvere Pontifex , quos comprehendit in ſua Juriſdictione ; ſed Defunctos ſub ea comprehendit : ergo poteſt eos per Indulgentiam juridicè abſolvere. *Min. prob.* Matth. cap. 16. *Quodcumque ſolveris ſuper terram , erit ſolutum & in Cœlis*, hoc eſt , quodcumque tu ſuper terram exiſtens ſolveris , & ego ſolvam exiſtens in Cœlo ; ſed ly *quodcumque* comprehendit debitum animarum purgantium , cùm propoſitio ſit univerſalis : ergo .

RESP. *neg. min.* Sub Pontificis gubernatione non ſunt Defuncti , cùm ab illo dirigi non poſſint . Nil valet inducta probatio ; nam ly *ſuper terram* non refertur ſolùm ad actum ſolvendi , ſed etiam ad Perſonam ſolvendam judicialiter : & ideò in hoc ſenſu fuit textus a GELASIO, & LEONE expoſitus . Ratio eſt ; quia juri dicundo judicialiter non ſufficit habere actum ſub dominio , & habere poteſtatem in loco, ubi Judex exiſtit : eſt etiam neceſſe, ut eodem ſub dominio Perſona judicanda contineatur , ùt ita loquar , ſit Perſona ejuſdem Territorii , quod in caſu non verificatur . In eo tamen verbo *quodcumque* haud negem Defunctorum debitum contineri , quod reverà per Indulgentiam ſolvitur , ſed non continetur , ùt judicialiter ſolvendum , ſed tantùm per modum ſuffragii . Vide ſupra n. 332.

Quid ad jurisdictum requiritur .

344 OBJIC. 2. Omnis Indigens extra terminum Pontificis Juriſdictioni eſt obnoxius ; tum quia adhuc eſt Viator , tum quia claves Petri ſunt aperiendo Regno cœlorum ; ſed Indigenti extra terminum cœli non patent fores : ergo Pontificis juriſdictioni ſubditur ; ſed Defunctus eſt Indigens extrà terminum : ergo Pontificis ſubditur juriſdictioni : ergo judicabitur .

RESP. *neg. maj.* Non omnis Indigens extra terminum eſt propria ovis Petri ab ipſo dirigibilis . Licèt hujuſmodi Indigentes non ſint abſolutè in termino , non ſunt propriè Viatores , ſed ſecundùm quid ; ac proinde juridicè nequeunt a Judice, qui ſimpliciter Viatores reſpicit abſolvi , benè quidem titulo amicabilitatis poſſunt adjuvari . Clavis Petro data eſt adaperiendo Indigentibus cœlo , ſed non eodem omnibus modo : Subditis juridicè , non Subditis per modum ſuffragii . Quare cùm mortui non ſint propriè Subditi, iis Cœlum juridicè non recluditur.

Defuncti non ſunt propriè Viatores.

345 OBJIC.

345 OBJIC. 3. Judex unius Territorii poteſtate voluntaria, licèt non contentioſa poteſt ab excommunicatione liberare exiſtentem in altero Territorio; ſed poteſtas ferendi Indulgentias eſt voluntaria, & non contentioſa: ergo extendi poteſt ad Defunctos, qui cenſentur veluti extra Territorium Pontificis.

Defectus Juriſdictionis impedit judicium.

RESP. Majorem veram continere doctrinam in jure, quando exiſtens extra Territorium eſt Judicis abſolventis Subditus. Cæterùm, ſi Subditus non ſit, doctrina eſt falſa. Unde Archiepiſcopus Mediolanenſis non poteſt Taurinenſem Civem ab excommunicatione abſolvere propter defectum Juriſdictionis, quæ èt Pontifici deeſt in mortuos.

346 OBJIC. 4. In jure unius Provinciæ Judex condemnat validè, & ſolvit delinquentem alterius Provinciæ, qui ratione delicti ſit Subditus; ſed mortuos delictum commiſit, quando erat Pontifici Subditus: ergo per Indulgentiam juridicè poteſt abſolvi.

Per mortem recedunt a Pontificis Juriſdictione.

RESP. *concedenda majorem*, dummodo proceſſus, & ſententia feratur tempore, quo Delinquens perſeverat in Territorio Judicis extranei. Cæterùm, ſi Delinquens a Territorio recedat, nequit amplius Judex illum juridicè proſequi. Defuncti peccaverunt, dum viverent, & ſub Pontificis poteſtate degerent, ſed moriendo ab ejus Juriſdictione receſſerunt; quapropter juridicè non poſſunt nec damnari, nec abſolvi.

347 OBJIC. 5. Abſolvere eſt correlativum ad ligare; ſed Pontifex aliquando poteſt juridicè Defunctos ligare: ergo èt abſolvere. *Probo min.* INNOCENTIUS III. cap. *Cùm a nobis*, §. *Non obſtat* aſſerit aliquando Eccleſiam Defunctos excommunicatione ligare; uſuque comprobatur, cùm id aliquoties peractum ſit, & miraculis acta approbavit Deus. Hinc 2. Dialog. cap. 23. refert *Magnus Gregorius* Sanctimoniales quaſdam viſas ab Eccleſia recedere, dum inter ſolemnia Diaconus dixit: *recedant, qui non communicant*: has ſiquidem *S. Benedictus* excommunicaverat.

Quomodo abſolvitur Defunctus ab excommunicatione.

RESP. *neg. min.* Quando Pontifices excommunicant Defunctos, non ferunt ſententiam directè in Mortuos, ſed eos declarando in contumacia deceſſiſſe ferunt ſententiam in Vivos, ne communicent, hoc eſt ſuffragia, & ſacrificia pro illis offerant, & quando illos abſolvunt, declarant eos abſque contumacia objiſſe, & concedunt viventibus, ut poſſint ſuffragia pro illis offerre: nec alius ſenſus eſt laudati Pontificis, atque exemplorum, quæ adducuntur. Sanctimoniales eæ *S. Benedictus* non inflixerat anathema, ſed id adhuc viventibus fuerat comminatus. Verùm ut Deus oſtenderet, quanti faciendæ correptiones Prælatorum, ac comminationes ſint, voluit ut jam mortuæ ad Diaconi ſententiam apparerent ab Eccleſia recedentes, pro quibus poſtmodum *S. Benedictus* oblationem faciens dicitur abſoluiſſe, ùt refert idem *Gregorius*.

346 DICES. *S. Gregorius* rationem aſſignans, quâ potuerit *S. Benedictus* eas judicare, illud Chriſti adhibuit: *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*: ergo vera poteſtate uſus eſt.

RESP. *nego conſeq.* loquendo de poteſtate in Defunctos: optima nihilominus eſt *Magni Gregorii* ratio; quia vera poteſtate fuerat viventibus excommunicationem comminatus, & fortè etiam inflixerat; & quia deceſſerunt in eo ſtatu, effectum non percipiebant ſuffragiorum, quod, ut Deus declararet, prædicta per miraculum manifeſtavit.

CONTROVERSIA XXI.

AN SIMPLICI SOLUTIONE DEFUNCTIS PROSIT INDULGENTIA.

349 CUm in Bullis Pontificum Indulgentiæ Defunctis concedantur per modum ſuffragii, nec alia via concedi poſſint, eo ipſo quòd judicialiter nequeat abſolvi, reſtat explicandum, quid ſit Indulgentia per modum ſuffragii, in quo non modica eſt diſceptatio apud Doctores. Communior ſententia ſuffragium reducit ad ſimplicem ſolutionem. Indulgentia verò per puram ſolutionem facta pœnam Defunctis relaxat, ita ut pretium debito æquivalens accipiat ex communibus bonis, & ita impendant, ut eo ſe redimant Defuncti. Seu tantundem offerat bonis Deo ex Theſauro communi, quantum fuiſſet neceſſarium, ut ipſi perſonaliter ſua debita exſolverent, & pœnam evitarent. In hoc autem nullus ſententiæ actus exercetur erga Defunctos, ſicut explicabo: inquirimus ergo, an res ita ſe habeat.

Quid ſit Indulgentia per modum ſuffragii.

350 DICO. *Indulgentia per modum ſuffragii eſt relaxatio pœnæ per ſimplicem ſolutionem.* PROB. 1. Petro, & ejus Succeſſoribus data eſt poteſtas diſpenſandi Eccleſiæ Theſauri in Fidelium utilitatem convenientibus modis ad varios reſpectivè eorum ſtatus. Ideò Petrus abſolutam, & illimitatam habuit facultatem Cœlum aperiendi, & vinculi cujuſcunque auferendi; *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, quodcumque ſolveris, erat ſolutum*; ſed pro Defunctis Indulgentiam facere per ſimplicem ſolutionem eſt modus omnino conveniens: ergo. *Minor explicatur.* Hic modus Juſtitiam ſalvat cum Miſericordia, nec requirit directam Juriſdictionem in Defunctos: ergo eſt omnino conveniens. *Minor prob.* Salvat Juſtitiam, quia pretium debito æquivalens dependit: componit cum Miſericordia, quia liberaliter ei ſolvit ex alieno, qui ex proprio perſonaliter deberet: non requirit Juriſdictionem in Defunctum, quia in ſpirituali hujuſmodi donatione (quemadmodum patet etiam in privatis ſuffragiis, immo èt temporali ſolutione ſimplici) non requiritur ſubjectio Perſonæ, pro qua pretium erogatur.

Salvatur Juſtitia cum Miſericordia.

Non eſt minor poteſtas Principis, quàm Papæ.

351 PROB. 2. Non eſt minor poteſtas Pontificis in Eccleſiaſticum Theſaurum, quàm Principis in temporalem; ſed juſtis de cauſis poteſt Princeps ſecularis temporalem Theſaurum impendere ſolvendo Extraneorum

neorum debito , maximè ſi fuerint benemeriti de Republica ; undè bonis communibus poteſt Princeps aliquem ſub Turcarum captivitate detentum liberare , condignum uſferendo pretium : ergo juſtis de cauſis poteſt Pontifex Eccleſiæ Theſaurum expendere , ut Defunctorum debita exſolvat , qui aliquando ſibi Subditi fuere , dicique etiam queunt benè de Eccleſia meriti , cùm vel integras Eccleſiæ leges conſervaverint juſtè vivendo , vel violatas per pœnitentiam reparaverint .

Abſque injuria bona ſuperflua inter extraneos diſpenſantur .

352 PROB. 3. Quoticſcumque publico Theſauro bona ſuperflua inſunt , abſque ulla injuria poteſt Princeps ea diſpenſare Extraneis , elargiendo eleemoſynam , ſolvendo eorum debita , quamvis in eos non habeat juridicam auctoritatem . Sed in Eccleſiæ Theſauro ſunt bona ſuperflua , quæ Vivorum indigentiam excedunt : ergo ea poteſt Pontifex diſpenſare in Defunctorum utilitatem , licèt ſint quodamodo extranei , neque in eos habeat juridicam auctoritatem ; & hoc in proprietate ſermonis eſt Defunctis prodaſſe per modum ſuffragii : ergo .

Juſtitia commutativa datur in non Subditos .

353 PROB. 4. Acta , quæ ad Juſtitiam ſpectant ſeu legalem , ſeu diſtributivam , ſeu vindicativam , tametſi nequeant in non Subditos exerceri , poſſunt nihilominus , quæ ad commutativam pertinent , ſicuti quotidie uſuvenit in commutatione bonorum , ſive privata ſint , ſive publica ; atqui Indulgentia per ſimplicem ſolutionem ad Juſtitiam commutativam pertinet , quatenùs pro quantolibet debito tantundem pretii offertur ; id autem Perſonæ cùm fiat indigenti , atque impotenti ſe adjuvare , verum ſuffragium eſt .

354 PROB. 5. Non minùs ratione charitatis animæ Purgantium uniuntur Fidelibus privatis , tanquam membra membris , quàm uniantur Corpori , & Capiti Eccleſiæ , tanquam phyſica membra Capiti ; ſed propter primam unionem per modum ſuffragii juvari poſſunt ſimplici ſolutione , mediâ oblatione particularium ſatisfactionum : ergo propter ſecundam juvari poſſunt ſimplici ſolutione , media oblatione communium ſatisfactionum .

PRÆCLUDUNTUR QUÆDAM EFFUGIA .

355 DICES *primò* . Si ſolutione conceditur Defunctis Indulgentia per modum ſuffragii , cur dicitur a *D. Thoma* hæc indirectè concedi Defunctis , & Viventibus directè ?

Indirectè cōceditur Indulgentia Defunctis , & directè Viventibus .

RESP. Dicitur indirectè concedi Indulgentia Defunctis , & Viventibus directè ; quia ad legitimam diſpenſationem Theſauri , cujus Pontifex eſt abſolutus Diſpenſator , requiritur rationabilis , & juſta cauſa ; hanc Defuncti adimplere nequeunt , nec alius rogare , ut adimpleant : ideo Pontifex Viventibus imponit , ut ipſi opera injuncta adimplicant , quibus poſitis , transfert partem Theſauri in bonum Defunctorum : & ſic dicitur directè fieri Indulgentia Viventibus , indirectè Defunctis .

356 DICES *ſecundò* . Si Indulgentia pro Defunctis fit per ſimplicem ſolutionem offerendo ex communibus bonis , non erit neceſſe aliquod opus a Viventibus impleri , cùm ſolutio non fiat neceſſariò per Tertium . Hoc non eſt admittendum : ergo ſignum eſt Indulgentiam non concedi per modum ſuffragii .

Nō eſt neceſſaria ſolutio per Tertium .

RESP. *nego ſeq.* Ratio , cur opus Viventium requiratur , non eſt ex eo , quòd ſolutio ex neceſſitate fiat per Tertium ; ſed quia neceſſaria eſt juſta cauſa , cui adimplendæ non ſunt Defuncti ; quocirca Viventibus imponitur a Pontifiec .

357 INSTABIS . Pro Indulgentia concedenda non eſt neceſſaria cauſa futura , ſed præterita ; undè ſicut Vivis poteſt concedi Indulgentia abſque ullo onere operis propter merita antecacta , v. g. a Principe in bonum Eccleſiæ : ita fieri poteſt pro Defunctis abſque onere alicujus operis , ſed propter egregia facta in utilitatem Eccleſiæ : ergo erit ejuſdem rationis pro Vivis , ac pro Mortuis : ergo cùm nunquam ita Pontifex conceſſerit , dicendum videtur non benè explicari per noſtram theſim Indulgentia pro Defunctis .

Diſtributio Theſauri eſt ſpiritualis eleemoſyna .

RESP. Nos hucuſque locutus eſſe de Indulgentia Defunctorum ſecundùm uſum præſentem Eccleſiæ , quæ aliquod ſolet opus injungere . Cæterùm , an poſſit aliter concedere , non diſputamus : DICO nihilominus non futuram in tali caſu ejuſdem rationis cum Indulgentia Vivorum ; quia hæc fieret per abſolutionem directam : illa præcisè per indirectam ſolutionem , nec deſineret eſſe per modum ſuffragii . Nam illa diſtributio Theſauri eſſet ſuffragium ſpiritualis eleemoſynæ de bonis communibus . Ratio verò , cur de facto ob præterita merita non conceſſerint Mortuis Indulgentiam abſque onere , ea fortè eſt , quòd in morte per ultimam ſententiam fuerunt merita cognita , & præmio donata (quod pro Vivis non accidit) adeoque non poſſunt eſſe ſufficientia abſque alio , ut moveant Pontificem ad iterum , quaſi dicam , præmiandum , eorum causâ concedendo Indulgentiam , quorum jam virtus fuerit evacuata , ſeu meliùs , expleta per ſuperexcedentem a Deo taxatam mercedem .

358 DICES *tertiò* . Pontificis poteſtas ad diſtribuendum Theſaurum fundatur in munere ſummi Paſtoris ; ideo dictum eſt Petro : *paſce oves meas* ; ſed munus Paſtoris non extenditur ad Defunctos : ergo eis non conceditur per diſtributionem Theſauri ; undè ſicut ſi Dominus temporalis dans ærarii claves Œconomo diceret , *provide domeſticis meis* , non poſſet Extraneis ſubvenire , neque per eleemoſynam , neque per debitorum ſolutionem ; itidem nequit Pontifex de Eccleſiæ ærario Defonctis copiam facere , qui de ejuſdem ovili non ſunt : ita *de Lugo* .

Pontifex eſt Paſtor , & Diſpenſator .

RESP. Pontificem non modò ſummum eſſe Paſtorem , ſed etiam Chriſti Diſpenſatorem , & , ut ita dicam , Eleemoſynarium , utpote univerſale Eccleſiæ Caput habens generalem poteſtatem in Eccleſiæ Theſaurum , ac proinde poteſt Extraneis ſuppetias ferre , & eos debitis elevare : quod munus neceſſariò

ſequi-

ſequitur Capitis univerſalis naturam, cui charitate uniuntur Defuncti, & imitatur naturam Theſauri, qui, dum Vivorum egeſtatem ſuperat, petit etiam in alios effundi. In exemplo Œconomi non video, cur Extraneis ſubveniri non debeat, quod pro domeſticis ſuperefluit, ſimulque ſit univerſalis Domini eleemoſynarius.

359 DICES 4. LEO X. in Decretali ad *Cajetanum* explicans Indulgentiam per modum ſuffragii dicit, *vel per modum ſuffragii* in alios *transferenda*. Verùm in alios Indulgentiam transferre eſt Subdito viventi poteſtatem concedere applicandi partem Theſauri, poſito opere pro Defunctis; ita ut eam facultatem quaſi pro præmio boni operis accipiat: ergo ita explicanda eſt Indulgentia pro Defunctis; quo explicandi modo ſalvatur proprietas ſuffragii, & locutionis ejus termini *indirectè*.

Nemo dat, quod non habet.

RESP. Nemo dat, quod non habet, neque per modum præmii, nec alio quoquam titulo; ſed Pontifex juxta hanc opinionem non habet ipſe poteſtatem diſpenſandi pro Defunctis Theſaurum: ergo nec alteri dari hujuſmodi poteſtatem.

Præterea diceretur Pontifex paſſim concedere mulierculis poteſtatem Clavium. Quòd ſi velis non dare Viventibus Clavium poteſtatem, ſed Indulgentiam, quam ipſi poſtmodum Defunctis communicant, hoc explicantes ſupradicto exemplo de Œconomo, qui licèt non poſſit Extraneis ſuppeditare bona, quæ Domini ſunt, poteſt nihilominus domeſtico, ut ipſe poſtmodum det Extraneo; ita quamvis Pontifex non det Defuncto Indulgentiam ob defectum Juriſdictionis, det Viventi, ut ipſe eam donet Defuncto, adhuc inutilis explicatio eſt. Ad hoc, ut Vivens Defuncto Indulgentiam donet, debet ipſe priùs eam lucrari, & habere ſub ſuo Dominio; ſed hoc ipſo, quod illam ipſe ſit lucratus, non poteſt in alium transferre, utpote virtute ſua jam functa ſit, nempe jam Viventi tantum pœnæ debitum remiſerit, quanta erat Indulgentia, undè nihil ſuperfluit, quod Defuncto impendatur: niſi dixeris per alienationem Indulgentiæ iterum in Viventem redire debitum pœnæ jam remiſſum, quod eſt abſurdum; cùm pœnæ debitum non redeat, niſi redeunte culpa. Præterea: concedit quidem Indulgentiam Pontifex ſub disjunctione, *qui fecerit hoc, lucrabitur Indulgentiam pro ſe, vel pro Defunctis*; ſed frequenter etiam abſolutè concedit pro Defunctis, & ipſe immediatè donat Defuncto ſolutionem pœnæ. Quòd ſi per Viventem modo explicato concederet, non poſſet abſolutè ita loqui; quandoquidem Vivens poſſet Defuncto non donare, & applicare ſibimet, & ſic fruſtrari mentem Pontificis.

Semel lucratâ Indulgentiâ pro ſe, non poteſt aliis applicari.

360 Cardinalis *de Lugo* Indulgentiam per modum ſuffragii explicat in hunc modum: ſupponit Pontificem poſſe elevare opus Fidelium, ut *ex opere operato* ſupra condignum operetur pœnæ remiſſionem; ſicuti elevatur ſatisfactio ſacramentalis: hoc poſito, ait Pontificem, dum facit Indulgentiam Defunctis, elevare jejunium v. g. Viventis, quod ſecundùm ſe valet minoris, ut valeat multò pluris *ex opere operato*; ſi Indulgentia eſt tantum dierum, & in puncto elevat, in quo Fidelis illud jejunium offert pro Mortuo: & hoc modo, inquit, omnia benè ſalvari; nam ſalvatur, quòd non exercet Juriſdictionem in Defunctos; ſalvatur, quòd Vivus non poſſit illam ſibi retinere, & ſimilia.

Sentent. Card. de Lugo.

Verùm hæc ſpeculatio dubiis fulcitur adminiculis; res ſiquidem valdè eſt ambigua, an in Eccleſia habeatur poteſtas elevandi res creatas, ut effectum ſortiantur *ex opere operato*. Deinde non videtur poſſe a Pontifice elevari actionem creatam, ut cum tanto exceſſu agat *ex opere operato*, quantus requiritur in hujuſmodi Indulgentiis. Haud certè major ineſt virtus Pontifici ad elevanda Fidelium opera, quàm Sacramentis indita ſit; atqui per Sacramenta non fit elevatio cum tanto exceſſu; communis enim fert ſententia, ſi actus Suſcipientis Sacramentum valet tantùm ùt duo *ex opere operato*, non valere, niſi ùt duo; ita quod ſimul quatuor reſultent. Ex *de Lugo* deberet multò magis elevari; cùm ſæpè pro Eccleſiæ viſitatione, annorum plurium Indulgentia, immò èt plenaria conceditur. Deindè hæc elevatio conſiſtit in eo, quòd operi adjungitur valor ex bonis Theſauri. Vel igitur in puncto elevationis fit opus Viventis, vel ſolùm datur Viventi, ut portionem illam additam ex Theſauro applicet Defuncto: ſi primum, Indulgentia in illo puncto effectum priùs ſortitur in ipſo Vivente, & ecce jam recidit idem inconveniens, ſcilicet non poſſe in Defunctum transferri, cùm jam ſuum in Vivente valorem conſumpſerit. Sin autem dicatur ſecundum, jam reſtat probandum, qui fieri poſſit, ut det Pontifex facultatem alienandi portionem, quam nequit ipſemet immediatè pro Defuncto extrahere. Res illuſtratur exemplo ejuſdem Auctoris in Œconomo, qui poteſt aliquid dare domeſtico, quem ſcit daturum Extraneo, cui promiſit; & ſic diceretur Extraneis ſubvenire; hoc, inquam, exemplo utor ad redarguendum. Quidquid tribuitur domeſtico in illa circumſtantia, verè cadit ſub ejus dominio in actu tam primo, quàm ſecundo, & poteſt ab ipſo retineri, vel extraneo donari: ergo valor operis etiam in noſtro caſu, tàm in primo actu, quàm in ſecundo fit Operantis, qui illud poteſt ſibimet retinere, & ſic fruſtrari mentem Pontificis. Quòd niſi fiat proprium Viventis, certè Pontifex utetur Vivente ſolummodo adinſtar Inſtrumenti, quo eam Defunctis portionem attribuat.

361 Miſſum facio modum, quem *Hoſtienſis* excogitavit, Indulgentiam ſcilicet Defunctorum eſſe per modum ſuffragii; quia bona Viventium opera, jejunia, orationes, Sacrificia, & alia id genus Defunctis proſunt. In quo planè ſenſu nil ponitur *ex opere operato* ab Indulgentiis proveniens, ſed dumtaxat fructus operantis, qui totus impenditur, ſi ea pietatis opera exerceantur etiam abſque Indulgentiarum ope.

CON-

CONTROVERSIA XXII.

AN INDULGENTIA DEFUNCTIS PROSIT INFALLIBILITER .

362 PRæſens quæſtio non eſt de infallibilitate ex rigore Juſtitiæ, & Condignitatis . Quæritur , an certus ſit effectus Indulgentiarum in Defunctos , an verò pendeat ex divina acceptatione . Prima opinio tenet , datâ legitimâ auctoritate in Concedente , debitâ diſpoſitione in Vivente , adimpletis conditionibus a Vivente pro Defuncto , adhuc liberum eſſe Deo Indulgentiam non acceptare : ſecunda ſententia docet oppoſitum .

363 DICO . *Indulgentia pro Defunctis infallibiliter conſequitur ſuum effectum* . Hæc concluſio videtur certa . In eodem gradu certitudinis ponitur Indulgentia pro Defunctis , in quo ponitur Indulgentia pro Vivis ; ſed hæc per Adverſarios eſt omnino infallibilis ; ergo etiam pro Defunctis . *Major habetur* in Decretali LEONIS X. ad *Cajetanum* contra *Lutherum* his verbis : — Apoſtolica auctoritate Theſaurum Jeſu Chriſti, & Sanctorum diſpenſando, & per modum abſolutionis ipſam Indulgentiam concedendo , vel per modum ſuffragii transferendo (*Deindè concludit*) Omnes tam Vivos , quàm Defunctos , qui veraciter omnes Indulgentias hujuſmodi conſecuti fuerint a tanta temporali pœna ſecundùm Divinam Juſtitiam pro peccatis ſuis actualibus debita liberari, quanta conceſſæ , & acquiſitæ Indulgentiæ æquivalet . — In quo diſcurſu eundem modum dicendi abſolutum , & poteſtativum adhibet Pontifex de Indulgentia pro Vivis , ac pro Mortuis ; ſi ergo pro Vivis infallibiliter operatur , dicendum idem eſt pro Mortuis .

Eodem modo prodeſt Indulgentia Vivis, & Defunctis.

364 SECUNDO . Actus Clavium legitimus eſt infallibilis ; ſed Indulgentia pro Defunctis eſt actus Clavium : ergo eſt infallibilis . *Majorem* ſi neget Catholicus Pontificiam Dignitatem evertit . *Minor* eſt Adverſariorum : aſſerunt enim Indulgentiam pro Defunctis fieri a Pontifice vi traditæ ſibi a Chriſto poteſtatis per ea verba : *Tibi dabo claves Regni Cælorum* , & ideò Pontifex eam impertiens, diſertis verbis, profitetur ſe eam concedere ex Apoſtolica auctoritate . Quarè ad eamdem attinet poteſtatem Indulgentia , & Voti diſpenſatio ; hæc ad Claves pertinet , & eſt infallibilis : ergo .

Actus Clavis eſt infallibilis.

365 TERTIO . Vel Pontifex certâ poteſtate certam facit donationem per Indulgentiam , vel non : ſi primum , abſque dubio Indulgentia in ſuo effectu eſt infallibilis : ſin autem incerta poteſtate , dubiam promittit donationem : ergo dum abſolutè certam pœnæ portionem remittit Defuncto , illudit, ſi determinata conditio apponatur ; eòque deterius illudit, quòd promiſſio eſt oneroſa . Ecqua major illuſio , quàm incertâ alicui promiſſione aliquid ſpondere ſub certo onere ? An non temerarius eſt dicendus , qui abſolutâ poteſtate aliquid donet nomine alterius , abs quo certam ipſe non habet facultatem ? Unde nam rationabiliter Hæreticorum ſubſannationes eludemus ?

Si Indulgentia non eſſet infallibilis, Pontifex illuderet.

366 QUARTO . Indulgentia vel eſt infallibilis ex defectu ſolutionis æquivalentis , vel acceptationis ex parte Chriſti : non primum , quia Pontifex ex Theſauro applicat, quantum abundè eſt, ut ſolvat, quidquid per Indulgentiam intendit abſolvere : non ſecundum ; quia Chriſtus nequit non acceptare, quod promiſit ; atqui promiſit ſe acceptarum ſolutionem ex Theſauro : ergo . *Minor probat.* Chriſtus Eccleſiæ dedit poteſtatem faciendi Indulgentias tam pro Vivis, quàm pro Mortuis : ea verba : *Tibi dabo claves Regni Cælorum . . . quodcunque ſolveris* , ſunt abſoluta , indefinita, ac propterea comprehendunt debitam quodquod velit Pontifex ſolvere . Catholicos nobis adverſantes ſic urgere poſſumus : quod in Perſona Chriſti fit a Miniſtro , procul dubio non rejicitur a Chriſto ; ſed Pontifex in Perſona Chriſti facit Indulgentiam pro Defunctis : ergo illam Chriſtus non debet rejicere . Certè oppoſitum vix poteſt intelligi . Vel Pontifex indulget Mortuo formaliter ùt Chriſti Miniſter, ejuſque nomine , & ſic nequit Chriſtus non gratum habere . Vel indulget nomine proprio , non autem in Perſona Chriſti ; & ſic actus eſt nullus , utpote deſtitutus poteſtate ; ſeclaſo enim miniſterio Chriſti nulla eſt ipſius Vicario facultas in Theſaurum Eccleſiæ .

Indulgentiæ fiunt a Pontifice in Perſona Chriſti .

ADVERSA ARGUMENTA SOLVUNTUR .

367 OBJIC. 1. Suffragium pro Defunctis innititur Divinæ Miſericordiæ , ideò Eccleſia Deum precatur , ut per ſuam piiſſimam Miſericordiam Purgantium Animas eruat ; & revelationibus conſtat apud *Petrum Damianum* , & *Petrum Cluniacenſem* Defunctos ſuffragia petiiſſe , ut , ſi Deo placeret , ſublevarentur ; ſed valor innixus Divinæ Miſericordiæ non eſt infallibilis : ergo Indulgentia , quæ eſt quoddam ſuffragium , non eſt pro Defunctis infallibilis .

RESP. argumentum in multis deficere . *Primò* ; quia ſuffragium pro Vivis eodem modo fit ab Eccleſia , ac pro Mortuis ; attamen Indulgentia pro Vivis eſt infallibilis, etiam per Adverſarios . *Secundò* . Eccleſia definitivè procedens , & reſolvens contra antiquos Hæreticos ſuffragia Defunctis prodeſſe abſolutè loquitur , & aſſertivè , poſitis debitis conditionibus ex parte offerentis , ùt videre eſt in Trident. de Purgat. , in Concilio Florentino in Decreto Unionis dicitur Defunctis, *ut a pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis Fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, eleemoſynas, & alia pietatis opera, quæ a Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri conſueverunt* . *Tertiò* in conceſſionibus Indulgentiarum non ponitur illa particula *per ſuam piiſſimam Miſericordiam* , nec alia æquivalens , ſed abſolutè , & poteſtativè donatur tanta Indulgentia facienti hoc , vel illud opus . *Quartò* . Ponitur opus Divinæ Miſericordiæ , quia opera noſtra ſecundùm ſe conſiderata non habent valorem apud Deum , niſi Divinâ Gratiâ informentur , quæ gratuitum eſt donum Dei, in quo ſenſu dixit

Valor innixus Divinæ Miſericordiæ, quomodo infallibilis .

dicit Apoſtolus: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*. *Quintò*. Exprimitur in precibus Divina Pietas; quia in quibuſcumque ſuffragiis præſuppoſitivè intercedit Miſericordia Dei, quæ res ita ſtatuit, ut nobis prodeſſent, & aliis; quomodo Scriptura gloriam appellat gratiam, licèt gloria ſit merces ex Juſtitia.

368 OBJIC. 2. Qui Judici ſolutionem offert deficientem pro debito, non conſequitur infallibiliter liberationem a carcere; ſed per Indulgentiam non offertur Divino Judici pro Defunctorum debitis ſufficiens ſolutio: ergo non obtinetur infallibiliter effectus. *Major* eſt certa, & probatur *min.* Purgatorii pœnæ ſunt ordinis longè ſuperioris ad ſeculi hujuſce pœnas; atqui ſolutio media re inferiori non æquivalet debito in re ſuperiori: ergo.

Solutio exhibetur ex Theſauro.

RESP. Hoc argumentum, quod ab aliquibus permagni penditur, in caſu nullam vim habet. Per Indulgentiam exhibetur ſolutio ex Theſauro, videlicet ex ſatisfactionibus Chriſti, quæ proculdubio ordinis ſunt altioris ſupra quamcumque pœnam temporalem, & æternam. Eſto autem fiat ea ſolis Juſtorum ſatisfactionibus ſolutio, quid urget argumentum? Utlibet pœnæ hujus ſeculi ea ſe ordinis ſint omnino inferioris, ùt tamen gratiâ informatæ elevantur ad gradum altiorem, & meritoriæ de condigno fiunt æternæ beatitudinis, cujus minimum, ùt ait *S. Thomas* alibi citatus, pluris æſtimatur, quàm remiſſio cujuſcumque temporalis ſupplicii.

369 OBJIC. 3. Ita ſe habet forum præſentis ſeculi ad forum Animarum, ſicut civile forum, ad forum ſanguinis; noſtrum eſt Pietatis, illud Juſtitiæ; ſed pœna ſanguinis pœnis Canonicis non redimitur, ùt dicitur cap. *Eum non ab Homine* de Jud., & cap. *Degradatio*: ergo pœna Animarum infallibiliter non ſolvitur per hujus ſeculi pœnas: ergo neque per Indulgentias Pontificis.

Poteſt in hoc ſeculo ſolvi pœna debita pro alio.

RESP. *nego majorem*. In tantum actiones civilis fori ea redimere non poſſunt, quæ ſpectant ad forum ſanguinis; quia inter ipſas actiones non datur æqualitas. Cæterùm in noſtro caſu pœnæ hujus ſeculi, ſi bona voluntate aſſumantur in ſatisfactionem peccatorum, æquivalent pœnis Purgatorii in eſſe ſatisfactivo. Hinc pœnitentes ſpontaneis afflictionibus ſæpè redimunt debitum pœnarum, quod eſſet in Purgatorio luendum. En igitur quomodo actiones hujus vitæ eleventur ad ſolvendas pœnas alterius? Deinde, etſi Fidelium ſuffragia Purgatorii ſupplicia non exæquarent, nihilominus id dici de Indulgentiis nequit, quæpote dependentur ex Theſauro ſatisfactionum Chriſti.

370 OBJIC. 4. Viventes, & Defuncti pœnæ debito obſtricti ita ſe habent ad Pontificis Indulgentias, ſicuti Cives Mediolanenſes onerati ære alieno, quorum aliquos tenet carcer in hac Civitate, alios in Urbe Roma; ſed Princeps æs publicum diſpertiens, etſi infallibiliter redimat captivos in ſua detentos Urbe, haud tamen eos poteſt, qui in aliena Ditione tanquam mancipia detinentur: ergo itidem Pontifex, licèt Indulgentiis queat Viventes infallibiliter, non tamen Defunctos in libertatem adſerere poteſt, & a ſuppliciis vindicare.

RESP. *nego majorem*. Sumitur paritas duorum Principum, quorum neuter ab altero pendet. At in caſu noſtro Chriſtus ſe habet ùt Dominus, Pontifex ùt ejus Vicarius, & generalis diſtributor. Ibi inter utrumque nulla intercesſit nec formalis, nec virtualis promiſſio; quæ planè intervenit in noſtro caſu, cùm Chriſtus, ſub cujus Dominio torquentur Defuncti, abſolutam, & non fictitiam facultatem dederit faciendi iis copiam Theſauri. Præterea apud alienum Principem detineri poſſunt vel tanquam ſervi, vel tanquam debitores pecuniarii, qui cùm non habeant in ære, ſolvunt in corpore. Si pecunia ad redimendum foret in promptu, eſſent abſque dubio relaxandi a Judice, ſive pretium ſit ex propriis depenſum, ſive ex alienis. Secus evenit in debito ſervitutis; tunc niſi ſponte a Domino pretium acceptetur, ſervus non dimittitur. Venio ad rem: Animæ in Purgatorio æquiparantur detentis in carcere ob æs alienum, cui ſolvendo non ſunt. Ideò namque Animæ ignis ſupplicio torquentur; quia cùm non habent in operibus, quod Divinæ Juſtitiæ ſolvant, patiendo in perſonis ſatisfaciunt. Semel ergo ac Pontifex ex ſacroſancta communi gaza ſufficiens æquivaleat pretium, cur non ilicet e carcere dimittendæ? Quòd autem debitum Purgatorii ſit pecuniario ſimile, videtur erui ex Scriptura Matth. 5. v. 25. *Eſto conſentiens Adverſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te adverſarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro: & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*. Porrò ſervituti non comparatur ſtatus Purgatorii; cum ſervitus ex ſuo conceptu ſit perpetua.

Princeps quando tenetur dimittere captivum.

Purgantes Animæ ſunt velut debitores pecuniarii.

Servitus ex ſuo conceptu eſt perpetua.

371 OBJIC. 5. Indulgentiam pro Defunctis eſſe infallibilem repugnat opinioni Fidelium, & conſuetudini Eccleſiæ, quæ & Indulgentias repetit pro eodem Defuncto, & præter Indulgentias ſuperaddit ſuffragia: ergo.

RESP. Hoc argumentum, quod pleriſque negotium faceſſit, æquè impetit Indulgentias Vivorum, pro quibus etiam repeti ſolent, & poſitis quibuſcunque Indulgentiis, Doctores ſuadent omittendas haudquaquam eſſe bonorum operum ſatisfactiones, & hoc propter incertitudinem, an reipſa compotes Indulgentiarum facti fuerimus, quarum valor ex pluribus pendet, & præſertim ex bona diſpoſitione, & ſtatu gratiæ requiſito in Vivente, ut pro Defuncto opera adimpleat. Nam licèt hoc ab aliquibus negetur, tamen, ùt ait *de Lugo*, magis commune eſt, & ſecundùm ſenſum Fidelium exigitur ſtatus gratiæ: de quo non videtur dubitandum, non modo propter jam dicta de Indulgentiis Vivorum iſthic applicanda; ſed etiam quia Defunctorum Indulgentia eſt per modum ſuffragii, quod fundatur in unione Charitatis: & ùt dicit *S. Thomas*, qui alteri ſuffragatur, aſſumit ſibi debitum, quod alius habet,

Quæ requiruntur ad lucrandas Indulgentias pro Defunctis.

habet , unde habere debet neceſſarias conditiones , acſi alter ex propriis ſatisfaceret, Inter quas eſt ſtatus gratiæ . Vide Par. IV. Controv. IV. , & in eadem Parte Controv. IX. Ibi enim dicitur , quomodo opera Peccatoris alteri prodeſſe poſſint non infallibiliter quidem , ſed ex Divina clementia , & bonitate.

372 DICES I. Eatenus in Vivente ſtatus gratiæ requiritur , quatenus Indulgentiæ fructus eidem applicatur ; & cùm pœna non remittatur niſi jam remiſsâ culpâ , ideo præſupponendus eſt ſtatus gratiæ ; ſed Defunctis dimiſsâ jam ſunt peccata : ergo Viventi ad hoc , ut applicet Mortuis Indulgentiæ fructum , haudquaquam opus eſt gratia .

Requiritur unitas cõmunicationis.

RESP. Ad Indulgentiam Vivis conſectandam neceſſaria eſt gratia etiam ad hoc ut opus proportionetur fini , & cauſæ ; quæ ratio proportionis afficit èt Defunctos . Et inſuper inter Viventes , & Mortuos dari debet unitas communicationis , quæ ſine gratia eſſe non poteſt .

373 DICES II. Ut Vivens pro Defuncto Indulgentiam lucretur , non eſt neceſſe , quod ſatisfactionem offerat ſuis operationibus correſpondentem ; quia ſolutio fit ex bonis Theſauri : ergo in eo ſtatus gratiæ non eſt neceſſarius ; ideo namque eſſet , ut ſuum opus valeret tanquam peculiare ſuffragium operantis .

RESP. Ultro fateor in aliquot Indulgentiis particulare opus eſſe applicandum ut ſonat verba conceſſionis , cùm dicitur : *Recitanti Coronam , offerenti pro Defunctis Sacrificium hanc, vel illam concedimus Indulgentiam* . Cùm verò ſolùm indefinitè dicitur , *qui celebraverit ad hoc Altare ; qui viſitaverit hanc Eccleſiam lucrabitur Indulgentiam pro Defunctis* .

Opus applicari debet pro Defunctis.

An ſit applicanda operis ſatisfactio , ambigunt aliqui : tutiùs omnes affirmant nec immeritò ; nam Viventis opus in eſſe ſuffragii ſe habet velut quoddam prævium , cui ſuffragium generale Indulgentiarum innititur . Quare ſicuti actio prævia agentis inſtrumentarii debet agere ad effectum principalis agentis : haud aliter opus particulare Viventis ſuffragari debet Defunctu, cui conceditur Indulgentià . Tum etiam quia inter alia opus injungitur , ne enervetur ſatisfactio perſonalis ; & ideò aliqua debet ſatisfactio ex propriis Deo dependi , reliquum ex bonis ſuppleri communibus ; unde cui prodeſt Indulgentia , prodeſſe debet ſatisfactio injuncti operis , ſiquidem Illi profuiſſet perſonalis ſatisfactio .

374 DICES III. Sacrificium Miſſæ celebratum in ſtatu peccati prodeſt , cui offertur , dummodo ſit in gratia : ergo Indulgentia Defuncto proderit , etiam ſi qui ponit opus , careat gratià ; utrumque enim *ex opere operato* ſortitur effectum .

RESP. *nego conſeq.* Paritas claudicat ; nam ut rectè procedat , comparandus eſt faciens Sacrificium cum faciente Indulgentiam . Sicut enim Theſaurum applicanti medio Sacrificio , non eſt neceſſarius ſtatus gratiæ ; ita nec applicanti per Indulgentias .

Vivis adimplet opus pro Defuncto.

Cæterùm qui opus adimplet pro Defuncto , non ita ſe habet , ut Sacerdos applicans Sacrificium , ſed facit unum cum Suſcipiente ; immo cenſetur ipſemet ſuſcipere Indulgentiam ; ponit enim diſpoſitiones proximas cæteroqui ab eo exercendas ; quare ſicuti Defunctus , ita èt Vivens , dum ſupplet opus pro Defuncto , debet eſſe in gratia .

375 DICES IV. Martyrium totam delet pœnam , etiamſi Chriſti Confeſſor in peccato mortali patiatur : ergo etiamſi Fidelis prævias conditiones adimpleat in peccato , Indulgentia Defuncto proderit : utrobique enim currit eadem ratio effectus *ex opere operato* .

Diſcrimen inter Martyrium, & Indulgentiam.

RESP. *negando conſequentiam , & paritatem* . Martyrium ex pluribus capitibus tollit peccatum . Delet quoad maculam , ſi adſit attritio , vel etiam abſque attritione , ſi peccatum non occurrat memoriæ ; Martyrium ſiquidem ſaltem virtualiter importat Charitatem . Indulgentia verò ad culpam non extenditur . Martyrium pœnam tollit , quia eſt Baptiſmus in voto . Indulgentia nullum in voto Sacramentum importat . In Martyrio quidquid in peccato gravi toleratur citra mortem , non eſt meritorium , nec ſatisfactorium ; nam mortale dumtaxat vulnus qua tale Martyrium denominat , & pœnam delet , ſi adſint debitæ diſpoſitiones . Ad valorem verò Indulgentiæ concurrunt etiam opera injuncta .

376 DICES V. Si in eo , qui injunctis operibus fungitur , eſſet neceſſarius ſtatus gratiæ , neceſſaria itidem foret intentio applicandæ pro mortuis Indulgentiæ , quandoquidem ut dictum eſt , operetur , prout gerit vices perſonæ alterius . Sed hoc falſum videtur : ergo . *Minor explicatur* . Non eſt neceſſaria acceptatio in Defuncto : ſuffragium enim prodeſt ignoranti , neſcienti , ùt cum pro abſente oramus , & ſacrificia offerimus : ergo in lucrante Indulgentiam ſupervacanea eſt intentio , cùm offerre alteri , & ab eo acceptari ſint correlativa .

Quæ intentio requiratur in lucrante Indulgẽtias pro pro alio ; & quæ in Suſcipiente.

RESP. *conc. maj.* Nam ſicut Indulgentia non intelligitur Defunctis conceſſa , niſi in literis conceſſionis exprimatur ; ita faciens opus non intelligitur iis lucrari Indulgentiam , ad quos non dirigitur intentio . Etenim operans eſt Dominus abſolutè ſui actus , qui ſuapte natura tendit in bonum Operantis , ac proinde ut proſit alteri , neceſſe eſt dirigatur a Domino in ipſius utilitatem . Sufficit tamen intentio virtualis , qua poſita actiones dicuntur humanæ , & per eam legitimè Sacramenta adminiſtrantur . Hinc ad probationem *minoris , nego paritatem* . Plus requiritur ad agendum , quam ad patiendum ; qui lucratur Indulgentiam agit , Defunctus ſe habet ut patiens . Omne agens morale , niſi aliud intendat , ex natura rei vult ſibi fructificare : è contra quiſque , niſi aliud expreſsè intendat , vult acceptare , quidquid in ſui utilitatem cadit ; unde Agens ut aliis fructificet , debet hoc intendere , non autem patiens , ſeu recipiens . Defectu intentionis in Agente ſæpè contingit , ut Indulgentiæ non proſint Defunctis .

Quare Indulgẽtiæ aliquando Defunctis non proſint.

377 *D. Bonaventura*, cur Defunctorum animas ſæpè Indulgentiæ non juvent, licèt infallibiliter operentur, impedimentum aliud adſignat ex parte animarum Purgantium: ſentit Sanctus Doctor in iis præter debitum pœnæ, relinqui ex peccato quandam ſcoriam, ſeu impuritatem, quæ formaliter non eſt culpa, ſed veluti quid conſequens ad culpam; eſt enim illa adhæſio voluptuoſa ad objectum peccaminoſum, quam peccans ſuis actibus radicavit; hæc autem immunditia nonniſi per proprios actus tollitur, ſicuti per eoſdem fuit inducta; unde etſi ſufficiens pretium per Indulgentias offeratur pro pœna; niſi Defunctus fuerit ſufficienti actuum repetitione ab illa impuritate purgatus, non liberatur a pœnis.

378 *Henricus Gandavenſis Quodlib.* 11. *cap.* 26. cum pleriſque aliam exigit conditionem ex parte Defuncti, ut Indulgentia infallibili adjumento ſit, nempe quod ſolertiſſimum ſe præſtiterit in ſublevandis Defunctis, in procurandis ſatisfactionibus, in adimplendis pœnitentiis impoſitis; quod videtur ad mentem D. Auguſtini: *Qui* (ſic loquitur de pio precantium affectu pro mortuis) *qui cùm Defunctis, a Fidelibus chariſſimis exhibetur, eum prodeſſe non dubium eſt iis, qui cùm in corpore viverent, talia ſibi poſt hanc vitam prodeſſe meruerunt*. Merentur tamen inæqualiter (eodem *Auguſtino* teſte lib. de Cura pro Mortuis cap. 4.) quotquot in gratia ſanctificante extremum diem claudunt; ſed circa hanc opinionem vide, quæ ſupra dixi Part. IV. Controv. VII. ad 3. Objic.

Indulgentiæ proſunt Defunctis Cathecumenis.

379 Hinc inferas Indulgentias quoque Defunctis Cathecumenis proficuas eſſe; quippequi ob charitatem cùm ſint viva Eccleſiæ membra, ſuffragiis gaudere poſſunt, quorum utilitas in Sanctorum communione fundatur; tametſi pro Cathecumeno orationes publicas, & Sacrificia fieri non ſit fas; hæc enim reputantur viſibilia quædam ſigna, quibus unitatem proteſtamur viſibilis Eccleſiæ. In hanc autem Cathecumenus needum viſibiliter eſt ingreſſus per Baptiſmi ſolemnem januam. Indulgentia verò diſpenſat quidem bona Eccleſiæ communia, ſed pro Defunctis per modum ſuffragii, nec exercetur juridica ſummi Sacerdotis ſententia, ideo Cathecuminis fructificat, quos in generali conceſſione complectitur Fidelium nomen. Quamobrem haud ſit neceſſe eos expreſsè nominare, queis nullam hactenus Indulgentiam conceſſit Eccleſia.

CONTROVERSIA XXIII.

AN ANIMÆ, QUÆ SUNT IN PURGATORIO, PRO VIVIS ORENT.

380 TRactatum de Indulgentiis eò maximè direximus, ut contra Acatholicos Purgatorii doctrina firmior, & illuſtrior fieret; ſed quoniam iidem Eccleſiæ perduelles clamitant ſemel mortuos perpetuæ oblivioni eorum, quæ in hac vita fiunt, traditos eſſe, nihilque iis commune nobiſcum eſſe, ideo ſupreſt neceſſariò expendendum, an Purgantes erga nos exerceant mutua charitatis officia, & potiſſimè an pro nobis Deum orent.

Heretici negat cũ mortuis communicationem.

381 Ad cujus reſolutionem notandum triplex orationis genus. *Primum* eſt meritorium, quatenus vi meriti augmentum gratiæ, & nova ad proficiendum auxilia obtinet vel ipſi oranti, vel cui ſit oratio. Quoad præmium debitum ex juſtitia oratio Vivorum ſolis Orantibus; quoad debitum de congruo, etiam aliis Viventibus prodeſt. *Alterum* eſt ſatisfactorium, quatenus vim habet extinguendi debitum pœnæ temporalis pro peccatis contractum; & in hoc ſenſu Viventium preces prodeſſe poſſunt orantibus, aliiſque tum Vivis, tum etiam Defunctis. *Tertium* eſt impetratorium, quatenus inclinat Deum, ut poſtulata concedat; quo ſenſu Vivorum oratio itidem ipſos juvat, alioſque etiam vitâ functos. Nunc ſupereſt quæſtio, an animæ Purgantium aliqua ex his oratione Viventibus proſint.

Oratio alia ſatisfactoria, alia meritoria, alia impetratoria.

382 Quod dupliciter intelligi poteſt, vel orando pro nobis univerſim, tum quoad perſonas, tum quoad bona poſtulata. Oratio perſonas afficit indiſcriminatim, ſi fiat pro vivis Fidelibus, nec deſcendat ſingillatim, & expreſsè ad Parentes, ad Amicos, ad Benefactores. Quoad poſtulata ſit in genere, ſi petat Fidelibus neceſſaria ad ſalutem, augmentum gratiæ, profectum ſpiritualem, nec ſignanter intendat v. g. corporis ſalutem, agrorum fertilitatem, victoriam hoſtium.

383 Purgantes nullatenus orare pro Vivis nec meritoriè, nec ſatisfactoriè, Catholicum eſt dogma, cùm certò conſtat Purgatorium non eſſe ſtatum merendi, aut ſatisfaciendi in rigore meriti, & ſatisfactionis. Eò igitur devolvitur quæſtio, an purgantes animæ pro Vivis orent impetrativè, quemadmodum è Beatus impetrare nobis plura certò ſcimus.

Purgantes nõ orant nec meritoriè, nec ſatisfactoriè.

384 DICO. *Purgantes orant pro Vivis tum in generali, tum in particulari ſaltem quoad Perſonas.* Hæc concluſio Catholicos habet diſſentientes. PROB. I. Longè pejus ſe habent Damnati, quam Purgantes: ſed Lucæ 16. v. 27. Dives damnatus in Inferno orat Abraham pro Fratrum ſalute: *Rogo ergo te, ut mittas eum in domum Patris mei. Habeo enim quinque Fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum*: & quidem pro virili efficaciter orabat; nam

Dãnati orant pro Vivis.

reſpon-

reſpondenti Abrahamo, Moyſen iis eſſe, quem poterant audire, ſubjunxit Dives fortiùs eoſdem Fratres promovendos fore, ſi quis ex mortuis ad eos aſcendiſſet: *Non Pater Abraham, ſed ſi quis ex Mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent*: ergo Animæ Purgantium minoribus tormentis affectæ pro viventibus preces fundent. *Conſequentia* videtur legitima ſuppoſito Adverſariorum principio, qui Purgantes pro nobis orare negant ex eo, quòd cùm ſint in ſtatu ſatiſpaſſionis ad tempus præſtitutum pro ſuis noxis plectendi, propterea habeantur infra nos. Inſuper apud Inferos nullus eſt ordo, nulla vera charitas: ex adverſo in Purgatorio vera eſt charitas, & rectus ordo, nec animæ ibi verſantur in tumultuaria perturbatione, ſed pacatæ, ſibique præſentes æquanimiter piaculare ſupplicium ferunt. Cur igitur nequeant Purgantes orare, ſi orant vel Damnati? Vide ſupra Tract. II. Part. IV. Controv. V.

385 *Raymundus Capiſuccus* adverſæ opinionis acer propugnator *Controv. 6. ex Controverſiis Theologicis ſelectis*, ait, Divitem pro ſe adprecatum eſſe non pro Fratribus, quorum damnatio ſibi accidentalis pœnæ incrementum foret allatura, ùt admonet D. Thomas 4. *Sent. diſt. 50. art. 1. quæſt. 4. ad primum*. Id autem in Purgantibus nihil evincit, qui ex parentum acceſſione nullum pœnæ augmentum capiunt.

Orabat Dives ex motivo propriæ utilitatis.

Sed reſponſio non urget. Utique concedimus Divitis precationem ex amore propriæ utilitatis, non alienæ fuiſſe profectam. Sed nos id unum intendimus, eum ſcilicet anxium fuiſſe, ne Fratres in ſocietatem damnationis accederent, atque adeo fuiſſe ſolicitum de removendo, quod timebat, pœnæ incremento. Si ex Lazari miſſione ſalus Fratrum ſecuta eſſet, ipſis abſque dubio profuiſſet. Solùm ergo concluderet inſtantia, quod Purgantium animæ orarent ex proprio amore, ut moveamur Fideles ad iiſdem opitulandum, qui affectus in juſtis animabus ordinatè haberi poteſt, ut in hac Tract. Parte III. Controv. II. adverſus *Lutherum* probavimus. Quanquam verò hæc citra dubium ſint, nego ex ſua ipſarum utilitate dumtaxat moveri, ſed etiam ex charitate, aliarumque virtutum amore, ut infrà dicemus. Porrò ſi inordinatus amor ſui cum invidia permixtus Epulonem ad ſubveniendum Fratribus impulit, an non etiam magis ſui, & aliorum charitas Juſtos permoveat ad ſubveniendum Confratribus, qui in hoc ſeculo peregrinantur?

Purgantes orant ex affectu charitatis.

386 DICES. Damnati orent pro Viventibus, ſed inutiliter: ergo vel etiam animæ Purgantes inutiliter orant, vel nullo modo.

RESP. *neganda conſequentiam*. Ideò Damnati incaſſum orant, quia non exaudiuntur a Deo. Cæterùm Purgantes cùm in amore apud Deum, & honore ſint, ut infrà probabimus, preces haud fruſtrà effundunt. Quare ſi orare poſſunt, ſicut admittit inſtantia, fatearis oportet de facto orare, & ſæpiùs a Deo exaudiri.

Purgantes nõ inutiliter orant.

387 PROBATUR II. Sicut Juſtorum animas in lege Moſayca a Regno Cœli amotas Abrahæ ſinus detinebat: haud aliter Purgantes Animæ a beatitudine conſequenda retardantur, cùm hoc tamen diſcrimine, quòd in ſtatu legis impedimentum erat ex defectu naturæ originali peccato vitiatæ, ac proinde ea privatio non gignebat pœnam. Retardatio verò in Purgantibus naſcitur ex perſonali obice, ex reatu ſcilicet pœnæ, eaquepropter in cruciatibus detinentur; ſed Animæ tum quieſcentes in ſinu Abrahæ pro Viventibus orabant, ut habetur de Jeremia Propheta 2. Mach. 15. v. 14. *Hic eſt, qui multum orat pro Populo Dei*: Job 5. v. 1. *Voca, ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere*: quod intelligitur de Defunctis, a quibus orationis opem, & patrocinium poſtulare admonebatur: *Jerem. 15. Ezech. 14.* Moyſes, Daniel, & Samuel voluiſſe dicuntur pro Populo orare: ergo itidem Animæ Purgatorii, tametſi Dei viſione careant pro Vivis orabunt. Æquè privatio gloriæ neutros vetat orare, cùm ſpiritus charitatis utriſque inſit.

Patres in Lymbo orabant.

In Purgantibus datur ſpiritus charitatis.

388 *Raymundus Capiſuccus* reſpondet, Animas in Abrahæ ſinu degentes in ſtatu pacato, & in ſphæra ſuperiori ad Viventes fuiſſe; Animas verò Purgantium eſſe infra nos, & quidem ita excruciari, ut noſtræ potiùs orationis egeant, quàm nos ipſarum precibus juvari debeamus.

Sed hæc reſponſio non officit: primò, quia ad orandum non attenditur major, vel minor gradus, aut conditio perſonæ: famuli orant pro Dominis, pro Principibus Subditi, Clerici pro Epiſcopis: quid eſt igitur congruum, ſi Purgantes orent pro Vivis, etſi hoſce velis eſſe in ſuperiori gradu? Secundò. Animæ Purgatorii ſunt ſimpliciter in ſtatu ſuperiori ad Viventes utpote confirmatæ in gratia, magiſque pertinent ad ſupremum comprehenſorum ordinem, quàm viatorum; quare dicuntur *ſecundùm quid* inferiores utpote quòd exiſtant in loco ſatiſpaſſionis, qua viatores carent. Sub hoc reſpectu æquiparantur animabus in ſinu Abrahæ, quæ aliqualiter infra Viventes degebant, & ſimpliciter erant citra terminum poſſeſſivè, & merendi impotes; Juſti autem in via jus quidem habent ad gloriam cum periculo amittendi, ſed etiam cum facultate merendi. Cæteris autem paribus ſtatus gratiæ extra ſtatum actualis gloriæ cum proxima ad merendum facultate eſt conditio melior, quàm gratia ſine potentia meritoria. Si ergo poſiti in dignitate *ſecundùm quid* minore orabunt Sancti Patres, cur non in alia ſimili Purgantes orent?

Purgantes animæ ſolùm ſecundùm quid ſunt nobis inferiores.

Secunda pars adductæ inſtantiæ imbecillior videtur: quid enim pœna actualis obſtat, quominus orent pro Vivis? Sicut ipſi indigent ſublevari a pœnis, ita Viventes adjuvari in periculis; ſicut ergo non incongruè Viator auxilii indigus ad evitandam culpam, orat pro Defunctis indigentibus ſublevari a pœna; ità Defuncti, qui non indigent a culpa liberari, ſed a pœna, orant pro Viatore, ne labatur in culpam.

Actualis pœna non impedit orare.

Si

Si enim ſtatus ſatiſpaſſionis non impedit, quominus recipiant ſuffragia miſericordiæ, uivis in ſtatu juſtitiæ conſtituti; ita non impediet, quin poſſint erga alios actibus miſericordiæ exerceri. Indigens in uno genere, & dives in alio, quamvis alium juvare nequeat in eo genere, in quo indiget, poteſt tamen, in quo non indiget. Purgantes in genere pœnarum indigent levari; at divites quodammodo ſunt in ſtatu gratiæ inamiſſibilis: rogare igitur pro Vivis poterunt, ne amittant gratiam, vel ut amiſſam recuperent.

ADDE: nos omnes auxiliorum cœleſtium inopes ſumus, plures neceſſitates tum animæ, tum corporis patimur: attamen laudabiliter ad invicem oramus. Cur igitur etiam Purgantes, quamvis egeant, ut alii pro ipſis orent, non poterunt ipſi orare pro aliis? Carcere detentus non quidem criminaliter, ſed civiliter nonne Judicem poteſt obſecrare pro altero, ſi Judex ſit amicus, immo ſi Pater idem ſit, qui præparatam captivo ſervet hæreditatem? Animæ Purgatorii ſunt equidem coram Deo pœnarum ſontes, ſed etiam ſponſæ Dei, & filiæ, quas dum igne purgat, tenerrimè diligit. Igitur ratione amicitiæ, & filiationis jus habent ad poſtulandum aliquid pro aliis a Deo Patre, & Sponſo, & condignitatem ſufficientem, ut impetrent, quod poſtulant.

Detentus in carcere orare poteſt pro alio.

Hinc patet reſponſum ad eos, qui aſſerunt Purgatorium eſſe locum patiendi, non orandi. Item ad alios, qui Purgatorio quamque excludunt orationem meritoriam, ſatisfacturiam, & impetratoriam. Utut verum ſit de primo, & ſecundo orationis genere, non improbatur tamen tertium, nempe quod orando queant permulta a Deo nobis conſequi. Etenim animæ, ut Filiæ, & Sponſæ Dei jus ad poſtulandum, & ſufficientem præſehabent condignitatem, ut exaudiantur.

389 PROBATUR III. Poteſtas ſe mutuis adjuvandi orationibus inſita eſt articulo Fidei de Sanctorum communione. Sed Purgantes accenſentur numero Sanctorum, qui illo in articulo continentur: ergo habent poteſtatem, ut alios juvent, & ab illis orationum ſuffragio adjuventur. *Major* eſt *D. Pauli* dicentis: *pro invicem ſollicita ſunt membra*: hinc *S. Thomas* ſuppl. quæſt. 71. art. 1. habet: *Et ideò omnes, qui ſibi invicem charitate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportent, tamen ſecundùm menſuram ſtatus uniuſcujuſque, quia in Patria unuſquiſque gaudebit de bonis alterius, & indè eſt, quod articulus Fidei ponitur Sanctorum communio*. *Minorem* nemo neget. Purgantes enim verâ præditi charitate ſunt, quam et vivi habuere, & retinent Beati; & ratione charitatis comprehenduntur in articulo communionis, ac participes ſunt bonorum, quæ in Eccleſia fiunt. Hinc docet ibidem art. 2. Angelicus: *Charitas, quæ eſt vinculum, Eccleſiæ membra uniens, non ſolum ad Vivos ſe extendit, ſed etiam ad Mortuos, qui in charitate decedunt*. Conſequentia eſt legitima: admittenda ſunt ergo mutua inter Vivos, & Mortuos pietatis officia.

Probatur concluſio ex articulo Fidei de cōmunione Sanctorum.

390 RESPONDENT *Capiſuccus*, ad articulum Fidei de Communione Sanctorum neceſſariam non eſſe mutuam orationem pro eodem tempore; quamobrem alter orat pro altero, qui tamen pro orante non orat; adeoque Sanctorum ſubſiſtit communio in Animabus Purgatorii, etſi non orant pro orantibus. Communio Sanctorum in eo eſt, quòd ex Fidelium orationibus partem fructus Purgantes capiant, quin viventibus mortui rependant vicem.

Sed contra: Apoſtolus non quamcumque poſtulat a Fidelibus, ſed mutuam ſollicitudinem: *Alter alterius onera portate*. Charitas, quæ nunquam excidit, utpote eſſentialiter communicativa, eſt etiam eſſentialiter amicabilis proportionatè quidem ad ſtatum, ùt vidimus ex *D. Thoma*. Igitur ut communicativa ad alterum remanet in Defunctis, adeoque ut præſtant mutua obſequia: non eſt utique neceſſarium, quod eodem tempore mutua fiat oratio, ſed requiritur, quod aliquando invicem orent. Equidem uſuvenit, ut alter oret pro altero, licèt hic non oret ſignanter pro ipſo, quem fortè neſcit pro ſe orare. Aſt in communi pro ipſo etiam orat; quod ni faceret, & nunquam oraret, profectò jura communionis Sanctorum offenderet, & membrum charitativè unitum deſineret eſſe; frangeret enim præceptum reciprocæ orationis. Ideò advertunt Patres in Dominica oratione a Chriſto nos edoceri, ut pluraliter oremus, Sanctorum communis articulo ſatisfacturi, dicentes *Pater noſter: panem noſtrum quotidianum da nobis: dimitte nobis debita noſtra* &c. Hinc *S. Ambroſius* lib. 1. de Officiis cap. 29. ait: *Eccleſia quædam forma juſtitiæ eſt commune jus omnium: Eccleſia in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur*.

Charitas eſſentialiter eſt communicativa.

Chriſtus docuit nos orare pro invicem.

Concedimus ad Sanctorum communionem pertinere, quod Fideles participent fructum orationis ex ſuppoſitione, quod fiant, unde dicebat Propheta Pſalm. 118. v. 63. *Particeps ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua*. Hoc tamen non eſt ſatis: requiritur ulterius, ut membra de aliorum operibus fructum capiant, de ſuis etiam copiam faciant.

Id etiam magis clarèſit ex diſcurſu D. Thomæ *Quodlib. 22. quæſt. 83. art. 11.* ubi oſtendit Beatos orare pro nobis: *Sed hoc eſt omnino falſum; quia cùm oratio pro aliis facta ex charitate proveniat, ut dictum eſt, quantò Sancti, qui ſunt in Patria, ſunt perfectioris charitatis, tantò magis orant pro Viatoribus, qui orationibus juvari poſſunt; & quantò ſunt Deo conjunctiores, tantò eorum orationes ſunt magis efficaces*. Atqui charitas Purgantium eſt majoris perfectionis, quàm Viatorum; eſt enim in ſtatu immobilitatis, & confirmationis, quæ perfectio deeſt Viventium charitati: ergo etiam in Purgantibus dari debet oratio. Porrò ſi naturæ ordinem attendimus, ſicut eadem charitas in ſtatu infimo Viatorum, & in Beatorum ſupremo non excludit, immo potiùs importat ora-

Charitas Purgantium eſt majoris perfectionis, quā illa Viatorū.

orationem mutuam; ita nec debet excludere a medio, qui eſt Purgantium ſtatu; quandoquidem medium participet de utroque extremo. Quod autem animæ in ſtatu medio poſitæ orare debeant, clariſſimè probatur; nam Viventes in ſtatu omnimodæ indigentiæ orant pro aliis: Beati in ſtatu nullius indigentiæ pro aliis item orant. Purgantibus quoque eſt orandum, cùm ratio pœnarum eas conſtituat in alicujus ſtatu indigentiæ, & ratio certæ ſalutis ponat eaſdem in ſtatu indigentiæ nullius.

Purgantes ſunt in ſtatu medio.

391 PROBATUR IV. Non eſt denegandus virtuti actus proprius componibilis cum ſtatu, in quo eſt; ſed in Purgantibus remanet in gradu perfecto virtus Religionis, cujus potiſſimus actus eſt oratio: ergo hæc non eſt deneganda animabus in Purgatorio, ſi modo fuerit cum eo ſtatu compoſſibilis: ſed eſt compoſſibilis; non enim oratio ſpecialem importat conditionem ſupra reliquos Religionis actus, qui inibi exercentur, vota devotionis, oblationis, & hujuſmodi; immo ratione ſtatus eſt concedenda Purgantibus; quandoquidem oratio ſit actus Religionis valdè excellens, quo peculiaris cultus offertur, & totus homo Deo ſubjicitur, docente *D. Thoma* 2. 2. q. 83. art. 3. *Per orationem autem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum ſcilicet ei ſe ſubjicit, & profitetur orando ſe eo indigere, ſicut authore ſuorum bonorum: undè manifeſtum eſt, quod oratio eſt propriè Religionis actus:* & ad tertium: *Dicendum, quod orando tradit homo mentem ſuam Deo, quam ei per reverentiam ſubjicit, & quodammodo præſentat, ut patet ex authoritate* Dionyſii *prius inducta.* Atqui innegabiliter Animæ Purgantium Deo exhibent cultum: Deo mentem repræſentant, Divinæ voluntati perfectiſſimè conformes fiunt, Deum agnoſcunt ſuorum omnium bonorum auctorem, & eo indigent: ergo iiſdem competit facultas orationis.

In Purgantibus datur Religio, cujus actus eſt oratio.

392 RESPONDET *Capſuccus*: a nemine orationem negari in Animabus Purgatorii, ſicut probatio evincit, ſed inquit eas pro ſe dumtaxat orare ſcilicet, ut Deus ſuggerat Viventibus auxilia ad orandum pro iiſdem è Purgatorio liberandis.

Sed hinc noſtra potiùs ratio confirmatur. Semel admiſſo in ipſis Animabus actu primario, admittendus etiam eſt ſecundarius pro aliis indigentibus, cujuſmodi ſunt Viventes. Non orant ſibi gratiam Beati, nec gloriam eſſentialem, cujus compotes ſunt, ſed Viventibus orant, utpote gratiæ, & gloriæ egenis. Purgantes orant pro ſe egentibus, & etiam pro Vivis pariter egentibus. Deinde orant, ut Deus auxilia nobis conferat ad ſatisfaciendum pro ipſis: ergo orant etiam, ut nobis Deus det bona, quorum inopes ſumus, & hoc ex gratitudine, quàm cum aliis virtutibus retinent. Ita ſentire cogimur, tum quia cedit in majorem earundem Animarum utilitatem, ſic enim ardentiùs ad ſuffragandum movemur ſpe vicis recipiendæ, tum quia *D. Thomas* 2. 2. q. 83. art. 7. ita diſcurrit. *Dicendum, quod ſicut dictum eſt, illud debemus orando petere, quod debemus deſiderare: deſiderare autem debemus bona non ſolùm nobis, ſed etiam aliis: hoc enim pertinet ad rationem dilectionis, quam Proximis debemus impendere; ut ex ſupradictis patet: & ideò Charitas hoc requirit, ut pro aliis oremus.* Sed innegabiliter Purgantium Animæ noſtram Viventium ſalutem excupiunt, utpotequæ ordinatè diligunt, gaudentque, cùm aliquæ liberantur ad Cœlum evaſuræ. Cur igitur inficianda ſit mutua oratio, cùm omnes ad orandum conditiones præſeferat?

Si Purgantes orant pro ſe, rogant etiam pro aliis.

393 PROBATUR V. Eſt ferè communis Fidelium opinio, quâ ad orandum pro Defunctis excitantur mutua ab iiſdem orationum ſuffragia præſtolantes. Sed non videtur probabile communem hanc opinionem falſis inniti adminiculis: ergo Purgantium Animæ pro Viventibus orant. *Declaratur minor.* Ex hac pia opinione Catholici ferventiùs, & abundantiùs ſuffragantur Defunctis: cumque pietas erga ipſas ex divina motione oriatur, incredibile videtur falſam radicem ſupponere. Accedunt plurimæ revelationes, quibus comprobantur Defunctorum auxilia Viventibus collata; pluresque aliæ evulgantur paſſim, quibus narratur Viventibus apparuiſſe ad ſuffragia poſtulanda, pluriesque ipſis ſalutaria dediſſe conſilia. Eccleſia in publicis Templis tabellas admittit, ubi repræſentantur Defunctorum animæ, quæ Viventibus accurrunt, & ſuppetias ferunt.

Communis Fidelium opinio, quod Defuncti pro nobis orant.

ADVERSARIORUM ARGUMENTA SOLVUNTUR.

394 OBJIC. 1. Vix credo *D. Thomam* minus rectè intellexiſſe ſtatum Animarum Purgantium, ſed *D. Thomas* apertè negat Animas Purgatorii pro nobis orare 2. 2. qu. 83. art. 11. ad tertium: *Illi, qui ſunt in Purgatorio*, ſic laudatus Doctor; *etſi ſint ſuperiores nobis propter impeccabilitatem, ſunt tamen inferiores quantum ad pœnas, quas patiuntur: & ſecundùm hoc non ſunt in ſtatu orandi, ſed magis ut oretur pro eis.*

RESPONDEO. In hoc *Angelici* textu pondus omne adverſæ opinionis ſtat. Diverſimodè reſpondent ſententiæ noſtræ aſſertores. Extra Scholam Thomiſticam plerique ajunt *Angelicum* haud ſatis urgenti congruentia uſum eſſe, a quo propterea ſequendo validioribus ſe abſtrahi argumentis excuſant. Thomiſtæ verò ſtudentes hanc componere cum aliis ejuſdem *Angelici* doctrinis dicunt ipſum haudquaquam negaſſe abſolutè in Purgantibus facultatem orandi pro Vivis, ſed excluſiſſe dumtaxat orationem meritoriam, & ſatisfactoriam, qualis eſt in Viventibus, non autem impetratoriam. Negat alibi Sanctus Doctor Purgatorii pœnas eſſe piacularis debiti expiatorias, non quidem abſolutè, ſed per modum veræ ſatisfactionis. Ita noſter *Gabriel a S. Vincentio* in 3. quæſt. diſp. 21. dub. incid. Quæ ſolutio elucidatur alio textu *D. Thomæ* 4. ſent. diſt. 15. q. 4. art. 5. quæſt. 2. ad 2. ubi ait: *Ad ſecundum dicendum, quod quamvis illi, qui ſunt in Purgatorio, ſint in majori ſecuritate, quam nos, tamen ſunt in majori afflictione: & iterum non ſunt in ſtatu*

D. Tho. negat in Purgantibus orationem ſatisfactoriam, nõ verò impetratoriam.

ſtatu merendi ; & ideo magis indigent , quod pro eis oretur , quam quod ipſi orent . Viden'? pro inadæquata ratione non orandi ponit impotentiam merendi ; unde videtur negare conditionem orationis ſatisfactivæ , non verò omnem abſolutè orationem .

395 INSTABIS ex contextu articuli negat *Angelicus* orationem illam , quam concedit Beatis . Atqui Beatis ſolam concedit orationem impetrativam : ergo hanc negat Animabus Purgatorii .

RESPONDEO diſtinguendo *majorem* : negat illam orationem , quam concedit Beatis , ſecundùm omnem conditionem ſtatus , *nego* , ſecundùm aliquam , *concedo* . Beatus orat , tanquam ſuperior utpote impeccabilis , & compos gloriæ : Purgantes ſunt ſuperiores quatenus impeccabiles ; ſed inferiores quatenus afflicti . Orat igitur Beatus , ùt eſt in ſtatu impeccabilitatis , & fruitionis ; Purgantes autem orant , prout impeccabiles : non orant prout afflicti . Quæ ſolutio eruitur ex iis verbis : *SECUNDUM HOC non ſunt in ſtatu orandi , ſed magis , ut oretur pro eis .* Vides ? Sub hac afflictionis reduplicatione *S. Thomas* negat Purgantibus orationem , quam Beatis concedit ſub reduplicatione fruitionis . Non autem negat ſub reduplicatione impeccabilitatis , quam ſub eadem reduplicatione concedit Beatis . *Brevius* . Animæ Purgatorii conſideratæ ùt Reæ pœnarum ex *D. Thoma* non orant pro nobis ; conſideratæ ut amicæ , & filiæ Dei pro nobis orant . Chriſtus ſedet ad Patris dexteram ùt Advocatus, & Judex . Ut Advocatus interpellat pro nobis : ùt Judex nos punit . Haud aliter de Animabus Purgatorii diſcurrendum ſub diverſa conſideratione .

Purgantes orant pro nobis , ut ſunt impeccabiles.

396 OBJIC. 2. ad corroborandam *Thomæ* rationem . Animæ Purgatorii torquentur propter injurias Deo illatas , & ſunt reæ læſæ Majeſtatis Divinæ . Sed audaciæ ſummæ eſt , quod Reus , dum actu plectitur , pro aliis Regem deprecatur : ergo nullo modo Purgantibus congruit pro aliis orare . Sic Raphael de Turre 2. 2. *q. 83. art. 11. diſp. 5.*

RESP. Animæ torquentur propter offenſam Dei miſericordiam , ſed quam pœnitentia jam reparavit . Sunt Deo reconciliatæ ; reliquum habent aliquod debitum temporalis pœnæ , quo neutiquam ſiunt Deo odibiles . Haud decet ſontem , dum actu torquetur, pro aliis orare, ſi ſit criminoſus , ſi capite damnatus , ſi punitivè ſimpliciter torqueatur . Secus verò ſi tantummodo ſit reus debiti alicujus pecuniarii , ſi ad tempus affligatur, ut emundatur , ſi captivus in pœnis detineatur , certò tamen cum ipſo Judice , eodemque Patre in Cœlo regnaturus . Purgantes ſunt Dei amici , filii , proximi ad hæreditatem , & propediem futuri cæleſtis gloriæ principes ; ſed aliquandiu igne purgantur, ut ad immarceſcibilem coronam nitidiores aſcendant . Ideo præſtant ſufficienti dignitate , ut pro nobis orare poſſint , & exaudiri : quod patet ex miraculis ad preces D. Paſchaſii , teſte D. Gregorio 4. *Dialog. cap.* 41. nam ad ejus feretrum obſeſſus maligno ſpiritu liberatus eſt , cùm tamen *poſt mortem ad pœnalem locum ductus ſit* .

Purgātes rogant, ut ſunt Deo reconciliati.

Ad preces Defunctorum Purgantium Deus miracula facit .

397 DICES . Hoc miraculum minimè fuit ad preces *D. Paſchaſii* , ſicut ex laudato loco in 4. ſent. ad tertium reſpondet *D. Thomas* — Ad tertium dicendum ,
„ quod in miraculis præcipuè attenditur
„ Fides , & devotio Orantis , unde etiam
„ Dominus mulieri , quam ſanavit , dixit
„ *Math.* 9. Fides tua te ſalvam fecit ; &
„ quia ille propter excellentiam meritorum
„ credebatur in patria eſſe , inde orabatur,
„ & talis oratio propter fidem Orantium
„ exaudiebatur , tunc ut vita illius appro-
„ baretur , non quod ille pro aliis in
„ Purgatorio exiſtens oraret . — Hactenus
ex *Angelico* : ergo .

RESP. Deus verè propter fidem Orantium ſæpè miracula operatur . At nullum eſt inconveniens , quod etiam ex precibus *D. Paſchaſii* malignum ſpiritum ejecerit . Quando *D. Thomas* negat, *Paſchaſium* oraſſe, ſolùm excludit orationem meritoriam ipſius miraculi , non autem impetratoriam ; quia , ut mox dicebam , *Angelicus* negat ſolùm primam orationem in Purgantibus aſſerendo in reſponſione ad ſecundum pro impotentia orandi , impotentiam merendi .

Oratio in Purgantibus non eſt meritoria, ſed impetratoria .

398 OBJIC. 3. Animæ Purgatorii gravitate pœnarum ſummâ affliguntur triſtitiâ , unde Eccleſia orat , *ne abſorbeat eas tartarus* ; & *Auguſtinus* ſupra Pſalm. 37. docet pœnas Purgatorii acerbiores eſſe hujus ſeculi pœnis ; quare vix ſibi conſulere poſſint nedum aliis : ergo .

RESP. Pœnarum acerbitas non tollit Animabus facultatem orandi pro nobis , ſicut non impedit, quominus pro ſe ipſis orent , & Deo gratias agant pro certitudine , quam habent, ſuæ felicitatis, & ſe conforment divinæ voluntati , & lubenti animo tormenta perferant . Itaque ſibi præſentes , ſuæque mentis compotes & ſibi , & aliis per orationem conſulere poſſunt . Graviſſima utcunque forent Martyrum tormenta ; tamen pro ſuis etiam tortoribus orabant . Quare *D. Thomas* 2. 2. quæſt. 83. art. 11. , *& propter hoc* Hieronymus *contra* Vigilantium *dicit ; ſi Apoſtoli , & Martyres adhuc in corpore conſtituti , quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti , pro aliis orant , quantò magis poſt coronas , victorias , & triumphos ?* ergo vis dolorum non dejicit animas a ſede rationis ; quæ licet anxiæ de ſe ipſis, tamen ét nobis ſollicitæ ſunt , cùm ex lumine Fidei , & experimento ſe noſtris ſuffragiis juvari poſſe , & ex bonis Vivorum operibus levamen , & refrigerium capiant . Quoniam igitur aliàs vehementiſſimè exoptent inde ad gloriam aſcendere , quammaximè certant benefacere nobis , ut beneficiis extimulati nos iiſdem majora ſuffragia rependamus . Nec officit, quod pœna Purgantium ſit ſatiſpaſſionis , Martyrum pœna fuerit meritoria ; nam ſtante atrocitate tormentorum ſtat tranquillitas mentis , & capacitas ad orandum , quod oppoſitum argumentum negabat . Vide Part. III. Controv. III. de Purgatorio .

Sunt Animæ purgantes in tranquillitate ſpiritus .

Orant ut per ſuffragia abundantius ſublaventur .

399 OBJIC. 4. Ut Purgantium Animæ ſint benefactoribus gratæ , ſufficit , quod in

Cœlis

Cœlis beneficiorum memores ſint futuræ, vel quod Deus ex prævisione orationum, A quas in Cœlis pro benefactoribus facient, moveatur ad exaudiendum: ergo nulla eſt ſufficiens ratio adſtruendæ in Purgatorio orationis.

Purgantes omnes actus virtutum exercent.

RESP. *neg. ant.* In ſenſu compoſito ſtatus purgationis cùm retineant virtutes infuſas, & præcipuè Religionem, rectus ordo poſtulat, ut virtutum actus ſtatui compoſſibiles exerceant. Sicuti credunt, ſperant, amant, colunt, orant Deum pro ſe ipſis, quod èt *Capiſuccus* admittit: ita gratæ ſunt, &, beneficæ, adeoque orant pro B aliis. Ceterùm ſi dicatur Deus nos ab Animabus auxilia poſtulantes exaudire, & prævias orationes ab ipſis in Cœlo faciendas, hoc non eſt ad divinæ Providentiæ regulam in lege gratiæ, in qua Deus, ſicuti non dat præmium merito creaturæ, quod prævidet futurum, ita nec auſcultat orationem, quæ nunquam fuit, ſed aliquando futura prænoſcitur. Maximè quia *D. Thomas* 2. 2. quæſt. 83. art. 11. ad 5. docet, quod Beati in vita meruerant, ut pro nobis orarent; ſed idem meritum habent Animæ Purgatorii: ergo etiam illæ pro nobis orabunt.

Preces futuræ non exaudiuntur à Deo.

400 OBJIC. 5. Animæ in Purgatorio noſtras Viventium neceſſitates neſciunt. Sed qui neſcis neceſſitates, nequit pro iis orara: ergo.

Purgantes ſciunt noſtras neceſſitates.

RESP. Animæ Purgatorii optimè noſcunt, eædemque ſunt expertæ, quot quantaque nos mortales inter animæ, corporiſque diſcrimina verſemur. Norunt nos eſſe inter decipulas Sathanæ: Deum precantur, atque obſecrant, ut Fideles omnes, amicos, parentes, & benefactores a periculis eruat, in anguſtiis elevet, ad æternam denique felicitatem perducat. Poſſunt etiam quandoque miniſterio Angelorum, aut ea divina revelatione ſingillatim ſcire Perſonas, Benefactores, mala, quibus affliguntur, bona, quorum indigent; & ſic pro determinata Perſona, ac pro determinata neceſſitate orare. Hactenus de univerſo Purgatorii tractatu dicta ſufficiant.

TRACTATUS TERTIUS.

DE STATU ANIMARUM.

1 CElebris Antiquorum error fuit, Animas quo mortis articulo ſeparantur a corpore, operum ſuorum mercedem non recipere: ſine præmio, aut pœna in quibuſdam receptaculis detentum iri ad extremum uſque Mundi diem, quo Impii ad Inferos detruduntur, Juſti ad gaudia ſuperna evadent. Loca verò, ubi interim detinentur, ſtatuunt Iniquis ambitum quemdam in aere inviſibilem: inibi mœrore excruciari expectantes ſummo cum horrore diem, quo carcerem inferorum ingrediantur evaſuri nunquam. Bonis nonnullis octavam ſpheram, aliis terreſtrem Paradiſum; aliis ſinum Abrahæ; *Calvinus* Paradiſi atrium aſſignat. Hanc hæreſim primus defendit *Tertullianus* lib. 4. in *Marcionem* cap. 34. *Eam itaque Regionem, ſinum dico Abrahæ, etſi non cæleſtem, ſublimiorem tamen Inferis, interim refrigerium præbituram Animabus Juſtorum, donec conſummatio rerum reſurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat, tunc apparitura cæleſti promiſſione, quam Marcion ſuo vindicat, quaſi non a Creatore promulgatam.* Idem aſſerit lib. de Anima cap. 32. 33., & 34.

Hujus hæreſis Patroni.

Vigilantius, teſte *S. Hieronymo* in lib. contra eumdem huic errori adhæſit. *Ait enim, vel in ſinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel ſubter aram Dei Animas Apoſtolorum, & Martyrum conſediſſe, nec poſſe ſuis tumulis, & ubi voluerint, adeſſe præſentes: Senatoriæ videlicet dignitatis ſunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere, ſed in libera, honeſtaque cuſtodia in fortunatorum Inſulis, & in Campis Elyſiis recludantur.* Hic error tribuitur pariter Græcis Schiſmaticis, & contra ipſos actum eſt in Concilio Florentino *ſeſſ.* 1. Armenis ſub Ducibus Vartano in monitis cap. 5., & Dattavienſi *lib. interrog.* Ex his quidam videntur ſolas animas mediocriter juſtas includere inter octavam ſpheram, perfectas autem in Empyreo; *Vigilantii* errorem docuit Lutherus *prælectionibus ſuis in Gen. cap.* 25., Calvinus *lib.* 4 *inſtitut. cap.* 25. §. 6. ubi ſic: *Stultum, & temerarium eſt inquirere, quo in loca ſint Animæ Juſtorum, & an gloria fruantur nec nè. Intereà enim Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventus Chriſti, & gloriam, ac coronam eo uſque differat, contenti ſimus his finibus divinitùs præſcriptis, Animas Piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ expectant.* Eidem errori adhæſiſſe videntur alii, quorum ſenſus infrà exponam. Intereà ad hanc impugnandam hæreſim ſequentes inſtituimus Controverſias, in quibus ipſa connexio nos jubet quædam alia Fidei dogmata, quæ ad Beatitudinem attinent, expendere

CONTROVERSIA I.

AN IN DIE OBITUS FIAT PARTICULARE JUDICIUM?

2 DUplex poſt Baſilium *Hom. in Pſal.* 1. diſtinguunt Patres Judicium diſcuſſionis ſcilicet, ac retributionis. Primum dicitur illud, in quo depoſitione teſtium, rei examine, accuſatione adverſarii, aliiſque extrinſecis conjecturis perfecta cauſæ cognitio acquiritur. Hoc Judicii genus propriè non competit Deo; quia Deus ob pleniſſimam rerum omnium ſcientiam ad dignoſcendam veritatem alienis adminiculis non indiget: unde Malach 3. verſ. 5. dicit Dominus: *Et accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & perjuris*; eoquod ipſe propter eminentiam ſapientiæ Judex eſt, & velox teſtis, ut *Auguſtinus* lib. 20. de Civit. cap. 26. interpretatur, *Teſtem verò ſe dicit futurum, quia in Judicio ſuo non indiget teſtibus; eumque velocem, ſive quia repentè venturus eſt, eritque Judicium ipſo inopinato ejus adventu celerrimum, quod tardiſſimum videbatur, ſive quia ipſas convincet ſine ulla ſermonis prolixitate conſcientiae*; nihilominus quia crimina hominibus objicit, & occulta revelat, dicitur cauſam diſcutere. Juel. 3. v. 2. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in Vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis*: Sap. 1. verſ. 9. *In cogitationibus enim Impii interrogatio erit; ſermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem ſermonum illius.* Judicium retributionis eſt, in quo, cognitâ causâ, fertur ſententia, vel inflictiva pœnæ, vel collativa præmii, & hoc propriè convenit Divino Judicio; quod rurſus poteſt in Judicium intermedium diſtingui, & ultimum.

Judicii diſcuſſionis, & retributionis.

Deus Judex, & teſtis velox.

Judicium intermedium, & ultimum.

Intermedium D. Auguſtinus *lib.* 20. *de Civit. Dei cap.* 1., & 2. occultum vocat, quod in hoc ſeculo Deus aliquando exercet cum hominibus in ordine ad merita, vel demerita, ùt cùm Juſtis bene operantibus adjicit augmentum gratiæ, auxiliorum copiam majorem. E contra ſi aliquam imperfectionem contrahunt, conſcientiæ hilaritate ſpoliat, auxilia peculiaria ſubtrahit, quibus ſubtractis in graviora prolabuntur. Itidem eſt de Impiis loquendum, qui in pœnam peccati exuuntur donis gratiæ ſanctificantis, auxiliorum privatione obcæcati, obduratique in malo, ex bonorum temporalium affluentia in gravioris ruinæ, & damnationis offendiculum incidunt. Ubi enim pœnæ, & præmii intervenit diſtributio, ibi quæquam adeſt Judicii forma.

Judicium ultimum eſt, quod poſt mortem exercetur, vel quoad omnes ſimul, & dicitur univerſale, vel quoad ſingulos, & dici-

Bona temporalia occaſio damnationis.

dicitur particulare. De hoc inquirimus; an ſcilicet detur immediatè poſt cujuslibet mortem Judicium particulare: negant plures ex Græcis Schiſmaticis, negant ex Armenis Vanachanus de locis Animarum; *Dattavienſis*, aliique ſupracitati: negat *Lactantius* lib. 7. de Divinis inſtitut. cap. 21., atque in hanc ſententiam nequicquam trahitur *D. Ambroſius* lib. 2. de Cain, & Abel cap. 2. aliique contra quos ſit Catholica veritas.

3 DICO. *In obitu cujuslibet hominis datur particulare Judicium*. PROB. I. ex Scripturis Eccleſ. 11. v. 29. *Facilè eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundùm vias ſuas: malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ, & in fine hominis denudatio operum illius*. Quid autem eſt retribuere ſecundùm vias ſuas, niſi ſententiam ferre de geſtis in vita? Quid opera denudare, niſi illa ſubjicere diſcuſſioni, & examini?

In fine vitæ denudatio operum.

Ad Hebræos 9. v. 27. *Quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem Judicium; ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata; ſecundò ſine peccato apparebit expectantibus ſe in ſalutem*. Ea verba *poſt hoc autem Judicium* ſignificat in obitu diſcuti cujuslibet viventis opera: & ſenſus *Pauli* eſt. Quemadmodum quilibet homo ſemel moritur, & privatim judicatur; ità Chriſtus publicè ſemel oblatus eſt in reparationem generis humani, & ſecundò publicè apparebit Mundum diſcuſſurus.

Chriſtus ſemel oblatus eſt, ſecundò judicabit Mundum.

Apoc. 20. v. 4. duplex manifeſtè Judicium deſcribitur particulare, & univerſale: primum his verbis: *Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & Judicium datum eſt illis, & animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu, & propter verbum, & qui non adoraverunt Beſtiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus ſuis, & vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis*. Quod ad univerſale Judicium pergit ita deſcetere. *Et cum conſummati fuerint mille anni ſolvetur Sathanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet Gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris . . . . & vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu, & Throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum: & dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & Infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant, & judicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum; & Infernus, & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis: hæc eſt mors ſecunda*. In quibus dilucidè habemus duo Judicia exerceri, duplicemque ſententiam ferri: alteram ante univerſalis Judicii diem, alteram eâdem die. Nec majori indiget explicatione Scriptura hæc per ſe clara, & manifeſta.

Ex Parabola de invitatis eruitur Judicium particulare.

Matth. 22. v. 12. ponitur parabola invitati ad Nuptias non habentis nuptialem veſtem, qui denunciatâ protinus ſententiâ condemnatus eſt: *& ait illi, Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Ecce Judicium. *Tunc dixit Rex Miniſtris, ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. Ecce ſententia. Quod autem Chriſtus non loquatur de univerſali Judicio, apertè liquet; quia unus tantùm judicatur, quamvis in convivium intraſſent boni, & mali ad ſignificandam Eccleſiæ Militantis, communionem non Triumphantis. Alia clarior Parabola extat Luc. 16. de Villico, abs quo petitur ratio villicationis ſuæ, laudaturque tanquam prudens, quòd ſententiam declinavit: ac demùm in hæc verba concluditur v. 9. *Et ego dico vobis; facite vobis Amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis* (hoc eſt moriemini) *recipiant vos in æterna Tabernacula*. Alias Parabolas interferam duabus Controverſiis ſubſequentibus.

Laudatur a Chriſto Villicus, qui prævenit Judicium.

4 PROB. II. ex Patribus *Joannes Damaſcenus* Orat. de Defunctis habet: — Ajunt „ viri divinitus illuſtrati, quod cùm exalamus ſpiritum, quaſi in librâ humana opera probantur: *Ambroſius ad Hebræos* 9. — „ Statutum eſt hominibus ſemel mori, & „ poſt mortem judicabitur unuſquiſque juxta „ merita ſua: — *Auguſtinus lib.* 2. *de origine Animæ cap.* 4. — Nam illud, quod rectiſſimè, & valdè ſalubriter credit judicari „ animas cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud Judicium, quo „ eas oportet jam redditis corporibus judicari . . . . *ipſe neſciebas*. — *Ephrem Syrus lib. de Beatitud.* — Beatus quicumque in hora illa „ emigrationis, quando cum timore, atque „ dolore anima ſeparabitur a corpore, fiduciam repererit: venturi enim ſunt Angeli, qui animam a corpore jam ſeparatam accipiant, ſiſtantque ante Tribunal „ immortalis, ac tremendi Judicis; — *& infrà de Impio;* — Peccatoris autem anima „ cum timore è corpore recedet, & tremebunda abibit ſtatuenda ad Tribunal „ immortalis Judicis. — *Joannes Chryſoſtomus Homil.* 14. *in Matth.* — Omnes animæ, cùm „ hinc emigraverint, variis peccatorum catenis implicitæ ad terribile illud ducentur Tribunal. *Illud*, cùm hinc emigraverint, *ſignificat utique inſtans mortis*. — Hieronymus *in cap.* 2. *Joelis:* — Diem autem „ Domini, diem intelligi Judicii, ſive „ diem exitus uniuſcujuſque de corpore: „ quod enim in die Judicii futurum eſt omnibus, hoc in ſingulis die mortis implerur. — *Cyprianus de mortalit.* — Gratulari oportet, & temporis munus amplecti, quod dum noſtram fidem firmiter „ promimus, & labore tolerato, ad Chriſtum per anguſtam Chriſti viam pergimus, præmium vitæ, & fidei ipſo judicante capiamus. — Idem docet *Cyrillus Alexandrinus* Orat. de exitu Animæ: *Irenæus* lib. 2. contra hæreſes cap. 63.: *Tertullianus* lib. de Anima cap. ultimo: *Anſelmus* explicans illa verba cap. 9. *Statutum eſt*, aliique plures infrà citandi.

5 PROBATUR III. ex revelatis. *Beato Simeoni* revelavit Deus animam de corpore exeuntem deferri ad Judicium, ibique accuſari a malis Angelis, & a bonis defendi, tunc eſſe timora plenam, & de exitu Judi-

Ll 2 cii

cii incertam : ſic *Leontius* in Vita *S. Joannis Eleemoſynarii* . *Joannes Climacus* in Scala Paradiſi gradu 7. refert de Munacho *Stephano* , qui in mortis articulo de ſubtiliſſimis quòque accuſari audiebatur , & accuſationibus reſpondens , modò pro culpis ſatisfeciſſe dicebat , modò ad Divinam Miſericordiam confugiebat ; fuitque in vita Vir miraculis clarus . In Vita *S. Brunonis* celeberrimus caſus legitur de quodam Pariſienſi Doctore , qui in publico Templo exequiarum tempore , dum canebatur lectio *Reſponde mihi* : prima die exclamavit *Juſto Dei Judicio accuſatus ſum* : ſequenti die *Juſto Dei Judicio judicatus ſum* : tertia tandem die *Juſto Dei Judicio damnatus ſum* . Hæc narratio , utvis a *Launoio* improbatur , haud deſunt monumenta , quibus veritas conſtat . *Cæſarius Heiſterbacenſis* in Dialogis Miraculorum cap. 49. diſt. 11. , *Joannes Gerſon* Cancellarius Pariſienſis in tractatu de Simplicitate Cordis , *S. Antoninus* Chronic. tit. 15. cap. 22. , *Dionyſius Chartuſianus* Opuſc. de laudibus Carthuſ. , *Petrus Sutor* lib. de vita Carthuſiana , aliique paſſim idipſum literis tradidere ; quamvis aliqui expreſsè non aſſerant id *Brunonis* ſeceſſui dediſſe cauſam . Argumenta verò Adverſantium negativa ſunt , quatenus aliquot Auctores , qui Carthuſianenſis Ordinis primordia enarrant , de hoc ſileut . Neque curioſiùs ego expendam , an horrendum hoc ſpectaculum *Brunonem* impulerit , ut in ſolitudinem ſecederet ; quod etſi minus fortaſſe verum ſit , & ex defectu omnimodæ certitudinis a Romano Breviario fuerit expunctum ; hiſtoriæ tamen veritatem rejicere auſit nemo graviſſimis tot auctoribus fultam . Vide infrà n. 16.

Jo. Launoius Theologus Pariſienſis.

Apud *Gregorium* 4. Dialog. cap. 36. *Stephanum* quemdam *Ferrarium* in morte fuiſſe ad tribunal Chriſti conſtitutum legimus , & cap. 38. : *Chriſorium* in mortis articulo ſententiam ſuæ damnationis audiviſſe , idem perhibet *Auguſtinus* lib. de Cura pro Mortuis cap. 12. Pleraque ad rem ſuppeditat exempla *Dionyſius Carthuſianus* de Noviſſimis .

Quæ ſimul omnia propter numerum , & aucturitatem Doctorum ſaltem conciliant eam fidem , quæ hiſtoricis narrationibus habetur de Indorum exiſtentia , quam nonniſi inſipiens negabit ; ait enim *S. Gregorius* loc. cit. *Permiſit Deus ad noſtram pervenire notitiam, non ut in errorem inducer.emur , ſed ut de æternis veritatibus inſtrueremur* .

6 PROBATUR IV. ratione *D. Thomæ* ſuppl. quæſt. 88. art. 1. *Sicut operatio pertinet ad principium rerum , quæ perducuntur in eſſe ; ita Judicium pertinet ad terminum , quo res in ſuum finem perducitur* . Sed datur duplex operatio ad principium pertinens : una eſt , qua Deus primitùs totam naturam produxit , & complevit : altera , qua ſingulos producit homines , & ſingillatim gubernat : ergo duplex dari debet Judicium , univerſale videlicet , quando tota rerum machina conflagrabit , & peculiare , quando quilibet homo deſiuit eſſe , & gubernari . Et in ſolutione ad primum , ſic iterum diſcurrit . — Homo & eſt ſingularis quædam
„ perſona, & eſt pars totius generis humani,
„ unde duplex ei Judicium debetur : unum
„ ſingulare , quod de eo fiet poſt mortem ,
„ quando recipiet juxta ea , quæ in cor-
„ pore geſſit , quamvis non totaliter , quia
„ non quoad corpus , ſed quoad animam
„ tantùm . Aliud Judicium debet eſſe de eo,
„ ſecundùm quod eſt pars totius humani ge-
„ neris (ſicut aliquis judicari dicitur ſe-
„ cundùm humanam Juſtitiam, quando etiam
„ Judicium datur de communitate , cujus
„ ipſe eſt pars) unde & tunc quando fiet
„ Judicium totius humani generis per uni-
„ verſalem ſeparationem bonorum a malis ,
„ etiam quilibet per conſequens judicabitur :
„ nec tamen Deus judicabit bis in idipſum,
„ quia non duas pœnas pro uno peccato
„ inferet , ſed pœna , quæ ante Judicium
„ completè inflicta non fuerat , in ultimo
„ judicio complebitur ; poſtquam Impii cru-
„ ciabuntur quoad corpus , & animam
„ ſimul . —

Deus non judicabit bis in idipſum .

7 PROBATUR V. Res divinas , & ad ſalutem collimantes nobis proponunt Scripturæ cum analogia ad humanas , & temporales : in Evangelio Eccleſia comparatur Sagenæ miſſæ in mare , Homini negotianti, Patriſamilias , Scribæ docto , Regi longè proficiſcenti , Operantibus in vinea , Villico , & ſimilibus ; ſed in humanis , & temporalibus exigitur ratio , & diſcuſſio fit , cùm aliquis dimittitur ab officio , & opere ; tunc enim petitur ratio ab Œconomo , a Villico , a Scriba , cùm dimittuntur a munere , & operandi miniſterio : ergo etiam in divinis , & ſpiritualibus ; ſed in morte cujuslibet aufertur tempus , & occaſio operandi meritoriè , & demeritoriè , juxta illud Eccleſiaſt. 14. v. 17. *Ante obitum tuum operare juſtitiam : quoniam non eſt apud inferos invenire cibum* : & Joan. 9. v. 4. *venit nox , quando nemo poteſt operari* , ideſt ſecundùm Patres , venit mors . Recta igitur dictat ratio , ut in morte cujuſque judicium de peracta vita fiat .

In morte aufertur tempus, & occaſio operandi .

HÆRETICORUM ARGUMENTA SOLVUNTUR .

8 OBJICIT 1. *Vartunus* in Monitis ad Armenium cap. 5. Poſt latam ſententiam vel pœnæ , vel præmii fruſtra adhibetur Judicium , maximè quòd nullus ſententiæ , nullus judicio ineſſe error poteſt ; ſed poſt reſurrectionem mortuorum erit Judicium , ùt habetur Joan. 12. v. 48. *Sermo , quem locutus ſum , ille judicabit eum in noviſſimo die* ; & Matth. 12. v. 41. *Viri Ninivitæ ſurgent in Judicio cum generatione iſta , & condemnabunt eam* : ergo in obitu nullum fit Judicium , nulla fertur ſententia ; alioqui univerſale , & ultimum erit ſupervacaneum .

RESPONDEO majorem utique veram eſſe , quando ſequens Judicium tendit ad idem , & circa idem Univerſale non ad idem prorſus , nec circa idem verſatur, adeoque non eſt inutile . Ut enim optimè ratiocinatur *S. Thomas* 3. p. qu. 59. art. 5. —
„ Judicium , de aliqua re mutabili perfectè
„ dari

„ dari non poteſt ante ejus conſummatio„ nem , ſicut judicium de aliqua actione„ qualis ſit , perfectè dari non poteſt , an„ tequam ſit conſummata & in ſe , & „ in ſuis effectibus , quia multæ actiones „ videntur utiles , quæ ex effectibus demon„ ſtrantur nocivæ . — Cùm igitur homo ſit mutabilis , nequit ejus judicium perfici , donec vita non ſit finita . Utcunque verò per mortem temporalis vita finiatur ; ſecundùm quid adhuc remanet ; vivit enim v. g. in memoria hominum contra veritatem bonæ , vel malæ famæ : vivit in ſuarum effectibus operationum , ſicut ex falſa *Arii* , *Lutheri* , *Calvini* doctrina perſeverat mala errorum propago . Nec manifeſtè apparet , cur ea piis parentibus impii filii naſcantur ; cur Peccatores temporalibus affluant bonis , & hujuſmodi . De his haberi nequit manifeſtum Judicium , needum totaliter abſoluto humanarum rerum curſu ; eaquepropter noviſſimo die grande Tribunal erigatur oportet , in quo propalam quidquid ad unumquemque hominem, & quocumque modo pertinet, ad cenſuram revocetur . Præter hanc *D. Thomæ* rationem alias ſufficiunt Patres , ut ſcilicet glorificetur Filius Dei , qui in primo adventu inter Iniquos reputatus eſt , ut major ſit Bonorum gloria , & Malorum ignominia . Juſti , qui certantes ſpectaculo fuere Deo , Angelis , & hominibus , tunc apparebunt coram iiſdem triumphantes juxta dictum *Pauli* 1. Corinth. 4. v. 5. *Quoadusque veniat Dominus : qui & illuminabit abſcondita tenebrarum , & manifeſtabit conſilia cordium : & tunc laus erit unicuique a Deo* . Demùm ut miſſas faciam alias rationes , tunc querelarum turbo diſſlabitur , manifeſtando divinæ Juſtitiæ æquitatem , cujus opera licet rectiſſima ſint , nos tamen latent rationabiles cauſæ, cur Impius diteſcat , innocens opprimatur , reus exaltetur , benemeritus deſpiciatur , & alia id genus .

Ad quid deſervat Judicium univerſale.

9 OBJICIES 2. Secundùm Scripturæ teſtimonium Nahum 1. v. 9. *Non conſurget duplex tribulatio* , & juxta ſeptuaginta , *non judicabit Deus bis in idipſum* ; ſed ſi daretur particulare Judicium , & univerſale , Deus bis judicaret in idipſum , & duplex conſurgeret tribulatio : ergo .

RESP. *neganda minorem* . Deus non judicaret bis in idipſum ſecundùm idem , ſed ſecundùm diverſa , in quo nullum eſt inconveniens . Sicut enim vidimus ex *D. Thoma* , Deus non duplicat pœnam , nec præmium , ſed primò lata ſententia quoad animam , complebitur quoad corpus , quod ante univerſale Judicium fuerat impunitum , & ipſam manifeſtabit pro anima latam ſententiam . Namque plures, qui nobis videbantur boni , injuſtè damnatos, pluresque, qui malè vixiſſe apparebant , iniquè ſalvatos credimus .

In univerſali Judicio fertur ſententia in corpus .

10 OBJICIES 3. Judicandus a Domino comparere debet in anima , & in corpore , & in utroque pœnam , vel præmium recipere ; ſed in die obitus non judicatur homo ſecundùm animam , & corpus : ergo in obitu non datur particulare Judicium . Majorem habemus 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit , ſive bonum , ſive malum* : & quid ſimile traditur ab eodem Apoſtolo ad Rom. cap. 14.

RESP. primò . Attentè legenti patet manifeſtè *Paulum* loqui de particulari Judicio mortis . Pergit immediatè plura ſubnectere , & docere , ſtatim poſt mortem Juſtos a reatu pœnæ purgatos admitti ad æternam gloriam : quæ loca expendam in ſequenti Controverſia . Præterea non aſſerit Apoſtolus illicò tribuendam fore pœnam, vel præmium animæ ſimul , & corpori , ſed acta in corpore dijudicanda eſſe , *ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum* .

Nō illicò pœna , aut præmium danda ſunt animæ , & corpori .

11 DICES . Syriaca habet : *Ut reportet unuſquiſque in ſuo corpore id , quod geſſit ſive bonum , ſive malum* : ergo .

RESP. Syriaca verſio explicanda eſt juxta correctionem *Hieronymi* in noſtra Vulgata . Deindè id verificatur de ultimo Judicio , in quo complebitur ſententia quoad corpus . Nec inde ſumitur argumentum refellendi , ſed confirmandi particularis Judicii . Nam , ùt refert S. Doctor ex laudato loco 3. *p. ad tertium* , Anima , cùm ſit mutabilis ſolùm per accidens ratione corporis, hoc ipſo quod a corpore ſeparatur , accipit ſtatum immutabilitatis , pœnamque debet , vel præmium recipere : ergo debet ſtatim judicari . Corpus verò mutabilitati remanet obnoxium uſque ad finem ſeculi , & tunc de ipſo etiam corpore feretur ſententia .

12 DICES ſecundò . Anima , & corpus ſimul operantur bonum , & malum : ergo ſimul debent judicari ; ſed corpus non judicatur in morte : ergo nec anima .

RESP. Quamvis anima extra corpus non operetur bonum meritorium , nec malum ; ipſa tamen eſt ratio præcipua meriti , vel demeriti ; nec actus externi in corpore exerciti formalem habent bonitatem , vel malitiam , præter quam habent actus interiores voluntatis . Quamobrem haud eſt neceſſe, ut anima, & corpus ſimul judicium ſubeant .

Actus externi bonitatem habēt ex actu interno .

13 INSTABIS . Etſi corpus non ſit principium meriti , eſt tamen univerſale ejus inſtrumentum , & materiam virtutis præbet . Hinc ſubjicitur flagellis , jejuniis , & verè patitur : ergo eidem fit injuria , ni recipiat præmium correſpondens , quando recipit anima .

RESP. Nulla corpori fit injuria , quòd per ſe nullam præbet boni materiam , ſemperque pugnat adversùs ſpiritum , & animam ad inferiora deprimit . Si verò quid virtutis habet , hoc ex animæ imperio emanat , quæ ſibi carnem ſubigit . Præterea corpus ex natura ſua tendit ad corruptionem , nec ullum acquirit ex ſeparatione ſtatum immutabilitatis , adeoque nullam pro eo tempore exigit coronam retributionis .

Omne bonum eſt ab Anima.

14 OBJICIES 4. Si in inſtanti mortis inſtituitur peculiaris diſcuſſio , vel anima defertur ad Chriſtum , cui dedit Pater omne judicium : vel Chriſtus deſcendit ad animam .

Utrum-

Utrumque eſt incredibile , & incongruum , & contra Scripturas : ergo . *Minor declaratur* . Si anima aſcendit ad Chriſtum : ergo Impiorum animæ aſcendent ad Cœlum , ibique videbunt Beatorum gloriam , Chriſti humanitatem ; & cùm Sancti Patres doceant , Impiorum animas rapi ad Tribunal Chriſti per Dæmones , & ab ipſis accuſari, plenum Dæmonibus quotidiè Empireum eſſet ; cùm tot Impii mortem in ſingula momenta oppetentes ad Dei Tribunal raptentur ; quod utique eſt abſurdum , & abſonum etiam Scripturæ, quæ nil coinquinatum admittit in Regna Cœlorum . Sin autem dixeris Chriſtum deſcendere ad animas : ergo eſt in continuo motu , & ferè ſemper extra cœlum , & ſæpe in pluribus locis contra Scripturam , quæ aſſerit Chriſtum ſedere ad dexteram Patris uſque ad noviſſimum diem .

RESP. Hæc difficultas ſciudit Doctores . INNOCENT. III. lib. 2. cap. de Contemptu mundi , *Carthuſianus* tom. 3. cap. 46. ſentiunt , quòd Chriſtus veniat ad animas , ducti illis verbis Matth. 24. verſ. 44. *Et vos eſtote parati : quia qua neſcitis hora Filius hominis venturus eſt* : & Joan. 14. v. 3. *Si abiero , & præparavero vobis locum : iterum veniam , & accipiam vos ad me ipſum* . S. Auguſtinus , ſive alius ſub ejus nomine , ſentit animam deferri ad Chriſti Tribunal ; ait enim de vanitate ſeculi cap. 1. cùm anima ſeparatur a corpore *veniunt Angeli aſſumere eam ante Deum, ut perducant illam ante Tribunal Chriſti* . Chryſoſtomus in Matth. Hom. 14. *Omnes quoque animæ cùm hinc fuerint . . . . ad terribile illud ducentur Tribunal* . Idem ſentiunt *Bernard.* In Medit. cap. 2. , *Ugo de S. Victore* lib. 2. de anim. cap. 2

Eluditur hæc difficultas, ſi dixeris Judicium coram Chriſto , non ùt homine , ſed Deo haberi , qui ubique præſens eſt ; ſed minùs Scripturæ conſona hæc reſponſio videtur : dicitur enim Joan. 5. v. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam : ſed omne judicium dedit Filio* , & v. 27. *Poteſtatem dedit ei Judicium facere , quia Filius Hominis eſt* : quæ cauſalitas appellat ſupra Chriſtum ùt hominem . Act. 10. v. 42. *Et præcepit nobis prædicare Populo , & teſtificari , quia ipſe eſt , qui conſtitutus eſt a Deo Judex Vivorum , & Mortuorum* ; & loquitur de Chriſto mortem paſſo certè ſecundùm carnem , non autem ſecundùm Divinitatem . Ibidem pariter 17. verſ. 31. *In quo judicaturus eſt orbem in æquitate , in viro , in quo ſtatuit , fidem præbens omnibus , ſuſcitans eum a mortuis* . Non aliter , quàm ùt Homo reſurrexit , cùm ùt Deus non fuerit mortuus . Et certè propter unionem cum Divinitate prædicatum hujuſmodi convenit humanitati .

Chriſtus ut Homo eſt Judex .

Dicas igitur Judicium particulare fieri per præſentiam intellectualem , quà anima ſiſtitur ad Tribunal Chriſti ; ad eum defertur , quatenus elevatur ad audiendam Judicis ſententiam , & Chriſtus ad animam deſcendit , dum ſua poteſtate , & imperio efficit , ut ſuum anima ſtatum clarè dignoſcat , & latam a Judice ſententiam attentiſſimè audiat ; quamobrem nulla intervenit Chriſti , aut animæ localis mutatio .

Quando fiet Judicium particulare .

15 DICES . Scripturæ eodem modo lo-

A qui videntur de Chriſto veniente ad particulare , ac ad univerſale Judicium ; ſed ad univerſale Chriſtus ùt Homo perſonaliter apparebit : ergo etiam ad particulare . *Major eſt clara* , ùt patet ex comparatione Scripturarum de utroque itidem loquentium . De particulari dicitur Matth. cit. c. 24. v. 44. *Et vos eſtote parati : quia qua neſcitis hora Filius hominis venturus eſt* : Jo. 14. v. 3. *Si abiero , & præparavero vobis locum : iterum veniam* . De univerſali dicitur in Symbolo : *Indè venturus eſt judicare Vivos , & Mortuos* . Obvia ſunt paſſim in Scripturis alia . *Minor* continet articulum Fidei .
B Quorundam ſanè antiquiorum fuit error , de quo apud Origenem *tract.* 34. *in Matth.* Judicium neutiquam habitum iri per corporalem præſentiam , ſed per manifeſtationem dumtaxat ſpiritualem in mentibus omnium Judicandorum .

RESP. *negando majorem* . Scripturæ pro adventu generali clariùs loquuntur de corporali præſentiâ . Matth. 26. v. 64. *Videbitis Filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei , & venientem in nubibus Cæli* : Apoc. 1. v. 7. *Ecce venit cum nubibus , & videbit eum omnis oculus , & qui eum pupugerunt* : Act. 1. v. 11. *Hic Jeſus , qui aſſumptus eſt a vobis in Cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cælum* .
C Quæ loca manifeſtè ad humanitatem ſpectant . Ratio eſt ; quia generale Judicium inſtituetur ad glorificandam Chriſti humanitatem coram univerſis gentibus ; itaque corporaliter appareat, neceſſe eſt . Diſcuſſio tamen veroſimiliùs fiet mentaliter , non per verbalem locutionem ; tum quia teſtimonium , accuſatio , & excuſatio mente fient , ùt habetur ad *Rom.* 2. : tum quia ſi voce ſingulorum facta narrari oporteret in plures annos Judicium eſſet protrahendum .

Scripturæ clariùs indicant Chriſti adventum in ultimo Judicio .

Diſcuſſio fiet mentaliter .

De libro autem , qui in Judicio proſeretur , ait Auguſtinus 20. *de Civit. cap.* 14. --
D „ Quædam igitur vis eſt intelligenda divina , qua fiat , ut cuique opera ſua vel bona , vel mala cuncta in memoriam revocentur , & mentis intuitu mira celeritate cernantur , ut accuſet , vel excuſet ſcientia conſcientiam : atque ita ſimul, & omnes ſinguli judicentur . Quæ nimirum vis divina libri nomen accepit .

Quid ſit liber , qui in Judicio proferetur .

16 OBJICIES 5. Anima nec judicatur ante inſtans mortis , quo needum eſt finitum tempus meriti , & demeriti : neque poſt ; quandoquidem in inſtanti mortis , ſeu ſeparationis animæ a corpore jam eſt in loco pœnæ , vel præmii juxta illud Job 21.
E v. 13. *Ducunt in bonis dies ſuos , & in puncto ad inferna deſcendunt* : ergo hujuſmodi Judicium repugnat .

RESP. Fermè in omnibus Fidei myſteriis Deus ſubſtantiæ certitudinem revelavit ; modum verò tradidit hominum diſputationi ; parum quippe intereſt , utrolibet modo res contingat . Quare etſi incompertum eſſet indiviſibile , & determinatum tempus , quo ſingulare judicium habeatur, nihil eſſet de rei ſubſtantia ambigendum . Propius tamen verò eſt id peragi , dum actu corpus , & anima ſeparantur . Quocirca reve-

Datur certitudo de Judicio particulari , non autem de modo.

revelationes allatæ de quibuſdam judicatis ante mortem, permiſſivè ſunt explicandæ, quatenus Deus ob præterita peccata nonnullis voluit judicium facere, & ſententiam proferre, ut ab imminenti pœna ad ſanum timorem inducti crimina deteſtarentur: vel e contra erigerentur in ſpem, & ut exemplo Viventibus, & documento forent de ejus momenti perículoſo diſcrimine. Quæ verò ſecus afferri ſolent, uti de illo Doctore Pariſienſi poſt mortem judicato, explicamus declarativè, quatenus Deo libuit notam facere, ac manifeſtam Judicii veritatem. An verò motu locali Anima ad deſtinatum receptaculum tranſeat, vel in inſtanti transferatur, anceps opinio eſt: videtur tamen rem fieri conformiter ad naturam ſpiritus, qui ſine medio ab extremo tranſit ad extremum. Circa hanc Controv. vide infrà n. 35.

CONTROVERSIA II.

AN ANIMÆ A MORTIS INSTANTI RECIPIANT RETRIBUTIONEM PRÆMII, VEL POENÆ.

§. I.

17 SUppoſitis his, quæ in præcedenti Controverſia num. 1. adnotavimus, DICO: *Ab inſtanti mortis Animæ Juſtorum ſufficienter purgatæ cæleſtem beatitudinem recipiunt, ſicut animæ Impiorum gehennalem pœnam ſubeunt.* PROB. 1. ex Scripturis: de impiis Job 21. v. 13. ſcriptum eſt: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad Inferna deſcendunt*: dixit *in puncto*: quia continuò poſt mortem ſine ulla requie ad Inferna deſcendunt, ut ibi dignas pro peccatis ſuis luant pœnas: ſic *Alphonſus de Caſtro* explicat in verbo *Beatitudo* hæreſi 6. Sapient. 12. v. 23. *Undè, & illis, qui in vita ſua inſenſatè, & injuſtè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dediſti ſumma tormenta*. *Dediſti* verbum præteritum eſt. Eccleſiaſtes 9. verſ. 3. *Unde & corda filiorum hominum implentur malitiâ, & contemptu in vita ſua, & poſt hæc ad Inferos deducentur*. *Poſt hæc* deſignat ſtatim a morte, ſicut eodem capite v. 5. quando dicitur *oblivioni tradita eſt memoria eorum*, intelligitur hoc immediatè contingere, ùt experientiâ comprobatur. In Canonica Epiſt. Apoſtoli Judæ v. 7. *Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ Civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes*. *Suſtinentes* nunc ante Judicium: Luc. 16. v. 22. *Mortuus eſt autem & Dives, & ſepultus eſt in Inferno*, ubi flamma cruciatur; ſicut ex contextu apparet.

18 DICES. Chriſtus locutus eſt per parabolam futura tanquam præterita referentem: ſicut *Apocalypſis* 19. narrat Propheta *Joannes* Antichriſtum, qui necdum venit, cum Beſtia miſſum in ſtagnum Ignis ſulphure ardentis.

Sed contra *primò*. Factum Divitis communiùs Doctores non parabolam, ſed hiſtoriam autumant, cui propterea adhibentur vera, & propria nomina *Lazari*, & *Abrahæ*: quod a parabolis eſt alienum. Utique pluribus ibi verbis metaphoricè uſurpatis utitur Chriſtus, nempe oculis, linguâ, digito; ſed obvia hæc ſunt in Scripturis humanæ, & ſenſibili locutioni accommodata. Haud aliter Chriſtus ſedere dicitur ad dexteram Patris. *Secundò*. Admitto parabolam, ex qua tamen intentum eruitur; ſiquidem ex parabolis futura, præterita, ac præſentia Chriſtus enunciat. Hanc verò ad futura non extendi patet ex contextu, cùm dicitur. *Rogo te Pater, ut mittas eum in domum Patris mei: habeo enim quinque Fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum*: & ait illi Abraham: *Habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos, & ſi Moyſen, & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent*. Hæc autem quomodo poſt diem Judicii verificent? Ubinam Prophetæ docentes? Ubi Fratres in Mundo? Ubi homo, *qui a mortuis non reſurrexerit*? Non igitur quicquam ſimile dicitur de *Antichriſto*, qui licèt docet miſſus in ſtagnum, contextus ipſe facit illum adhuc eſſe venturum.

Veriùs narratio Epulonis hiſtoria eſt.

Parabolæ præterita, præſentia, & futura oſtendunt.

Probatur Antichriſtus venturus ex contextu.

19 PROBATUR Juſtos illicò præmium recipere. Jo. 14. v. 2. *In Domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Si quo minùs dixiſſem vobis: quia vado parare vobis locum, & ſi abiero, & præparavero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, & ubi ſum ego, & vos ſitis*: & cap. 17. verſ. 24. *Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum*; ſed Chriſtus jam venit ad deducendos Apoſtolos ad gloriam, cùm jam mortui ſint: ergo ſimul ſunt cum Chriſto in Cœlo æterna fruentes beatitudine.

Act. cap. 7. de Levita *Stephano* propè mortem dicitur v. 55. *Vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem a dextris virtutis Dei. Et ait: Ecce video Cœlos apertos*, & v. 58. *Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum*. Cur Cœli dicuntur aperti, niſi quia per mortem Chriſti, ejuſque Aſcenſionem patefacti ſunt, qui antea, ne quis ingrederetur, fuerant clauſi? Cur ad conſpectum cæleſtis gloriæ clamat Protomartyr ſe a Domino ſuſcipi, ſi ante Judicium nemo gloriæ compos ſit?

Apoſtoli jam ſunt cũ Chriſtum Cœlo.

2. Corinth. 5. v. 1. *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in Cœlis*. His docemur ſtatim ad corruptionem terrenæ habitationis, ideſt ſeparationem animæ a corpore ſuccedere domum cæleſtem æternæ gloriæ Juſtis perfectè purgatis; quod ex ſequentibus magis magiſque eluceſcit: *Audentes igitur ſemper, ſcientes, quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino*: (*per Fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem*) *audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum*. Dum ſumus in corpore peregrinamur a Domino; non enim eum cernimus facie ad faciem: ergo dum ſumus extra corpus, non peregrinamur, ſed videmus, & ideò deſiderat peregrinari a corpore, ſcilicet eſſe

extra

extra corpus, ut fiat Deo præſens, nempe ut Deum non in ænigmate, ſed facie ad faciem contueatur. Cui conſonat illud ad Philip. 1. v. 23 *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Quomodo cupit eſſe cum Chriſto? An per gratiam? nequaquam. Jam enim gratia Dei in illo vacua non fuerat: ergo per gloriam. Veruntamen irritum eſſet, & inutile moriendi, votum & Chriſto fruendi, ſi mortuorum reſurrectio foret expectanda. Hinc primum textum *Pauli* exponens *D. Anſelmus* in ejuſdem locis commentariis ait: — Prædicatores Eccleſiæ, „ poſtquam de corporibus tranſeunt, nequaquam per morarum ſpatia (ſicut antiqui Patres) cæleſtis Patriæ perceptione „ differuntur: ſed mox ut a carnis colligatione exeunt, in cæleſti ſede requieſcunt, „ ſicut in hac ſententia demonſtratur. Non „ enim dicitur: habebimus domum æternam in Cœlis, ſed habemus; quia videlicet protinùs habetur illa domus, ex „ quo iſta diſſolvitur. Prius autem, quàm „ Redemptor noſter morte ſua humani generis pœnam ſolveret, eos etiam, qui „ cæleſtis Patriæ vias ſectati ſunt, poſt „ egreſſum carnis Inferni clauſtra tenuerunt: „ non ut pœna quaſi peccatores plecteret, „ ſed ut eos in locis remotioribus quieſcentes, quia necdum interceſſio Mediatoris „ advenerat, ab ingreſſu regni reatus „ primæ culpæ prohiberet; nunc autem „ perfecti quique mox in regnum ſuſcipiuntur. — Secundum textum explicans *Ambroſius* in illius Epiſtolæ commentariis: *Habet enim deſiderium excedere, & cum Chriſto eſſe multò melius æſtimans; ut jam præſens ſit apud Deum, ut exoptatis, & promiſſis fruatur*.

20 DICES. Apoſtolus nomine terreſtris domus non corpus, ſed mundum intelligit, ſenſuſque eſt, ſi mundus hic pereat, alter remanet.

Domus terreſtris eſt mortale corpus.

CONTRA. Ex contextu emicat *Pauli* ſenſus de mortali corpore; in eodem enim capite id, quod appellat terreſtrem domum, vocat itidem corpus inquiens: *Dum ſumus in hoc corpore peregrinamur a Domino*.

21 INSTABIS: ſi nomine terreſtris domus venit corpus hoc mortale, nomine domus non manufactæ, & æternæ veniet corpus immortale: ergo non probatur animas Juſtorum, ſtatim ac mortales exuvias ponunt, compotes fieri beatitudinis ſempiternæ.

Domus æterna eſt Beatitudo.

CONTRA. Licèt aliqui ex Sanctis Patribus domum æternalem idem eſſe velint, ac corpus immortale; veriùs tamen, & accommodatiùs ad textum æterna beatitudo intelligenda eſt: nam Apoſtolum notat laudatus *Anſelmus* minimè dixiſſe, *habebimus domum æternam in Cœlis, ſed habemus*: quomodo autem hoc aſſeri poteſt de corpore in terris immortali; quod nonniſi in cœlo ſumus habituri?

22 INSTABIS *ſecundò*. Domus non manufacta ſumi nequit pro beatitudine, benè verò pro corpore; hæc enim quandam habet ſimilitudinem cum ipſo corpore; beatitudo autem nullam.

Quando Beatitudo vocatur.

CONTRA. Beatitudo optimè exprimitur per domum, quam anima ingreditur, juxta illud Matth. 25. v. 21. *Intra in gaudium Domini tui*: & Joan. 14. *In Domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, quæ utique diverſos connotant beatitudinis gradus.

23 Apocalypſis 7. deſcriptis pluribus Sanctorum millibus ex Tribubus Iſrael, atque ex aliis nationibus plurimâ turbâ, ſubditur v. 9. & 10. *Stantes ante thronum, & in conſpectu Agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum; & clamabant voce magna dicentes: ſalus Deo noſtro, qui ſedet ſuper Thronum, & Agno*. Deſcribuntur abſque dubio Beati fruentes Deo, dum ſtare dicuntur ante Thronum Dei, ipſumque laudant. Præterea ibi ponuntur Angeli ſtantes ante Thronum, & reſpondentes *Amen*. Dicuntur etiam non eſurire, nec cadere ſuper illos æſtum, nec fletum. Additur eos eſſe, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, quæ propalam indicant perfectam beatitudinis aſſecutionem, & quidem ante univerſale Judicium, quandoquidem ea deſcriptio fit, antequam Angeli noceant terræ, & mari.

Luc. 16. v. 9. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna Tabernacula*. Hæc verba *ut cum defeceritis, recipiant*, perſpicuum faciunt ſtatim a morte Juſtos, dummodo impedimentum abſit, in Beatorum contubernia cooptari, ac recipi.

Luc. 23. v. 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo* Chriſtus ad Latronem: hoc eſt hodie frueris æterna beatitudine: *mecum* dixit, ſui promittens conſortium in Paradiſo, non utique terreſtri, ubi neutiquam moratur, ſed in cæleſti.

24 DICES cum *Euthymio*. Ly *in Paradiſo* appellat ſupra terreſtrem, ly *mecum* ſupra Chriſti præſentiam, ut Deus eſt, & fit ſenſus, quod erit in terreſtri Paradiſo cum aliis Sanctis, ubi præſens eſt ſecundùm Divinitatem; & ideò Latroni regnum petenti, Chriſtus reſpondens verbo commutato, Paradiſum eſt pollicitus.

Nomine Paradiſi venit beatitudo cæleſtis.

CONTRA. Nihil peculiare Chriſtus Latroni promitteret; nam prout Deus erat ei præſens in Cruce, aderat latrocinia patranti, & in carcere detento, præſertim quod terreſtris Paradiſus neutiquam poterat Latronis animæ ſolatio eſſe; nam corporalis inibi deliciæ non ad ſpiritus, ſed ad corporis levamen ſpectant. Quare nomen Paradiſi ſumendum ibi eſt pro cæleſti, quod idem ſignificat, ac regnum Dei a Latrone expetitum. Mutavit equidem Chriſtus verbum, & non ſenſum; immo aliud aſſumpſit magis ſignificativum æternæ Beatitudinis: & ideò *Auguſtinus* in Jo. tract. 111. *in Paradiſo* explicat *in Cœlo*, ideſt in beatitudine cæleſti.

25 INSTABIS. Chriſtus ſpondet quidem Latroni cæleſtem gloriam de præſenti in jure, non autem in re; & loquitur de præſenti propter certitudinem conſequendæ rei promiſſæ; quemadmodum dicitur, *qui non credit, jam judicatus eſt*.

Sed hæc ſolutio veritatem, & literæ pro-

Scriptura intelligenda in ſenſu literali, niſi ſequatur abſurdum.

proprietatem non ſervat; quæ ubique eſt re- A nenda, niſi manifeſtum appareat inconveniens. Hæc ſanè propoſitio: *Hodie mecum eris in Paradiſo* propriè loquendo promiſſionem importat rei de præſenti conſerendæ: correſpondet enim Latroni in hæc verba adprecato: *Memento mei, cùm veneris in Regnum tuum*, & Chriſtus reponens hæc: *hodie mecum eris in Paradiſo*, idem ſignificat, ac ſi dixerit: ſtatim ac hominum redemptione perfunctus aſcendam ad Patrem meum, inibi tu mecum eris. Hæc itaque locutio minimè exponenda eſt tanquam prophetia, cùm ſimpica ſit, ac certa promiſſio. Textus verò ille ita videtur interpretandus, ut qui non credit, ſidemque abjicit, jam ſit B judicatus, ſeipſum æternaliter damnans.

26 INSTABIS. Haudquaquam vera eſt propoſitio quoad partem: ergo tota corruit tanquam falſa. *Antecedens probatur*; qua enim die Chriſtus eſt mortuus, ad Cœlum non aſcendit; neque vera in ſenſu noſtro effecta eſt illa promiſſio *hodie mecum eris in Paradiſo*.

Huic inſtantiæ reſpondeo cum *P. Cornelio a Lapide* in cap. 23. Luc. 43. — Certum eſt Chriſtum cum Latrone die illo, „ quo obiit, non aſcendiſſe in Cœlum, „ ſed deſcendiſſe ad Lymbum Patrum: (*undè* „ *Auguſtinus lib. 12. de Gen. ad literam cap.* C „ 34, *& Maldonatus per paradiſum hic accipiunt ſinum Abrahæ*) ibique eis viſionem „ Divinitatis ſuæ impertiviſſe; itaque eos „ beaſſe, quare tunc Chriſtus rerum ſortes „ mutavit: fecit enim, ut Lymbus eſſet „ Paradiſus, ut Inferi eſſent ſuperi, ut Infernus eſſet Cœlum; ubi enim Chriſtus „ eſt, ibi eſt Paradiſus, ubi eſt viſio Dei, „ & beatitudo, ibi eſt Cœlum. —

Ubi eſt Chriſtus, ibi eſt Paradiſus.

27 REPLICABIS ly *hodie* uniendum eſt cum antecedenti *Tibi dico*, non cum conſequenti *mecum eris*, & eſt ſenſus: *dico tibi hodie: mecum eris in Paradiſo*.

D Sed quis non videt violentam interpretationem? Quæ neceſſitas ejuſcemodi expreſſionis in ſenſu adverſariorum, cùm ſimul loquerentur, ſeque mutuò conſpicerent? Chriſtus igitur dixit *hodie*, appellando ſupra *mecum eris*, ne ſit abſona reſponſio ſupplicanti, ut ſui recordaretur, quando veniſſet Chriſtus in regnum. Senſus eſt igitur: non expectabo ad meum uſque aſcenſum, ut recorder tui, ſed illico poſt mortem mecum eris conſors meæ viſionis.

Ad Epheſ. 4. v. 8. *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*, nempe Animas Sanctorum Patrum in Lymbo detentas Chri- E ſtus in ſua aſcenſione ſecum deduxit in Cœlum æterna felicitate beandas, ſic *Hieronymus* explicat in Pſal. 67. *Cœlorum excelſa conſcendens eos, qui in captivitate Diaboli tenebantur, abſolvit, ac poſt ſe tanquam captivos deductos æterna vitæ reſtituit*. Nec benè apud ſanos audiunt ii, qui dicere animas quidem in Cœlum devectas, nequaquam tamen factas eſſe beatitudinis compotes. Porro quodnam eſt felicitatis genus de uno carcere in alium duci? Quidnam ſolaminis per redemptionem nactæ forent, ſi facta tantummodo eſſet loci mutatio?

Pro catholica veritate *Anſelmus*, aliique A adducunt illud Hebræorum 9. verſ. 8. *Hoc ſignificante Spiritu Sancto nondum propalatam eſſe Sanctorum viam adhuc priore Tabernaculo habente ſtatum*. Hoc eſt tempore legis antiquæ, dum recluſo necdum cœlo nulli Sanctorum pateret aditus, poſtmodum redemptio perviam effecit Beatorum ſedem.

Adducunt etiam illud ad Hebræos 12. v. 22. *Sed acceſſiſtis ad montem Sion, & Civitatem Dei viventis, & Jeruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in Cœlis, & Judicem omnium perfectorum Juſto-* B *rum*. Ubi cœleſtis Jeruſalem deſcribitur lætabunda, ac frequens Angelis, & Sanctis antiqui Teſtamenti, quos adpellant primitivos, & Juſtis, qui novi appellantur; ſed ſupradicta ſufficiant.

§. II.

SCHISMATICORUM ARGUMENTA EX SCRIPTURIS SOLVUNTUR.

28 OBJICIES I. Dæmones ante ultimum Judicii diem non torquentur: ergo multò minùs homines reprobi: ergo neque Juſti glorificantur in Cœlo. C *Antec. oſtenditur* primò ex duobus Scripturæ textibus Matth. 8. v. 29. Ubi Dæmones ex ore obſeſſorum dixerunt ad Chriſtum: *Quid tibi, & nobis eſt Fili Dei? Veniſti ante tempus torquere nos*: ergo nondum torquentur. Luc. 8. v. 29. Occurrit homo habens Dæmonium, cui nomen Legio, quia in eum intraverant Dæmonia multa: *Is, ut vidit Jeſum, procidit ante illum, & exclamans voce magna dixit: quid mihi, & tibi Jeſu Fili Dei Altiſſimi? obſecro te, ne me torqueas*: ergo non detinebantur in pœnis Inferni, ſed timebant, ne a Chriſto ad Inferos damna- D rentur.

RESP. *neg. antec.* Habet Angelus nequam in ordine ad pœnam æqualem ſortem, ac bonus in ordine ad præmium: ſed boni ante Judicii diem feliciter Deo fruuntur; ùt habetur Matth. 16. v. 10. *Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris mei*: ergo mali torquentur in gehenna: & ideo 2. Petri 2. v. 4. dicitur: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in Judicium reſervari*. Ubi expreſsè ponitur de facto in Inferno cruciari, licèt adhuc ultimo examine judicandus: & ibi loquitur E de Dæmonum pœna, ſicut de pœna diluvii tempore Noè, & Sodomorum combuſtione, quæ non ſunt futura poſt Judicium: quare Iſaiæ 30. v. 33. dicitur: *Præparata eſt enim ab heri Topheth, a Rege præparata profunda, & dilatata; nutrimenta ejus ignis, & ligna multa; flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam*. Ut quid tanto tempore ardet gehenna, ſi nullus ibidem comburitur? Haud enim dixeris ardere ad exterrendos homines, qui nihil tale vident; quin èt adverſarii negent illum ignem ſuccenſum iri ante diem Judicii.

Angeli boni vident Deum in Cœlis.

Hinc ad Scripturas, ſcito conceſſam Dæmonibus poteſtatem exercendi Fideles, cùm plurimi in noſtro aere moveantur, ùt docet *Paulus* ad Epheſ. 2. v. 2. *Ambulaſtis ſecundùm ſæculum Mundi hujus, ſecundum Principem poteſtatis aeris hujus, ſpiritus, qui nunc operatur in Filios diffidentiæ*: & quamvis Inferni præſeferant pœnas, ut habet *Gloſſa* ex *Beda* in illud Jacob. 3. v. 6. *Inflammata a Gehenna*, his verbis: *Sicut Gehenna ſemper ardet, ſic Diabolus ubicumque ſit, vel in aere, vel ſub terra ſecum fert tormenta ſuarum flammarum*. Tamen libertatis cujuſdam phantaſticæ, & levaminis ſpecie gaudere ſibi videntur, ſi homines exerceant, & agant in offendicula peccatorum; ideo ne relegentur in abyſſum a Chriſto timent; cujus etiam præſentiâ valde torquebantur, cùm adventus ejus vires eis ademerit, & nocendi hominibus imperium abſtulerit; gratiam eis abundantiùs impertiendo, qua eorum illuſionibus valent reſiſtere; quapropter Joan. 12. v. 31. dicitur: *Nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras*: & Luc. 11. v. 21. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium, in pace ſunt ea, quæ poſſidet; ſi autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet*. Vide infrà P. II. Controv. VIII.

29 DICES. Patres cohærenter ad Scripturas aſſerunt Dæmones haud cruciandos ſore ante Mundi conſumptionem: ergo. *Probatur antec.* Juſtinus Martyr in prima, & ſecunda Apologia pro Chriſtianis repetit: *Dæmones igni tradendos, nondum tamen traditos*: & Irenæus lib. 5. adverſus hæreſes cap. 26.: *Benè Juſtinus dixit, quoniam ante Domini adventum nunquam auſus eſt Sathanas blaſphemare Deum, quippe nondum ſciens ſuam damnationem*. S. Epiphanius in hæreſi Sethianorum affirmat Dæmones, & ſalutem ignoraſſe, & eam ſperaſſe a Domino; videntes autem nihil a Chriſto peractum pro ſe fuiſſe, ſpem ſalutis omnem abjeciſſe. Idem ſentit *Œcumenius* in Epiſt. 1. Petri ex *Juſtino*, *Cyrillus* contra *Julianum*, aliique plures; atque hæc eſt ratio, cur in Exorciſmis tantopere contremiſcant, quando Sacerdos ultimum Dei Judicium illis comminatur.

CONTRA. Ut ab hoc ultimo incipiam; ideò vehementiſſimè audito Judicii die exhorreſcunt; quia tunc incluſi cavernis Inferni haud poterunt humano generi detrimentum afferre, in quo maximè delectantur: carebunt honore, & cultu, quem nunc ab Ethnicis, Magis, & Aruſpicibus rapiunt, & extorquent; quin immo tum maxima erit Dæmonum confuſio, & ſupplicium, cùm ſciat ſe fore ab hominibus judicandos, juxta illud 1. Corinth. 6. v. 3. *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus?*

Ad teſtimonia Patrum, plurumque Doctorum opinio fert in hac Controverſia nonnullos ex Græcis erraſſe; ſed cum ferè eadem etiam apud Latinos Patres ſententiæ occurrant, ideo exponi aliter poſſunt.

Quomodò Dæmones ſint igni tradendi.

Juſtinus dum aſſerit *Dæmones igni tradendos, nondum tamen traditos*, ſolùm intendit nunc Dæmones non eſſe immobiliter flammis illigatos, ſed per aera volitare, & poſt univerſale Judicium ita infigendos incendio eſſe, ut exire nunquam poſſint. Cæterùm S. Martyr animas reproborum manifeſtè ſenſit ante finalem diem Inferno cruciari; inquit enim in Apologia 1. pro Chriſtianis ad Senatum Romanum: *Nè verò quiſpiam dicat, id quod a Philoſophis jactatur: voces eſſe inanes, & terriculamenta; quæ a nobis de Injuſtis in igne perpetuo eos torqueri referuntur*; & in Dialog. cum Triphone. *Piæ quidem animæ in loco quopiam meliore manent*; (donec expurgentur) *injuſtæ verò, & pravæ in deteriore, Judicii tempus expectantes* (ut finaliter judicentur). *Hoc namque modo, quæ digna ſunt, ut coram Deo appareant*, (poſt purgationem) *non moriuntur amplius: illæ autem excruciantur quoad eas, & eſſe, & excruciari vult Deus*. Viden'? dum loquitur de Reproborum ſuppliciis, ſemper adhibet verbum de præſenti, ſcilicet *torqueri*, *excruciantur*, ut ſenſus omnino perſpicuus ſit nunc damnatis affici pœnis, non autem iiſdem ſubeundis poſt Judicium eſſe deſtinatos.

Ex mente Juſtini nunc damnati ſuſtinent pœnas.

Sententia, quam *Irenæus* ex *Juſtino* recipit, nequicquam trahitur ad ignorantiam damnationis ſubſtantialis; nam ſicut Angeli boni ſuam ab initio cognovere beatitudinem fore ſempiternam: ita & Dæmones damnationem; ſed cum dicuntur hi nondum ſciviſſe, intellige de damnatione conſummata. Namque allegorias perperam, & prophetias interpretati, ſe perpetuo rebantur, & ad libitum dominaturos, & ab Ethnicis adorandos. Veruntamen poſt adventum Domini clarè cognoſcentes æternali inferorum carceri occludendos, eorumque debilitandas fore vires abundantiâ gratiæ hominibus per Chriſtum conceſsâ, per Apoſtatas Deum blaſphemari, hæreſeſque ſuſcitare cœperunt. Hanc conſummatam damnationem ponit Scriptura Joan. 16. v. 11. *Jam Princeps hujuſmodi judicatus eſt*, & 1. 12. v. 32. *tunc Princeps hujuſmodi ejicietur foras*.

In Dæmonibus dabatur ignorantia damnationis conſummatæ.

Poſt Chriſti adventû cognoverunt Dæmones ſuâ conſummatâ damnationê.

Dictum *Epiphanii* ad explicandum difficiliùs videtur; ſed cum abſolutè non aſſerat Dæmoni fuiſſe ſpem ſalutis, ſed alicujus miſericordiæ, ùt patet per hæc verba: *Putavit ſe miſericordiam aliquam aſſecuturum eſſe*, idcircò dixerim *Epiphanium* in Dæmonibus admiſiſſe tantummodo accidentalis damnationis ignorantiam. Potuit enim Dæmon ex malè intellectis de Chriſto Redemptore propheiis ſuſpicari, num pravis etiam Angelis aliquod eſſet pœnarum levamen allaturus, qua ſpe fruſtratus palam contra Jeſum Chriſtum ſuſcitavit hæres, cùm anteà in homines tantùm ſæviret.

30 OBJICIES 2. Apoſtolus ad Hebr. 11. v. 39. Juſtorum ſerie ab Abel uſque ad Chriſti adventum enumerata, ſubdit, *& hi omnes teſtimonio fidei probati* non acceperunt repromiſſionem: Deo pro nobis aliquid melius providenti, *ut non ſine nobis conſummarentur*. Atqui in hac propoſitione Sancti dicuntur repromiſſionem non recepiſſe ſcilicet æternam vitam bene operantibus deſponſam: ergo ante extremum diem Juſti non beatificantur.

RESP. *nego min.* in ſenſu Adverſariorum. Hinc ommiſsâ explicatione *Primaſii*, qui nomine repromiſſionis intelligit Domini

Incar-

Incarnationem, viventibus antiqui Teſtamenti Patribus needum peractam, & admiſsâ interpretatione *D. Thomæ* in hunc locum docentis, Apoſtolum loqui de beatitudine perfecta, prout complectitur animæ, & corporis complectam felicitatem, quam omnes Juſti in Judicio finali capient, prout explicatur per illa verba, *ut non ſine nobis conſummarentur*, ajo ea literali ſenſu Apoſtolum dixiſſe Moſaycæ legis Sanctos ante Chriſti adventum non fuiſſe æternâ gloriâ præditos; ſiquidem ipſe Cœlorum portas aperuit primus, perfunctuſque humana redemptione in ſuæ gloriæ partem adſumpſit veteris, novæque legis ſedulos cultores. Inquit etiam nobis quidquam meliùs fuiſſe diſpoſitum; dum tempore gratiæ facta ſit redemptionis conſummatio, quæ obicem removit conſequendæ gloriæ; unde nunc ſtatim a morte Juſti beatitudine potiuntur, quæ antiquis fuerat Patribus diutiſſimè præſtolanda. Hunc autem legitimum eſſe Apoſtoli ſenſum, patet ex ſcopo totius ſententiæ eò tendentis, ut doceat ſalutem non aliunde hominibus advenire, præterquam ex Evangelio, & Chriſti adventu.

Beatitudo perfecta cōplectitur animam, & corpus.

Tempore novæ legis facta eſt redēptionis conſūmatio.

DICES. Senſus Apoſtoli eſt Patres nullam prorſus conſecutos beatitudinem, neque conſecuturos eſſe ante Judicii diem, quod videre eſt in præcedenti verſ 13.: *Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed a longè aſpicientes, & ſalutantes . . . . . qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe Patriam inquirere, & ſi quidem ipſius meminiſſent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi; nunc autem meliorem appetunt, ideſt cœleſtem.* Viden? Repromiſſio, quam non receperant morientes, beatitudo eſt animæ, quam nunc appetunt; nam ſi nunc appetunt, dum *Paulus* ſcriberet, eam certè cum Chriſto non receperant: ergo recipient in Judicii die.

Conſonâ ad reſponſionem *D. Thomæ* ſuperiùs adductam interpretatione, hæc quoque verba exponimus, *quàm nunc appetunt* beatitudinem ſcilicet ex anima, & corpore perfectè coaleſcentem. Verùm cùm Patriam, quam nunc appetunt, ſit illa, quam a longè peregrinantes animæ ſalutarunt, dum corporeis compagibus detinebantur, fortè ſenſum literæ non explicat. Dicas igitur inibi *Paulum* loqui illativè ſumendo nunc pro tunc, & hunc ſenſum effici antiquos Patres quiviſſe dum extra temporalem Patriam peregrinarentur, ad eam reverti. Cùm ergo videamus non rediiſſe, ſignum eſt aliam præſtantiorem in Cœlo appetiiſſe dum peregrinari pergerent; quæ interpretatio emicat ex ipſa litera. Neque verò ambiguitas inde oriatur, nota: quando v. 33. dicit Apoſtolus, *adepti ſunt repromiſſiones*, hoc repromiſſionis nomine ne gloriam putes ſupernam, ſed temporales pollicitationes importari, ùt ingreſſum terræ Chanaam Inimicorum victorias, & id genus alia.

Repromiſſionis nomine veniunt temporalia.

31 OBJICIES 3. Matth. 20. v. 8. ſingulis ſub veſperis Operariis ſtipendium, & merces datur, *cùm ſerò autem factum eſſet, dixit Dominus vineæ Procuratori ſuo: voca Operarios, & redde illis mercedem, incipiens a novissimis uſque ad primos.* Sed Operarii primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, & undecimæ horæ ſunt Juſti in diverſas Mundi ætates diſtributi: merces Beatitudo: veſpera dies Judicii: ergo Juſtis omnibus eam ante diem nulla merces acquiritur.

RESP. Parabolæ huic, quæ perperam intellecta multimodis hæreſibus anſam præbuit, ùt liquebit infrà, veſtigiis Patrum inhærens duplicem explicationem reddo: prima ſit, ex conclusione parabolæ, quam Chriſtus ita abſolvit v. 16. *Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi.* Declaratur in donis gratiæ, & gloriæ prælata Gentilitas Judaiſmo. Vocati primo mane, hora tertia, &c. ad vineam, Judæi ſunt, qui pondus diei, & æſtus portarunt, tot nempe legalium præceptorum, & cœremonialium obſervantiam. Qui autem hora nona, & undecima ſunt accerſiti, Gentiles intellige a nullo conductus; quippequi lumine veritatis fuerint deſtituti; & hi præferuntur, & primi habetur in recipienda & gratiâ, & gloriâ. Ideo primi, ſcilicet Hebræi lamentantur, quod plus aliquid ſe recepturos crederent, quàm Gentiles. Hunc verò genuinum literæ ſenſum probat Lucas 13., ubi noviſſimis dicit Gentiles, primos autem Hebræos. Conſtat etiam ex præcedenti capite Matthæi, ubi Dominus Apoſtolis v. 28. *Sedebitis, & vos ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim Tribus Iſrael*, & mox ſubdit v. 30. *Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.*

Prælatio Gentilitatis Judaiſmo in donis gratiæ, & gloriæ.

Secunda literalis expoſitio virtutum gratiæ indicat nequaquam metiendæ ad diuturnitatem laboris, & temporis, ſed ad fervorem charitatis, quo quis in brevi conſumptus tempora longa exæquavit.

Dona gratiæ commenſurātur fervori charitatis.

DICES: hæc expoſitio deſtruit Parabolam, in qua dicuntur ſinguli æquè denarium accepiſſe.

RESP. *negando illatum.* Noviſſimi ideo facti dicuntur primi, ut excellentia præmii iis collata explicetur. In denario nunquam intelligitur una, & eadem quantitas mercedis, ſed genericè, & abſolutè pretium labori taxatum, & ſecundùm juſtitiam correſpondens: ideo v. 13. dixit Paterfamilias, *non ne ex denario convenisti mecum?* & v. 4. noviſſimis, *quod juſtum erit dabo vobis.* Si quis tamen in cortice literæ perſiſtat, dicas æquale præmium recepiſſe; quia fuit æquale meritum; vi ſiquidem fervoris æqualiter promeriti ſunt ultimi breviore, primi tempore longiori.

DICES *ſecundò.* Si ſervata eſt juſtitia, cur murmurat primi? cur Paterfamilias reſpondit v. 15. *Non licet mihi, quod volo, facere?* ſatiùs dixiſſet: *juſta eſt mea diſtributio.*

RESP. Reverà non erat murmuratio in Juſtis præmium recipientibus; ſed hæc inducitur ad myſterium gratiæ magis exprimendum. Cujuſdam enim injuſtitiæ ſpecimen videtur æquale iis ſtipendium ſolvere, qui tempore inæquali laborabunt; & hinc ignorantibus veritatem admiratio oboritur, & murmuratio. Ad quod animadvertens Chriſtus declarat in parabola menſaram præ-

Murmuratio Operariorum explicat myſterii gratiæ.

mii haudquaquam ex humani laboris qualitate, & diuturnitate deſumi, ſed ex efficacia, & abundantia gratiæ, quæ ſæpè largior noviſſimis impenditur. Hinc qui annis quinquaginta malè vixerunt, ad pœnitentiam converſi tantundem biennio, vel triennio præmium merentur, quantum qui plures annus tepidi exegerint. Itaque dum Operariorum ſupputatur ratio, ſpectatur divina liberalis voluntas, quæ validiorem huic, quàm illi gratiam impertitur. Portò diſtributionem hanc ab omni convitio idem Chriſtus vindicat inquiens v. 13. *Amice, non facio tibi injuriam, tolle quod tuum eſt, & vade.*

Per veſperã poteſt intelligi univerſale Judicium.

Alius redditur eidem parabolæ ſenſus: per veſperam connotari ſerum generale Judicium, quo peractum de ſingulis hominibus Judicium palam omnibus innoteſcat, reddaturque merces. Id autem non excludit ſingulare cujuſque in morte examen, latamque pœnæ, vel præmii ſententiam, quæ fuit incompleta ſcilicet quoad animam tantùm, complenda in Judicio generali quoad animam ſimul, & corpus.

In Parabolis non omnia ſtrictè exponenda.

Nec abs re ſuggeram monita *Chryſoſtomi* cit. cap. Matth. In parabolis non omnia ſtrictè ſumenda, ſed earundem eſſe finem attendendum; plura ſiquidem inſeruntur iis non ad myſterium aliquod ſignificandum, ſed ut narratio integra ſit. Finis igitur parabolæ Operariorum eſt injicere cuique ſpem ſalutis, quoad vitæ uſurâ fruitur ſive florenti, ſive jam provecta ætate. Simul etiam intendit admonere homines novi Teſtamenti breviori ſpatio laborantes eàdem, quam Antiqui Patres mercedem receperint, eſſe donandos. Quod ſi omnia eſſent in ea parabola ſtrictè intelligenda, vide quot inde ſcaterent abſurda. Deus non per ſe ipſe, ſed per Procuratorem Sanctis mercedem eſſet redditurus; & in Cœlo eſſet murmuratio, invidia. Stat igitur ex parabolis capeſſenda eſſe, quæ ad finem conducunt, omiſſis omnibus, quæ ad narrationis complementum apponuntur. Vide in hoc Tract. Controv. IX.

32 OBJICIES 4. Apoc. 6. v. 9. *Vidi ſub Altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes uſquequo Domine (Sanctus, & verus) non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra? & data ſunt illis ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & Fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi.* Hinc colligunt *Armeni*, *Tertullianus*, *Vigilantius*, & *Calvinus* eruunt; primùm animas eſſe extra Cœlum in aliquo ſublunari loco, ſeu ſub Altari. Deinde nondum eſſe beatos, ſed expectare Judicii diem, quo Martyrum numerus erit completus: interim obdormire.

RESP. Veriùs ipſi dormitant Schiſmatici, qui argumentum hoc magni faciunt, cùm reipſa iiſdem adverſetur. Dicitur ibi data Martyribus ſtola gloriæ, & ſequenti capite iidem dicuntur ſtolis albis ſtare ante Thronum Dei, & in Templo benedicentes Deum. Cur igitur earum ſedes extra Cœlum in aliquo ſublunari loco adſtruitur? Quid Altaris nomen importet, paucis ediſſeram. Aram materialem intelligunt nonnulli, ubi ex antiquo Eccleſiæ ritu Sanctorum corpora condebantur; & inde Martyrum corpora clamare; quibus reſpondetur, ut modicum ibidem requieſcant, & morulam ſuſtineant uſque ad diem Judicii: tunc fore unà cum animabus glorificanda.

Quid veniat nomine Altaris.

Beda pro Altari Chriſtum indicari ſentit, & eſt ſenſus *vidi animas interfectorum ſub altare*, hoc eſt pro Chriſto, ſeu ſub teſtimonio Chriſti; ſicut 2. Machab. 7. Machabæi dicuntur occiſi ſub Teſtamento Dei, videlicet pro Teſtamento Dei.

Anſelmus itidem pro Altari Chriſtum intelligit, ſed in alio ſenſu; Martyres nempe occiſos ſub altari, oblatam Sanctorum internecionem Deo non placere, niſi offeratur ſuper hoc altare, videlicet per Chriſti merita: nunc verò dicuntur ſub altare, quatenus ſunt in loco gloriæ inferiori ad Chriſtum.

Dionyſius Animas eſſe ſub altari pro eodem uſurpat, ac eſſe in ſecuriſſima tutela juxta illud Sap. 3. v. 1. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt.*

Joachim Altare inquit eſſe Romanam Eccleſiam, in cujus fidei confeſſione glorioſi Martyres occubuerunt.

Plana, & literalis expoſitio verbo Altaris ſacrificium laudis reponit, alluditque ad Altare Thymiamatis, quod erat in Sanctuario; quia animæ in Cœlum translatæ juge laudis thymiama exhalant, quod nobis explicatur cap. 8. v. 3. *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante Altare habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper Altare aureum, quod eſt ante Thronum Dei.* Vides, quid importet ſub Altare eſſe ante Thronum Dei, Deoque laudes concinere?

DICES. Animæ eædem clamant vindictam: ergo non ſunt perfuſæ gloria, cui repugnat affectus iræ.

Vindicta aliquando ſumitur pro zelo juſtitiæ.

CONTRA. Si in malo ſenſu intelligatur vindictæ; Animæ illæ neque erant glorificandæ; nam æque repugnat vindicta ſtatui gratiæ, ac gloriæ. Zelo igitur juſtitiæ excupiunt, aventque Eccleſiæ Tyrannis eximi, & ſua etiam corpora cœleſti voluptate perfundi. Quibus imperatur, ut tantillum expectent, donec prædeſtinatorum numerus compleatur, & tunc ſtolam gloriæ in corporibus quoque recipient juxta illud Iſajæ 61. v. 7. *In terra ſua duplicia poſſidebunt*, ſicut exponit *Beda*; interim requieſcunt in viſione, & Dei fruitione.

INSTABIS. Clamare voce magna ſignificat grande, & ardens deſiderium, quod ſi differatur, affligit animam: ergo non eſt animarum affectus jam beatitudine perfruentium.

RESP. Deſiderium quod differtur affligere, ſi inordinatum ſit, & divinæ voluntati minùs conforme, quod abs re noſtra eſt.

33 OBJICIES 5. Nihil frequentiùs ingerunt Scripturæ, quàm eſſentialis gloriæ donum uſque ad ultimum Judicii diem reſervari.

ſervari. Non igitur ab inſtanti mortis gloriam, & mercedem capeſſunt Juſti. *Anteced. prob.* 1. Jo: 3. v. 2. *Nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* 2. ad Timoth. 1. v. 12. *Scio, cui credidi, & certus ſum; quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem*, & cap. 4. v. 8. *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex, non ſolùm autem mihi, ſed & his, qui diligunt adventum ejus.* In Epiſt. Judæ Apoſt. v. 24. *Ei autem, qui potens eſt vos conſervare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti*: qui Scripturæ profitentur retributionem gloriæ diſtrahi in ultimum diem.

Chriſtus dicitur venire, & apparere etiã in particulari judicio.

RESPONDEO *nego antec.* Nulla hactenus allegatur Scriptura, quæ neget gloriam Juſtis illico donari. Ea verba *in adventu Domini, in illa die, cùm apparuerit*, non determinant diem Mundi extremum, ſed æquè benè particulari judicio congruunt. Sed eſto ad generale judicium referantur, perfectam animæ, corporiſque felicitatem indicant coram omnibus enunciandam; quæ frequenter exprimitur in Scripturis, utpote quæ ſenſu magis percipiatur, quàm privata ſolius animæ, majorem imprimat vim ad movendos animos, ciendamque miſeris lætitiam. Itaque omnibus, quæ afferuntur, Scripturis applica communem ſolutionem; nec enim vacat, nec opus eſt reſpondere in ſingulis. In textu Joannis ly *cum apparuerit* non afficit Chriſtum, ſed ly *quod erimus* afficit, nempe ſtatum gratiæ conſummatæ; ſenſuſque eſt, quando veniet tempus gloriæ, *videbimus eum, ſicuti eſt, & erimus ſimiles ei*; & juxta hanc expoſitionem textus non urget nos. Sin autem accipitur de apparitione Chriſti; nos certè glorioſi erimus etiam in corpore, & Chriſto ſimiles, quem èt corporeis oculis contuebimur hactenus nobis abſconditum. Huic *Gloſſa* ex *Beda* alludit illud ad Coloſs. 3. v. 3. *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cùm apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc, & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Aliæ auctoritates ſunt itidem in hunc ſenſum exponendæ.

§. III.

PROBATUR CONCLUSIO EX PATRIBUS.

34 Firmiſſimam Catholicæ hujus veritatis baſim ſtatuit concors, & univerſalis Patrum tum Græcorum, tum Latinorum traditio. Sed dies me deficiat, ſi velis ſingulos percenſere. Miſſos itaque faciam cæteros, & aliquot tantummodo ſeligam, ac ſubinde Adverſantium refellam argumenta.

AREOPAGITA ex Græcis lib. Cœleſt. Hierarch. cap. 7. part. 1. loquens de Sanctis in mortis articolo conſtitutis ſic ait: — „ Norunt profectò ſe totos percepturos exactiſſimam ad Chriſti ſpeciem, requiem, „ cùm ad præſentis vitæ finem pervenerint, „ viamque ad immortalitatem ſuam è viA „ cino jam clariùs intuentes divinitatis laudant munera, divinâque lætitiâ geſtiunt: — En quomodo Sancti in morte exultant vicinam cum ſentiant immortalitatem, & quidem beatam; nam anima ſemper eſt immortalis etiam in corpore. *Ignatius Martyr* in Epiſt. ad Rom. ait: *Sinite me purum lumen haurire, cùm illic fuero homo Dei ero.* Quomodo puram lucem aſpiciet, atque homo Dei erit; ſi poſt martyrium a Chriſto procul abeſſet?

Euſebius Cæſarienſis lib. 10. Hiſtoriæ cap. 1. *Verùm illi (Ideſt Martyres) quam citiſſimè properantes multo potioribus gaudiis ſunt potiti,*
B *inque Cælos ipſos, & Paradiſum ad divinas delicias obrepti.* Quid clariùs?

Magnus Baſilius hom. 21. in quadraginta Martyres: — Vos non terra contexit, „ ſed Cœlum excepit, apertæ ſunt vobis „ Paradiſi portæ: — *& Hom. 20. in Gordium Martyrem*: — Tantam cordis præſeferebat „ alacritatem, ut non fictorum, ſed Angelorum manibus ſe committere videretur, qui ſubitò poſt interitum ſublimem „ eum in Cœlum deferrent. —

NYSSENUS in Oratione in *S Ephrem*: — „ In Cœleſtibus anima ipſius conſedit tabernaculis, ubi Angelorum ſunt ordines,
C „ ubi Patriarcharum Populi, ubi Prophetarum Chori, ubi Apoſtolorum Sedes, ubi „ Martyrum gaudium, ubi piorum lætitia, „ ubi Doctorum ſplendor, ubi celebres „ primogenitorum cœtus, ubi puræ lætantium voces. — Idem repetit infrà.

CHRYSOSTOMUS Hom. 66. in cap. 12. Jo: *Ubi ego ſum*, inquit, *illic, & Miniſter meus: ubi Chriſtus? In Cælis: ergo ante reſurrectionem illuc anima, & mente transferemur.*

CYRILLUS ALEXAND. lib. 12. in Joan. cap. 36. — Credere namque debemus „ quum a corporibus Sanctorum Animæ
D „ abierint, tanquam in manus chariſſimi „ Patris, bonitati divinæ commendari, nec „ ut quidem infidelium crediderunt, in terris converſari, quouſque ſepulturæ honoribus affectæ ſint, nec ut peccatorum „ animæ ad immenſi cruciatus locum, ideſt „ ad Inferos deferri, itinere hoc nobis a Chriſto primum præparato, ſed in manus potiùs Patres evolare: tradidit enim „ animam ſuam manibus Genitoris, ut ab illa, „ & per illam facto initio, certam hujus „ rei ſpem habeamus; firmiter credentes in „ manibus Dei nos poſt mortem futuros, „ vitamque multò meliorem, ac perpetuò „ cum Chriſto victuros: ideo enim Paulus
E „ deſideravit reſolvi, & eſſe cum Chriſto. — Idem aſſerunt.

CYRILLUS JEROSOLYMIT. Catach. 13. *Nazianzenus* in laudem *Baſilii*, & in carmine de natura humana, *Irenæus* lib. 1. cap. 2., *Origenes* Hom. 7. in Levit., *Epiphanius* hæreſi 78., *Theodoretus* lib. 8. ad Græcos. *Damaſcenus* in Hiſtoria de Barlaam, & Joſaphat, *Theophylactus* in cap. 23. Luc., *OEcumenius* in cap. 9. ad Hebræos, *Leontius Cyprius* in vita *Simeonis* cap. 46.

35 CYPRIANUS ex Latinis ſerm. de mor-

mortalit. — Dominica præcepta ſervantes ad „ cœleſtes theſauros terrena patrimonia „ tranſtulerunt, — *& lib. de exhortat. Martyrii cap. ult.* — Quis non omnibus viribus „ elaboret, ut cum Chriſto ſtatim gaudeat? „ ut poſt tormenta, & ſupplicia terrena ad „ præmia divina perveniat?

AMBROSIUS lib. 3. Epiſt. 22. ad Theſſal. — Eſt igitur (Acholius) ſuperiorum Incola, poſſeſſor Civitatis æternæ, „ illius Jeruſalem, quæ in Cœlo eſt. Videt „ illic Urbis ejus menſuram immenſam, „ purum aurum, lapidem pretioſum, lumen „ ſine ſole perpetuum, & hæc omnia jamdudum quidem ſibi comperta, ſed nunc „ facie ad faciem. —

HIERONYMUS Epiſt. 24. ad Marcellum de obitu Leæ: — Nunc pro brevi labore æterna beatitudine fruitur, excipitur „ Angelorum Choris . . . . Chriſtum ſequitur, & dicit. Quæcumque audivimus, „ ita & vidimus in Civitate Dei noſtri. —

GREGORIUS lib. 4. Dialog. c. 25. — „ Luce clariùs conſtat; quia perfectorum „ animæ mox ut hujus carnis clauſtra exeunt, „ in cœleſtis regni ſedibus recipiuntur: — *Proſper* lib. 1. de vita contemplativa cap. 1., *Maximus Taurinenſis* Hom. in Euſebium Vercellenſem, *Leo Magnus* ſerm. de S. Laurentio, *Fulgentius* ſerm. de S. Stephano, & alii plures. Huc accedunt omnes revelationes, & Beatorum apparitiones, quæ paſſim in Eccleſiaſticis leguntur Hiſtoriis; undè facili negotio adverſariorum objectiones enodantur.

§. IV.

CONTRARIA ARGUMENTA EX PATRIBUS DESUMPTA SOLVUNTUR.

36 OBJICIES 1. Nemo Juſtorum injudicatus coronatur. Atqui ſentiunt Patres ante ultimum Judicium judicari neminem: ergo nullus coronatur. *Minor* habetur ex *Lactantio* Latino Patre, qui lib. 7. cap. 21. habet: — Nec „ quiſquam putat animas poſt mortem protinùs judicari, nam omnes in una, communique cuſtodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen. — *Victorinus Martyr in cap. 6. Apoc.* — In noviſſimo tempore „ Sanctorum remuneratio perpetua, & impiorum ventura eſt damnatio. — *Chryſoſtomus in 1. ad Corinth.* in illa verba — ſi in „ hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus: — *Hom.* 39. — Quid dicis, o Paule? Quomodo in hac vita ſperantes ſumus, ſi corpore non reſurgunt, cùm „ maneat anima, & ſit immortalis? Quoniam ſi maneat anima, & millies ſit immortalis, ſicut eſt revera, abſque carne „ non recipiet bona illa ineffabilia, ſicut „ neque punietur. Omnia enim manifeſtabuntur ante Tribunal Chriſti, ut accipiat unuſquiſque, quæ per corpus geſſit, „ ſive bona, ſive mala . . . . Si enim non „ reſurgit corpus, incoronata manet anima „ extra illam beatitudinem, quæ eſt in „ Cœlis. —

Ambroſius lib. 2. de Cain cap. 2. *Solvitur corpore anima, & poſt finem vitæ hujus adhuc futuri ambiguo ſuſpenditur.*

RESP. *neg. min* cujus oppoſitum oſtendimus in ſuperiori Controverſia. *Ad probationem* DICO *Lactantium*, *Victorinum*, & *Tertullianum* excuſari non poſſe; *Lactantio* aliqualiter parcendum; nam cùm Tulliana lectione magis, quàm Divinarum Scripturarum fontibus delectaretur, in pluribus circa futura eſt deceptus. *Victorinum* ab omni culpa, licèt errantem eximo, quia auctore *Hieronymo ad Magnum*, eruditionis voluntas ei fuit plurima, eruditio verò modica. *Tertullianum* defleo, qui multatum ſeſe hæreſeum patronum, ac vindicem præſtitit.

Patres; qui erraverant.

DICES: ſicut *Lactantius* aſſerit animas in cuſtodia teneri: ſic *Hilarius* Pſ. 120. n. 16. inquit: *Exeuntes autem de corpore ad introitum Regni Cæleſtis per cuſtodiam Domini reſervabuntur*: ergo vel non erravit *Lactantius*, vel erroris ejuſdem *Hilarius* conſors fuit.

RESP. Cuſtodiam a *Lactantio*, & ab *Hilario* ſumi diverſimodè. Primus pro clauſo carcere: alter pro Domini protectione ſumit, ex cujus ſocietate Sancti ab omni malo proteguntur, unde Pſ. 119. n. 1. docet, nihil nobis a ſeculi violentia timendum, *cum Chriſti conſortium mors acquirat*. Præterea *Lactantii* cuſtodia detinet Juſtos, ac injuſtos, *Hilarii* verò ſolos Fideles, qui neſciunt Judicii diem. Vide infrà n. 41.

Corpus glorificandum.

Sanè *Chryſoſtomo*, & *Ambroſio* manifeſta infertur vis, quia non ſolùm locis ſupra allegatis, ſed & infrà ſubjiciendis catholicam edocent veritatem. Itaque ibi *Chryſoſtomus* neutiquam inficiatur ante diem Judicii judicari animas, & coronari, ſed declarat extra corpora, quibuſcum laborarunt non eſſe coronandas, & manſuras extra beatitudinem, niſi caro eſſet aliquando glorificanda. *Ambroſius* verò non docet animas manere injudicatas particulariter, ſed vult adhuc Beatos manere ſuſpenſos quoad notitiam temporis futuri Judicii, juxta doctrinam Chriſti Matth. 24. aſſerentis diem illum Angelis, immo Filio Dei ignotum.

37 OBJICIES 2. Statim a morte non glorificantur Juſtorum Animæ, ſi omnes ſimul glorificari debent. Sed ex Patribus conſtat ſimul omnes eſſe glorificandas: ergo ſtatim a morte non beatificantur. *Minor oſtenditur*. Ex Græcis *Origenes* Hom. 7. in Levit. — Nondum enim receperunt lætitiam ſuam, nec Apoſtoli quidem, ſed „ & ipſi expectant, ut & ego eorum lætitiæ particeps fiam. — *Chryſoſtomus Hom.* 28. *in Epiſt. ad Hebræos*: — Ne viderentur „ eſſe melioris, quam nos conditionis, „ ſi primi coronarentur, definiit unum tempus coronarum. Etiam qui tam multis „ ante te annis vicit, tecum accipiat coronam. — Ex Latinis *Ambroſius lib. de bono mortis cap.* 10. — Animarum autem „ ſuperiora eſſe Tabernacula Scripturæ teſtimoniis (*ideſt Eſdræ*) valde comprobatur . . . . . & Scriptura habitacula illa

„ ani-

,, animarum promptuaria nuncupavit : —
Et ſolvens inſtantiam , cur Juſti , qui tan-
dio præceſſeruut , præmio ſint privandi ,
ſubdit : — Coronæ eſſe ſimilem diem Ju-
,, dicii . . . . Coronæ enim dies expectatur
,, ab omnibus , ut intra eum diem , & vi-
,, cti erubeſcant , & victores palmam adi-
,, piſcantur victoriæ . — *Bernardus ſerm.* 3.
de omnibus Sanctis : — In illam beatiſſimam
,, Domum, nec ſine nobis intrabunt, nec ſine
,, corporibus ſuis , ideſt nec Sancti ſine
,, plebe , nec ſpiritus ſine carne . —

RESP. *neg. min.* Ad probationem ajo :
Sancti Patres citati non adimunt animabus
viſionem Dei ante diem Judicii , ſed volunt
non habere perfectam , & completam bea-
titudinem animæ , & corporis . Hanc enim
conſequemur una die omnes , nec unus ante
alium , licèt prior in victoria præceſſerit .

Anima ſine corpore non habet perfectam, & completam beatitudinem .

Quoad *Origenem* patet ibidem ; etenim ait
nunc Juſtos lætari , at non perfectè , cùm
Patria cœleſtis necdum plena ſit , additque
ne Chriſtum quidem omnimodè beatum uipo-
te ſuis electis necdum congaudentem , qui
ſunt ejus membra . Quamvis autem *lib.* 2.
Periarchon cap. ult. erraverit in eo , quod
crediderit non illico ad gloriam , ſed priùs
ad terreſtrem aliquem locum inſtruendos
traduci , poſtmodum in ſublimiori loco ſu-
bliiora diſcere ; tamen concludit eos in
Cœlo conſtitui , ibique in Deo beari . De
mente *Chryſoſtomi* clarè conſtat ex ſupradi-
ctis , & ex ſerm. 3. ad Philipp. *Neque enim
bonum eſt mors ; ſed poſtquam deceſſeris , cùm
Chriſto eſſe id bonum eſt* . Idem Hom. 69. ad
populum , & alibi . Ibi igitur eſt ſermo
de corona corporis , quam ſimul recipient
Juſti , non de corona animæ . Vide in reſp.
ad 4 objectionem . Quid *Ambroſius* ſenſerit
jam ſuprà vidimus ; qui dum addit tempus
Judicii eſſe tempus coronæ , ad coronam
alludit publicè dandam corpori , ſimul-
que manifeſtari, quæ data jam animæ fuerit .

Tempus Judicii eſt tempus coronæ .

Nec obſtant hæc ejuſdem verba : *Hæ ſunt
habitationes , de quibus dicit Dominus , multas
manſiones eſſe apud Patrem ſuum* : & infra :
ſatis fuerat illis (Philoſophis) *dixiſſe , quod
liberatæ animæ de corporibus locum peterent ,
quem locum latinè Infernum dicimus* . Non
iſthic intendit manſiones eſſe eadem recepta-
cula, quæ ab *Eſdra* numerantur, & in quibus
veteres detinebantur Patrum animæ , ſed
tantummodo adinvicem correſpondere ita , ut
in cœleſti regno ſint diverſi gradus , & quod
inibi electi recipiantur ſtatim ac vitâ functi
ſint , ſi tamen nihil impediat . Itidem ex-
plices Sanctum Doctorem, dum eodem lib. de
bono mortis cap. 11. ait : — Juſtarum autem
,, animarum per ordines quoſdam digeſta læ-
,, titia . Primum , quòd vicerit carnem ,
,, nec illecebræ ejus inflexæ ſint : deinde
,, quod pro pretio ſedulitatis , & innocen-
,, tiæ ſuæ ſecuritate potiantur . . . . Tertiò ,
,, quod ſervatæ a ſe legis divino teſtimonio
,, fulciantur , ut factorum ſuorum incertum
,, ſupremo Judicio non vereantur eventum ;
,, quartò , quia incipiunt intelligere requiem
,, ſuam . . . . Quintus autem ordo exultatio-
,, nis uberrimæ habet ſuavitatem , quod ex
,, hoc corruptibilis corporis carcere in lu-
,, cem provenerint , & repromiſſam ſibi poſ-
A ,, ſideant hæreditatem . . . . Sexto ordine
,, demonſtrabitur iis , quod vultus eorum
,, ſicut Sol incipiat reſulgere . . . . Septimus
,, verò ordo is erit , ut exultent cum fidu-
,, cia . . . . , & ſine trepidatione lætentur ,
,, feſtinantes vultum ejus videre . — Ex
hac deſcriptione non excludit *Ambroſius* ,
immo explicat felicitatem Beatorum , dum
ait : — Quintus autem ordo exultationis
,, uberrimæ habet ſuavitatem , quod ex
,, hoc corruptibilis corporis carcere in lu-
,, cem pervenerint , & repromiſſam ſibi poſ-
,, ſideant hæreditatem , — quæ eſt autem
illa repromiſſa hæreditas , niſi Dei poſſeſſio ?
B & paulo poſt : — Juſti hanc remuneratio-
,, nem habent , (non dicit habebunt) ut
,, videant faciem Dei , & lumen illud ,
,, quod illuminat omnem hominem , — *&
cap.* 12. — Ibimus , *inquit* , eò ubi Paradi-
,, ſus eſt jucunditatis . . . . ubi & Latro
,, ipſe Regni Cœleſtis conſortio gratula-
,, tur ; — quapropter , dum Sanctus Doctor
in quarto ordine inſit Sanctos incipere
*intelligere requiem ſuam , & futuram ſui gloriam
prævidere* eſt de perfecta gloria intelligendus,
qualis eſt futura poſt ultimum Judicium .
Ad ea autem , quæ ex Philoſophis refert, dico
vera eſſe pro ſtatu veteris legis . *Bernardus*
C nequicquam trahitur in oppoſitum ; ibidem
enim ſe ipſum explicat dicendo : *Acceperunt
jam ſingulas ſtolas , ſed non veſtientur duplicibus,
donec veſtiamur & nos* . . . . : *ſtola enim prima
ipſa eſt , quam diximus felicitas, & requies ani-
marum ; ſecunda verò immortalitas , & gloria
corporum* . Quæ verba ſubnectit *S. Bernardus*
poſtquam dixerat animas uſque ad reſurre-
ctionem futuras in atriis , per quod denota-
tur Sanctum Doctorem excludere ante Judi-
cii diem illam perfectam viſionem , per
quam toto impetu ferantur in Deum : vide
infra n. 40.

Quid ſignificet eſſe in atriis . Vide infra n. 40.

38 OBJICIES 3. Non fruuntur Deo Ju-
D ſtorum Animæ , ſi tantummodo ſpem habent
certæ beatitudinis ; ſed ex Patribus ſic habe-
tur : ergo . *Minor explicatur* . *Arethas* Cæ-
ſarienſis Epiſcopus in 6. Apoc. *Nam id mul-
tis* , inquit , *Sanctis dictum eſt unumquemque
virtutis cultorem ſortitum eſſe dignum locum ,
unde etiam de futura ſua gloria certam quamdam
aſſequatur conjecturam* . Euthimius in 23. Luc.
loquens de Latrone , *& tunc quidem dedit ei
converſationem in Paradiſo tanquam Arrabonem
Regni ſui , quod eſt fruitio ineffabilium , &
æternorum bonorum , quæ nec oculus vidit , nec
auris audivit* . Idem hiſtoriam de divite , &
paupere explicat inſtar parabolæ ad ea deſi-
E gnanda , quæ futura ſunt poſt reſurrectio-
nem .

RESP. *neg. min.* ad prob. dico : *Are-
thas* , & *Euthimius* a quibuſdam Catholicis ac-
cerſentur inter eos , qui in hac Controverſia
erravêrunt . Verùm *Arethas* videtur exci-
piendus , cùm loquatur de futura corporis
gloria relativè ad antecedentia *omni craſſitie
liberatos meritò lætari , & quieſcere in ſinibus
Abrahæ* . In ſtatu autem novæ legis non da-
tur ſinus Abrahæ , & in eo quieſcere idem
eſt atque in Cœlo beari . Utvis autem di-
cat, *ſpe bonum , quæ per intellectum , velut in*

Sinus Abrahæ uſurpatur pro Paradiſo.

ſpeculo

ſpecule contemplantur ante obitum ; ſpei nomen ſonat certam poſſeſſionem ; quandoquidem Sanctis aliquid majus convenit craſſitie liberatis , quam antea ; attamen non eſt dubium , quin ante obitum lætitiam haberent ſpei comitem . Spes igitur poſt mortem ſequax lætitiæ eſt ipſamet certa poſſeſſio felicitatis . *Euthimium* ſic interpretor , ut interim Latroni indita ſublimis aliqua fuerit contemplatio , tanquam arrha quædam gloriæ in aſcenſione Chriſti conferenda , vel quod verè in Paradiſum introducto , quoniam plena regni fruitio quoad omnem corporis felicitatem , necdum collata eſſet , ideo gloria animæ dicitur arrha gloriæ corpori conferendæ . Hiſtoria de divite ſine violentia gloſam patitur , quam mox ſubjicio . Adverte *Euthimium* facilè potuiſſe decipi Græcis jam ea ætate a Romana Eccleſia palam digreſſis ſub exitum videlicet XI. Seculi .

39 OBJICIES 4. In fine hujus Mundi non datur Juſtis gloria eſſentialis , ſi Paradiſus terreſtris eos detinet , vel aliud ſub Cœlo receptaculum . Atqui Patres ſentiunt ita rem ſe habere : ergo . *Minor* fusè demonſtratur . Ex Græcis *Irenæus* lib. 5. adverſus hæreſes cap. 31. *Cùm enim Dominus in medio umbræ mortis abierit , ubi animæ mortuorum erant , poſt deindè corporaliter reſurrexerit , & poſt reſurrectionem aſſumptus eſt : manifeſtum eſt , quia & Diſcipulorum ejus , propter quos , & hæc operatus eſt Dominus , animæ abibunt in inviſibilem locum definitum eis a Deo , & ibi uſque ad reſurrectionem commorabuntur ſuſtinentes reſurrectionem : poſt recipientes corpora , & perfectè reſurgentes , hoc eſt corporaliter . . . . ſic venient ad conſpectum Dei* : & ibidem cap. 3. addit : *eouſque evectum fuiſſe Paulum* . Juſtinus Martyr in reſponſione ad quæſt. Orthodoxorum Epiſt. 75. 78. , & 85. ait : *Terreſtrem Paradiſum uſque ad Judicii diem perſeverare , ibi commorari Eliam , & Enoch , illùc ductum Latronem , illùc deduci Sanctorum animas , & mortuorum reſurrectionem expectare* . Chryſoſtomus *tom.* 5. *orat.* 7. Manichæorum ſolvens argumenta negantium corporum reſurrectionem , quòd erat hujuſmodi : Latro recepit mercedem , & præmium ; dixit enim illi Jeſus *hodie mecum eris in Paradiſo* ; ſed non fuit in Paradiſo cum corpore , cùm ſepultum fuerit : ergo abſque corpore mercedem recepit : ergo corpora putrida non reſurgent . Reſpondet Sanctus Doctor negans Latronem recepiſſe præmium æternum ; iviſſe enim ait in terreſtrem Paradiſum , probatque , quia Jeſus dixerat Nicodemo renatum ex aqua , & ſpiritu introire in Regnum Cœlorum , non autem in Paradiſum : Latroni verò Paradiſum promiſit . Inſtantibus Manichæis Chriſtum adhibuiſſe nomen notius ad exprimenda bona cœleſtia , cùm homini rerum ſupernarum experti loqueretur ; deinde expreſsè petiit Latro , ut memoriam ſui Dominus haberet in ſuo Regno ; Regnum Chriſti non eſt terreſtre : ergo intelligebat de cœleſti . Ad hæc *Chryſoſtomus* ; admitto replicam , ſed dico ita loqui Chriſtum , ac ſi res factæ eſſent . Cæterùm in futuro Judicio in cœleſtem Paradiſum transferendus eſt , pluribuſque probat exemplis , ut eſſet illud de Medico , qui de ægroto dicit , iſte mortuus eſt , cùm adhuc vivat , & aliud de Adamo , cui dictum eſt , in quacumque hora comederis , morieris ; attamen nongentis annis , & amplius ſupervixit . Confirmatque Scripturâ *Pauli* ad Hebræos 11. ſuperiùs contra nos allegata ; quibus annecti poteſt ex Hom. de *S. Philogonio* ; ubi cum dixerit multa Angelorum millia in Cœlo eſſe, ſubdit : *Alibi Sodalitia Prophetarum , alibi Martyrum Chori , Apoſtolorum Ordines , cunei Juſtorum* : ergo S. Doctor ſentit ſolos Angelos eſſe in Cœlo : alios autem Juſtos alibi commorari . Idem docet *Ambroſius* de bono mortis cap. 10. *Prudentius* in Hymno de exequiis Defunctorum ſentit in Paradiſum terreſtrem transvehi : *Auguſtinus* , & *Hilarius* , de quibus infrà .

RESP. *neg. min.* In primis quoad terreſtrem Paradiſum negant ſuppoſitum graviſſimi Doctores , qui diluvio deſtructum affirmant eum locum , ùt legere eſt apud *Abulenſem* in Geneſim , *Benedictum Pererium* , & apud alios . Cæterùm *Irenæus* pro inviſibili loco Cœlum innuit luce inacceſſibili præfulgidum , tum quia lib. 1. cap. 2. ait æternam charitatem Juſtis conferri ab initio , quibuſdam poſt pœnitentiam : tum quia loco in objectione poſito Chriſtum ait ad Inferos deſcendiſſe , ut animas extraheret : ergo extraxit ; ut quid autem extraxit , niſi ut in Cœlo reponeret ? tum quia ibidem aſſerit Diſcipulos Chriſti ſimiles eidem futuros in morte , in requie , in reſurrectione ; ſed Chriſti anima in triduo a corpore ſejuncta erat beata : ergo & animæ Diſcipulorum . Itaque vult ibi ſolùm ante reſurrectionem animas propter inglorium corpus , carere perfecta beatitudine . Quæ verò ex *cap.* 3. de terreſtri Paradiſo , & *Pauli* raptu ſcribit ex Aſiæ Presbyteris plura , ut idem teſtatur, Scripturæ contraria ſentientibus , *Chiliaſtarumque* errorem affectatis , unde èt eam opinionem hauſit , Chriſtum Dominum quinquaginta propè annos in terris vixiſſe . *Juſtinum* verò quæſtionum ad Ortodoxos , quæ ipſius nomine circumferuntur , auctorem negamus . Nam quæſt. 82. , & 86. citatur *Origenes* hebræa nomina interpretatus , & quæſt. 115. *Irenæus* ; qui ambo poſt *Juſtinum* floruerunt . Præterea quæſt. 75. in exitu animarum a corpore adſtruit bonorum , & malorum diſcrimen : primas duci in Paradiſum , ubi eſt conſuetudo , & aſpectus Angelorum , & Archangelorum , viſio etiam conſervatoris Chriſti , docet ex illis verbis : *peregrinari a corpore , & præſentes eſſe ad Dominum* : improborum autem animas ad inferorum loca deſcendere .

Terreſtris Paradiſus deſtructus .

Chriſtus ab Inferis extraxit animas , & ſalvavit .

Chiliaſtæ *ſequaces* Papiæ *ſic dicti, quia mille annorū ſpatio Chriſti Regnum conſtituebant .*

Quæſtiones ad Ortodoxos non ſunt Juſtini .

Chryſoſtomi ſententia nullum ambigendi locum relinquit . Præter ſuperiùs dicta, pluribi noſtram theſim comprobat . Ad Philipp. ſer. 3. in morali digreſſione . *Hi verò* , nempè Juſti , *etiam illuc translati beati ſunt , quoniam ad Chriſtum ſunt profecti : Peccatores , ubi ubi ſunt : procul a Rege ſunt, propterea lacrymis digni : Juſti autem ſive hic , ſive ibi cum Rege ſunt , atque ibi quidem multò magis , ac*

pro-

proprius non quaſi quadam interiecto veſtibulo, non per fidem, ſed facie ad faciem: & Orat. in deſcenſum Domini, ut ſalvet Chriſti dictum, *hodie mecum eris in Paradiſo*, inquit Latronem in terreſtrem Paradiſum fuiſſe tranſpoſitum ſimul cum Patribus è Lymbo eductis, omneſque die aſcenſionis in Cœlum cum Chriſto aſcendiſſe: *è mortuis poſtquam reſurrexit*, ſunt verba S. Doctoris, *omnes in Cœlum duxit*. Idem docet tom. 7. Orat. 11. Quare dicta loco in objectiones poſito, retractata poſtmodum fuere, niſi ea fortè attigerit per tranſennam ad coarguendam Manichæorum inſaniam. *Ambroſius* lib. de bono mortis docet ſolummodo Juſtos ante diem Judicii non eſſe omnimodè coronatos quoad corpus; *Prudentius* figuratè accipit ſinum Abrahæ pro Paradiſo; ſuo enim in carmine ſæpiùs profitetur, Sanctorum Animas nunc in cœleſtibus habitare, ut videre eſt de *S. Agnete*.

Objectiones ſpecialiter ex Auguſtino.

40 OBJICIES 5. Peculiariter ex *Auguſtino*, qui apertè Schiſmaticis obſequi videtur. Igitur Pſal. 36. dicit: *Poſt vitam iſtam parvam nondum eris, ubi erunt Sancti . . . ., ſed jam poteris ibi eſſe, ubi illum quemdam ulceroſum pauperem dives ille ſuperbus . . . . vidit*. Pſal. 43. *Illa viſio facie ad faciem liberatis in reſurrectione ſervatur*. Idem lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. *Juſtos mortuos in ſecretis receptaculis, ſedibuſque requieſcere*: In Enchir. c. 108. *Tempus, quod inter hominis mortem, & ultimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet*: Epiſt. 111. *Tunc nos viſuros faciem Dei, cùm in Angelos profecerimus, ideſt æquales Angelis facti fuerimus, quod erit utique in reſurrectione mortuorum*: Lib. 12 de Geneſ. cap. 35. *Minimè dubitandum eſt, & raptam hominis a ſenſibus carnis mentem, & poſt mortem ipſam carne depoſita . . . non ſic videre poſſe incommutabilem ſubſtantiam, ut Sancti Angeli vident*. Lib. 1. retract. c. 14. *de Sanctis hominibus jam defunctis, utrùm ipſi ſaltem dicendi ſint jam in illa poſſeſſione conſiſtere, meritò quæritur*. Redit iterum *Bernardus*, qui cum *Auguſtino* pro hac ſententia aſſociatur; exponens ſiquidem illud Apoc. *vidi ſub Altare Animas interfectorum* ſerm. 4. docet, nunc animas ſolùm Chriſti humanitatem videre, exaltandas poſt diem Judicii ad videndum, & contemplandum Deum.

At fruſtrà nobis opponitur *Auguſtinus*, qui ſanam doctrinam clariſſimè propugnat. Nam lib. 9. Confeſſ. cap. 3. de Nebridio: *Nunc vivit Nebridius in ſinu Abraham: quidquid illud eſt, quod illo ſignificatur ſinu; ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem Domine adoptivus ex Liberto Filius, ibi vivit . . . Jam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpiritale os ad fontem tuum bibit, quantum poteſt, ſapientiam pro aviditate ſua ſine fine felix*. Quamobrem *Auguſtinus* certè credidit Juſtorum animas poſt mortem ſtatim Deo frui, ſi modò fuerint purgatæ, licèt videatur dubitaſſe de loco, in quo Deo fruuntur, ſicut Indicant aliqui ex adductis teſtibus. Quid autem intelligat pro ſinu Abrahæ, pro abditis receptaculis ſuam mentem aperit lib. 2. quæſt. Evangelicarum quæſt. 38. *Sinus Abrahæ intelligitur ſecretum Patris, quo poſt paſſionem aſſumptus eſt Dominus*, aſſeritque ante reſurrectionem Defunctorum Animas ab omni reatu immunes morari. Cùm tamen ſint extra corpus, non ſunt completæ ſubſtantiæ, nec complete glorificantur. Ideò in aliis textibus dicit non eſſe ante reſurrectionem ſicut Angelos. Hunc eſſe Sancti Patris ſenſum contextus ipſe declarat, ſed præcipuè laudatus retractationum locus, ubi quid velit in ſuo quæſito, ſic explicat: *Sed utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, ſicut dictum eſt, facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant* (quia videlicet carent corpore ſuo, quod naturaliter appetunt) *non hic locus diſputando inquirere*: & lib. 12. Gen. c. 35. *Ineſt ei*, ideſt Animæ, *naturalis quidam appetitus corpus adminiſtrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione feratur in illud ſummum Cœlum*. Unde cum dicit Pſal. 43. *Illa viſio facie ad faciem Liberatis in reſurrectione ſervatur*, ſemper intendit viſionem completam, quam corpus unà cum anima conſequetur. Dici etiam poſſet lib. 20. de Civit. Dei c. 15. correxiſſe, quæ dixerat Pſal. 36. animas ſcilicet eſſe cum *Lazaro* in Abrahæ ſinu: *Si enim non abſurdè credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis Impiorum remotiſſimis, ſed apud Inferos fuiſſe, donec eos inde ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret: profectò deinceps boni fideles effuſo illo pretio, jam redempti prorſus Inferos neſciunt*. Super quæſtione ab *Auguſtino* excitata, utrum anima ſimul cum corpore ſit magis beata, dicemus infra. *Bernardi* ſubſidio pariter deſtituuntur Hæretici; quandoquidem ipſe pluribus tuetur catholicam veritatem: Ser. enim de *Malachia* profitetur pari cum Angelis gloria, & felicitate lætari, & ad Fratres de Hibernia de eodem, *nec jam fide ambulas, ſed in ſpecie regnas*: Serm. 5. de omnibus Sanctis inſit plures jam Dei conſpectum promeritos eſſe, & non fide vivere: & ſerm. 3 contra nos citato: *Acceperunt jam ſingulas ſtolas; ſtola prima eſt ſtola animæ, ſecunda corporis, ſed non veſtientur duplicibus, donec veſtiamur, & nos . . . ſtola enim prima ipſa eſt, quam diximus, felicitas, & requies animarum; ſecunda verò immortalitas, & gloria corporum*. Quando igitur ſub diem Judicii animas inquit fore exaltandas ſuper altare viſione, & contemplatione Dei Patris, & Spiritus, agit de beatitudine conſummata, & perfecta; adhæret enim *Melifluus* eorum ſententiæ Patrum, qui ſuſtinent, animæ beatitudinem intenſive abſque corpore non eſſe perfectam, ut clarè laudato ſermone explicat: *Animæ Sanctæ, quas propria Deus inſignivit imagine, te* (ideſt corpus) *deſiderant . . . .; & ipſarum ſine te compleri lætitia, perfici gloria, conſummari beatitudo non poteſt, adeò ſiquidem viget in eis deſiderium hoc naturale, ut necdum earum affectio liberè pergat in Deum, ſed contrahatur, quodammodo, & rugam faciat, dum inclinatur deſiderio tui*. Minus itaque reverenter de *S. Bernardo* urgeantur *Alphonſus de Caſtro* lib. de Hæreſibus, & *Sixtus Senenſis* in Bibliotheca Sanct. annot. 345.

Stola prima eſt ſtola animæ, ſecunda corporis.

Animæ Sanctæ inſignitæ ſunt imagine Dei.

41 OBJICIES 6. ex *Hilario*, qui pluribi diſtinguit regnum Chriſti a regno Dei,

ſeu Patris : Chriſti regno intervallum temporis a morte Juſti uſque ad Judicii diem aſſignat, exinde regno Dei exordium ſtatuit, quod èt immortale nuncupat *æternum*. Pſal. 144. n. 16. *Regnum cœleſte regnum Cœlorum æternum, beatum regnum*. Pſal. 148. nu. 8. illud autem Chriſti nuſquam cœleſte, aut æternum nominat, & hinc videtur, quod *Hilarius* Chriſti regnum ſpectaverit, ut medium ſtatum, miſeriarum utique expertem, ſed non perfectæ felicitatis, ad quam in Pſal. 119. n. 1. pervenire non poſſe innuit, niſi in fine ſeculorum. Quod comprobatur ex Pſ. 148. n. 8., ubi de Chriſti regno ait; *Illud Sanctorum eſt regnum, per quod regnante Domino ad beatum regnum Dei Patris aſcendent*, & poſt pauca: *Illis proprius hic hymnus eſt, qui per hoc Sanctæ Jeruſalem regnum beatum æterno regno proximi, poſt regnum Domini Jeſu Chriſti, in regnum Dei Patris Domino congregante tranſibunt, & in fine regnat. Itaque Dominus traditurus Deo Patri regnum non regni poteſtate cariturus, ſed nos, qui regnum ejus ſumus, Deo Patri traditurus in regnum*. Sanctis igitur necdum æterna potitis beatitudine, ſeu necdum evectis ad regnum Dei Patris, ſtatio conſtituitur uſque ad Judicii diem in regno Chriſti.

Clariùs adhuc loquitur lib. 11. de Trinitate n. 39. *Tradet autem Deo Patri regnum, & tunc quos regnum Deo tradiderit, Deum videbunt*: & Pſal. 62. *Hoc animæ deſiderium, hæc ſitis ſpei ejus eſt, ut Dei ſibi proveniat adſpectus, ut quamprimum raptus in nubibus, Deo Chriſto obviam elevatus appareat*: tandem in Pſal. 2. n. 48. *Judicii dies, vel beatitudinis retributio eſt æterna, vel pœna: tempus verò mortis habet interim unumquemque ſuis legibus, dum ad Judicium unumquemque aut Abraham reſervat, aut pœna*. En retributio pœnæ, aut præmii uſque ad extremum Judicium reſervatur.

Mens Hilarii declaratur.

In Regno Chriſti habetur æterna requies, & beatifica viſio.

Sed videamus, quàm procul ab adverſariorum ſententia abhorreat *Hilarius*: diſtinguit ille regnum Chriſti a regno Dei Patris, ſed a Chriſti regno haud extrudit beatificam viſionem; quamvis enim regnum iſtud non appellet æternum; attamen in Pſal. 57. n. 6. illud nuncupat requiem æternam: *Inter hæc Juſti cujuſcumque, tanquam Lazari in Abrahæ ſinu requieſcentis lætitia monſtratur .... Lætitia Juſti eſt, cum viderit vindictam; quia peccatoribus puniendis, deductum ſe per Angelos in æternam requiem lætatur*. Hanc æternam requiem per Dei ſuſceptionem explicat in Pſal. 53. *Anima ſciat in Dei ſuſceptione requieſcere*. Idem regnum ex tract. Pſalm. 147. nominat *Conventum Beatorum, Sanctorum cœtum, Civitatem vivis lapidibus extructam*. Rurſus in Pſal. 2. *Sedes Beatorum dicitur*, in Pſalm. 141. *Terra viventium, Paradiſi incolatus, & regnum hæreditatis Chriſti*. Verùm ideo ad regnum Dei nonniſi per regnum Chriſti pervenitur, non quia hoc ſpectaverit, ut medium ſtatum inter mortem, & gloriam, ſed quia per Chriſti glorificationem noſtro corpori glorificatio advenit. Regnum namque Dei per *Hilarium* in glorioſa corporis reſurrectione poſitum eſt, & quia animæ ſine corpore non ſunt perfectè, & adæquatè beatæ, ideò dicit eas completam felicitatem non obtinere. Benè igitur negavit antequam ad perfectam, & conſummatam glorificationem animæ perveniant, manere in Chriſti regno, ideſt ſine gloria corporis. Ad auctoritatem deſumptam ex 11. lib. de Trinitate, licèt aſſerat Deum ab illis videndum, quos Deo tradidit, tamen non ſequitur, quod non antea Deum viderent; nam in Pſ. 63. docet Chriſtum tunc ſeculo dominaturum, cùm evacuaverit omnem principatum, nec inde tamen ſequitur, non eſſe priùs dominatum. In tract. Pſal. 62. n. 3. explicat deſiderium animæ, non ad beatitudinem ſimpliciter, ſed ad completam, & perfectam, quam in corpore poſt Judicium conſequetur, quod ex eadem citata auctoritate eruitur in iis verbis: *ut quamprimum raptus in nubibus, Deo Chriſto obviam elevatus appareat*.

Ultimum, quod additur de Judicio noſtræ addit ſententiæ pondus; cùm de Judicio particulari ibi ſermo ſit, quod ſtatim a morte quiſque hominum ſubit, probatque Sanctus Doctor exemplo *Epulonis*, & *Lazari* utriuſque in morte judicati, quorum alter ab Angelis in ſinum Abrahæ deportatus, alter ab Infernum detruſus. Quid plura? Audiatur idem S. Doctor Pſalm. 64. *Beati quidem ſunt, qui jam adeo ad habitandum in Tabernaculis ejus electi ſunt, ſed feſtinare nos in conſortium hujus beatitudinis congruum eſt, operationibus id, atque orationibus expetentes*. Ubi notandum, quod paulò ante illa tabernacula cœleſtes manſiones dixerat, & Pſalm. 124. loquens de Apoſtolis, aliiſque Sanctis: *Quomodo poſſumus*, inquit, *montes non eos ſignificatos eſſe intelligere, qui ſuper terrenam naturam glorioſi jam in Dei rebus exultant*. Itaque *Hilarius* Pſal. 138. cùm dicit legem eſſe neceſſitatis humanæ, ut ad Infernum deſcendant animæ, alludit ad tempus, quo Cœlum erat clauſum; & quamvis dicerentur animæ ſecundùm ejus mentem ad Chriſti imitationem luſtrari Inferni loca, priuſquam ad Cœlum aſcendant, invictè tamen oſtenditur antè ultimum Judicium animas a peccatis expurgatas Dei faciem contueri.

Ex ſupradictis habetur reſponſio ad omnes alios Patres *Theodoretum*, *Theophylactum* negantes ante diem Judicii animas beari, in Cœlum recipi, Deo frui, repromiſſionem recipere. Hujuſmodi locutiones ſunt explicandæ de perfecta, & conſummata felicitate; quo etiam ſenſu eoſdem interpretamur, dum evangelicam de *Lazaro*, & *Divite* narrationem inficiantur hiſtoriam eſſe, & parabolicam opinantur, hoc eſt, in ordine ad completam, perfectamque beatitudinem.

Quomodo hiſtoria Divitis, *&* Lazari *ſit Parabola.*

Placet demùm hoc etiam admonere: *Magnus Athanaſius* perperam ab Adverſariis citatur quæſt. 20. ad *Antiochum*, ubi Juſtos poſt mortem comparat invitatis a Rege ad prandium, qui in Regio Palatio lætantur, præſtolantes horam prandii: iniquos verò aſſimilat in carcere, ac mœrore expectantes adventum Judicii. Porrò in vita *S. Antonii Abbatis* narrat jam vidiſſe *Ammonis* animam ab Angelis in Cœlum deferri. Præterea quæſtiones illas malè *Athanaſio* affictas eſſe,

inquit

inquit *Arcudius* de Purgatorio, immo ex Athanaſianis ſcriptis è regione oppoſitas, & ſibimet pluribi repugnantes. Ad eruditionem tamen ſufficit in quæſt. 3. citari *S. Epiphanium* quæſt. 8. *S. Gregorium Nyſſenum*, in libello parabolarum Evangelii quæſt. 86. & 99. *Nazianzenum*, cùm cæteroqui his omnibus antiquior fuerit, & in eodem libro quæſt. 76. illud Pſalmiſtæ, *quare fremuerunt gentes* pro Venetis exponit, qui Biſſantium ſubegerunt: quo luce meridiana clarius fit auctorem ſuppoſititium eſſe, nec ſatis probum, cùm plurima inſeverit ſchiſmatum, & hæreſum elementa. Quod ſi velis idem opus *Athanaſio* tribuere, eandem citato loco de felicitate completa interpretationem reponas; nam fatetur animas in regio palatio coram ipſo Rege lætari, quod quid aliud eſt, quàm Deo frui?

Adduci poſſet argumentum ex Liturgiis Patrum, in quibus oratur per Sanctorum felicitatem, & ex Eccleſiæ precibus, quibus orat Deum, ne tradat animas Fidelium in manus inimici, ac ſi nondum eſſent judicatæ. At circa primum jam reſpondimus Tract. II. de Purgat. Part. I. Controv. V. n. 127. in reſponſione ad ſecundam objectionem. Ad aliud ſatis jam factum eſt ibidem Controv. III. n. 38., & ſeq.

42 OBJIC. ultimo auctoritatem JOANNIS XXII., qui hanc ſententiam propugnaſſe, & Pariſienſibus præcepiſſe Doctoribus, ut eam mordicus tenerent, & prohibuiſſe, ne cui conferretur Theologiæ laurea, qui jurejurando non ſpopondiſſet hujuſcemodi ſe propugnatorem ſententiæ futurum ſcribit *Okamus* in opere 93. dierum, *Marſilius* in 4. quæſt. 13. art. 3., *Adrianus* in 4. de Sacramento Confirmationis. Addit *Calvinus* Philippum Galliæ Regem ſe impigrè Pontifici oppoſuiſſe, ac diſtrictè mandaſſe nequis cum eo communicaret. Quamobrem perculſus Papa cecinerit palinodiam. Eadem recantat *Eraſmus* in præfatione ad lib. *Irenæi*.

RESP. Argumento huic tanquam achilli magno tum in hac Controverſia, tum præſertim ubi agitur de infallibilitate Romani Pontificis, maximopere fidunt hetorodoxi. At enerve, ac fluxum videbitur, ſi quæ a probatiſſimis Doctoribus, & Hiſtoricis tradita ſunt paucis aperiam. Veritas hæc cum fuerit poſtmodum in Florentina Synodo definita, procul dubio ſub JOANNE XXII. anno ſcilicet 1333., quo cœpta eſt hæc controverſia in Romana Curia agitari, nondum erat Fidei dogma animas perfectè purgatas ſtatim a morte ad beatificam viſionem elevari. Sic *Albertus Krantius* lib. 8. Wandaliæ cap. 16. *Hoc erat illud tempus, quo ſub Joanne ejus nominis XXII. ſcindebatur Eccleſia de viſione ſeparatarum animarum*, & BENEDICTI XII. laudati Pontificis Succeſſor in diplomate, quod incipit *Benedictus Deus* tom. 1. Bullarii Rom. *Cumque*, inquit, *Prædeceſſor noſter, ad quem prædictorum determinatio pertinebat ad deciſionem concertationum hujuſmodi ſe pararet, in Conſiſtorio ſuo publico tum Fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, tum Prælatis, & Magiſtris in Theologia, qui multi aderant præſentes injungendo diſtrictius, & mandando, ut ſuper materia de viſione prædicta, quando requirerentur ab eo, deliberatè diceret unuſquiſque, quod ſentiret: tamen morte præventus, ſicut Domino placuit, perficere illud nequivit.*

Ann. 1333. non erat fidei dogma animas ſeparatas videre Deum ante ultimum Judicium.

Ex quibus patet eos, qui in oppoſitam ſententiam inclinabant, dici haud poſſe formaliter hæreticos; & ut Pontificem nihil definiiſſe. Secundò licèt videatur inclinaſſe Pontifex in ſententiam negantem, re tamen vera non aſſerendo, ſeu opinando, ſed tantummodo recitando protulit, ut patet ex epiſtola a 29. Magiſtris Pariſienſibus ſubſcripta, ubi juſſu *Philippi Valleſii* Regis Galliæ Univerſitatis ſententia deſcripta erat: *Advertenteſque quod multorum fidem dignorum relatione, audivimus, quod quidquid in hac materia ſua Sanctitas dixit, non aſſerendo, ſeu opinando, ſed ſolummodo recitando*; quod utique concordat cum his, quæ Pontifex de ſe ipſo teſtatur in fidei ſuæ declaratione die 3. Decembris an. 1334. —

Joannes nihil definivit circa viſionē facialem.

„ Nè ſuper his, quæ de Animabus purga-
„ tis, ſeparatis a corporibus, an citra re-
„ ſumptionem corporum divinam eſſentiam,
„ illa viſione videlicet, quam vocat Apoſto-
„ lus facialem, videant, tam per nos, quàm
„ per nonnullos alios in præſentia noſtra
„ recitando, & allegando ſacram Scriptu-
„ ram, ac originalia, & dicta Sanctorum,
„ vel aliàs ratiocinando, ſæpiùs dicta ſunt
„ aliter, quàm per nos dicta, & intelle-
„ cta fuerant, & intelligantur, ac dican-
„ tur, auribus Fidelium valeant inculcari:
„ ecce quod noſtram intentionem, quam
„ cum Sancta Eccleſia Catholica circa hæc
„ habemus, & habuimus ſerie præſentium,
„ ut ſequitur, declaramus. Fatemur ſiqui-
„ dem, & credimus, quod animæ purgatæ
„ ſeparatæ a corporibus ſunt in Cœlo,
„ Cœlorum Regno, & Paradiſo, & cum
„ Chriſto in conſortio Angelorum congregatę,
„ & vident Deum, ac Divinam eſſentiam fa-
„ cie ad faciem clarè, in quantum ſtatus,
„ & conditio animæ ſeparatæ compati-
„ tur. —

Quid tenuerit Pontifex.

Non igitur ſolùm prope mortem, dum hanc declarationem palam fecit, ſed eandem ſententiam tenuit de viſione Dei intuitiva; ait enim: *Ecce quod noſtram intentionem, quam cum Sancta Eccleſia Catholica circa hæc habemus, & habuimus*: hæc perhibentur apud *Guillelmum Nangii* ad annum 133. Falſus itaque rumor Pariſios invaſit, nempe quod Pontifex eò miſiſſet Geraldum Othonem Fratrum Minorum Generalem Miniſtrum, ut oppoſitam ſententiam doceret, ac prædicaret, quemadmodum ipſe teſtatur literis ad Chriſtianiſſimum Regem datis: — Adbuc: *inquit*,
„ eiſdem literis Regiis vidimus contineri,
„ quod à pluribus dicebatur, quod nos
„ miſeramus dilectum Filium Geraldum
„ Othonem Generalem Miniſtrum FF. Mi-
„ norum Pariſios ad docendum, & præ-
„ dicandum, quod animæ ſeparatæ à cor-
„ pore, & à pœnis purgatæ divinam
„ eſſentiam uſque ad reſurrectionem cor-
„ porum non videbunt. Ad quod dici-
„ mus, & aſſerimus coram Deo, quod

Pontifex ſe vindicat à calumniis.

 „ nun-

Odoricus Raynal.

„ nunquam hoc cor noſtrum Intravit, nec „ caivit ab ore. — (Tom. IX. P. II. Epiſt. „ Secret. pag. 191. ab *Odor. Rayn.*) conqueſtus ſanè eſt Pontiſex apud Regem, qood negantibus viſionem Intuitivam, tanquam hæreticis mortem, eſt comminatus com ea, quæ proferebant, ex Scriptura, & Patribus eſſent deprompta, illiſqoe permiſiſſet diſputationem, ut in apertam lucem veritas diſcuſſa prodiret, immu enixè poſtulavit, ut quæſtionem fineret in utramque partem Pariſiis agitari; quod obtinere non potuit, ſed non inde eruitur, negativæ ſententiæ Papam adhæſiſſe.

Okam Schiſmatico non credendum.

Auctoritas *Gulielmi Okam* futilis eſt omninn utpote Schiſmatici hominis, & Pontifici Romano infenſiſſimi. Rejiciuntur *Marſilius*, & ADRIANUS VI., qui ut privatus Doctor dixit 4. ſent. de Miuiſt. Confirm. 22. quod Joannes *docuit, & declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quod animæ Juſtorum modo non videant Deum*. Quandoqoidem conſtat oppoſitum ex allatis teſtimoniis BENEDICTI XII., qui Joanni ſueceſſit, necnon Pariſienſis Academiæ *Odovicis Raynaldi* ex *Ptolomei Lucenſis* libro XXIV., & *Joannis Villani* Pontifiei coævi libro XI. cap. XIX.

Præterquamquod ſi JOANNES XXII. inclinaſſet in eam ſententiam, quæ negat facialem Dei viſionem, qoomodo in Diplomate Canonizationis S. Thomæ dixiſſet, *S. Thomam devicto, triumphatoque Mundo in perpetuas æternitates receptam in Patria, ejus animam cælum poſſidere, & in cæleſtibus agminibus poſitum Deum glorificare*? Et in Bulla Canonizationis S. Lodovici Toloſaoi Epiſcopi:

Quid ſenſerit Pontifex in Bullis Canonizationis Sanctorum.

Huic cæli præſtant hoſpitium cæli Cives, ut ſibi conformem, & comparem ad ſuum hunc conſortium admittunt in ſupernis: Chriſtus hunc reficit, idem ipſe prandium, & conviva . . . . . Tandem glorioſus reſolutus in mortem, qui hic vivus ambulavit in innocentia in medio domus ſuæ ad contemplandum in gaudio facie revelata, in ſua innocentia eſt ingreſſus. Idem dicas de S. Thoma Herfordienſi Epiſcopo.

Redarguitur Calvinus de mendacio.

Hinc mendacii peſſimi redarguitur *Calvinus* in omoibus, quæ contra laodatom Pontificem In hac materia evomuit. Mendax eſt circa mortalitatem animæ; namqoe in hac narratione eſt ſingularis cum *Gerſon* ab ipſo allegatus, ne verbum quidem habeat hac de re, quamvis falsò dixerit incidiſſe in errorem de dilata viſione. Obiter notandum eſt mendacium circa tempus ejuſdem Gerſonis, quem coætaneum affingit Joanni, cum ex Trithemio de Viris Illuſtribus, natus ſit a morte Joannis triginta circiter poſt annos; anno ſcilicet 1363. Meodax etiam eſt nullom Inquiens Cardinalem reclamaſſe. Quæ ratio! qoi timor! quæ verecondia Cardinalibus ſilentium imperaret, cùm ipſe Pontifex, teſte BENEDICTO XII. diſtrictè præceperit, *ut ſuper materia de viſione prædicta, quando requireretur ab eo, deliberatè diceret unuſquiſque quod ſentiret*. Mendax denique eſt; quia Rex Galliæ Doctoribus otique Pariſienſibus adhæſit; verumtamen ex Hiſtoricis nemo nnos tradit ſois interdixiſſe communionem
A eum Pontifice, motumqne ex eo Pontificem foiſſe, ut mentem declararet ſuam; licèt affirment aliqui eam declarationem eſſe factam ad amicorum preces; nodè *Eraſmus* etiam in hoe falſus eſt. Plures habes eruditè examioata apod Nat. Alex. Seculo XIII. Diſſert. XI.

§. V.

TERTIA PROBATIO EX RATIONIBUS.

43 NEque catholico huic dogmati ra-
B tionom deſunt pondera ex Scripturarum fontibus, & Eccleſiarom conſuetudine. Unam, aut alteram ſubjicio ex *D. Thomæ* lib. 4. contra Gentes cap. 91. Beatitudo hominibus promittitur taoqoam corooa certaminis, & merces laboris 2. ad Timoth. 4. *Bonum certamen certavi, curſum conſumavi, fidem ſervavi; in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex*: Job. 7. v. 1. *Militia eſt vita hominis ſuper terram, & ſicut mercenarii dies ejus*. Sed poſt militiæ certamina, & mercenarii laborem ſtatim debetur præmium, & mer-
C ces; Levit. 19. v. 13. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane*, & Prov. 3. v. 28. *Ne dicas amico tuo vade, & revertere, & cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare*. Ergo ſtatim poſt hanc vitam Sancti recipiunt mercedem laborom, & coronam certaminum, quæ finiuntur cum vita: Ideò Apoc. 2. v. 10. dicitur: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*: & cap. 22. v. 12. *Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt reddere unicuique ſecundum opera ſua*; & Joelis ultim. v. 4. *Citò velociter reddam viciſſitudinem vobis ſuper caput veſtrum*.

Merces, & præmium ſtatim debitur.

44 Secunda ratio eſt. Eadem provi-
D dentià Creatoris rationalibus præmia debentur, & pœnæ, qua rebus naturalibus perfectiones eis debitæ præſtantur. Atqui in rebus naturalibus unomquodque ſtatim recipit perfectionem, cujus eſt capax, niſi ſit impedimentum vel ex parte recipientis, vel ex parte agentis: ergo animæ ſeparatæ a corpore illico recipiunt pœnam, & præmium, cùm cæteroqui ſint capaces, & nullum ſit impedimentum: animæ enim ſunt ſuſceptivæ pœnarum ſpiritualium, & corporalium etiam ſeparatæ a corpore, ut in Dæmonibus, qui ſunt puri ſpiritus; ſunt quoque idoneæ ad
E viſionem beatificam; hæc ſiquidem utpote actus omnino ſpiritualis, & ſopernaturalis non dependet a phantaſmatibus, & nullum prætcrea impedimentum adſtruitor; obex namque ablatus a Chriſto fuit, qui cœlum ingrediens ipſe recluſit etiam ſuis ſequacibus. Major verò eſt certa; nam finis ultimus perficit rationalem creaturam; ſicut naturalis irrationalem: Deum verò magis providiſſe, ut irrationales ſuam perfectionem, quam rationales creaturæ conſequantor abſurdum eſt; teſte enim Scriptura: *Multis paſſeribus meliores eſtis vos*.

In naturalibus uniquodque ſtatim recipit ſuam perfectionē.

ILLU-

ILLUSTRATUR: id ſolet Deus facere, quod magis rationi, & ejus bonitati congruit, quando ex nobis non adſit impedimentum; ſed magis rationi congruit, & Dei bonitati, animabus ſeparatis ſtatim beatitudinem conferre, cùm ad illam jus babeant, nec ullum ponant impedimentum: ergo ſtatim Deus confert. Incongruum præterea videtur tanto tempore, hoc eſt uſque ad Judicii diem, Chriſtum accidentali gloria privare ea conſortio creaturarum ejuſdem Ordinis profectuo, & quas tanto redemit amore.

Gloria accidentalis in Chriſto ex cõſortio creaturarum.

45 Tertia: omnis Eccleſia ita Sanctis fundit preces, ut credat actu beari: ergo ex communi ſenſu Eccleſiæ ſtatim a morte animæ glorificantur. *Antecedens* breviter declaratur: quoad Latinam Eccleſiam patet ex divinis Officiis, & Sacrificiis, quæ pro Sanctis recitantur, ideoque ſufficiat tranſeribere prima verba collectæ, quam pro S. Gregorio Magno adhibet, *Deus, qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contuliſti*: in commemoratione Martyrum: *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti*, & in officio ſepulturæ orat, ut animas Defunctorum in Paradiſum deducet Deus, & ad beatitudinis perpetuæ conſortium perveniant, ut lux æterna luceat eis, & ſimilia, quæ non diceret Eccleſia, ſi crederet uſque ad Judicii diem beatitudinem differri: iiſdem phraſibus utitur Eccleſia Arména in Defunctorum commemoratione: *Dignos fac Defunctos noſtros introire in cœleſtem thalamum tuum*; in commemoratione Apoſtolorum: *Cum Chriſto crucifixi eſtis, & una cum eodem regnatis*; in communi Martyrum: *A te, Chriſte, coronam incorruptibilem acceperunt, & adjuncti ſunt choris ſupernarum poteſtatum*; in feſto S. Stephani: *A Chriſto coronatus in thalamo cœleſti præfulges, & exultas*: ſimilia, & clariora in feſtis Sanctorum Hiſiaci, Theodoſii Senioris, & aliorum. Nec abeſt Eccleſia Græca, quæ pluribus præconiis Sanctorum feſtivitates concelebrat: glorioſè inſonat Sanctis apertas eſſe cœleſtis Paradiſi portas, ſupremam habitare Jeruſalem Deum facie ad faciem videre, Sacræ Triadi adſtare, contubernales eſſe Angelorum. Menſe Maji decima quarta die in Feſto S. Benedicti viſionem refert à B. Gregorio lib. 2. Dialog. cap. 37. ſcriptam de anima S. Benedicti florida via cœlum aſcendentis, dicentibuſque Angelis: *Hæc eſt via, per quam Deo amabilis Benedictus in cœlos aſcendit*: Scio reſpondere Schiſmaticos, hæc ab Eccleſia proferri tamquam laudes, non autem tanquam veritates; ſed hæc eſt manifeſta illuſio: in dogmaticis, & publicis proteſtationibus ad Religionem ſpectantibus Eccleſia non eſt mendax; undè coherenter definivit in Florentina Synodo: — Eorum animas, qui poſt
„ Baptiſma ſuſceptum nullam omnino ma-
„ culam incurrerunt, illas etiam quæ poſt
„ contractam peccati maculam; vel in ſuis
„ corporibus, vel iiſdem exutæ corporibus
„ ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi,
„ & intueri clarè ipſum Deum. — *Concilium Trident. ſeſſ.* 25. — Docentes eos, *ideſt*
„ *fideles*, Sanctos una cum Chriſto regnan-
„ tes: — *Concil. Francofordienſe primum*: — Quo-
„ rum, *ideſt Patrum*, animæ, apud Deum
„ Dei Filium Dominum noſtrum Jeſum
„ Chriſtum pro magno pietatis labore re-
„ gnant in cœlis: — *INNOCENTIUS III. ad Epiſcopum Cremonſem*: — Inquiſitioni tuæ
„ reſpondemus, Presbyterum, quem ſine
„ unda Baptiſmatis extremum diem clau-
„ ſiſſe ſignificaſti, quia in Sanctæ Matris
„ Eccleſiæ fide, & Chriſti nominis con-
„ feſſione perſeveraverit, ab originali pec-
„ cato ſolutum, & cœleſtis Patriæ gau-
„ dium eſſe adeptum, aſſerimus incun-
„ ctanter: — Sic extravag. *Apoſtolicam* de Presbytero non baptizato, de quo interrogatus Pontifex, an ſalvari potuerit, recitata reſpondit: BENEDICTUS XII. in extravag. *Benedictus Deus* idem clarè, & manifeſtè, cujus decretum ab Alphonſo de Caſtro recitatur de hæreſibus verbo *Beatitudo*; & ideò cum *Baſilio* hom. 18. in Barlaam Martyrem concludimus: — An-
„ tea quidem Sanctorum mortes plancti-
„ bus, & lacrymis ornabantur .....
„ Nunc verò ob Sanctorum obitus exul-
„ tamus ..... Non amplius lacrymis
„ Sanctorum mortes proſequimur, ſed tri-
„ pudiis divinitus inſpiratis ſuper ſepul-
„ chra choreas ducimus: ſomnus autem
„ eſt Juſtis mors ipſa, immo potius ad
„ meliorem vitam profectio.

Uſus Eccleſiæ precandi pro Defunctis.

Objectio Schiſmaticorum.

§. VI.

SOLVUNTUR ARGUMENTA EX RATIONIBUS.

46 OBJICIES 1. Quilibet electus glorificandus eſt conformiter ad glorificationem Chriſti ad Rom. 8. v. 29. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui*. Sed Chriſtus non aſcendit ad cœlum glorificandus, niſi poſt reſurrectionem; ergo neque electus: Sic *Irenæus* lib. 5. cap. 31., *Tertullianus* lib. de Anima cap. 32.

RESP. Sententia *Pauli* non ut ità accipienda, ut quamlibet Chriſti actionem debeat electus exercere; etenim plurima pertinent ad munus ſolius Redemptoris, inter quæ deſcenſus ad Inferos, poſt triduum reſurrectio; *Paulus* itaque docet prædeſtinatos fore ſubſtantialiter Chriſto conformes, utpote morum, & virtutum exemplari. Deinde minor ſubſiſtit de glorificatione totali animæ, & corporis, unde concluditur totum hominem non niſi a die Judicii glorificandum.

Non omnis Chriſti actio a nobis eſt imitanda.

47 OBJICIES 2. Præmium pluribus commune ex juſtitiâ diſtributivâ dividendum non confertur, niſi meritis omnium præſuppoſitis: ſed gloria, & hujuſmodi 2. ad Timoth. 4. v. 8. *Quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex; non ſolùm autem mihi, ſed & his, qui diligunt adventum ejus*: ergo ſola dies Judicii omnium afferet complementum onerum, & electorum glorificationem. RESP.

In humanis ſæpe præmia ſucceſſive conferuntur.

RESP. etiam in humanis ſæpè præmia communia per juſtitiam diſtributivam dividi ſucceſſivè benemeritis de Republica, quanto magis hoc fiet ab illo Judice, qui ſingulorum merita tum præſentium, tum futurorum novit, qui abundanter habet, ut omnibus det, & ſupra condignum? Tantùm igitur ultima dies perfectam, ac publicam Juſtis coronidem imponet.

48 OBJICIES 3. Perfectio conſummata Patriæ eſſentialem naturæ perfectionem ſupponit. Atqui beatitudo eſt perfectio conſummata Patriæ: ergo ſupponit perfectionem naturæ eſſentialem; ſed anima a corpore ſeparata eſſentialem non habet naturæ perfectionem, cùm ſit pars hominis; pars autem a toto ſeparata imperfecta eſt: ergo:

RESP. Beatitudo eſt perfectio animæ ſecundùm partem intellectivam, & volitivam, ſecundùm quas anima tranſcendit corporis organa; non autem eſt perfectio ipſius animæ, ſecundùm quod eſt pars naturalis corporis. Anima verò ſeparata eſt per ſe ſubſiſtens, & ab ea ſubſiſtit corpus, & totum: unde extra corpus habet totalem perfectionem naturæ in parte intellectiva, & volitiva, adeoque capax beatitudinis independenter a corpore; licèt in ordine ad totum ſit incompleta.

Anima eſt capax beatitudinis independenter a corpore.

DICES. Prima perfectio gratiæ, ideſt juſtificatio, quamvis non ſit animæ, ùt eſt pars naturalis corporis, ſupponit tamen perfectionem eſſentialem naturæ in eſſe partis: ergo a fortiori ultima perfectio.

RESP. *nego conſeq.* nam prima perfectio gratiæ eſt principium meriti, quod eſt ſolius ſtatus viæ; hoc eſt ſtatus unionis animæ ad corpus mortale; Beatitudo autem eſt perfectio termini. Cùm autem anima ſeparata non ſit amplius in via, debet conſtitui in termino, dummodo abſit impedimentum, nullum autem adeſt, ſi anima decedat perfectè purgata: ergo.

Prima perfectio gratiæ eſt principium meriti.

49 OBJICIES 4. Anima non meretur ſine corpore: ergo non debet abſque ipſo coronari.

RESP. Quamvis anima non mereatur ſine corpore, ratio tamen principalis meriti eſt ipſa anima; nec actus externi in corpore exerciti formalem bonitatem habent præter illam, quæ manat ab internis. Quid mirum igitur, ſi glorificetur ſine corpore, maximè cùm anima ſeparata ſit capax felicitatis?

Ratio meriti ab anima.

50 OBJICIES 5. Ultima operatio complens omne deſiderium ſedat, nec eſt impedita: hoc non convenit animæ ſeparatæ; nam ut *Auguſtinus* habet 12. Gen. ad lit. cap. 35. *Ineſt ei naturalis quidem appetitus corpus adminiſtrandi, quo appetitu retardatur*: ergo.

RESP. contrarium argui ex loco *Auguſtini*; non enim negat animam ſeparatam Deo frui, ſed plenè, & perfectè, unde ſubdit: *retardatur quodammodo, ne tota intentione feratur in illud ſummum Cælum*. Appetitus igitur beatæ viſionis totaliter quieſcit ex parte boni appetibilis; habet enim quantum ſibi ſufficit in Dei poſſeſſione; ſed non

A totaliter, quatenus non ſecundùm omnem modum poſſidet, hoc eſt, ut ſe extendat etiam ad corporis felicitatem; nec impeditur, ſeu retardatur contrariè, ſed negativè; impedimentum ſiquidem contrarium eſt, quando unum oppoſitum impedit actionem alterius, & felicitati repugnat; impedimentum negativum eſt illud, quo res impedita non habet quidquid ad ejus omnimodam perfectionem requiritur, & felicitati non repugnat, ſed totali ejus perfectioni. Carentia corporis hoc ſecundo modo impedit operationem omnimodæ felicitatis; quia non extenditur per redundantiam ad corpus, ſicuti vellet anima.

Appetitus animæ ad glorificationem corporis non inquietat.

B 51 Ratio, ac auctoritas *D. Auguſtini* magnam inter Scholaſticos controverſiam excitavit, an ſcilicet Beatitudo major, & perfectior, quàm antea, poſt corporis reſurrectionem ſit futura. Quia tamen videtur lis de nomine, & admodum ſpeculativa; eam ego præpete calamo attingam. Triplex ſententia eſt: prima aſſerit futuram imperfectiorem; quia anima ſeorſim abſtractior eſt, Deoque ſimilior, & ideo perfectiorem elicit operationem beatificam: e contra corpori unita occupatur in ejus informatione, nec poteſt actus elicere valde intenſos.

C E regione opponitur altera opinio aſſerens animam corpori unitam ſe habere perfectiùs, adeoque perfectiùs operari; quæque enim pars completur in ſuo toto. Deinde non datur ſine corpore perfecta fruitio, quæ taliter eſt in acto quieto, ut voluntas nihil deſideret; ſed anima ſeparata deſiderat corpus: ergo non eſt in actu quieto. Hanc defendit *Auguſtinus* citato loco, *Bernardus*, & alii plures ex Patribus, quos ſequitur *D. Thomas* 4 ſent. diſt. 49. q. 1. art. 4., & *D. Bonaventura* ibid

Opinio media ſuſtinet futuram perfectiorem tantummodò extenſivè, quatenus animæ beatitudo ad ipſum corpus redundabit. Et hanc catervatim ſequuntur Scholaſtici recen-
D tiores duce *D. Thoma* 1. 2. q. 4. art. 5.

Sed cum idem *Angelicus* in ſententiis doceat Beatitudinem dici poſſe futuram intenſivè, & extenſivè, ideo exiſtimem ſecundam, & tertiam opinionem ſimul eſſe veram, ſi termini explicentur. De majori perfectione extenſiva non eſt dubium; plures enim effectus producet radicando dotes corporis glorioſas. Major perfectio intenſiva, in proprietate ſermonis ſignificat augmentum beatificæ viſionis in ſe quoad majorem radicationem in ſubjecto, & majorem poſſeſſionem objecti beantis. Hoc
E augmentum non creſcet poſt diem Judicii; pendet enim a lumine gloriæ, quod tunc non erit majus, cùm a principio conferatur juxta meritorum quantitatem non augendam a die obitus. Corpus ſpirituale, ſeu planè ſubjectum, quale erit poſt reſurrectionem, non impediat operationes animæ, ideò non erit beatitudo imperfectior. Quia tamen operatio a principio totaliter completo profecta, connaturalius procedit, & convenientiùs, ideò ſecundùm hoc poſt reſurrectionem beatitudo erit perfectior intenſivè; quia operatio quo connaturalior, eo eſt delectabilior

Beatitudo animæ cum corpore major intenſivè, & extenſivè.

bilior , quo ſenſu poſſent explicari *Auguſtinus*, & *D. Thom.* in ſententiia , quamvis eorum verba aliquid majus videantur innuere .

Anima conjuncta corpori eſt Deo ſimilior .

Hinc ad argumentum primæ ſententiæ , anima corpori unita eſt Deo ſimilior , cùm habeat eſſe perfectius ; quantò enim aliquid eſt perfectius , eò eſt Deo ſimilius ; ſicut cor , cujus vitæ perfectio in motu conſiſtit , eſt Deo ſimilius , quando movetur , quam quando quieſcit ; licèt Deus nunquam moveatur : ita *S. Thomas* cit. loco .

Ad argumentum ſecundæ , jam dixi perfectius eſſe animæ corpori conjunctæ non immutare intrinſecè operationem , quæ ad lumen gloriæ tanquam principium proximum menſuratur , ſed addit novum modum connaturalitatis , & convenientiæ .

DICES : ſub exitum animæ a corpore totum meritum non remuneratur Deus : ergo poſt reſurrectionem augebitur beatitudo intrinſecè . *Antecedens probatur* . Virtuoſi actus externi habent peculiarem bonitatem diſtinctam a bonitate actus interni , ſicut èt malitiam vitioſi ; & ideò explicandi in confeſſione : ergo fundant meritum peculiare præmiandum in corpore , diſtinctum a merito actus interni .

Actus externi non addunt formalem bonitatem internis .

RESPONDEO . Actus externi juxta ſententiam veraciorem non augent bonitatem, aut malitiam formalem, ſed objectivam dumtaxat . Explicandi ſunt tamen in confeſſione , utpote ſpectantes ad conſummationem actus interni . In ſententia verò oppoſita , non habent vim meritoriam præmii eſſentialis , niſi prout a charitate , quæ in anima reſidet , informentur . Præterea actui externo correſpondet gloria propria corporis , quæ eſt accidentalis comparata ad animæ gloriam , ſpectatque ad extenſivum ejuſdem incrementum .

Deſiderium glorificationis corporis Deo ſubordinatur.

Ad alteram *Auguſtini* rationem dico illud deſiderium nullam gignere ſollicitudinem irrequietam, cùm ſit divinæ voluntati ſubordinatum , nec animam diſtrahere , ne tota intentione feratur in Deum ad menſuram luminis gloriæ , at ſolummodo quoad connaturalitatem , & efficacitatem , quatenus non fertur in Deum , ut redundans in corpus .

DICES . *Auguſtinus* vult animas propter illud deſiderium non videre Deum , ſicut vident Angeli : ergo .

RESPONDEO . *Auguſtinum a S. Thoma* ſic explicari 1. 2. q. 4. art. 5. ad 6. *Non eſſe intelligendum ſecundum inæqualitatem quantitatis , quia etiam modo aliquæ animæ Beatorum ſunt aſſumptæ a ſuperiores ordines Angelorum clariùs videntes Deum , quam inferiores Angeli ; ſed intelligitur ſecundùm inæqualitatem proportionis , quia Angeli etiam infimi habent omnem perfectionem beatitudinis , quam ſunt habituri , non autem animæ ſeparatæ Sanctorum .*

A

CONTROVERSIA III.

CONTRA ARMENOS , ET GRÆCORUM NEOTERICOS .

AN ANIMÆ BEATÆ DEUM VIDEANT IN SE .

52 ARmacanus *lib.* 14. *quæſt.* Armenos tradit , & recentiores Græcos in hoc errore eſſe , ut negent beatos nullo modo videre Deum intuitivè , & in ſe, ſed ſplendorem quemdam ab ipſo derivatum . ſicuti Solem videmus in aliquo ipſius radio , B Hoc ipſum tribuit Armenis noſter *Guido* lib. de Hæreſibus verbo *Armeni* , Alphonſus de Caſtro de Hæreſibus verbo *Beatitudo* , & colligitur ex reſcripto CLEMENTIS VI. ad *Conſolatorem* Armeniæ Patriarcham . Eumdem tutatus eſt errorem *Abailardus* , teſte *Alphonſo de Caſtro* , & *Prateolo* in ſuo Elencho ; & quamvis non recenſeatur a *D. Bernardo* ab Epiſt. 187. uſque ad 198.; meminit tamen ipſum in pluribus erraſſe . Magiſtrum hunc ſuum pouè ſequitur *Arnaldus Brixienſis* , *Almaricus* , ut refert *Turrecremata* lib. 4. de Eccleſ. c. 35., & *Prateolus* . Quoſdam alios erroneæ ejuſdem theſis patronos ſuppreſſo nomine impu- C gnat *Gregorius* lib. 18. Moral. cap 38. , nec deſunt , qui plures ex ſapientiſſimis Græcis, & Latinis verſatos in eadem hæreſi fuiſſe tradant .

53 DICO . *Beati vident Divinam eſſentiam in ſe ipſa* . PROB. 1. veritas Fidei ex Scripturis . Videre Deum facie ad faciem eſt Deum cernere ſecundùm propriam eſſentiam , & non ſecundùm creatum lumen ipſius ; ſed Beati vident Deum facie ad faciem : ergo vident Deum ſecundùm propriam eſſentiam . *Prob. minor* 1. ad Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate* , D *tunc autem facie ad faciem* : Apoc. 22. v. 4. *Et videbunt faciem ejus* : Matth. 18. v. 10. *Angeli eorum in Cælis ſemper videat faciem Patris* . Cùm verò de Juſtis poſt reſurrectionem Chriſtus dixerit Matth. 22. v. 30. *Erunt ſicut Angeli Dei* , ſequitur & Angelos , & homines beatos intuitivè cernere ſubſtantiam Dei in ſe ; nam videre faciem alicujus nihil aliud eſt , quàm undè , & apertè illum videre , & non in alio , quod ſit aliquid illius , & quia in vultu reſidere ſolet lætitia , ideo Dei ſubſtantia Beatis immediatè exhibita verbo faciei exprimitur .

Videre faciē eſt clarè videre .

E 54 DICES . In ſenſu Scripturæ , videre Deum facie ad faciem non eſt videre Deum ſecundùm ſubſtantiam , ſed eſſe Deo præſentem , undè Jacob Gen. 32. v. 30. inſit : *Vidi Dominum facia ad faciem , & ſalva facta eſt anima mea* : & Exod. 33. v. 11. *Loquebatur autem Dominus facie ad faciem , ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum* . Nihilominus nec Moyſes , nec Jacob quoad ſubſtantiam Deum viderunt ; immo neque Angelicam ſubſtantiam : ergo ex allegatis teſtibus non colligitur viſio intuitiva Dei : in cujus ſignum dicitur

1. Pe-

1. Petri 1. v. 12. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Si deſiderant; ergo re ipſa non vident ejus ſubſtantiam, quando dicuntur videre faciem Patris.

CONTRA. Legitima Scripturarum intelligentia eſt ex contextibus petenda. Ubi de Beatis agitur, phraſis illa *videre faciem Dei*, vel *facie ad faciem* ſonat viſionem ſecundùm ſubſtantiam: ſecus ubi non agitur de Beatis: ergo ſtat firmitas Scripturarum pro catholica veritate. *Declaratur minor.* Paulus viſionem intuitivam, quæ tunc erit, contraponit ænigmaticæ, quæ nunc eſt. Niſi loqueretur de viſione ſubſtantiæ Dei in ſe, inutilis eſſet hæc oppoſitio; nam illa quoque viſio eſſet ænigmatica, nempe Dei in ſuo effectu: deinde in eodem verſu, *nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*; ergo vel Paulus quiditativè cognoſcet Deum, vel quiditativè non cognoſcetur: itidem locus Apocalypſis expreſsè afficit viſionem ſubſtantiæ Dei; ſubdit enim v. 5. *Et nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum*; cui conſonat illud Iſaiæ 60. v. 19. *Non erit tibi Sol amplius ad lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Ecce quomodo ipſe Deus conſpicitur, & non creatum aliquod Dei lumen. Secus evenit in iis textibus per adverſarios allatis; ubi circumſtantiæ declarant ſenſum non de viſione Dei, ùt eſt in ſe, verùm ut apparet in ænigmate. Hinc Gen. 32. v. 24. clarè demonſtratur Jacob loqui de apparitione Dei in Angelo ſub ſpecie hominis, *Et ecce vir luctabatur cum eo:* Exod. 33. per ſequentia verba v. 12. *Oſtende mihi faciem tuam*; v. 18. *Oſtende mihi gloriam tuam*; v. 20. *Non poteris videre faciem meam*, liquidò patet ea verba, *loquebatur Dominus facie ad faciem* non inferre veram Dei viſionem; cur enim optaret Moyſes videre Dei faciem, quam jam videret? Cur Deus diceret, *non poteris videre faciem meam*, ſi jam actu ſe videndum exhiberet? Igitur in his locis dicuntur Jacob, & Moyſes facie ad faciem Deum vidiſſe, ut illarum exprimeret excellentiam cognitionum, & certitudinem prophetiarum, queis donati fuerant non tanquam ſomniantes, & fallaci phantaſia perciti, ſed vigilantes, & expergefacti. *S. Thomas* p. pr. q. 12. art. 11. ad 2. Nec quicquam hæreticis ſuffragatur illud Petri. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Hoc minimè deſiderium eſt abſentiæ, ſed jucundæ ſatietatis, quatenus ita ſaturantur, ut non faſtidiunt; quod enim excupitur, faſtidit nemo.

Scriptura explicãda ex contextu.

Jacob, & Moyſes non viderunt faciem Dei.

Deſiderium, aliud abſentiæ, aliud jucunditatis.

55 PROBATUR ulteriùs: Iſaias 33. v. 17. de iis, qui juſtitiam, & ſanctitatem ſectantur, ait: *Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe.* Pſal. 41. v. 1., & 2. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus: ſitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei:* ecquid eſt cupiditas apparendi ante faciem Dei, niſi deſiderium ejuſdem claræ viſionis? Pſal. 83. v. 8. *Ibunt de virtute in virtutem videbitur Deus Deorum in Sion:* utique in illa Sion, quæ ſurſum eſt, ad quam aſcendit homo per arduum virtutis callem. Matth. 5. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt:* Joan. 14. v. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* Ad Heb. 12. v. 14. *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* Prima Joan. 3. v. 2. *Scimus, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.*

Deſiderium apparẽdi ante faciẽ Dei, eſt deſideriũ viſionis.

56 DICES. Joannes, aliæque Scripturæ intendunt viſionem humanitatis Chriſti.

CONTRA. Joannes, & aliæ Scripturæ loquuntur de illa viſione, per quam efficimur ſimiles viſo, non de illa etiam reprobis communi, ùt patet; ſed humanitatem Chriſti conſpicient etiam reprobi, juxta illud Matth. 24. v. 30. *Videbunt Filium hominis*; nec tamen efficientur ſimiles: ergo: deinde phraſis abſoluta *Deum videre, & ab anima videri* per ſe primo, & in proprietate ſermonis, ſupra ipſummet Deum, & non ſupra Chriſti humanitatem appellat. Præterea *Joannes* inquit expreſsè videndum ſicuti eſt; ſi verò humanitatis eſſet viſio, non ipſe Deus videretur, ſicuti eſt; non enim Chriſtus ſola eſt humanitas; & ipſe Joannes, cæterique Apoſtoli jam fuiſſent ei ſimiles, utpote qui ſancti erant, & humanitatem Chriſti conſpexerant ante, & poſt paſſionem per quadraginta dies. Inſpice contextum literalem: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & ſimus:* v. 2. *Chariſſimi nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus: ſcimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt:* verba hæc *ei, eum* appellant ſupra Deum, cujus filii ſumus per gratiam, & ideo loquitur de ſpirituali viſione. Cùm ergo magis diſtet a Deo perfectiſſima quævis creatura, quàm una creatura ab alia, fit, ut majus ſit ænigma Deum cernere in perfectiſſima creatura, quàm unam creaturam conſpicere in alia. Atqui conſpiciens unam creaturam in alia, non dicitur abſolutè illam videre: ergo multominus dicatur Deus conſpici, ſi in perfectiſſima creatura videretur; ſed abſolutè Scriptura pro tempore futuræ glorificationis videndum ait eſſe Deum a Juſtis: ergo non loquitur de viſione ænigmatica, cujuſmodi eſt viſio Dei in ſola humanitate Chriſti; atque ideo utrumque complectitur Joannes 17. v. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Scripturarum ulterior ſermo eſt de viſione Dei clariore, & perfectiore, quàm

Quid eſt videre Chriſtũ.

Filii per gratiam debent Deum videre in ſe.

quæ

quæ per fidem habetur. Cum igitur per fidem cognoſcatur Deus ipſe ùt eſt in ſe, non autem in aliqua ejuſdem ſpecie; clarior propterea, & excellentior cognitio Dei continget Beatis, ſcilicet ùt Deum videant in ipſo Deo, non autem in aliquo Dei effectu.

57 PROB. 2. ex Patribus, S. IGNATIUS ad Rom. inquit: *Sinite me puram lucem haurire*. Quid eſt pura lux, niſi Deus? juxta illud Joan. 1. v. 9. *Erat lux vera*; & ideo ibidem ſubjicit Sanctus Martyr: *Sinite me ferarum eſcam fieri, per quae licebit Deum adipiſci*.

IRENÆUS lib. 5. adverſus hæreſes cap. 7. *Facies noſtra videbit faciem Dei vivi, & gaudebit gaudio inenarrabili, videlicet cùm ſuum videat gaudium*.

BASILIUS Orat. 20. de Principatu: „ Nam facies ad faciem eſt perfecta cognitio incomprenſibilis Majeſtatis Dei in futuro ſæculo dignis exhibenda promiſſa eſt; nunc verò ſive Paulus, ſive Petrus cernet quidem ea verè, quæ videt, nec errat, nec imaginatur, per ſpeculum tamen, & velut in ænigmate cernit, & id quod ex parte aſſequitur, grato animo ſuſcipit; perfectam autem cognitionem in futurum magno cum gaudio expectat.

NAZIANZENUS in Jambico 15. *Felicitas quid? vivere beatum quid, & cæleſte Regnum? Viſio ſummi Dei, & cum Beatis gloriam hinc dare Angelis*.

AMBROSIUS de bono mortis cap. 11. *Ergo quia Juſti hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei, & lumen illud, quod illuminat omnem hominem*. Et lib. 1. in Lucam exponens illud: *Apparuit ei Angelus*, idem repetit.

HIERONYMUS lib. 18. in Iſaiam cap. 66. v. 14. ſuper illud *Videbitis, & gaudebit cor veſtrum*. *Videbunt autem*, inquit, *haud dubium, quin Deum, qua vera lætitia eſt, de quibus Dominus loquebatur, beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, cujus viſio perfectum eſt gaudium*.

AUGUSTINUS lib. 12. in Gen. cap. 34. *Tertium verò (cælum,) quod mente conſpicitur ità ſecreta, & remota, & omnino abrepta a ſenſibus carnis, atque mundata, ut ea, quæ in illo cælo ſunt, & ipſam Dei ſubſtantiam, verbumque Deum, per quod facta ſunt omnia, in charitate Spiritus Sancti ineffabiliter valeat videre, & audire*.

GREGORIUS MAGNUS lib. 18. Moral. cap. 28. errorem hunc ipſum fusè exagitat, inter quæ *videbimus*, ait, *igitur Deum, ipſumque erit præmium laboris noſtri, ut poſt mortalitatis hujus vitæ tenebras accenſâ ejus luce gaudeamus*.

CYPRIANUS lib. de exhortat. Mart. cap. ult. *Quanta eſt dignitas claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & aperire eoſdem ſtatim, ut Deus videatur, & Chriſtus*. Idem recantat *Juſtinus Martyr* dialog cum Triphone, *Epiphanius* hæreſi 70., *Cyrillus Alexandrinus* lib. 11. in Joan. cap. 8, *Dionyſius Areopagita*, *Joannes Chryſoſtomus* locis infià citandis, *Hilarius* in cap. 4., *Matth.* aliique plures.

58 DICES. Sanctos loqui de viſione Dei in ſpecie corporea ad ſimilitudinem cognitionis propheticæ.

CONTRA. Hæc interpretatio eſt violenta. *Patres* verba faciunt de viſione Dei ſpecialiter promiſſa Bonis in præmium meritorum; perfectio autem viſionis propheticæ nec ſpecialiter promiſſa in præmium, nec peculiaris prærogativa Juſtorum, ſed etiam peccatoribus eſt communis. Præterea de viſione Dei *Patres* loquuntur animabus dumtaxat ſeparatis conceſſâ; viſio prophetica non conceditur tantùm animabus a corpore ſejunctis, & nullo modo per ſpecies corporeas. Inſuper viſionem, connotant prout contradiſtinctam ab ænigmatica, ùt ex *Baſilio* vidimus. Atqui viſio prophetica ſimilis eſt ænigmaticæ, non autem intuitivæ; ergo. Demum *Patres* expreſsè indicant viſionem ſubſtantiæ Dei in ſe, ſicut *Auguſtinus*, & *Gregorius*, qui antecedenter ad prælibata verba ſic habet cap. 28. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo me ipſum illi, ac ſi patenter dicat, qui in veſtra me cernitis, reſtat, ut in mea me natura videatis*: ſed viſio corporea propheticæ ſimillima non eſt viſio Dei in ſua ſubſtantia; ergo.

Viſio prophetica non eſt peculiaris Juſtorum.

59 PROB. 3. Juxta quantitatem meritorum viſio Dei ejuſdem rationis promittitur hominibus Sanctis in Scriptura, quæ propter Hypoſtaticam Unionem Chriſti animæ conceditur; ſed Anima Chriſti revera habuit intuitivam viſionem Dei: ergo. *Major* non indiget probatione. *Minor* declaratur Joan. 1. v. 14 habetur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis*, & ad Coloſſ. 2. v. 3. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*. Sed niſi haberet viſionem Dei intuitivam in proprietate, non eſſet Anima Chriſti plena omni veritate, nec in ea eſſet omnes ſcientiæ theſaurus: ergo: 2. Joan. 5. v. 37. habetur: *Qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me: neque vocem ejus umquam audiſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis. Et verbum ejus non habetis in vobis manens*. Ubi abſque dubio ſubintelligitur, ſicut ego & vocem ejus audio, & ſpeciem ejus video, & verbum ejus in me manens habeo. Anima igitur Chriſti intuitivè Dei eſſentiam conſpicit: ergo èt Beati. Quam concluſionem docuit Chriſtus Joan. 17. v. 24. *Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum: ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi*. Attendamus, quid ſit hæc claritas videnda ab Electis: v. 5. *& nunc clarifica me tu Pater, apud temetipſum, claritate, quam habui priùs, quam mundus eſſet*. Quamnam rogo, antequam mundus crearetur, claritatem habuit, niſi Divinitatem? ergo hanc videri vult a Beatis.

Eadem viſio promittitur hominibus, ac Chriſto.

60 PROB. 4. Viſio intuitiva Dei in ſe ipſo eſt poſſibilis Creaturæ: ergo Electis de facto conceditur. *Probatur antec.* I. Majus eſt Deum uniri creaturæ intrinſecè ſubſtantialiter per Hypoſtaticam Unionem, quàm Deus ſit homo, & è contra homo ſit Deus, quàm accidentaliter, & objectivè uniri. Sed

Major eſt unio hypoſtatica, quàm unio accidentalis.

eſt poſſibilis ſumma nnio in ſubſtantia cum creatura, & conſtat de facto ſecundùm Fidem in Myſterio Incarnationis: ergo eſt poſſibilis nuio accidentalis, & objectiva per viſionem intuitivam. II. Intellectus noſter de facto per effectus naturales, & media fide abſtractivè cognoſcit Deum ſecundùm ſubſtantiam, unde illi attribuit æternitatem, immenſitatem, omnipotentiam, & ſimilia: ergo poteſt elevari ad videndum eum intuitivè. *Declaratur conſequentia*. Ratio abſtractiva, & intuitiva non eſt duplex ratio importans diverſas potentias, ſed eſt duplex ratio materialis contenta ſub eadem formali ſpecificativa ratione. Hinc videmus intellectum eundem numero modò abſtractivè, modò intuitivè cognoſcere idem objectum: & ratio eſt; quia abſtractivum, & intuitivum ſolùm differunt penes præſentiam, & abſentiam mediati, vel immediati. Ulteriùs: ſi Deus abſtractivè cognoſcitur ab intellectu: ergo eſt intra ſphæram ejus objecti ſpecificativè: ſecus non cognoſceretur, cùm nulla potentia extra ſuum feratur ſpecificativum objectum. Atqui Deus ùt in ſe eſt etiam intra ſphæram objecti intellectus, quia ùt in ſe, eſt maximè ens, maximè verum, maximè Immateriale, maximè in actu, adeoque maximè intelligibile: ergo hoc ens, quod eſt Deus, ab intellectu creato eſt viſibile; aliter intellectus creatus pejoris eſſet conditionis, quàm ſint aliæ vitales potentiæ, quæ attingunt objectum intra ſphæram ſuæ virtutis contentum, ſicuti conſtat in potentia auditiva, viſiva &c.. Etiam voluntas noſtra, quæ aliqualiter, & imperfecto modo diligit Deum, elevata perfectum elicit amorem. Non minus excedit Divina ſubſtantia in eſſe boni voluntatem, ac in eſſe veri intellectum. Sed per elevationem mediâ gratiâ poteſt voluntas eum amare in ſe, & non tantùm aliquod Dei bonum: ergo per elevationem poterit intellectus videre Deum prout eſt in ſe, & non tantùm aliquid Dei lumen.

Idem objecti modo abſtractivè, modo intuitivè cognoſcitur.

Qualibet potentia poteſt attingere ſuum objectū.

Probatur nunc principalis conſequentia, quod ſcilicet viſio intuitiva Dei concedatur Electis. Secundùm *Auguſtini* regulam verba Scripturæ, in proprietate ſermonis accipienda ſunt, ubi evidens ratio non oſtendit oppoſitum; aliter nihil certi haberemus ex Scripturis. Sed Scripturæ Electis pollicentur Dei viſionem: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: ergo ſi viſio intuitiva Dei non implicat, debet de facto concedi.

CONFIRMATUR I. De facto Juſti beatitudinem conſequuntur. Sed ex Scripturis Beatitudo conſiſtit in viſione Dei faciali: ergo de facto datur. Beatitudo enim poſita eſt in conjunctione ad ſuum principium, cùm in hac cujuslibet entis perfectio habeatur.

Perfectio cujuslibet conſiſtit in conjunctione cū ſuo principio.

CONFIRM. II. Beatitudo Electis promiſſa ſatiare debent omnem appetitum juxta illud; *videbunt, & ſaturabuntur*. Sed rationalis creatura habet appetitum videndi Deum in ſe; quia ex viſis effectibus conſurgit nobis appetitus videndi cauſas; & ideò lib. 4. contra *Julianum* loquens *Auguſtinus* de beatifica viſione aſſerit omnes naturali inſtinctu velle eſſe Beatos, & Angeli in Deum deſiderant proſpicere: ergo, ne dicamus Beatos non ſatiari, neceſſe eſt de facto intuitivam Dei viſionem admittere. Hanc demùm catholicam veritatem definivit Eccleſia in Concil. Florent. ſeſſ. ultima: *Definimus Beatorum animas intueri clarè ipſum Deum Trinum, & Unum, ſicuti eſt, promeritorum tamen diverſitate alium alio perfectiùs*: Concil. Francofordienſe in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Prædicamus eum* (ideſt Chriſtum) *Deum verum, & vivum, & verè Filium Dei, ut ad ejus perfectiſſimam viſionem pervenire mereamur, in qua eſt æterna beatitudo, & beata æternitas*. EVARISTUS Papa in ſua Epiſtola idem probat ex illo 1. Joan. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*: BENEDICTUS XII. in ſua extravaganti aliàs citata.

Viſo effectu ineſt deſiderium videndi cauſam.

Deffinitiones Conciliorum, & Pontificū.

§. II.

SOLVUNTUR ARGUMENTA AB AUCTORITATE.

61 OBJICIES 1. Non minus in Scripturis dicitur Deus incomprehenſibilis, quàm inviſibilis, de primo Jerem. 32. verſ. 19. *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis*, de ſecundo 1. ad Timoth. 1. v. 17. *Regi autem ſæculorum immortali, inviſibili*, & ad Coloſſ. 1. v. 15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis*: Joan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam*. Sed quia incomprehenſibilis abſque errore non poteſt dici comprehenſibilis: ergo quia dicitur inviſibilis, abſque errore viſibilis nequit affirmari.

RESP. *neg. maj.* Dicitur quidem incomprehenſibilis Deus, & inviſibilis, ſed non eodem modo. Primum dicitur abſolutè, & ſimpliciter, ut nullibi reperiatur oppoſitum: ſecundum verò intelligitur nullâ ſuppoſitâ elevatione per lumen gloriæ, & in hoc ſeculo; ideoque frequenter alii textus occurrunt, ubi enunciatur viſibilis nobis præmio bonorum operum. Ea itaque verba, *Deum nemo videt unquam*, referas ad Viventes in hoc ſeculo; nam de Beatis ait Apoſtolus, *quòd videbimus eum ſicuti eſt*: & *Paulus* clarè fatetur ſe ita Deum viſurum facie ad faciem, ſicut ipſe a Deo cognoſcebatur.

Quomodo Deus dicatur inviſibilis, & incomprehenſibilis.

DICES. Quando Scriptura negat aliquid de Deo, quod alibi affirmat, negatio eſt accipienda in ſenſu proprio, affirmatio in ſenſu metaphorico. Sed in iis locis negatur viſibilitas Dei a creaturis: ergo quando alibi affirmatur debet metaphoricè intelligi. *Major declaratur* 1. Reg. 15. dicitur in Deo non dari pœnitentiam: *Deus pœnitudine non flectitur*, & ad Rom. 11. v. 29. *Sine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei*: ideo quando Gen. 6. v. 6. dicitur: *Pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra*, pœnitentia metaphoricè intelligitur, cùm vera Deo pœnitentiâ repugnet. Item, quia Malach. 1., & Jacob. 1. Deus immutabilis, quando affirmatur motus per deſcenſum, & aſcenſum, accipitur impropriè: ergo.

RESP.

Quando negatio eſt accipienda propriè, & affirmatio impropriè.

RESP. Majorem eſſe veram, quando tam affirmatio, quàm negatio ſit abſoluta, & in eodem ſenſu. Cæterùm in caſu noſtro negatio, & affirmatio non eſt abſoluta in eodem ſenſu: negatur enim viſibilitas Vivis & viribus ordinariis naturæ, & gratiæ in via; affirmatio verò non eſt in eodem ſenſu, ſed affirmatur viſio Defunctis, viribus gratiæ conſummatæ; itaque datur locus utrique dictioni in ſenſu proprio. Præterquamquod exempla ab adverſariis adducta manifeſtam involvunt imperfectionem, quæ neceſſario cogit ad ſenſum metaphoricum.

INSTABIS. Negatio viſibilitatis de facto, & de poſſibili eſt omnino abſoluta. Sed in Scriptura tam de facto, quam de poſſibili Deus dicitur inviſibilis: 1. ad Timoth. 6. v. 15. *Rex Regum, & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt*: ergo.

Privilegio gratiæ conceditur viſio Dei.

RESP. *negando maj.* Textus, qui maximum eſt telum adverſariorum, in ipſos retorquetur; dicit enim Apoſtolus Deum inhabitare lucem inacceſſibilem: ergo beati nec videbunt ejus lumen; ſecus enim lux non erit inacceſſibilis. Notat ergo Apoſtolus inviſibilitatem abſque privilegio gratiæ, & appellat inviſibilem: ſicut dicitur ſolus immortalis. Sed immortalitas privilegio gratiæ corruptibilibus electorum corporibus conceditur: ergo etiam privilegio gratiæ viſio intuitiva eſt communicabilis. Quam explicationem nobis dilucidè perhibet Iſajas 64. *Oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Non vidit abſque te, quia privilegium eſt gratiæ conſummatæ: Matth. 11. v. 27. *Neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*; ut ſcias id, quod viribus ordinariis eſt incognitum, poſſe cognoſci privilegio elevationis, & gratiæ.

Quid eſt naturaliter ignotum, poteſt viribus gratiæ attingi.

62 OBJICIES 2. Pſal. 35. v. 9. beatitudo ſic deſcribitur: *Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Cur hoc? *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Videſne? Felicitas noſtra oritur ex cujuſdam claritatis Dei viſione, & non ex viſione ſubſtantiæ; cui conſonat illud ad Rom. 1. v. 20. *Inviſibilia enim ipſius a creatura Mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Per ea, quæ facta ſunt: ergo non per ſe ipſa.

RESP. Pſalmiſta diſertè admonet Deum fore a Beatis videndum ùt ſuperiùs notavi; & hoc loco idem intelligit; nam lumen in lumine viſum quid eſt aliud, quàm Deus ipſe lumen ſubſtantiale, & indeficiens? Quare in Symbolo, ubi exponitur proceſſio Verbi a Patre, dicitur *lumen de lumine*, & in Scriptura Verbum genitum dicitur ſplendor Patris utique ſubſtantialis. Locum *Pauli* explico de cognitione Dei ænigmatica per creaturas viribus naturæ comparatam, quam ita perfectam adſtruit, ut per eam Divinitas ipſa cognoſcatur. Quomodo ergo implicabit eam intuitivè videre elevatione gratiæ?

Deus eſt lumen ſubſtantiale, & indeficiens.

63 OBJICIES 3. Scriptura intelligenda eſt juxta mentem Patrum: ſed Patres tam Græci, quàm Latini unanimes ſentiunt Deum non eſſe intuitivè viſibilem: ergo. *Minor* ab ipſis fusè declaratur. Veruntamen Patrum cùm onus, idemque ſit omnium ſenſus; ideo eos ſolummodo teſtor, quibus maximopere fidunt adverſarii. Primum locum damus *Dionyſio Areopagitæ* ſæpe in ſuis ſcriptis affirmanti Deum eſſe inviſibilem, incognoſcibilem, occultum, non inveſtigabilem: Lib. de cœleſti Hierarch. agens de viſione beatifica Angelorum dicit modò *videre radicem Deitatis*, modò *claritatem divinæ lucis*, modò *percipere divinam illuſtrationem, illuminationem*; ubi videtur ſentire, Angelos non videre intuitivè Deum, & cap. 13. ejuſdem libri ait; quod *Divinæ illuminationis participatio non datur inferioribus Angelis, niſi per ſuperiores.* Atqui viſio immediata, & intuitiva Dei non poteſt uni per aliam creaturam concedi: ergo ſentit Angelos non beari per intuitivam Dei viſionem.

RESPONDEO. Malè trahuntur Patres in contrarium ſententiam, quippequi Scripturas, ubi Deus inviſibilis dicitur, ſemper explicent vel de viſione corporali, ùt *Auguſtinus* Epiſt. 112., vel de viſione juxta legem ordinariam, ùt *Gregorius* lib. 18. Mor. cap. 28., vel de viſione comprehenſiva, ùt *Chryſoſtomus* infrà citandus, & juxta triplicem hunc ſenſum exponenda quoque ſunt loca ex *Dionyſio*, qui cæteroquì paſſim aſſirmet in Beatis intuitivam viſionem, ſicuti de divinis nominibus cap. 1., de cœleſti Hierarchia cap. 15., 8., & 7., cujus aliqua iſthic verba delibem. Igitur cap. 7. ait: — Cherubim verò, eorum vim cognoſcendi, Deumque contuendi, & exuberantis capacitatem luminis, atque contemplandi in ipſamet primæva virtute divinam venuſtatem, nec non ſapientificæ traductionis artificium, quoad inferiora donatam ſibi ſapientiam ſine invidia derivant, atque transfundunt. — Quid aliud eſt contueri Deum, divinam venuſtatem contemplari, niſi immediatè divinam eſſentiam videre? Et infrà ſubdit: — Contemplatrices, item non quaſi ſymbolorum, quæ vel ſenſu, vel mente percipiantur, ſpectatrices, neque varietate contemplationis ſacrarum Scripturarum ad Deum elevatæ, ſed tanquam in omni cognitione ſimplici altioris luminis expletæ, & contemplatione illius pulchritudinis, quæ eſt affectria, & origo pulchritudinis, & quæ ſupra ſubſtantiam eſt, & in tribus ſplendet, quatenus fas eſt, refertæ. — Contemplatio pulchritudinis cuncta facientis pulchra nonne eſt ipſa viſio intuitiva Dei? Præterea de divinis nominibus clarè demonſtrat, modò Deum cognoſci in ænigmate, in cœlo autem facie ad faciem. Hinc ad objectionem, non bene infertur *Dionyſium* negaſſe Angelis Beatis viſionem Dei eſſentialem, dum idem affirmet eos videre radium Deitatis, claritatem divinæ lucis, recipere illuminationem; quæ omnia bene ſimul ſtant cum intuitiva Dei viſione. Ulterius

terius in phraſim Areopagitæ *Lux divina, radius Deitatis* venit ipſa ſubſtantialis Deitas in ſe, & ad ſe; unde lib. cœleſt. Hierarch. cap. 13. ait: *Omnibus igitur, qui illuminantur, percipiendæ lucis eſt Deus quidem per naturam, & omnino propriè, utpote ſubſtantia lucis, ipſiuſque viſionis auctor*: & lib. de divinis nominibus cap. 4. *unum lumen æternum, non principiatum*. Quando autem affirmat per ſuperiores illuminari inferiores, non intendit illuminationem matutinam, ſeu manifeſtationem divinæ eſſentiæ, ſed veſpertinam, nempe notitiam quorumdam Myſteriorum Fidei, quoad aliquas circumſtantias, & accidentales rationes, non autem abſolutè, & ſecundùm ſubſtantiam. Deinde retorquetur argumentum. Nam ex *Dionyſio* lib. de divin. nom. cap. 1. Divinus nullo modo radius poteſt nec dici, neque excogitari, quod ab omni re ſecretus, & omnino ſit incognitus. Et cap. 4. Anima Deiformis facta per unionem incogniti, inacceſſibilis luminis; ſi ergo radius eſt omnino incognoſcibilis, quomodo illum videant Beati?

Illuminatio Angelorum matutina, & veſpertina.

64 Secundo loco adducitur *Chryſoſtomus*, quem fruſtrà in rem ſuam tradunt Heterodoxi. Sanctus ergo Doctor Homil. 14. in Joan. explicans illud Evangeliſtæ, *Deum nemo vidit unquam*, ſic habet: — Nam id, „ quod eſt Deus, non modo Prophetæ non „ viderunt, ſed nec Angeli, nec Archan„geli, ſed ſi eos percunctaberis, nihil ab „ iis de Dei ſubſtantia audies, ſed tantùm „ referentes: Gloria in excelſis Deo . . . . „ quod ſi omnis natura creata eſt, quanam „ ratione increatum videri poterit? —

Sed *Chryſoſtomum* ſanè huic dogmati adſtipulatum fuiſſe palam fit ex Epiſt. ad *Theodorum* lapſum: — Si Petrus, qui vidit ob„ſcuram quamdam imaginem futurorum, om„nes continuò rejecit ab anima propter vo„luptatem inditam animæ a tali aſpectu, „ quid dicemus, quando rerum veritas ade„rit, quando Regis cubiculis adapertis in„tueri licebit ipſum Regem non per ænig„ma, nec per ſpeculum, ſed facie ad fa„ciem? — Quid clarius? Deinde exponens illud Pſal. 42. *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*, ait: — Vide arden„tem hominem, vide inflammatum; ſciens „ enim ſe cùm hinc receſſerit, eum eſſe „ viſurum, ne expectat quidem dilationem, „ moram enim non patitur. — *Hom. 73. in Joan.* — Videamus quid Philippus quærat. „ Num ſapientiam Patris? Num benignita„tem? minimè, ſed quid eſſet Deus, ipſam „ videlicet ſubſtantiam. — Subſtantiam videndam poſtulaſſe Apoſtolum affirmat, nec reprehenditur tanquam de impoſſibili aut a Chriſto, aut a *Chryſoſtomo*, qui ſtat pro catholica ſententia; quare ſignum eſt locis in objectione citatis non eo ſenſu locutum, quo adverſarii volunt. Interpretatio itaque ſumenda eſt tum ex contextu, tum ex fine, tum ex connexis. Undequaque enim præclarè colligitur ſolùm negaſſe creaturæ adæquatam cognitionem Dei condignitate connaturalitatis. Quod ex contextu demonſtratur; explicat Sanctus Doctor evangelicam

Mens Chryſoſtomi, ex quo deſumenda.

evangelicam Scripturam, in qua diſcrimen ponitur inter modum habendi cœleſtem, & divinam doctrinam a Chriſto, nec ab aliis, qui non ſunt Filii Dei: *Deum nemo vidit unquam: ipſe Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Nemo connaturali dignitate divinitatis plenitudinem habuit præter Filium: alii ſervi ſunt, ac miniſtri; ideo ex ſolo privilegio gloria in excelſis Deo referentes; unde nihil ſciunt comparativè, & ad plenitudinem, quam Chriſtus habet. Demonſtratur ex fine; intendit enim confutare errorem *Eunomii*, & *Anomæorum* temerario auſu dictitantium ita ſe comprehendere Deum, ſicut Deus ſe ipſum: hos autem ita ſenſiſſe ex contemporaneorum teſtimoniis luculentiſſimum fit. *Theodoretus* lib. 4. hæreticarum fabularum ait: — Auſus eſt *Eunomius* „ ſe nihil de rebus divinis ignorare, ſed „ ipſam Dei ſubſtantiam exactè ſcire, eam„dem habere de Deo cognitionem, quam „ ipſe Deus de ſe ipſo habet; hoc ejus fu„rore perciti, qui ſunt illius execrandæ „ ſectæ participes, audent apertè dicere, ſe „ ita Deum noſſe, ùt ipſe ſe ipſum: — *Socrates lib. 1. Hiſtoriæ cap. 7.* — Loquitur *Eu„nomius*, Deus de ſua ipſius eſſentia nihil „ plus intelligit, quàm nos; neque ipſi eſt „ magis cognita, quàm nobis. — *Baſilius Epiſt.* 168. *ad Eunomium*: — Si minutiſſimæ „ formicæ naturam nondum cognitione ap„prehendiſti, quomodo incomprehenſibilis „ Dei vim te imaginari glotiaris? — *Hieronymus cap.* 11. *Matth.* in illud: — Nemo „ novit Filium, niſi Pater, ait: erubeſcat „ *Eunomius* tantam ſibi notitiam Patris, & „ Filii, quantam alterutrum inter ſe ha„beant jactitans. — Igitur, ùt vides diſertis verbis Hæretici admittebant naturalem, & rigoroſam divinitatis comprehenſionem, quam ob cauſam ad *Epiphanio* hæreſ. 76. *inſani, & furioſi* appellantur, & a Chryſoſtomo *deliri* Hom. 5. de incomprehenſibili Dei natura contra *Anomæos*, in quibus Homiliis, ùt conſtat, errorem hunc impugnat, ac proindè non negat ſupernaturalem quidditativam Dei cognitionem, ſed comprehenſivam, & adæquatam; unde Hom. 4. quaſi concludit: — Satis jam eſſet, fratres cha„riſſimi, ſi poſteaquam nuper oſtendimus „ Deum incomprehenſibilem eſſe hominibus, „ atque etiam Cherubim ipſis, & Seraphim „ moleſtiâ hominum hæreticorum levari, „ nihil ulteriùs moneremus. —

Anomæi dicebant ſe Deum comprehendere.

Demonſtratur tandem ex connexis, ſeu ex his, quæ confutando *Eunomii* errori S. Doctor aſſumit: Homil. 4. exponens, quomodo Deus ſe videndum exhibeat, ſed non totaliter, ait, — Cùm itaque dicat „ Deum, quamvis condeſcendentem minimè „ ferre illas virtutes potuiſſe, nihil aliud „ docet, niſi ejus cognitionem expreſſam, „ amplam, & integram non potuiſſe reci„pere, — *& infrà*: — Hinc etiam Evan„geliſta certior, neque humanæ naturæ in„tereſſe rem tantam ſcire, neque ipſis vir„tutibus ſuperis, Deum eſſe comprehenſi„bilem. — Quam doctrinam ſub nomine comprehenſionis in illis ſæpè Homiliis repetit, & Hom. 3. in expoſitione Iſaiæ cap. 6. expli-

explicans, cur Seraphim faciem velarent, ſic ad rem diſcurrit: *Quamquam non ipſam meram videbant lucem, & ipſam ſinceram ſubſtantiam, ſed quæ videbant condeſcenſus erant, & indulgentia:* deinde hoc explicat: *Cum Deus, non ut eſt, ſe oſtendit, ſed quoad videre is poteſt, qui aſpectum hujuſmodi meruit, eatenus firmitate, videntis ſuam repræſentationem metitur, ac temperat, condeſcendere illam tantiſper dicimus, & hujuſmodi rem condeſcenſum nominamus, & indulgentiam.* Poteſtne expreſſiùs catholica ſententia explicari? Fatetur *Chryſoſtomus* non puram lucem videri, nec totam ſubſtantiam, ſed dumtaxat juxta meritum videntis metiendo, & temperando viſionem. Hinc ſolvuntur, quæ contra dicta opponit P. Vaſquez *in pr. par.* D. Thomæ *q. 12. diſp. 37. cap. 2., & ſeq.*

65 OBJICIT ergo primò: *Anomæos* non uſos fuiſſe nomine comprehenſionis in Theologico rigore, ſed prout idem eſt, ac quiditativè videre; unde nec *Chryſoſtomus* eodem rigore illud aſſumit, ac proinde negat quiditativam Dei viſionem.

CONTRA. Quibuſnam verbis utuntur Theologi ad exprimendam comprehenſionem? Sanè iiſdem, quibus *Chryſoſtomus*, & *Eunomius* utuntur. Hæc verba *comprehendere, expreſſa, ampla, & integra cognitio, eadem cognitio Dei, & noſtra, non plùs Deum cognoſcere, quàm nos; tantam notitiam habere, quantam Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, ſunt ne termini minùs explicantes comprehenſionem in rigore ſcholaſtico? Forſitan ignoravit Sanctus Doctor naturam comprehenſionis, cùm Homil. 3. in *Anomæos* in illud Pauli, *qui lucem inhabitat inacceſſibilem*, adeo clarè explicet differentiam inter nomen comprehenſibile, & inacceſſibile?

66 OBJICIT 2. Ut Angeli nobis enarrare poſſint divina, ſufficit quiditativa cognitio; ſed *Chryſoſtomus* negat Angelis eam cognitionem, quæ neceſſaria eſt ad nobis narranda divina: ergo negat quiditativam viſionem.

CONTRA: *diſt. maj.*, ut poſſint enarrare divina eo modo, quo enarrat Filius, *negn maj.*: aliter, *concedo*; ſed negat Angelis cognitionem, quæ eſt neceſſaria ad enarrandum modo, quo enarrat Filius, *concedo*, alio modo, *negn*; ex prædictis ſolutio patet.

67 OBJICIT 3. *Chryſoſtomus* de incomprehenſibili natura Dei Homil. 3. negat Angelis divinæ ſubſtantiæ viſionem, conceditque videre ſolùm aliquod derivatum, quod appellat condeſcenſum: ergo negat quiditativam Dei viſionem.

CONTRA. Hæc objectio deſtruitur, ſi legantur, quæ ſupradiximus, ubi planè ediſſerit Sanctus Doctor, quid per condeſcenſum intelligat. Certè non ille excluſionem intendit ſubſtantiæ, ſed ejuſdem attemperatam viſionem qualitati meritorum, & parvitati naturæ videntis.

DICES: condeſcenſum, quem concedit Angelis, concedit etiam Prophetis, paulo tamen obſcuriorem; ſed Prophetæ non vident quiditativè ſubſtantiam Dei: ergo neque Angeli. Nullius iterum roboris eſt inſtantia, cùm S. Doctor exprimat gradatim, quomodo ſubſtantia divina videatur a Beatis, & a Viatoribus, & ſemper accommodatè ad qualitatem videntis.

68 OBJICIT 4. Eam cognitionem naturæ divinæ Angelis negat, quam eis concedit poſt carnem aſſumptam a Verbo; ſed poſt hujus aſſumptionem non vident comprehenſivè, ſed tantummodò quiditativè: ergo negat viſionem quiditativam.

CONTRA. In hoc diſcurſu nulla eſt difficultas; aut enim *Vaſquez* ſentit poſt carnem aſſumptam ex mente *Chryſoſtomi* Angelos intuitivè Divinam eſſentiam cernere, aut ſolùm humanitatem. Si primum: ergo jam aſſequitur *Chryſoſtomus* a creatura beata videri Deum intuitivè ſaltem a tempore Incarnationis. Sin autem ſecundum: arguitur abs re; quia controverſia non eſt de humanitate; deinde etiam errat, quia Angeli comprehenſivè, nedum quiditativè humanitatem contuentur.

69 Hinc explica etiam *Theodoretum Chryſoſtomi* ſequacem. Veruntamen quia contendit *Vaſquez* explicationem hanc eſſe incongruam, placet locum adducere. In Dialogo *Immutabilis*, *ERANISTES* interrogat; *Quomodo ergo intelligamus, quòd Angeli eorum ſemper vident faciem Patris veſtri. ORTODOXUS: Sicut intelligere ſolemus ea, quæ dici ſolent de hominibus, qui Deum vidiſſe exiſtimati ſunt. ERANISTES: Dic clarius? Non enim intellexi. ORTODOXUS: Nunquid Deus videri poteſt ab hominibus? ERANISTES: Nequaquam. ORTODOXUS* explicat homines non poſſe Deum videre, & ſubinde addit: *Ita ergo de Angelis intelligamus, audientes quotidie vident faciem Patris mei: non enim vident ſubſtantiam divinam, quæ nec circumſcribi, nec comprehendi, nec mente percipi poteſt, & quæ univerſa comprehendit, ſed quandam gloriam, quæ eorum viribus correſpondeat, ſitque ejus commoderata.* Ecce quomodo per illa verba *mente percipi poteſt* appellat ſupra Divinam Naturam tanquam univerſa comprehendentem, adeoque loquitur de viſione comprehenſiva. Rurſus admittit viſionem accommodatam viribus videntis; ergo in ſenſu *Chryſoſtomi*. Quæ interpretatio ſatis quoque colligitur ex probatione, quam affert ex Joan. 6. v. 46. *Patrem non vidit quiſquam, niſi is, qui eſt a Deo*, hoc eſt Filius: quæ ſententia intelligitur de comprehenſione.

70 Tertio loco adducitur *Nyſſenus* lib. de Beatitudine Orat. 6., ubi explicans illud *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, opponit ſibi plures textus, in quibus dicitur Deus inviſibilis, & dicit ab intellectu creato Deum ùt in ſe non eſſe viſibilem, adeoque beatitudinem non conſiſtere in hoc, quòd Deus videatur, ſed habeatur Deus intra ſe participatione gratiæ.

Verùm *Nyſſenus* loquitur de beatitudine inchoata Juſtorum hujus vitæ, quæ licèt non ſit promiſſa ùt ultimatum præmium, eſt tamen promiſſa, ùt patet de octo Beatitudinibus, quas ibi exponit Doctor, & conſtat, quia comprobat ex illo Chriſti: *Regnum Dei intra vos eſt*, quod de ſtatu gratiæ dicitur, & diſtinguit inter præmium ultima-

matum, & non ultimatum dicens: *Promiſſio quidem tanta eſt, ut ſuperet ſupremum terminum beatitudinis*. Ubi vides comparari præmium, de quo loquitur, cum termino beatitudinis: dicit autem excedere; quia gratia, quæ dat naturam in ordine ſupernaturali, eſt perfectior in eſſe entis viſione beatifica. Pro vindicandis Patribus dicta ſufficiant.

§. III.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRA NATURALEM RATIONEM.

71 CONtra fidei veritatem plura a Scholaſticis contorquentur argumenta a ratione deſumpta, non quia directè fidem oppugnent, ſed quia alter alterius dicendi modum impugnat nixi omnes metaphyſicis acuminibus ad ingenii potiùs, quàm veritatis oſtenſionem. Miſſa ego faciam omnia: ea tantummodo ſubjiciam, quæ ab Ethnicis, & Hæreticis obtrudi ſolent, reſolutione explanatâ, quin ad ſcholaſtica diſſidia impingam.

72 Bipartiam igitur adverſariorum objecta dividuntur: aliqua antecedens, quo probavimus viſionis poſſibilitatem: alia conſequentiam impetunt, ubi oſtendimus de facto admittendam. In hoc paragrapho prima proponam: cætera in ſequenti.

73 OBJICIUNT Orientales primò: magis diſtat divina eſſentia ab intellectu creato, quàm ſubſtantia Angeli a potentia viſiva; quia ibi eſt diſtantia finiti ad infinitum. Atqui potentia viſiva nullo modo valet Angeli ſubſtantiam videre: ergo neque intellectus creatus poteſt quiditativè Deum intueri.

RESP. Retorquendo dupliciter argumentum ad hominem. Magis diſtat claritas divina ab intellectu creato (utpote quòd illa ſit ordinis divini, & ſupernaturalis: iſte verò creati, & naturalis) quàm a ſubſtantia Angeli diſtet potentia viſiva; ſed hæc nequit ſubſtantiam Angeli conſpicere: ergo neque claritatem illæ divinam. Præterea nullo modo oculus videt Angeli ſubſtantiam: ergo nullo modo intellectus creatus Deum cognoſcit. Igitur directè. Duplex diſtantia eſt entitativa, & proportionis. Prima attenditur inter perfectionem conſtitutivam unius rei, & alterius, & ſic divina eſſentia excedit infinitè quamlibet creaturam. Diſtantia proportionis attenditur penès habitudinem unius ad aliud in aliquo genere reſpectus, ſicuti cauſæ ad effectum, exemplaris ad exemplatum, potentiæ ad objectum, & alia, & ſic minor aliquando eſt diſtantia inter Deum, & creaturam, quàm inter ipſam, & aliam creaturam. Atque ita ſe res habet noſtra; magis enim habitudine proportionis ab oculo diſtat Angeli ſubſtantia, quàm Deus ab intellectu. Hinc fit, ut per effectus naturaliter a creatura cognoſcatur Deus *quo ad an eſt*, & per fidem credatur, prout auctor gratiæ; ſecus Angelus ab oculo.

Magis diſtat Angelus ab oculo, quàm Deus a Creatura.

DICES. Ideo Angelus diſtat ab oculo improportione habitudinis, quia diſtat in entitatis proportione; atqui Deus a creatura diſtat ſumma entitate: ergo ſumma diſtat habitudine. Et ratio eſt; quia improportio habitudinis oritur ex entitatis improportione; immo ipſa habitudo potentiæ, cùm ſit quædam entitas, non poteſt non eſſe entitativa improportio.

RESP. Improportionem habitudinis haud omnino deſumi ab improportione entitatis; quia diſtantia entitativa eſt magis abſoluta, & attenditur penès aliud; & ſanè pleræque res inter ſe diſtantes entitativè maximè conveniunt in habitudine, & proportione, ſicuti actus, & potentia entitativè valde diſtant, attamen ſummè proportionata ſunt in ordine ad compoſitum. Itidem ſubſtantia, & accidens magnopere inter ſe diſtant entitativè, quamvis in eſſe actuabilis, & actuantis valdè conveniant: Deus, & creatura in eſſe entis infinitè diſtant: in eſſe verò cauſæ, & cauſati optimè conveniunt. Ad rem igitur noſtram. Angelus in eſſe viſibili cum oculo corporeo nullam habet proportionem, cùm non ſit ſub colorato, licèt minus diſtet entitativè. Deus cum intellectu maximam habet proportionem in eſſe intelligibili; quia Deus eſt ſummum intelligibile, etſi magis diſtet in eſſe entis. Et etiamſi hæc proportio non ſit nihil, tamen non vocatur entitas, ſed habitudo entitatis.

Quæ diſtant entitativè, cõvenire poſſunt in proportione.

74 OBJICIES 2. Vel Deus continetur intra habitudinem intellectus humani qua intellectus eſt, vel qua humanus: neutro modo continetur: ergo. *Minor declaratur*. Si continetur intra habitudinem intellectus humani qua intellectus: ergo homo qua homo non poteſt Deum videre intuitivè, illiuſque clara viſione beari; quia nulla potentia ferri poteſt extra ſpheram ſui objecti. Sed Deus clarè viſus ſpheram excedit intellectus humani, qua talis; aliter Deus clarè viſus attingeretur & naturaliter, & diſcurſivè ab homine, cùm intellectus humanus ſecundùm differentiam ſui ultimam naturaliter, & diſcurſivè feratur in ſuum objectum. Si verò continetur intra habitudinem intellectus humani qua talis, ſequitur id, quod jam dicebamus, Deum clarè viſum eſſe objectum naturali virtuti commenſuratum.

RESP. Intellectui duo ineſſe, paſſivam nempe capacitatem, qua ab intelligibili eſt actuabilis, & activam virtutem, qua naturaliter ſuum proſequitur objectum. Prima eſt univerſaliſſima, adhæretque rationi genericæ intellectus: altera limitata, & ſequitur differentiam ſpecificam. Generica eſt univerſaliſſima, quia in ſuo conceptu nullam includit materialitatem; oritur enim a ſubſtantia ſpirituali *ut ſic*, ac proinde eſt actuabilis a quocumque intelligibili quantumvis perfecto, & ſuperioris ordinis; quòd vis enim intelligibile ex ſe non actuat potentiam intellectivam, niſi ſub immaterialitate, & vis actuabilis uno modo omnia reſpicit actuabilia, modo ſcilicet omnem excludente materialitatem; adeoque intelligibile quodquod perfectum poteſt intellectivam actuare potentiam: ſicuti quia materia prima ſecundùm Peripateticos reſpicit omnes formas ſub

In intellectu duplex capacitas.

Quod liber intelligibile poteſt actuare intellectũ.

uno

uno modo, hoc eſt in ordine ad compoſitum, ideo eſt actuabilis a quacomque forma perfectiſſima.

Hoc ipſo autem, quod intellectus eſt paſſivè actuabilis a quolibet intelligibili, eſt capax recipiendi virtutem proportionatam cuicumque intelligibili: ſpecifica ratio intellectus eſt limitata; quia ex ultima differentia contrahitur ad determinatum genus intelligibilium, & ab hac gradatione intellectuum deſumitur ſpecifica diſtinctio unius ab alio. Hinc conſtat, ad capacitatem paſſivæ actuabilitatis ſufficere, ſi connotetur hoc, vel illud agens potens virtutem imprimere: ad capacitatem verò actuabilitatis proportionatæ requiritur connotatio talis agentis ſub ordine connaturalitatis, & debiti. Tandem ad argumentum. Dicitur Deus clarè viſus contineri intra latitudinem humani intellectus ex ratione generica; nec inde ſequitur intellectum humanum qua humanum non eſſe viſivum divinæ eſſentiæ intuitivè. Etſi enim intellectus qua ſpecificus non ſit viſivus propter improportionem objecti; tamen qua elevabilis eſt viſivus; eſt autem elevabilis ratione capacitatis purè paſſivæ ſibimet inſitæ, quæ ea generica ratione gignitur. Itaque aliud eſt id, quod elevatur, & beatum efficitur: aliud id, ratione cujus fit elevatio.

DICES. Sicut intellectus ratione generica importat immaterialitatem *ut ſic*: ita oculus corporeus ea generica ratione importat eſſe ſenſitivum *ut ſic*. Sed nihilominus non poteſt oculus corporeus elevari ad percipiendum ſonum: ergo neque intellectus ad videndum Deum; & ratio utrobique eſt eadem, quia differentia limitat genus.

RESP. *nego conſeq.* Diſcrimen petitur ab ipſa rerum natura. In ſenſitivis potentiis ratio generica ideo eſt limitativa, quia ea ſuo concepto materialitatem includit, petitque actuari modo includente corporeitatem. Ratio differentialis eſt ampliativa, eò quòd perfectio ſpecifica potentiæ ſit major, quò minus de materia includit, & plus de ſpiritualitate. Ex quo fit, ut potentia ſenſitiva non extendatur in majus ſenſibile, quàm illud, quod exigitur a ratione differentiali: ſecus accidat in potentia intellectiva, ubi quælibet convenit in eo, quod materialitatem excludat in modo paſſivæ actuabilitatis ab objecto; adeoque ſit capax attingendi quodcumque intelligibile; nec deperditur, vel limitatur a ſpecifica differentia; quandoquidem hæc minimè ſit perfectior, vel imperfectior per majorem, vel minorem excluſionem materiæ (cùm tota excludatur per rationem genericam) ſed per majorem actualitatem, quia magis, vel minus recedit a potentialitate, & accedit ad ſummam Dei actualitatem, & ex hac gradatione deſumitur diverſitas ſpecifica intellectuum, & diverſitas modi paſſivæ immutabilitatis ab objecto connaturali. Dixi *connaturali*; nunquam enim variatur univerſalis modus immutabilitatis, ſeu perfectibilitatis ab objecto per excluſionem materiæ, intra quam univerſalitatem ab objecto proportionato actualior intellectus nobiliori modo perficitur, minus actualis modo inferiori.

A quo deſumatur diverſitas intellectuum.

DICES 2. Quilibet intellectus creatus eſt eſſentialiter potentia naturalis, utpote ſequens naturalem ſubſtantiam, & intellectus humanus eſt eſſentialiter corporeus *ut quo*, cùm ſequatur formam corpoream *ut quo*: ergo nullus intellectus, & multò minùs humanus continet intra ſuam ſpheram Deum clarè viſum, qui eſt objectum omnino ſupernaturale.

RESP. *nega ant.* In re quidem intellectus eſt naturalis, & humanus eſt *ut quo* corporeus, non tamen in ſuo conceptu eſſentiali; nam juxta hunc conceptum ſolummodo importat potentiam ab intelligibili perfectibilem, abſtrahendo ab hoc, vel illo ſtatu: naturalitatem poſtea dicit per connotationem ad agens connaturale, ſeu ſecundùm differentias advenientes.

Intellectus eſt perfectibilis ab intelligibili.

75 OBJICIES 3. Naturali rationi repugnat quælibet poſſibilitas viſionis infinitæ: ſed viſio clara Dei eſt infinita: ergo repugnat. *Minor declaratur*. Cognitio quiditativa creſcit in perfectione ad incrementum objecti, tametſi aliquo modo non attingatur: hinc cognitio quiditativa ſubſtantiæ Angelicæ eſt in ſpecie perfectior cognitione hominis hujus, cognitione bruti hujus, cognitione lapidis. Sed Deus clarè viſus in eſſe objecti creſcit infinito incremento: ergo ejuſdem viſio debet eſſe infinita.

RESP. *nega min.* Ad probationem dico, perfectionem objecti tribuere cognitioni qualificationem perfectionis, non autem quantitatem perfectionis: hoc eſt quò perfectiùs eſt objectum, in perfectiori ſpecie conſtituit actum; non autem gradatim tantam tribuit perfectionem, quantam in ſe habet. Quamobrem cognitio ſubſtantiæ eſt perfectior in ſpecie cognitione accidentis, non eſt tamen ſubſtantia: aliter etiam cognitio Dei abſtractiva eſſet infinita; quia inſtantia probat etiam de cognitionibus abſtractivis.

Quo perfectius eſt objectum, eo perfectior eſt actus.

DICES. Quiditativa cognitio Dei pro ut in ſe perfectior eſt infinitis aliis viſionibus perfectioribus, & perfectioribus in infinitum circa objecta creata: ſeu perfectior eſt viſio intuitiva Dei cognitione omnium creaturarum poſſibilium: quia cognoſcibilitas ſicut entitas divinæ eſſentiæ perfectior eſt qualibet creatura, & omnibus ſimul: ergo non poteſt non eſſe infinita; cùm omnium cognitio creaturarum ſit infinita.

CONTRA. Inſtantia hæc duplici telo retunditur, & enervatur. I. Sola ordinis ſuperioritas ſufficit ad ſtabiliendum perfectius ens, etiamſi finitum ſupra alia infinita; hinc ſubſtantia humana utvis finita, eſt perfectior infinitis entibus ordinis inferioris; unde ex perfectione viſionis beatificæ ſuper alias viſiones non arguitur infinitas. II. Secundùm principia Philoſophiæ cognitio omnium creaturarum ſimul præcisè non arguit infinitatem; quia una creatura non excedit aliam exceſſu aliquato, ſed proportionali: infinitas autem ſolius incrementi proportionalis in objecto non poteſt ſimpliciter

Ordinis ſuperioritas reddit ens perfectius ſuper alia entia ordinis inferioris. Sed non infinitè perfectum.

citer

citer infinitam reddere cognitionem; quia
collectio infinitorum graduum proportiona- A
bilium non eſt infinita ſimpliciter. Eſto
tamen creaturæ dicant exceſſum aliquorum,
tunc cognitio erit infinita; quia compre-
henſiva; ſi enim cognoſcit omnium colle-
ctionem, penetrat, & adæquat totam co-
gnoſcibilitatem objecti, quæ cùm infinita
ſit, reddit quoque cognitionem infinitam:
Cæterùm cognitio intuitiva Dei non eſt per
adæquationem, ſed per terminationem ad
objectum infinitum conatu finito.

76 OBJICIES 4. Intellectus humanus
reſpicit objectum per ſe unum unitate uni-
vocationis. Atqui ſi intra ejus ſpheram
contineretur Deus clarè viſus, non eſſet B
univocum; cùm Deo, & creaturis nihil ſit
univocè commune; aliter Deus ſub genere
contineretur: ergo. *Major* ſupponitur per
ſe nota; quia intellectus eſt unus in ſpecie
atoma; unitas verò ſpecifica potentiarum
deſumitur ab unitate objecti; ratio autem
analoga non eſt una, ſed diverſa, ac per
conſequens diverſimodè terminat, ac poten-
tiam immutat; ſed hæc viderint cavillantes
ſcholaſtici. Cæterùm contra catholicum
dogma, cui nos propugnando ſtrenuè inſu-
damus, nullam habent vim. Nam ex om-
nibus principiis facilè diluuntur. Si dixeris
cum *Banez*, & Complutentibus de Analo- C
gia entis, unitatem analogam objecti ſuffi-
cere ad ſpecificationem, funditus collabitur
argumentum: & ſanè perlevi negotio ſuſti-
netur ita ſufficere. Quanquam enim analoga
ſint ſimpliciter diverſa, ſunt tamen ſecun-
dùm quid eadem; unde ex hac unitate, ſeu
prout conveniunt ſecundùm quid, concurre-
re poſſunt ad ſpecificationem potentiæ; ma-
ximè quia objectum non ſpecificat, niſi ex-
trinſecè; quare non ſit neceſſe, ut tantam
habeat unitatem, quantam habet potentia,
quæ intrinſecè ſpecificatur ab habitudine ad
objecta ſecundùm quod inter ſe conveniunt.
Sin verò cum Scotiſtis dicatur ens eſſe Deo, & D
creaturis univocum, ſtatim argumentum fa-
tiſcit; nam ex hoc nullam in Deo imper-
fectionem agnoſcunt, ſeu quia compoſitio
purè logica utpotè extrinſeca non inficit
Deum, ſeu quia non eſt neceſſe, ut ratio com-
munis entis ſit genus, vel ſpecies, ut *Ortiz*
oſtendit. Si demum velis ad ſpecificatio-
nem potentiæ non requiri univocationem in
ratione *qua* objecti, ſed in ratione *ſub qua*,
uti communior fert ſententia, facilè reſpon-
detur, ſtante analogia in objecto intelle-
ctus, hoc eſt in ratione entis intelligibilis,
quod ſtat unitas in modo immutandi poten-
tiam, qui eſt ratio *ſub qua*. Qualia au- E
tem ſit hujuſmodi modus in ordine ad paſſi-
vam perfectibilitatem ut ſic, dico eſſe mo-
dum immutandi potentiam finitè; nam in-
telligibile neceſſariò petit finito modo actua-
re potentiam diſtinctam; quod enim modo
infinito actuat, excludit potentiam paſſivam;
quia quod actuat infinito modo, eſt actus
purus, ac proinde reddit intellectum infini-
to modo actuatum, ac per conſequens non
datur locus potentialitati.

Potentia intrinſecè ſpecificatur per habitudinem ad objectum.

77 OBJICIES 5. Implicat aliquam po-
tentiam eſſe in duplici ſpecie, & in ordine
naturali, & ſupernaturali. Si intellectus
poſſet Deum videre prout eſt in ſe, eſſet in
duplici ſpecie, & in ordine naturali, &
ſupernaturali; quia terminativè reſpiceret
ens naturale, & ſupernaturale; unum acti-
vè, & naturaliter, aliud paſſivè, & eleva-
biliter; adeoque non poſſet non habere duo
ſpecificativa.

RESP. *nego maj.* Intellectus poſitivè ac-
ceptus eſt in una ſpecie tantùm, in ea ſci-
licet, in qua conſtituitur per formam ſibi
connaturalem. Secundùm verò univerſalem
capacitatem perfectibilitatis importat præci-
sè rationem puræ potentiæ actuabilis a quoli-
bet intelligibili, atque ideo dicit ſolam uni-
tatem negativam, hoc eſt removentem omne
diſtinguens, & determinans, reſpicitque ens
intelligibile in tota ſua latitudine, nec deter-
minatè ùt ſupernaturale, vel naturale; ac pro-
pterea non eſt potentia nec determinatè natu-
ralis, nec determinatè ſupernaturalis; quia ad
ens ſupernaturale non inclinat poſitivè, neque
cum eo connectitur exigitivè, & ſub conce-
ptu explicito, ſed negativè, & quatenus ſu-
pernaturale continetur ſub ratione entis in-
telligibilis *ut ſic*.

Intellectus ſupernaturale in ratione entis intelligibilis.

§. IV.

RELIQUA ARGUMENTA CONTRA CONSEQUENTIAM SOLVUNTUR.

78 OBJICIES 1. Illata conſequentia
fuit hæc: Beatos igitur videre
intuitivè Deum, contra quam ſic
arguunt. Data illius poſſibilitate non infer-
tur exiſtentia formæ, niſi ſit debita; ſed vi-
ſio beatifica non eſt homini debita; cùm ſit
bonum ſuperexcedens; quæ ab Apoſtolo di-
citur, *gratia Dei*: ergo etſi poſſibilis, non
arguitur de facto in Beatis.

RESP. Viſionem Dei in ſe debitam
eſſe naturæ elevatæ; quia quælibet natura in
ſuo ordine exigit beatitudinem ſibi propor-
tionatam; & quia natura intellectualis in
ordine naturæ expetit pro ſua beatitudine
cognitionem Dei ùt auctoris naturæ, ideò
ùt elevata poſtulat pro ſua beatitudine co-
gnitionem auctoris gratiæ, quæ nihil eſt
aliud, quàm viſio intuitiva Dei. Hinc opti-
mè datâ poſſibilitate infertur exiſtentia, quia
rerum natura ſuum expoſcit ultimum finem
proportionatum. Dicitur tamen gratia ut-
pote quòd dono Dei natura intellectualis ſit
ad ordinem gratiæ elevatæ, quam elevatio-
nem non negant Hæretici nobis adverſi.

Natura elevata exigit ſuum finem proportionatum.

79 OBJICIES 2. Ideò datâ poſſibilita-
te admittatur oportet exiſtentia, quia ratio-
nalis appetitus hominis debet expleri. Sed
non datur in homine rationalis appetitus
videndi Deum in ſe: ergo. *Probatur minor*.
Vel eſt appetitus innatus, vel elicitus: non
primus; quia eſſet naturalis, adeoque ter-
minatus ad formam naturæ debitam, & na-
turaliter aſſequendam; ſed inter entitatem
naturalem, & ſupernaturalem formam non
datur poſitiva habitudo, nec debitum, nec
principium aſſecutivum: ergo non eſt in-
natus. Neque elicitus eſſe poteſt, quia ſi
datur,

da.ur, non aliunde oritur, quàm ex co-
A goitione effectuum; ſed cognitio effectuum, videlicet naturalium non poteſt gignere deſiderium viſionis ſupernaturalis, cùm ſit ſupereacedens: ergo.

In hac ſolvenda objectione prætereo ſcholaſticas theſes, quæ in eo verſantur, ut illam explicent *S. Auguſtini* ſententiam lib. 1. Confeſ. c. 1. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

Viſo effectu, ineſt deſiderium videndi cauſam.

Quodque *D. Thom.* 1. p. q 12. art. 1. declaravit dicendo: *Ineſt homini naturale deſiderium cognoſcendi cauſam, cùm intuetur effectum.* Quare ad objectionem *nego minorem*: ad probationem dico, hunc appetitum radicaliter,
B & incohativè innatum eſſe, quatenus res omnes ſuopte quaſi pondere feruntur ad ultimum perfectivum ſibi proportionatum; formaliter tamen eſſe elicitum, quia formatur ex prævia effectuum cognitione appetitum excitante videndi cauſam. Ratio a priori

Appetitus beatitudinis proportionari debet naturæ appetenti.

eſt, quia appetitus beatitudinis proportionari debet naturæ appetenti, quæ utpote intellectualis, cognitione dirigitur: effectus verò, ex quorum cognitione oritur, & naturales ſunt, & ſupernaturales; plures namque ſupra naturam effectus conſtant experientiâ, ùt cæcorum illuminatio, mortuorum reſurrectio, rerum multiplicatio, pluresque alii, quos ſecundùm Scripturas ad-
C mittere debent Hæretici; & in hoc ſenſu loquitur *S. Thomas*, & quidem efficaciter. Creatura intellectualis tot, tamque varios effectus, quoſdam naturales, quoſdam verò ſupereacedentes naturam, dum admiratur, in deſiderium rapitur videndi cauſam, & principium tantopere admirandum. Itaque ſi poſſibilis eſt viſio illius intuitiva, ſubſtantia intellectualis nunquam erit perfectè beata, niſi explcatur hujuſmodi appetitus rationalis, & rerum naturæ conſonus. Unde arguens

Rationalis appetitus expleri debet.

ex oppoſito rectè concludit S. Doctor poſſibilitatem viſionis ex poſitione hujus deſiderii,
D cùm de impoſſibili eſſe nequeat id, quod rationale eſt, rerumque naturæ conſentaneum.

DICES. Hic appetitus, ſi eſt inefficax, nullum infert abſurdum, quod fraudetur: ſi efficax: ergo intra limites naturæ admitti debent media ſufficientia ad eum finem, quod errorem ſapit.

CONTRA. Qui tenent hunc appetitum eſſe inefficacem, negant abſque abſurdo privari ſuo fine; nam cùm inſit tot, tamque ſapientibus creaturis, fundat morale debitum aſſequilibilitatis ſaltem in aliquibus. Qui ſuſtinent eſſe efficacem, excludunt a
E naturæ limitibus principia aſſecutiva, quandoquidem juxta *D. Thomam*, hoc deſiderium concipitur ex viſione effectuum tam naturalium, quam ſupernaturalium, ac proinde ſufficit connotare principia neceſſaria intra unum, vel alium ordinem.

80 OBJICIES 2. Ex viſione effectuum oritur cupiditas videndæ eorum cauſæ, non quidem ùt in ſe; ideo viſa Eclypſi per interpoſitionem terræ non cupimus terram inſpicere prout in ſe, ſed prout eſt principium effectivum Eclypſis: ergo ratione cupiditatis ortæ ex cognitione effectuum Dei, adhuc ſuppoſita poſſibilitate, non colligitur exiſtentia viſionis ipſius prout in ſe.

RESP. Ex viſione effectuum oritur deſiderium cognoſcendæ cauſæ ùt naturale principium, & etiam peculiare; quia excitamur ad penetrandam quiditatem effectus, quæ haberi nequit, niſi ſpecialis ordo ad cauſam cognoſcatur. Cùm autem plures habeantur ſupernaturales effectus, qui ſpecialem connexionem, & habitudinem important ad Deum prout in ſe, ideo oritur deſiderium videndi Deum prout in ſe, & non ſolùm prout eſt rerum generale principium.

Plures effectus important connexionem cum Deo prout eſt in ſe.

DICES: ergo infirmatur ratio, quâ nos cum *D. Thoma* intendimus ex naturalibus viſionis Dei poſſibilitatem, atque exiſtentiam oſtendere, dum ad ſupernaturalia recurrimus.

CONTRA. Nego ſuppoſitum; neque enim *D. Thomas*, neque nos intendimus ex puris naturalibus tale quidquam inferre, ſed theologicè partim ex lumine naturali notis, partim ex revelatis connitimur ad ſanam Scripturarum intelligentiam Hæreticos perducere, ut ſancitum catholicæ Fidei dogma tandem capiant. Scio enim adeſſe Doctores, quibus huic innixis rationi videtur poſſibilitas viſionis naturaliter poſſe demonſtrari. Addunt etiam ſuperiori potentiæ in eodem genere convenire, quod competit inferiori; & cùm potentiæ viſivæ competat attingere intuitivè quidquid intra ſui objecti latitudinem continetur; inde arguunt poſſe intellectivam potentiam intuitivè Deum attingere, utpote ſub ejus objecto ſpecificativo comprehenſum.

Poſſibilitas viſionis non eſt naturaliter demōſtrabilis.

Cæterùm ab oppoſita ſententia non eſt recedendum; quia viſio intuitiva Dei quoad ſubſtantiam eſt ſupernaturalis, & luminis naturalis activitatem omnino ſupergreditur. Non enim aut a priori per cauſam, aut a poſteriori per effectus poteſt in ejus cognitionem deveniri, cùm nullum naturale principium, nulluſque effectus poſitivè connectatur cum forma ſupernaturali. Neque roboris quidquam ineſt primæ rationi; quia, ùt vidimus, procedit de appetitu orto ex cognitione effectuum etiam ſupernaturalium, & dicitur naturalis, utpote conſurgens ex conformitate ad intellectus naturam. Non ſecundæ; quia probaret poſſe naturaliter acquiri viſionem intuitivam, ùt evincit paritas. Cæterùm *major* eſt falſa, quando objectum contentum eſt ſupereacedens, ùt clucet exemplo noctuæ, cui lumen Solis eſt excedens.

Viſio Dei luminis naturalis activitatē excedit.

81 OBJICIES 4. Qua ratione concluditur intuitivæ viſionis exiſtentia, ejuſque poſſibilitas, concluditur etiam comprehenſibilitas; ſed hæc non rectè concluditur: ergo neque illa. *Declaratur major.* Poſſibilitas viſionis deducitur ex continentia Dei clarè viſi ſub objecto intellectus; exiſtentia verò ex appetitu videndi Deum in Beatis. Atqui Deus ùt comprehenſibilis ſub eodem objecto continetur, cùm ùt talis ſit ens, & verum, aliter nec ſeipſum adæquaret: ergo eſt comprehenſibilis; ſed ùt comprehenſibilis eſt omnino indiviſibiliter idem cum ſe ipſo quiditativè accepto: ergo ſi datur viſio intuitiva, datur èt comprehenſiva.

RESP. *nega maj.* Ut oſtendimus, objectum intellectus univerſaliſſimum eſt ens intelligibile finito modo actuans: ens verò divinum comprehenſivè attactum nequit non actuare infinito modo, cùm attactum neceſſe ſit penetrari ſecundùm omnem formalitatem, & virtualitatem, & omnem modum formalitatis, ac virtualitatis, adeoque debet potentiam actuare ex tota ſua intelligibilitate utique infinita. Hac de re eorum notitiam, quæ ad fidem ſpectant, breviter ſubjungo.

Ad comprehenſionem requiritur virtus infinita.

82 Deum eſſe incomprehenſibilem in aliquo genere de fide omnino eſt propter clara Scripturarum, Patrumque teſtimonia: Jeremiæ 32. v. 19. *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu:* Eccleſiaſtici 43. v. 34. *Ne laboretis: non enim comprehendetis:* ad Rom. 11. v. 33. *Quàm incomprehenſibilia ſunt Judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus?* Hieronymus in Apolog. Euſebii Cæſarienſ. *Dicimus ſecundùm veritatem quidem incomprehenſibilem eſſe Deum, atque ineſtimabilem.* Similia univerſi Patres proferunt, unde in Lateranenſi Concilio III. in cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate definitam veritatem habemus: *Unus ſolus eſt verus Deus, æternus, immenſus, incomprehenſibilis, omnipotens,* & cap. ſeq. *damnamus: Nos ſacro approbante Concilio credimus, & confitemur, quod una quædam res eſt, incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus:* ubi ly *ineffabilis* intelligitur copulatum cum ly *incomprehenſibilis*, hoc eſt, adæquatè de eo fari non poſſumus. Cæterùm in quo fidei gradu ſit, quidam ex Novatoribus excludunt ſolummodo vires naturæ, non autem gratiæ, ſeu in ordine ad divinam potentiam. Veruntamen Sanctorum Patrum fert opinio de fide eſſe Deum non Viatoribus modò, & viribus naturæ non poſſe comprehendi, ſed etiam ex viribus gratiæ, nec ſolùm potentiæ ordinariæ, ſed etiam extraordinariæ, quod ſic oſtenditur.

Deum eſſe in aliquo genere incomprehenſibilem de fide eſt.

83 Patres modò magis peculiari affirmant Deum eſſe incomprehenſibilem, quàm inviſibilem; ſed Deum inviſibilem viribus naturæ prædicant, viſibilem donis gratiæ ordinariæ: ergo incomprehenſibilem credunt etiam viribus extraordinariis. *Major* pluribus probari poſſet: *Tertullianus* in Apolog. cap. 17. *Inviſibilis Deus licèt videatur, incomprehenſibilis licèt per gratiam repræſentetur.* S. Gregorius 10. Moral. cap. 10. *Et ſi hunc in charitate ſua, quandoque conſpicimus, non tamen eſſentiam ejus plenè intuemur.* Beda in illud Joan. 1. *Videbimus eum ſicuti eſt. Promittimus,* ait, *vobis videri Deum, nam comprehendere concedi non poteſt.*

Eſſentia Dei plenè intueri non poteſt.

SECUNDO: Patres verbis utuntur excludentibus comprehenſionem in quolibet ſtatu, ut *Nazianzenus* laudato loco dicit Deum eſſe penitus incomprehenſibilem, *Auguſtinus* tom. 10. ſer. 38. de verbis Domini cap. 3. habet: *Attingere aliquantum mente Deum magna beatitudo eſt, comprehendere autem omnino impoſſibile.* S. Laurentius Juſtinianus lib. de caſto conjugio Verbi, & Animæ cap. 18. triplicem Dei cognitionem diſtinguens ait: *Prima Dei cognitio peregrinantium, & viatorum eſt, ſecunda triumphantium, & Angelorum, tertia autem ſcilicet comprehenſiva, nec hominum, nec Angelorum, omne quippe creatum ſuperemimet intellectum.*

Patres à creaturis excludunt comprehenſionem.

TERTIO: Patres negationem comprehenſionis reducunt in intrinſecam repugnantiam, & non in extrinſecam Dei non concedentis voluntatem. *Gregorius* 10. Moral. cap. 10. in illud Job 11. *Forſan veſtigia ejus comprehendes,* & lib. 18. cap. 27. rationem aſſignat: *Ipſo pondere circumſcribimur, quo creaturæ ſumus;* Auguſtinus loco ſupra citato: *Si enim comprehendis, non eſt Deus;* Chryſoſtomus in Homiliis contra Anomæos, *quia increatum eſt.*

Ex intrinſecis repugnat comprehenſio.

QUARTO: Patres, ut *Baſilius* lib. 5. contra *Eunomium*, *Idacius*, ſeu *Ithacius Clarus* lib. contra *Garimandum* Hæreticum, *Athanaſius* diſp. habita in Nicæno Concilio contra *Arium*, aliique ex illo 1. Corinth. 2. verſ. 10. *Spiritus ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei*, deducunt Spiritum Sanctum, & Filium eſſe Deum, quia comprehendere profunda Dei non eſt creaturæ; ſed ſi ex gratia comprehenſibilitas Dei creaturæ competeret, Patrum diſcurſus nihil valeret, quia *Macedoniani*, & *Ariani* ſtatim reſponderent Deum non eſſe, ſed perfectiſſimam eſſe creaturam, cui Deus tale privilegium contulit: ſi fortè dicatur, argumentum valere, quia Spiritus Sanctus naturali virtute Deum comprehendit, non ex gratia, ut creaturæ competeret, non diſſolvitur difficultas; quia tunc Patres oſtendere debuiſſent, Spiritum Sanctum non ex privilegio, ſed ex natura ſua profunda Dei ſcrutari, quod non faciunt, ſed ſimpliciter ex comprehenſione Divinitatem colligunt.

Argumentũ Patrum contra Arium, & Macedonium.

84 His accedit ratio ſatis evidens. Ad propriam, & legitimam Dei comprehenſionem tanta intellectualitas requiritur in cognoſcente, quanta intelligibilitas in cognito; ſed intelligibilitas Dei eſt infinita ſimpliciter, ſeu infinities infinita: ergo intellectualitas cognoſcentis debet eſſe ſimpliciter infinita; atqui intellectualitas ſimpliciter infinita, & creata eſt naturæ lumine evidenter impoſſibilis, ſicut impoſſibile eſt, quod creatura ſit Deus: ergo. Diſcurſus iſte ex ſola terminorum explicatione eſt evidens. Comprehenſio propria eſt objecti penetratio ſecundùm omnia, quæ in eo ſunt tum conſtitutivè, tum connexivè, tum in ordine ad ſe, tum in ordine ad alia, quæ ad illud pertinent, & ab intrinſeco poſitivè derivantur; undè comprehenſiva Dei cognitio totum Deum, prædicata illius conſtitutiva, & modos, quibus conſtituuntur, non ſolùm penetrare debet, verùm etiam omnes reflexiones, connexiones, virtualitates, modos modorum, connexiones connexionum tam unius prædicati divini ad aliud, quàm ad externa; ſicut qui perfectè, ſive in proprietate comprehendit aliquod primum principium v. g. *omne totum eſt majus ſua parte*, neceſſe eſt, ut non ſolùm cognoſcat quidditatem, & prædicata conſtitutiva, ſed omnes connexiones, quas habet per ſe cum quacumque concluſione in qualibet materia;

Intellectualitas infinita, & creata eſt evidenter impoſſibilis.

unde

unde manifeſtè convincitur, quòd tanta eſſe debet intellectualitas cognoſcentis, quanta intelligibilitas objecti.

Intelligibilitatem Dei eſſe infinities infinitam evidens eſt, cùm tanta ſit, quanta ejus actualitas, & entitatis perfectio; quod explicatur. Nulla creatura eſt tantæ actualitatis, ſeu immaterialitatis, quantæ eſt Deus: nulla creatura poteſt eſſe tantæ intelligibilitatis, quantæ eſt Deus: ergo quia nulla creatura poteſt eſſe tantæ actualitatis, quantæ eſt Deus, nulla creatura poteſt eſſe tantæ intellectualitatis quantæ eſt Deus; utrobique enim intellectualitas, & intelligibilitas ſequitur actualitatem; ſed intellectualitas Dei non excedit ſuam intelligibilitatem: ergo nulla creatura habere poteſt tantam cognoſcibilitatem, quantæ cognoſcibilitatis eſt Deus. *Ulteriùs*: nulla creatura in cognoſcendo Deo æquare poteſt evidentiam, & claritatem, quibus ſe ipſum Deus cognoſcit; ſed modus evidentiæ, & claritatis divinæ cognitionis non excedit ſuam cognoſcibilitatem: ergo nulla creatura æquare poteſt divinam cognoſcibilitatem.

85 DICES. Non ſtat quiditativa viſio Dei in ſe ſine comprehenſiva; quia eſſentia divina eſt in ſe omnino indiviſibilis; unde aut tota videtur, aut nihil, ſi viſio quiditativa eſt: ergo totum videt Deum, omnia prædicata, & omnes modos: quid ergo latet?

CONTRA: *nego antec.* Divina eſſentia cum ſumma ſimplicitate, & indiviſibilitate componit eminentiam infinitarum virtualitatum, ſecundùm quas poteſt latere: viſio ergo quiditativa videt omnia prædicata conſtitutivè, & omnes modos; ſed non videt explicativè, & comparativè, quia non videt omnes connexiones unius ad aliud tam ad intra, quàm ad extra: ſicut qui cognoſcit principium, cognoſcit ejus quiditatem, & prædicata conſtitutiva, ſed non omnes connexiones cum concluſionibus: Ita in caſu.

Qui cognoſcit principiū, cognoſcit ejus quiditatem, ſed non omnes concluſiones connexas.

86 DICES 2. Si præter ea, quæ per quiditativam viſionem videntur, aliquid videndum ſupereſſet, maximè eminenter contenta; ſed hæc non expoſcunt lumen infinitum, tum quia viſâ creaturâ perfectiori, ad quam infinitum lumen non requiritur, videntur etiam inferiores: tum quia collectio tota creaturarum majorem non addit intelligibilitatem ſupra Deum, ſicut neque majorem entitatis perfectionem ſaltem intenſivè; ſed ad videndum Deum non requiritur lumen infinitum: ergo nec ad videndas creaturas.

CONTRA. *Nego majorem*; quia nonminus divinæ perfectiones Deum conſtituentes dicunt inter ſe infinitas comparationes, & virtualitatum modos, qui ad lineam conſtitutivam non pertinent, quàm dicant ad extra. Deinde admiſſa *majori*, nego *minorem*, ad cujus ſolutionem detegendus eſt quorumdam error in examinanda ratione implicantiæ comprehenſionis ex impotentia videndi omnes creaturas. Non enim incomprehenſibilitas Dei reducitur ad incomprenſibilitatem creaturarum, ſed ad intrinſecam Dei infinitatem, non ſolùm in ordine ad ipſum conſtituendum, ſed comparativè ad creaturas, quæ illius participationes ſunt; unde comprehendere Deum non eſt ſolùm videre creaturas; ſed ipſas ſpeciales connexiones, comparationes, ideationes eſſentiæ ad creaturas. Hinc fit, ut licèt creaturæ omnes ſimul nihil perfectionis in eſſe entis addant Deo, efficiunt tamen objectum majus in eſſe objecti, quia ut omnes videantur ùt in Deo, Deum comprehendendo, Deum totum evolvi neceſſe eſt; quia debent penetrari omnes illæ connexiones, ideationes. Nec verum eſt lumen ſufficiens ad videndam perfectiorem creaturam ſufficere per ſe loquendo ad videndas inferiores. Creaturæ pertinent ad diverſum genus, & lineas diſparatas, non autem ad eandem omnino lineam ſubordinatam, ùt gradus intenſionis, de quibus valet axioma. Potiùs comparantur ad lumen cognoſcitivum, ſicut concluſiones ad lumen habituum, quod vocatur extenſivum, & optimè poteſt perfectiorem concluſionem attingere non attacta inferiori.

Lumen ſufficiens ad videndam perfectiorem creaturam nō ſufficit ad alias inferiores videndas.

87 DICES 3. Magis eſt præſcindibilis, & viſibilis perfectio unius lineæ a perfectione alterius lineæ, quàm illi gradus, ſeu comparationes utpote ad eamdem lineam pertinentes; atqui per viſionem quiditativam cujuslibet lineæ perfectiones videntur: ergo omnes illi gradus videntur.

CONTRA. *Nego maj.* Perfectio linearum pertinet ad Deum formaliter conſtitutivè, illi autem modi ad Deum pertinent intenſivè, ſeu perfectiones linearum conſtituentium. Sub quiditativa cognitione cadere debent prædicata conſtituentia, cùm ſit inſpectiva quiditatis, non autem perfectio intenſiva, vel extenſiva conſtituentium, & conſtitutorum; aliter implicaret cognitio quiditativa ſeparata a comprehenſiva, quod eſt falſum.

Perfectio linearum pertinet ad Deū formaliter.

88 DICES 4. ergo vis incomprehenſibilitatis divinæ eſſentiæ reducitur ad opinionem, non ad fidem; reducitur enim in neceſſitatem luminis infiniti, quod poſſibile opinantur plures: ſicut ſub opinione cadit Deum uniri poſſe intellectui per ſuam comprehenſivam cognitionem, quo caſu ſine dubio intellectus humanus Deum comprehenderet.

CONTRA: *neg. ant.* Quidquid opinentur, poſſibile eſſe aliquod infinitum determinati generis, non tamen ſimpliciter. Infinitas verò requiſita ad Dei comprehenſionem debet eſſe ſumma ſimpliciter, tantæ ſcilicet intellectualitatis, quantæ eſt divina natura, & modo infinito objectum attingere. Siquidem ad comprehenſionem divinæ omnipotentiæ v. g. neceſſe eſt attingere ipſam omnipotentiam, ſecundùm quod dicit omnes, & ſingulas diſtinctè comparationes, quæ infinitè ſunt participationes Dei, & infinitis modis participabiles, & datâ quacumque creaturâ, poteſt perfectiorem facere in infinitum, & quamcumque facere poteſt modis perfectioribus in infinitum, & ſic de aliis attributis, ac proindè excludenda quamcumque potentialitatem.

Repugnat infinitum ſimpliciter.

Ad ſecundum; eſto Deus uniretur intellectui Beatorum ſua comprehenſiva cognitione

tione; tamen intellectus creatus non tenderet in eum comprehenſivè; quia non uniretur per propriam entitatem, ſed alio inferiori modo; ac proindè totâ non poſſet latitudine exire in ſuum effectum ob limitationem videntis. Sicuti licèt Sanctitas increata uniatur, ſicut eſt in ſe, humanitati Chriſti, non tamen eam ſanctificat ſicut Verbum Divinum, tum propter diverſitatem unionis, tum propter ſubjecti incapacitatem.

CONTROVERSIA IV.

CONTRA MILLENARIOS

DOCENTES POST DIEM JUDICII FORE CHRISTI REGNUM AD MILLE ANNOS PLENUM OMNIUM LASCIVIÆ VOLUPTATUM.

89 ERror quorumdam fuit dictitantium, poſt Reſurrectionis diem Sanctos in terris regnaturos cum Chriſto in omni terrenarum rerum affluentia, in illa Sancta Civitate Jeruſalem, quam ex auro puriſſimo deſcribit *Joannes* in Apocalypſi. Hunc in errorem deducti ſunt ex alio quorundam, qui opinabantur Mundum ſex mille annis duraturum, & quoniam, teſte Scriptura, mille anni coram Deo ſunt velut una dies, credidere ſex mille annos unam hebdomadam componere, ad quam ſuccedere debet voluptatis Sabbatum, deliciarum ſcilicet mille anni, Judaicum ſemen hoc eſt. Nonnulli Judæorum in hanc dementiam devenerunt, ut omnia, quæ de Regno Chriſti dicuntur, carnaliter intelligerent; ex qua proceſſiſſe videtur petitio Matris Filiorum Zebedæi: *Dic, ut ſedeant hi duo Filii mei, unus ad dexteram, alius ad ſiniſtram in regno tuo.* Hujus hæreſis anteſignanum *Cherintum* ferunt Euſebius *lib. 3. Hiſt. cap. 22.*, Nicæphorus *lib. 3. cap. 24.*, Auguſtinus 20. *de Civit. Dei cap. 7.* Fuit *Cherintus* ex converſis ad Chriſtum, ſed a ſemitis juſtitiæ deficiens ab Irenæo *lib. 1. cap.* 30. inter *Simonis Magi* diſcipulos enumeratus eſt, primuſque poſt ipſum Hæreſiarcha extitit, de quo *Epiphanius* hær. 28. *Hic quidem unus eſt de his, qui reſtiterunt Sancto Petro, quando venit ad Cornelium* anno circiter Chriſti 41. Is perperam intelligens Scripturas turpem *Millenariorum* hæreſim excogitavit. Contra iſtum *Joannes*, teſte *Hieronymus* de ſcrip. Eccleſiaſt. in Jo. cap 9. ſcripſit Evangelium: *Noviſſimus omnium ſcripſit Evangelium rogatus ab Aſiæ Epiſcopis adverſus* Cherintum, *aliosque Hæreticos.*

Contra Cherintũ ſcripſit Evangelium Joannes.

Errorem de millenario Chriſti regno, quem ex apochryphis commentariis in Apocalypſim Joannis hauſiſſe credendum eſt, circa annum 118., imperante Trajano, excitavit *Papias* Hierapolitanus Epiſcopus, vir quidem ſanctitate clarus, ſed ingenii pertenuis. Cui ſententiæ necdum ab Eccleſia proſcriptæ adhæſerunt *Tertullianus* contra Marcionem *lib.* 3. circa finem, *Lactantius* divinarum inſtitut. *lib. 7. c.* 20., *Irenæus* lib. 5. contra hæreſes cap. 32. ad 35., *Juſtinus* in dialogo cum Tryphone Judæo. Poſtmodum anno 264. *Nepos* Ægypti Epiſcopus errorem hunc mordicùs tenuit, ut in hæreſim declinantem *Dionyſius* Alexandrinus Epiſcopus tùm ſcriptis, tùm vivæ vocis oratione comprimere ſtuduerit; & demùm anno 373. a Damaſo fuit damnatus.

Papias excitavit errorẽ Cherinti. *Ejus elogium quoad doctrinam in Euſebio præter auctoris mentem adjectũ.*

Nepos *in Ægypto propugnavit hunc errorẽ.*

Verùm apertum *Cherinti*, & *Papiæ*, aliorumque nominatorum palmare diſcrimen advertendum eſt. *Cherintus* eſſentialem beatitudinem in nefandis quibuſcumque carnis voluptatibus conſtituebat, regnumque Judæorum fore inſtaurandum, templum, altaria, ſacrificia, adimplendaſque omnes promiſſiones Abrahæ factas aſſerebat. *Papias* verò admittebat corporis delicias, ſed honeſti conjugii, delicatos cibos, potus, affluentiam frugum, eſſentialem beatitudinem in his conſtituens; ſed intermediam pro illo Sabbato. Cæterùm optimè noverat veram beatitudinem in Dei viſione conſiſtere, unde ob hoc non cenſetur hæreticus formalis, quia in tot hæreticorum cathalogis a Veteribus conſcriptorum non apparet, niſi apud *Bernardum* de Lucemburgo. Contra hunc errorem.

Diſcrimen inter aſſertũ Cherinthi, *& Papiæ.*

90 DICO. *Juſti poſt Judicii diem in terris cum Chriſto mille annis non regnabunt.* Probatur catholica veritas. 1. Judæos ſimilia opinatos tanquam a veritate declinantes reprehendit Chriſtus: ergo millenarium regnum pugnat cum doctrina veritatis. *Ant.* habetur Matth. 22. v. 29. *Erratis, neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei: In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cœlo:* Quid expreſſius? Lucæ 20. v. 34. *Filii hujus ſæculi nubent, & traduntur ad nuptias. Illi verò, qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores:* Quid clarius? unde Filiis Zebedæi per matrem petentibus ſimile regnum reſpondit Chriſtus: *Neſcitis quid petatis.*

Millenarii a Chriſto reprehenduntur.

Confirmatur ex D. Paulo ad Rom. 14. v. 17. *Non eſt enim regnum Dei eſca, & potus; ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto:* 1. ad Corinth. 6. v. 13. *Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc, & has deſtruet:* & cap. 15. v. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis: hoc autem dico, fratres, quia caro, & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt:* Quomodo autem vita carnis, & ſanguinis *Dei regnum poſſidere non poſſunt*, ſi hoc regnum in illis conſiſtit?

Caro, & ſanguis poſſidere non poſſunt regnum Dei.

91 PROBATUR 2. Non datur millenarium regnum Chriſti in terris, ſi promiſſa Juſtis ſunt cœleſtia, & ſempiterna; ſed Juſtis promiſſa ſunt cœleſtia, & ſempiterna: ergo. *Prob. min.* Matth. 5. v. 12. *Merces veſtra copioſa eſt in cœlis:* & cap. 19. v. 21. *Habebis theſaurum in cœlo:* Joan. 14. v. 2. *Vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparavero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis:* 2. ad Corinth. 5. v. 1. *Ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis.* Et loquitur ab ipſo inſtanti ſeparationis animæ a corpore, ſicut Controverſiâ ſecundâ oſtendimus: item ad Hebræos 12.,

Apoc.

Apoc. 3. v. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius*: ex quibus ſic inſtauro argumentum: vel hoc millenarium regnum conceditur ab inſtanti mortis uſque ad reſurrectionem, vel poſt reſurrectionem: ſi antè, jam non erunt carnales voluptates, cibus, & potus: ſi poſt, nec erit in terra, nec finem habebit; quia laudatæ Scripturæ aſſerunt hæc promiſſa in cœlo eſſe, & ſine fine: & *Matth.* 25. apertè dicitur immediatè poſt reſurrectionem dari judicium, & ſententiam; atque ſtatim mali ibunt in ignem æternam, boni autem in vitam æternam, utique cœleſtem.

Poſt reſurrectionem datur judicium, & finalis ſententia.

92 PROB. 3. Non datur terrenarum voluptatum regnum, ſi Juſtis promiſſa ſuperant, atque terrenas delicias tranſcendunt; ſed ita eſt: ergo. *Min. oſtenditur* 1. ad Corinth. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*; quod priùs dixerat Iſaias cap. 64. v. 4., & Joan. 6. v. 27. *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis*. Ecce quòd ſuperioris conditionis eſt cibus a Deo promiſſus: Proverb. 8. v. 19. *Melior eſt enim fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo*.

Juſtis promiſſa ſuperant humanam cognitionem.

93 PROB. 4. Deliciæ, quæ Juſtis promittuntur, ejuſdem rationis ſunt cum illis Chriſti: Apoc. 3. v. 20. *Cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus*: & Pſal. 35. v. 9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*; ſed Chriſtus quoad humanitatem non fruitur millenario regno, qui ſedet in throno Patris, fruiturque ejuſdem cœna, quæ utique non eſt terrenarum voluptatum, nec in terris: ergo.

Juſti debent eſſe cū Chriſto in cœlo.

94 PROB. 5. Si daretur hujuſmodi terrenæ voluptatis regnum, uſus illius ſaltem licitus eſſet medium valdè utile, & accomodatum ad illud aſſequendum, nec ſerium, & efficax illius deſiderium perfectionis ſemitam impediret; ſed utrumque eſt falſum: ergo. *Major* eſt certa; quia nulla eſt accomodatior via ad beatitudinem conſequendam, quàm quæ viæ termino ſimillima eſt: unde quia recta fides vult beatitudinem in cognitione, & amore ſummi boni, ideo non eſt melior modus eam aſſequendi, quàm diutiùs, & intenſiùs inſiſtere cognitioni, & amori Dei. *Min. declaratur*: Apoſt. ad Coloſs. 3. v. 5. verbis primùm ſuadet corporis mortificationem; *Mortificate corpora veſtra, quæ ſunt ſuper terram*, dein exemplo 1. ad Corinth. 9. v. 27. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*. Quis demùm intelligere poterit Chriſti regnum terrenis iſtis conſtare voluptatibus, cùm ipſe, ut illuc perveniamus, verum, & ſincerum earundem contemptum ſuadeat Matth. 19. v. 12.? *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere capiat*: & iterum v. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me*.

Via debet eſſe ſimilis termino.

Chriſtus conſuluit voluptatū contemptum.

95 PROB. 6. Patrum teſtimonio generaliter ſic: Regni millenarii error ortum habuit ex Hebræorum ſententia omnes Scripturas, quæ de Chriſti Regno loquuntur, temporaliter interpretantium, hoc unico diſcrimine, quòd illi adſtruebant hoc Regnum ante: iſti poſt reſurrectionem; ſed univerſa Patrum Græcorum, & Latinorum ſententia Hebraicam interpretationem reprehendit, & damnat: ergo èt *Chiliaſtarum*. Hinc *Hieronymus* in cap. 37. Ezechielis, & in Præf. lib. 18. Comment. in Iſajam referens verba *Dionyſii* Alexandriæ Epiſcopi hanc ſententiam fabulam vocat: — Apocalypſis Joannis, „ quam ſi juxta literam accipimus, judaizandum eſt, ſi ſpiritualiter, ut ſcripta eſt, „ diſſerimus, multorum Veterum videbimur opinioni contraire. Latinorum *Tertulliani*, *Victorini*, *Lactantii*: Græcorum, „ ut cæteros ommittam, *Irenæi* tantùm Lugdunenſis Epiſcopi faciam mentionem, „ adversùs quem vir eloquentiſſimus *Dionyſius* Alexandriæ Pontifex elegantem ſcribit „ librum, irridens mille annorum ſabulam, „ & auream, atque gemmatam in terris „ Jeruſalem, inſtaurationem Templi, hoſtiarum ſanguinem, otium Sabbati, circumciſionis injuriam, nuptias, partus, „ liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium ſervitutem: „ rurſuſque bella, exercitus, ac triumphos, „ & ſuperatorum neces, mortemque centenarii Peccatoris, cui duobus voluminibus „ reſpondit *Apolinarius*, quem non ſolùm ſuæ ſectæ homines, ſed & noſtrorum in „ hac parte dumtaxat plurima ſequitur „ multitudo, ut, præſaga mente jam cernam, quantorum in me rabies concitanda ſit: quibus non invideo, ſi tantùm „ amant terram, ut in Regno Chriſti terrena deſiderent, & poſt ciborum abundantiam, gulæque, ac ventris ingluviem, „ & ea, quæ ſub ventre ſunt, quærant — *Auguſtinus* lib. 20. de Civitate Dei cap. 7. ſententiam hanc, ait, eſſe non niſi a carnalibus credendam — Quæ opinio eſſet utcumque tollerabilis, ſi aliquæ deliciæ ſpirituales in illo Sabbato affecturæ Sanctis „ per Domini præſentiam crederentur; nam „ etiam nos hoc opinati fuimus aliquando. „ Sed cùm eos, qui tunc reſurrexerint, dicant „ immoderatiſſimis carnalibus epulis vacaturos, in quibus cibus ſit tantus, ac potus, ut non ſolùm nullam modeſtiam teneant, ſed modum quoque ipſius incredulitatis excedant; nullo modo iſta poſſunt, niſi a carnalibus credi. —

Error millenarii ex errore Judæorum ortum habuit.

Dixit Hieronymus, Dionyſium ſcripſiſſe contràIrenæum; quia fuit ejuſdem cum Nepote Epiſcopo ſententiæ.

96 Ultimò corruit hæreticæ ſententiæ baſis de duratione Mundi per ſex mille annos, cùm dixerit Chriſtus Apoſtolis Act. 1. v. 7. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*.

97 Hæc a fortiori *Cherinti* impugnant fœditatem, quæ in obſcænitatibus undique in Scriptura reprobatis rationalis creaturæ beatitudinem conſtituit, ut ſuis voluptuoſis deſideriis liberiùs indulgeret, de quibus Eccleſiaſtes 2. v. 1. ait ſapiens: *Dixi ego in corde meo: Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi, quòd hæc quoque eſſet vanitas*.

nitas . Intendebat quoque *Cherintus* Sinagogæ reſtaurationem , quod *Epiphanius* hær. 77. refellit : — Si enim lex neminem perfecit ,
„ legem autem poſt reſurrectionem ſervare
„ jubemur , & ſciamus nos , quod ſancta
„ lea per Moyſen a Domino data , pæda-
„ gogus ad Chriſtum non fuit , ipſiſque
„ concreditum eſt , ut velut inferior ad ma-
„ jorem , & perfectiſſimum nos adduceret ,
„ & quòd Chriſtus venerit perfectus , &
„ Dominus , & acceperit ex manu pædago-
„ gi eum , qui inſtituebatur , hoc eſt San-
„ ctam Virginem ipſam Fidelium Eccle-
„ ſiam , & cognovimus nos per legem pæ-
„ dagogum majorem , & perfectum Jeſum :
„ quomodo non magis pauperis intelligen-
„ tiæ , aut potius ſtultitiæ judicabitur ſer-
„ mo eorum , qui talia dicunt , quod poſt
„ Chriſti perfectionem , rurſus pædagogo
„ eſt opus . —

HÆRETICORUM ARGUMENTA SOLVUNTUR .

98 OBJICIES 1. Prophetias promiſſiones adimpleri neceſſe eſt : ſed niſi millenarium Regnum admittatur , non adimplentur : ergo . *Prob. min.* Gen. 27. verſ. 28. Iſaac benedicens Filium Jacob vaticinatur dicens : *Det tibi Deus de rore Cœli , & de pinguedine terræ abundantiam frumenti , & vini* . Fore pollicetur , ut Populi ſerviant , & adorent eum Tribus , ſit Dominus Fratrum ſuorum , & incurventur ante eum Filii Matris ſuæ , & ſimilia . Sed hæc impleta in Jacob non fuere , cùm è Patria fugerit, Fratrem ſuum adoraverit , nec in Filiis ſuis probetur habuiſſe effectum : ergo adimplenda ſunt in ſpiritualibus Filiis ſuis poſt reſurrectionem mille annis . Adde illud Iſajæ 65. verſ. 25. *Lupus & Agnus paſcentur ſimul , & Leo & Bos comedent paleas* , per quod denotatur tanta terræ fertilitas , & pinguedo , ut ipſæ paleæ Leonibus in cibum futuræ eſſent : quod eveniet cum ferociſſima animalia inter ſe , & cum hominibus manſueſcent .

Benedictiones Abraha in Filiis adimpleta .

RESP. *neg. min.* cujus probationi occurrere poſſemus dicendo promiſſiones *Abraha* , *Iſaac* , & *Jacob* adimpletas temporaliter in ipſorum Filiis , *Juda* , *Joſeph* , *Davide* , *Salomone* , & aliis ; ſed quia in Scriptura germanam literam habemus , dicimus quod promiſſio illa ſpiritualis eſt , & in Patriarcharum Filiis cumulatè adimpleta . Appellant ergo tales promiſſiones ſupra ipſorum ſucceſſores ſecundùm fidem , ſcilicet Chriſtifideles : ſic Apoſtolus ad Rom. 9. v. 7. *Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen : ideſt , non qui filii carnis , hi Filii Dei : ſed qui Filii ſunt promiſſionis , æſtimantur in ſemine* : ad Epheſ. 1. v. 3. *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto* . Sic *Auguſtinus* lib. 16. de Civit. cap. 37. Iſaac benedictionem exponens : -- Benedictio igitur Jacob

Alia ſpiritualis expoſitio .

„ prædicatio Chriſti eſt in omnibus genti-
„ bus , hoc fit , hoc agitur : Lex , & pro-
„ phetia eſt in Iſaac , etiam per os Judæo-
„ rum Chriſtus ab illa benedicitur velut a
„ neſciente , quia ipſa neſcitur : odore no-
„ minis Chriſti , ſicut ager Mundus imple-
A „ tur , ejus eſt benedictio de rore cœli ,
„ hoc eſt de verborum pluviâ divinorum
„ & de ubertate terræ , hoc eſt de Con-
„ gregatione populorum : ejus eſt multi-
„ tudo frumenti , & vini , hoc eſt mul-
„ titudo , quam colligit frumentum , & vi-
„ num in Sacramento Corporis , & Sangui-
„ nis ejus ; èt ſerviunt gentes , ipſum ado-
„ rant Principes , ipſe eſt Dominus Fratris
„ ſui , quia populus ejus dominatur Judæis :
„ ipſum adorant Filii Patris ejus , hoc eſt
„ Filii Abraham ſecundùm fidem , quia
„ & ipſe Filius eſt Abrahæ ſecundùm car-
„ nem ; ipſum , qui maledixerit , maledi-
B „ ctus , & qui benedixerit , benedictus eſt :
„ Chriſtus , inquam , noſter etiam ex ore
„ Judæorum quamvis errantium , ſed tamen
„ legem , Prophetaſque cantantium benedi-
„ cetur , ideſt veraciter dicitur , & alius
„ benedici putatur , quia ab eis errantibus
„ expectatur : ecce benedictionem promiſ-
„ ſam repentè majore expavit Iſaac , &
„ alium pro alio ſe benediaiſſe cognoſcens
„ miratur . — Eodem modo loquitur *Proſper* de promiſſis 1. part. cap. 22. , *Hieronymus* qu. 3. ad *Damaſum* , *Gregorius* Homil. 6. in Ezechielem . Illud verò *Iſaja* literaliter expoſitum a *Millenariis* contra Fidei Majeſtatem

C eſt , -- niſi fortè , -- ut ait laudatus *Hieronymus* in cap. 11. Iſajæ , — juxta fabulas
„ Poetarum , aureum nobis Saturni ſæculum
„ reſtituent . -- Undè in Eccleſia dicta adimplentur , in qua diverſæ gentes ferinis imbutæ moribus in Chriſti unione vivunt ; —
„ quod quotidie cernimus in Eccleſia , . — ſubdit idem Doctor , -- Divites , & Paupe-
„ res , Potentes , & Humiles , Reges , at-
„ que Privatos commorari . --

99 OBJIC. 2. Paſſim Phophetarum oracula futurum Chriſti Regnum deſcribunt omnino terrenum : ſed non eſt impletum in primo adventu ; ergo adimple-

D bitur in ſecundo . *Major* habetur Ezechielis 20. 28. 37. , Jeremiæ 16. 31. , Iſajæ 11. 30. 31. , 54. , & 65. quibus locis deſcribitur futura terræ pinguedo , frugum affluentia , abundantia armentorum , ex pretioſis lapidibus conſtructa habitatio , bibentium , & comedentium lætitia , & ſimilia : ergo.

Prophetia de Chriſti adventu .

RESP. *neg. maj.* Omnia illa oracula ſpiritualiter proferuntur , & ad literam in quolibet textu de Meſſiæ adventu loquuntur : quare vaticinantur bona ſpiritualia obventura ex Chriſti prædicatione : ſic communiter Sancti Patres , inter quos Hieronymus in 37. Ezech. — Quomodo autem in typo reſurre-
E „ ctionis ſuperior ſermo propheticus reſti-
„ tutionem Judaici populi demonſtravit non
„ carnalem , ſed ſpiritualem , ſic & iſta
„ prophetia nequaquam ad carnis , ſed ad
„ animæ pertinet fælicitatem , & ad Chri-
„ ſti fidem . -- Cur autem ſub corporalium metaphora ſpiritualia proponantur , docet D. Gregorius Hom. 11. in Evangelia : --
„ Solent in Scripturis ſpiritualia per cor-
„ poralia deſignari , ut ex his , quæ animus
„ novit ſurgat ad incognita , quæ non no-
„ vit ; quatenus exemplo viſibilium , ſe ad
„ inviſibilia rapiat . -- Adde: in quibuſdam

ex

ex iis locis aſſeritur hæc duratura in ſempiternum, quod eſt contra *Millenariorum* poſitionem.

100 OBJICIES 3. Quamvis veteris Teſtamenti, & Prophetarum teſtimonia ſpiritualiter de Chriſti fide ſint explicanda, cùm illa in figuris loquerentur; ea tamen novi Teſtamenti abſque figura ſunt intelligenda; ſed in novo Teſtamento nobis deſcribitur millenaria fœlicitas in terrenis deliciis: ergo. *Minor* habetur Matth. 19. v. 29. *Qui reliquerit . . . patrem, aut matrem . . . centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit:* & cap. 26. v. 29. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis uſque in diem, cùm illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei:* Luc. 22. v. 29. *Ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater . . . . ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo:* Apoc. 20. v. 6. *Regnabunt cum eo mille annis:* ergo.

RESP. Hæc quoque teſtimonia intelliguntur de deliciis animæ, quibus exuberanter fruetur in beatifica Dei viſione, in cujus oſtenſione datur omne bonum: juxta illud Exod. 33. v. 19. *Oſtendam omne bonum tibi:* unde dicit Propheta Pſal. 16. v. 15. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua,* & Pſal. 33. v. 9. *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus;* Si autem Deus non eſſet animæ noſtræ cibus, non diceretur *guſtate*, & cùm in cibo, & potu detur delectatio, ideo ſub hoc nomine exprimitur animæ fœlicitas; ſub nomine *regni* denotatur dignitatis celſitudo, ad quam Beatus evehitur ex conſortio fruitivo Dei; ſub nomine *auri*, & *argenti* intelligitur divitiarum abundantia, quæ in ſummi boni poſſeſſione habentur; ſub terræ nomine indicatur beatitudinis ſoliditas, ut aſſerit D. *Auguſtinus* lib. 1. de Serm. Dom. ad illa verba *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram* — illam credo terram, de „ qua in Pſalmo dicitur; ſpes mea es „ tu; portio mea in terra viventium: „ ſignificat enim quamdam ſoliditatem, „ & ſtabilitatem hæreditatis perpetuæ, „ ubi anima per bonum affectum, tan„ quam ſuo loco requieſcit, ſicut corpus in „ terra. — Ad id, quod dicebatur de Uxoribus reſpondet *Hieronymus* lib. 3. in Matth. 16. — Ex occaſione hujus ſententiæ „ quidam introducunt mille annos poſt Re„ ſurrectionem, dicentes, tunc nobis centu„ plum omnium rerum, quas dimiſimus, „ & vitam æternam eſſe reddendam; non „ intelligentes, quòd ſi in cæteris digna „ ſit repromiſſio, in Uxoribus appareat tur„ pitudo; ut qui unam pro Domino dimi„ ſerit, centum recipiat in futuro: ſenſus „ ergò iſte eſt. Qui carnalia pro Salva„ tore dimiſerit, ſpiritualia recipiet, quæ „ comparatione, & merito ſui ita erunt „ quaſi ſi parvo numero centenarius nume„ rus comparatur — Ad alium textum Matth. 26. dicemus infrà; nunc reſpondemus ad illud Apocalypſis.

Deus eſt animæ cibus.

Solutio ergo deſumitur ex *Auguſtino*, qui per mille annos intelligit totum tempus militantis Eccleſiæ uſque ad Judicii diem. Millenarius enim numerus temporis univerſitatem ſignificat juxta Scripturæ phraſim ut Pſal. 104. v. 8. *Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui: verbi, quod mandavit in mille generationes,* hoc eſt in omnes: Eccleſ. 16. v. 3. *Melior eſt enim unus timens Deum, quàm mille,* ideſt omnes, *filii impii.* Quæ expoſitio eſt quoque ad mentem Auguſtini *lib.* 20. *de Civit. cap.* 7. — „ Mille annos pro annis omnibus hujus ſæculi „ poſuit, ut perfecto numero notaretur ipſa „ temporis plenitudo — Quod, ut clariùs fiat, notandum: in illo capite deſcribitur Angelus de cœlo delapſus habens clavem abyſſi, & catenam in manu, & ligavit mille annis draconem, qui cognominatus eſt Diabolus, & Satanas. Per ſpatium mille annorum præter datam expoſitionem, aliam cit. loco ponit *Auguſtinus:* — Mille autem anni, duo„ bus modis poſſunt, quantum mihi occur„ rit, intelligi, aut quia in ultimis annis „ mille iſta res agitur, ideſt ſexto annorum „ milliario tanquàm ſexto die, cujus nunc „ ſpatia poſteriora volvuntur; ſecuturo dein„ de ſabbato, quod non habet veſperam, „ requiem ſcilicet Sanctorum, quæ non ha„ bet finem, ut hujus milliarii tanquam „ diei noviſſimam partem, quæ remanebit „ uſque ad terminum ſæculi mille annos ap„ pellaverit — Si mille anni intelligantur primo modo, intellige a paſſione Chriſti uſque ad finem mundi, Angelus, ideſt Chriſtus, Satanæ potentiam frænavit, & cohibuit, — & miſit illum in abyſſum, quo no„ mine (*proſequitur Auguſtinus*) ſignificata eſt „ multitudo innumerabilis impiorum, quo„ rum in malignitate adversùs Eccleſiam „ Dei multum profunda ſunt corda: non „ quia ibi Diabolus antea non erat, ſed „ ideo dicitur illuc miſſus, quia excluſus „ a credentibus plus cœpit impios poſſi„ dere: — deinde explicat, quomodo abyſſum clauſerit, & ſignaverit: — Clauſit ſu„ per eum dictum eſt, interdixit, ne poſ„ ſit exire, ideſt vetitum tranſgredi: ſigna„ vit autem quod addidit, ſignificaſſe mihi „ videtur, quod occultum eſſe voluit, qui „ pertineant ad partem Diaboli, & qui „ non pertineant . . . . Ad hoc ergo ligatus „ eſt Diabolus, ut jam non ſeducat gentes, „ ex quibus conſtat Eccleſia, quas anteà „ ſeductas tenebat, antequam eſſet Eccle„ ſia . . . Nec ſic accipiendum eſt, quod „ ait, ut non ſeduceret gentes, donec „ finiantur mille anni, quaſi poſtea ſedu„ cturus ſit eas dumtaxat gentes, ex quibus „ prædeſtinata conſtat Eccleſia, a quibus „ ſeducendis illo eſt vinculo, clauſtroque „ prohibitus: ſed aut illa locutione dictum „ eſt, quæ in Scripturis aliquoties inveni„ tur, qualis eſt in Pſalmo: Sicut oculi „ noſtri ad Dominum Deum noſtrum, do„ nec miſereatur noſtri: neque enim, quum „ miſertus fuerit, non erunt oculi ſervorum „ ejus ad Dominum Deum ſuum — Cap. 8. exponit, quomodo intelligere debeamus Diabolum ſolvi brevi tempore — Tunc autem „ ſolvetur, quando & breve tempus erit: nam „ tribus annis, & ſex menſibus (tempore „ ſcilicet perſecutionis Antichriſti) legitur „ totis ſuis, ſuorumque viribus ſæviturus; „ & tales erunt, cum quibus ei belligeran„ dum eſt, ut vinci tanto ejus impetu, inſi„ diiſque non poſſint. —

Millenarius numerus in Scriptura temporis univerſitatem ſignificat.

Quomodo dicatur Diabolus miſſus in abyſſum.

Tempore Antichriſti ſolvetur Diabolus.

Sed

Sed inſurgit iterùm difficultas ea eodem capite, ubi dicuntur illi, qui non adoraverunt beſtiam, & *vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis*: ecce Regnum millenarium pro Juſtis?

Verùm ſupradicta aliter exponit *Auguſtinus*. Nam prædicta ponuntur ab Apoſtolo ad denotandum temporis intervallum, quod ultimum Judicium præcedet; *ut hujus milliarii tanquam diei noviſſimam partem, quæ remanebit uſque ad terminos ſæculi mille annos appellaverit*; quo tempore regnabunt cum Chriſto in Regno utique ſpirituali, ſcilicet in Eccleſia, quæ Regnum Cœlorum dicitur.

Regnū Chriſti ſpirituale.

Regnant cum illo, ſic *Auguſtinus* cap. 9.; qui *eodem modo ſunt in Regno ejus, ut ſint etiam ipſi Regnum ejus*. In eodem capite dat aliam expoſitionem — Et qui ſunt, qui beſtiam „ non adorant, nec imaginem ejus, niſi „ qui faciunt, quod ait Apoſtolus: Ne „ ſitis jugum ducentes cum Infidelibus? .... „ Ab his ergo malis alieni ſive adhuc in „ illa mortali carne viventes, ſive Defuncti „ regnant cum Chriſto, jam nunc quo„ dammodo huic tempore congruo per to„ tum hoc intervallum, quod numero mille „ ſignificatur annorum.

DICES. Prædicta non poſſunt verificari, ſiquidem a *Joanne* dicuntur illi, qui non adoraverunt Beſtiam *erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis*: ergo poſt Judicium, quod antecedenter deſcribitur, *& vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt illis*, regnabunt Sancti mille annis cum Chriſto.

Sed ab hoc ultimo incipiendo cum ſæpe memorato *Auguſtino* nego, ibi mentionem fieri de judicio ultimo: — Cùm enim „ dixiſſet (*ſunt verba Sancti Doctoris*) alligari „ Diabolum mille annis, & poſtea ſolvi „ brevi tempore, mox recapitulando quid „ in iſtis mille annis agat Eccleſia, vel „ agatur in ea; & vidit, inquit, ſedes, „ & ſedentes ſuper eas, & judicium da„ tum eſt: non hoc putandum eſt de ultimo „ Judicio dici, ſed ſedes Præpoſitorum, „ & ipſi Præpoſiti intelligendi ſunt, per „ quos Eccleſia nunc gubernatur: Judicium „ autem datum nullum meliùs accipiendum „ videtur, quàm id quod dictum eſt: Quæ „ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cœ„ lo: & quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt „ & in cœlo: — Nomine autem Sacerdotis veniunt Sancti, qui ſic vocantur, non quia immolent victimas, ſed quia juge laudis ſacrificium Deo offerunt; ſeu etiam, ùt explicat *Auguſtinus*, dicuntur Sacerdotes, — „ Quoniam membra ſunt unius Sacerdotis: „ de quibus Apoſtolus Petrus Plebs, inquit, „ ſancta, regale ſacerdotium.

Quid veniat nomine Judicii.

DICES 2. Poſt hæc deſcribit *Joannes* Jeruſalem novam, quæ erit Juſtorum habitatio: ergo negari non poteſt Chriſti regnum in terrenis deliciis ſitum eſſe.

RESP. *nego conſeq.* In illa ſiquidem nova Jeruſalem, novo cœlo, & nova terra ſumma pulcbritudo, & dignitas cœleſtis Beatorum manſionis depingitur, ut intelligamus altioris generis eſſe delectationes illius ab his, quæ hic habentur: Hinc illa eſt Jeruſalem, in qua poſt ultimum Judicium vivent æternaliter Juſti, unde Millenariis non deſervit, cùm illorum regnum temporale ſit, & finitum. In ea cum Sanctis habitat Deus, ùt litera docet; Deus utique terrenis non fruitur deliciis; ſed ipſe eſt perfectum Beatorum gaudium; quia ùt ibidem aſſeritur, ſolus eſt illius Civitatis lux, & divitiæ omnes. Plura alia eodem capite deſcribuntur, quæ ad explicandam inæqualitatem beatificæ viſionis pertinent. Videatur *Auguſtinus* locis ſupra notatis.

Solus Deus eſt omne gaudiū Beatorum.

INSTABIS. Non poſſunt dicta intelligi niſi in ſenſu materiali, quia correlativa ſunt ad id, quod Matth. 26. dixerat Chriſtus. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum novum in Regno Patris mei*; de hoc, inquam, materiali vino, quod in Cœna cum Diſcipulis bibebat.

Chryſoſtomus Hom. 83. in Matth. textum intelligit de vino, quod revera poſt reſurrectionem bibit cum ſuis Diſcipulis juxta illud Act. 10. v. 41. *Nobis, qui manducavimus, & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit a mortuis*: & dicitur novum: — Hoc eſt, „ *inquit*, novo modo quodam, immo inau„ dito, atque mirabili! non enim paſſibile „ corpus habens, ſed immortale, atque in„ corruptibile, alimentoque non indigens, „ ſurrexit. Quare cùm opus non erat poſt „ reſurrectionem, comedit, & bibit, cùm „ ejus corpus iſtis nullo modo ampliùs in„ digeret, ſed ut certiori argumento reſur„ rectionem firmaret: — Hac poſitâ explicatione, quid pro millenario Chriſti regno? Quia tamen, ùt habet *Hieronymus* in citatum Matthæi locum, *de carnalibus tranſit ad ſpiritualia*, ideo audiendus eſt ipſe. — De car„ nalibus tranſit ad ſpiritualia, quòd vinea „ in Ægypto transplantata ſit Populus Iſ„ rael, cui per Jeremiam Dominus loqui„ tur: Ego te plantavi vineam veram: quo„ modo mutata es in amaritudine vitis „ aliena? ..... Dicit ergo ſe Dominus „ de hac vinea nequaquam eſſe bibiturum, „ niſi in Regno Patris ſui: Regnum Patris, „ Fidem puto eſſe credentium, Apoſtolo „ quoque idipſum confirmante: Regnum „ Dei intra vos eſt: ergo cùm Judæi rece„ perint Regnum Patris ...., cùm, in„ quam, crediderint in Deo Patre, & ad„ duxerit eos Pater ad Filium, tunc de vino „ eorum bibet Dominus, & in ſimilitudi„ nem Joſeph regnans in Ægypto inebria„ bitur cum Fratribus ſuis: — quòdſi ad Regnum cœleſte transferre lubet novum vinum, intelligas æternæ gloriæ Paſcha. Vide infr. Part. II. Controv. VII.

Quomodo dicatur vinum novum illud, quod Chriſtus bibit poſt reſurrectionem.

101 OBJICIES 4. Ex Scriptura *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*: ergo per quæ quis meretur, per hæc èt præmia recipiet: ſed Juſti merentur renunciando, & abjiciendo terrenas voluptates: ergo ratio poſtulat, ut ex deliciis, & voluptatibus mercedem capiant.

RESP. *nego conſeq.* Non eſt æqualis compenſatio, ſi pro divitiis, ac voluptatibus ob Dei amorem contemptis terrena ſolummodo rependantur. Porrò æquivalens retributio, mul-

Retributio major merito.

multoque meliora ſunt bona altioris ordinis, videlicet ſpiritualia. Horum ſi minimum quid in hoc ſeculo (ùt fatetur S. Mater noſtra THERESIA) corpotales quaſque voluptates ſuperat, quid erit inebriari ab ubertare Domus Dei, & torrente voluptatis illius potari? — Senſus igiiur (ita *Hieronymus* lo„ co mox citato) iſte eſt, qui carualia pro „ Salvatore dimiſerit, ſpiritualia recipiet, „ quæ comparatione, & merito ſui ita erunt, „ ac ſi parvo numero centenarius numerus „ comparetur. —

102 OBJICIES 5. Vitæ hujus beatitudo eſt quædam alterius inchoata felicitas: ſed beatitudo bujus non ſtat ſine opum, ac voluptatum affluentia, ùt dicit *Ariſtoteles* lib. 1. Eth. cap. 8. — Non eſt felicitatis ad„ modum compos ille, qui vel ſpecie prorſ„ ſus deformis, vel genere iguobilis, vel ſo„ litarius eſt, ac prole carens — ergo a fortiori in ultima beatitudine terrenarum rerum copiam, & affluentiam dari neceſſe eſt.

RESP. *Ariſtoteles* cum Stoicis in uſu virtutum felicitatem collocavit, quod cum Chriſti doctrina convenit Matth. 5., ubi octo deſcribuntur beatitudines. Tamen a Stoicis in eo diſcrepat *Ariſtoteles*, quòd beatitudinem perfectam in externarum copia rerum omnino conſtituit: illi autem opinabantur ſapientem in ſumma quoque rerum egeſtate, immo in cruciatibus etiam ſummis fore beatum: quæ doctrina magis utique ad Chriſti dogmata accedit, qui abundantiam ſaltem externorum non modò non conducere ad beatitudinem docet, ſed potiùs impedimento eſſe; eaquepropter ad eorum contemptum verbo, & exemplo nos adhortatur. Matth. 8. v. 20. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet:* & 19. v. 21. *Si vis perfectus eſſe vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cælo.* Huic ſuaſioni adhærentes Apoſtoli, ùt ibidem v. 27. Chriſto dixere: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Eandem doctrinam concordi calamo exararunt Sancti Patres, *Auguſtinus* ſerm. 12. de verbis Domini ait — Quærit ali„ quis .... quid ſit bonum ... Reſpondeo, „ hoc eſt bonum, quod non potes invitus „ amittere, potes autem aurum perdere & „ nolens — *Nyſſenus* Homil. 2. in Eccleſiaſt. — „ Quod eſt neceſſitati ſubjectum, in bonis „ nemo numeravit — *Chryſoſtomus* Homil. 8. in Epiſt. 2. ad Timoth. *Hieronymus* in cap. 11. Iſaiæ, & alii. Neque verò inficias eam beatitudinem minimè impediri temperato uſu rerum, quæ ſunt neceſſariæ ad corporis alimentum, quod eſt inſtrumentum virtutis. Vide infrà Par. II. Controv. IV.

Doctrina Stoicorum de beatitudine ad Chriſti dogma accedit.

CONTROVERSIA V.

AN ULTIMO BEANS SIT ALIQUOD BONUM CREATUM CONTRA CHERINTUM, MAHOMETEM, *ATQUE ÆTHNICOS.*

103 UT undequaque *Cherinti*, *Mahometis*, atque *Æthnicorum* diſſipetur error circa ſtatum animarum, placet præſentem Controverſiam ſubnectere præcedenti, & inquirere, an bonum conſtituens hominem in ſuo ultimo felicitatis ſtatu ſit quid divinum, an creatum. Quid circa hoc ſentiat *Cherintus*, jam vidimus, ab cujus vita, & doctrina haud differt turpiſſimus ille Paradiſus, quem ſuis ſpondet *Mahometes*: in Alcorano, ſeu in volumine præceptorum Azoara 2. quod eſt idem, ac caput ſecundum Paradiſus ita depingitur: — „ Ubi dulciſſimas aquas, pomaque multimoda, fructus varios, & decentiſſimas, „ ac mundiſſimas mulieres, omneque bo„ num ſui in æternum poſſidebunt: — Azoara 54. — Locum hortis, & fructibus fe„ cundum poſſidebunt, veſtibuſque ſericis, „ & purpurà veſtiendi puellas ducent oculis „ claris, & immenſis, quorum albugines „ candidiſſimæ, & pupillæ nigerrimæ. Item alibi. Ethnicos verò Philoſophos in ſtabiliendo bono, quod hominem in ſuo ſtatu ultimo perficiat, tanta exagitarunt ſententiarum certamina, ut *Marcus Varro* lib. de Philoſoph. apud Auguſt. lib. 19. de Civit. cap. 1. enumeret hæreſes CCLXXXVIII. *Lactantius* autem lib. 3. divin. Inſtitutionum cap. 7. ad decem reducit ſic: — *Epicurus* ſummum bo„ num in voluptate animi eſſe cenſet: *Ari„ ſtippus* in voluptate corporis: *Callipbon*, & „ *Dinomachus* Cyrenaici honeſtatem cum vo„ luptate junxerunt: *Diodorus* in privatione „ doloris ſummum bonum poſuit: *Hierony„ mus* in non dolendo: *Peripatetici* in bonis „ animæ, & corporis, & fortunæ: *Herilli* „ ſummum bonum eſt ſcientia: *Zenonis* cum „ natura congruenter vivere: Quorumdam „ *Stoicorum* virtutem ſequi: *Ariſtoteles* in „ honeſtate, ac virtute ſummum bonum col„ locavit: hæ ſunt ferè omnium ſenten„ tiæ. — Contra quos.

Alcoran hebraicè, latinè volumen præceptorum deſcriptū a Mahometo.

Varietas Æthnicorum.

104 DICO. *Bonum ultimò felicitans eſt ſolum increatum, ſeù ſolus Deus.* Catholicam hanc veritatem dupliciter oſtendamus oportet auctoritate ſcilicet, ac ratione. Ratio, & auctoritas contra hæreticos utenda eſt. Sola ratione Gentiles aggrediemur Patrum auctoritati ſurdos.

PROB. ergo primò ea Scripturis Gen. 15. v. 1. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*: hoc eſt; qua major dari non poteſt: Exod. 33. v. 18. petit a Domino Moyſes: *Oſtende mihi gloriam tuam, reſpondit: Ego oſtendam omne bonum tibi*, ideſt meipſum: Pſal. 72. v. 28. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt: ponere in Domino Deo ſpem meam:* & v. 25. *Quid enim mihi eſt in cælo? & a te quid volui ſuper terram? ..... Pars mea Deus in æternum*: Pſal. 102. v. 5. *Qui replet in bonis*

deſiderium tuum: Pſal. 143. v. 15. *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus*: Eccleſ. 1. v. 2. enumeratis omnibus creaturis, tandem concludit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Si ergo quidquid creatum vanum eſt, certè appetitum explere haud poteſt, nec beare. Et cap. 2. v. 1. *Dixi ego... vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi, quòd hoc quoque eſſet vanitas.*

A

CONFIRMATUR I. ex Scripturis novi Teſtamenti Jo. 14. v. 18. *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*, & cap. 17. v. 3. *Hæc eſt autem vita æterna: Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*: 1. Jo. 2. v. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt*: ergo ipſa non ſunt noſtra beatitudo, quam non poſſumus non amare, & inquirere, & cap. 5. v. 20. *Ut ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.*

B

Beatitudinem non poſſumus non amare.

DICES. Laudati textus non intelliguntur de beatitudine, ſed de fide in Chriſtum, viam nempe, ac medium conſequendæ vitæ æternæ eſſe, in Chriſtum credere; & ideò Joann. 3. v. 36. dicitur: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, habet de præſenti, non habebit de futuro: ita interpretantur *Hilarius* lib. de Patris, & Filii unitate, & *Cyrillus* lib. ad Reginas.

C

CONTRA. Interpretationem hujuſmodi accipio nobis faventem; nam ſi viæ beatitudo imperfecta, & initiativa debet conſiſtere in Dei cognitione, quantò magis ultima, & perfecta, multòque excellentior?

CONFIRMATUR II. ex Patribus: *Dionyſius Areopag.* de Cœleſti Hierarch. cap. 7. Deum appellat totius pulchritudinis, atque ordinis ſummum, æternumque principium, ac finem: vid. ſuperiùs n. 62. *Irenæus* lib. 3. c. 22. *Gloria hominis eſt Deus*: Nyſſenus lib. de Beatitudinibus in illud: *Beati pauperes. Beatitudo eſt ipſa immortalis, & incorrupta vita, ineffabile pariter, & inanimadverſibile, atque inexcogitabile bonum*: Auguſt. lib. 19. de Civit. Dei cap. 26. *Ut vita carnis anima eſt, ita beata vita hominis Deus eſt*: Lib. 5. Confeſſ. cap. 4. *Infelix enim homo, qui ſcit illa omnia* (ideſt creata), *te autem neſcit; beatus autem qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat, qui verò te, & illa novit non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus*: Bernardus ſer. 20. in Cant. in illud Eccleſ. ultimo: *Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt*, inquit, *omnis homo, ergo ſi hoc eſt omnis homo abſque hoc nihil omnis homo*: Boetius de Conſol. proſ. 10. *Beatitudinem in ſummo bono ſitam eſſe neceſſe eſt*: cæterique Patres idem recantant.

D

Ultimus finis, & beatitudo idem ſunt.

105 PROB. 2. *ratione*. Ultimus finis, & beatitudo idem ſunt; ſed nullum creatum, bene verò ſolus Deus obtinet rationem ultimi finis: ergo nullum creatum, ſed ſolus Deus obtinet rationem beatitudinis. Diſcurſus explicatis terminis eſt demonſtrativus. *Major* clara eſt. Quid eſt objectiva beatitudo, niſi id, quod ultimò terminat appetitum, & ultimò terminare appetitum proprium eſt ſolius finis. *Minor* pariter conſtat; nam ratio ultimi finis ſequitur bonitatem, ſicut ratio principii ad entis actualitatem: omne autem creatum dicit bonitatem participatam, ſicut entis actualitatem participatam habet: ergo nullum ens creatum eſt finis ultimus, ſicut nullum eſt primum principium; hæc enim duo ſibi mutuo correſpondent. Hanc rationem complectitur Spiritus Sanctus Apoc. 21. v. 6. Ubi deſcriptâ æternæ gloriæ felicitate ſubdit: *Ego ſum alpha, & omega, initium, & finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis*: ideſt ego ſatiabo cujuslibet appetitum.

E

Beatitudo ſatiare debet rationalē hominis appetitum.

106 PROB. 3. *alia ratione*. Vera beatitudo rationalem hominis appetitum ſatiare debet; ſed ſolus Deus ſatiare poteſt: ergo ſolus Deus eſt bonum ultimò beans. *Major* continet deſcriptionem beatitudinis. *Minorem* probo: Rationalis appetitus creaturæ eſt boni univerſalis, ſiquidem ejuſdem univerſalitatis, & latitudinis eſt voluntas, cujus eſt intellectus: intellectus eſt omnis veri; hinc cognito quolibet effectu ſcire deſiderat alios ſincategorematicè in infinitum, & omnibus cognitis, omnem cauſam cupit cognoſcere; ſed ſolus Deus eſt bonum univerſale, abs quo eſt omne bonum, ſicut & omne verum; ergo ſolus Deus rationalis creaturæ ſatiat appetitum.

Beatitudo ſatiat omnem appetitum.

CONFIRMATUR *inductione*. Rationalem appetitum hominis quatuor capita principaliter determinat ſcientia, magnitudo, ſeu honos, voluptas, & duratio ſempiterna; ſed Deus poſſeſſus omnes iſtos appetitus perfectè ſatiat: ergo. Declaratur *minor* quoad appetitum ſciendi. Divina eſſentia eſt eſſentialiter veritas, & omnium veritatum eminens cauſa, in qua clariùs continetur, quidquid eſt ſcibile, quàm in creato quolibet principio: ùt dicitur Eccleſ. 1. v. 5. *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis*: ergo ipsâ clarè visâ, habetur adæquata cujuslibet ſcibilis cognitio. Quoad appetitum magnitudinis, ſeu dignitatis. Quò quis ad altiorem ſtatum evehitur, & nobiliori unitur gradu, eò majorem acquirit magnitudinem. Hinc res ordinis inferioris ſuperioribus unitæ fiunt pretioſiores, & majoris pretii; ſed homo intuitivè conſpiciens divinam eſſentiam ſibi intrinſecè unitam per ſe, immediatè & non per aliud evehitur ad Deum, ipſique adhæret, & fit eidem ſimilis, Propheta aſſerente: *Ego dixi: Dii eſtis, & filii Excelſi omnes*: ergo elevatur, & extollitur, maximèque nobilitatur.

Ex unione potentiæ cum ſuo objecto conſurgit delectatio.

Quoad voluptatem: delectatio conſurgit ex unione potentiæ cum ſuo objecto convenienti, ùt ex ſe conſtat, & eò major, quò major ipſa eſt unio, & objectum magis conveniens, & potentia excellentior; atqui Deus eſt ſummum verum, & ſummum bonum, eſt objectum ſummè conveniens, potentia intellectiva, & volitiva eſt excellentior, unio in viſione beatifica eſt maxima, & omnino intima: igitur neceſſariò conſurgit voluptas ſumma, & exuberans. Porrò potentiæ ſuis materialibus objectis unitæ unione quidem imperfecta, & externa, tantam percipiunt voluptatem, quid dicam de perfectiſſima unione, quâ maximum, & convenientiſſimum bonum poſſidetur? Hæc ineffabilis, cujus gaudii figura perhibetur ex Scripturis, cùm dicitur: *Inebriabuntur ab ubertate*

tate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos. Inebriabuntur; quia penitus abſorbentur: *Torrente voluptatis*; quia impetu, & magnitudine penè obruuntur: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te*: *Intra in gaudium Domini tui*: Terrenorum delectatio intrat in nos, utpote modica, quæ deſiderium exacuit potiùs, quàm ſatiet. In illud nos intramus; quippe quòd plenum, & redundans capi nequaquam poteſt a nobis; Sicuti qui intrat in flumen, ab ipſo capitur, non ipſum capit; & ideo ſub typo torrentis illa felicitas depingitur Eccleſiaſt. 39., Apoc. 22., & Iſaiæ 25. v. 6. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.*

Beati vitâ vivunt æterni.

Quoad Immortalitatem. Quia vitâ vivent æternâ numquam morituri; unio enim Divinæ eſſentiæ eſt omnino invariabilis, & immutabilis; undè Iſaiæ 25. v. 8. dicitur: Deus *præcipitabit mortem in ſempiternum.*

Bona creata ad triplicem reducuntur claſſem.

107 PROB. *inductione per negationem*. Bona creata dividuntur tripharìam fortunæ, corporis, & animæ. In fortunæ bonis ſunt divitiæ, honor, poteſtas, gloria. Bona corporis firma valetudo, robur, pulchritudo, voluptas. Animæ verò ſcientia, virtus, ars, & alia id genus; atqui nec ſingula, nec ſimul omnia hæc explendo ſunt humano appetitui: ergo. *Minor* ſic declaratur ex multiplici beatitudinis definitione, quæ a Philoſophis traditur: *M. T. Cicero* Orat. 3. Tuſculan. ait: *Eſſe bonorum omnium ſecretis omnibus malis cumulatam complexionem*. Plato: *Bonum ex omnibus bonis aggregatum*. Ariſtoteles lib. 1. Ethic. cap. 7. *Felicitas eſt bonum ſufficiens*, & explicans quid ſit hoc bonum ſufficiens, addit, *ſufficiens id eſſe ſtatuimus, quod ſi ſolum relinquatur, ſufficientem, atque expetibilem vitam, nulliuſque rei indigam facit*: & lib. 10. cap. 2., & 7. aſſerit, beatitudinem eſſe ultimum ſimpliciter, ſed nullum ex prædictis bonis eſt cumulata omnium bonorum complexio, malo quolibet ſecluſo, nullum per ſe ſufficiens, nullius indigum, & ſimpliciter ultimum: ergo.

Definitiones beatitudinis per Philoſophos.

EXPLICATUR, & primò quoad bona fortunæ: ex prælibatis definitionibus bonum, quod hominem beat, debet eſſe homini intrinſecum, & excellentius homine, & omne malum excludens. Sed bona fortunæ ſunt homini extrinſeca, & ipſimet deſerviunt, nec omne malum excludunt; nam fortunæ bonis qui affluit, quandoque bona valetudine, robore, & virtutibus caret: ergo. Præterea bonum beans nequit eſſe poſſidenti cauſa mali; at uſuvenit, ut bona fortunæ quandoque præbeant poſſidenti malorum cauſam tum corpori, tum animæ: ergo.

Bona fortunæ ſæpe cauſa mali.

Ulteriùs bonum beans non poteſt eſſe commune Bonis, & Malis; ſed bona fortunæ bonis, & malis communia ſunt: hinc in Scripturis ùt contemptibilia prædicantur: Paulus ad Philipp. 3. vocat ea ſtercora, de divitiis dicitur Eccleſiaſtes 5. v. 9. *Avarus enim non implebitur pecuniâ*: Prov. 17. v. 16. *Quid prodeſt ſtulto habere divitias, cùm ſapientiam emere non poſſit*: de poteſtate, & gloriâ Jacobi 4. v. 15. *Vapor eſt ad modicum parens*:
A Eccleſ. 10. v. 12. *Rex hodie eſt, & cras morietur*: Pſal. 36. v. 35. *Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani. Et tranſivi, & ecce non erat: & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus.*

Quod ad bona corporis: bonum beans debet eſſe ſolius hominis; ſed bona corporis ſunt communia brutis, immo vita in aliquibus ſolet eſſe longior, valetudo firmior, robur majus, ſenſus acutior, intenſior voluptas. Deindè non debet ad aliud ordinari, ſed bona corporis ad aliud ordinantur, ad bonum ſcilicet animæ, ſicut corpus ad animam: debet eſſe ſtabile; ſed
B corporeis bonis nihil inſtabilius: ergo.

Beatitudo non debet ad aliud ordinari.

Quoad voluptatem: 1. delectationes corporis non conveniunt homini ſecundùm id, quod eſt in homine nobiliſſimum, nempe ſecundùm partem intellectivam; ſed finis ultimus debet nobiliori hominis parte convenire.

2. Summa hominis perfectio non poteſt in aliqua re excellentiori conſiſtere, quàm quæ rebus conjungitur etiam inferioribus: finis enim eſt melior eo, quod eſt ad finem; ſed delectationes conſurgunt ex eo, quòd homo per ſenſum rebus inferioribus uniatur: ergo.

Finis eſt melior eo, quod eſt ad finem.

3. Bonum, quod eſt per ſe tale, eſt
C melius eo, quod eſt bonum per aliud; ſed delectationes ſunt bonum per aliud, & non per ſe, adeoque neque ſummum bonum: ergo. *Minor* explicatur: bonum, quod non eſt tale niſi ùt moderatum, non eſt bonum per ſe, ſed bonitatem habet a moderante. Hujuſmodi ſunt delectationes, quæ cùm immoderatæ ſunt, una impedit aliam, & habenti nocent; & ſic videmus, quòd maximus voluptatum uſus & nocet, & alias impedit operationes, atque in vitium degenerat: ergo ſignum eſt, quòd non poſſunt eſſe bonum per ſe. Præterea actus virtutum ſunt laudabiles ex eo, quòd ad felicitatem
D ordinantur: ſi ergo in iſtis delectationibus felicitas conſiſteret, actus eſſet laudabilia per acceſſum ad eas; ſed oppoſitum contingit; unde temperantia eſt laudabilis per abſtinentiam a delectationibus: ergo. Hæc ex *S. Thoma* 3. contra gentes c. 27.

Delectationes non ſunt bonum per ſe.

Quoad bonum Animæ: ultimò beans in ſuo uſu non admittit laborem, & difficultatem; ſed uſus ſcientiæ, virtutis, & artis includit laborem, & difficultatem: ergo. 2. ultimò beans non debet ad aliud ordinari; ſed ſcientia, virtus, & ars, cùm practica ſint, ad operationem ordinantur, & maximè Prudentia, quæ inter morales vir-
E tutes prima eſt princeps: ergo concludendum eſt, Beatitudinem conſiſtere in contemplatione veritatis; quia hæc eſt operatio propria hominis, nec ad aliud ordinatur, cùm cognitio veritatis ſit propter ſe. Non debet tamen eſſe cognitio veritatis rerum infimarum; hæc enim non eſſet ſumma perfectio cognoſcentis: ergo debet eſſe cognitio primæ veritatis, quæ eſt Deus; non quidem acquiſitæ per demonſtrationem, quia eſt cognitio imperfecta, nec penetrat quiditatem, cùm procedat per negationem removendo imperfectiones, vel per affirmationem mediis

Beatitudo excludit laborē, & difficultatem.

effectibus : nec perfectè ſatiat , cùm relinquat appetitum ad alia cugnoſcenda , & aliàs eſt fallacits ſubjecta . Non debet eſſe cognitio primæ veritatis per fidem ; quia fides eſt de non viſis , nnde intellectus uon quieſcit , ſed magis accenditut , deſiderans videre , quod ctedit : ergo debet eſſe cognitio primæ veritatis poſſeſſæ pet claram viſioucm , perfectamque fruitionem . Sic *D. Thomas* .

SOLVUNTUR ARGUMENTA .

108 OBJICIES 1. Id , quod maximè Deo convenit , hominis beatitudo videtur ; ſed buna fortunæ videntur maximè convenire Deo : ergo videntut huminis beatitudo . Inter bona fortunæ eſt honot , & poteſtas : ſed per Philoſoph. 8. Ethic. *honor maximè convenit Deo* , & ſecundùm Fidem *ſoli Deo honor* , *& gloria :* poteſtas qnoque Deo convenit , cùm perfectiſſimum ſit alios regere : ergo .

Confirm. Id , quod homo maximè deſideat , eſt ſua ipſius beatitudo , cùm in eam ſuapte natura maximè feratur ; ſed homo ſummopere deſiderat bona furtunæ : ergo . *Minor* oſtenditur . Humines in omnibus jacturam patiuntur , ne detrimentum patiantur honoris ; & nihil eſt , a quo magis abhorreant , quàm ſetvitus : ergo dominationem, utpote ſervituti contrstiam, maximè appetir . Divitias vehementiſſimo etiam deſiderio proſequntur , quæ in hominum affectu duminantur , unde illud adagium *pecuniæ omnia obedire* ; ſed ratio ultimi finis eſt , quæ potiſſimè dominatur : ergo divitiæ ſuut ultimus finis .

Confirm. 2. Beatitudo eſt bonorum omninm aggregatio ; ſed divitiarum poſſeſſio eſt hujuſmudi ; quia pet eas haberi poteſt, quidquid placet , & aliter cùm Avarus pecuniâ nunquam impleatur *Eccleſ. 5.* , videtut divitiarum cupiditas eſſe infinita , quod utique proprinm eſt ſummi boni , cujus deſiderium nunquam deficir .

Honor conſequitur ad excellentiam.

RESP. *nego min.*, *ad prob.* dico: honor non facit Deum , nec homines excellentes : datur in teſtimonium præexiſtentis excellentiæ , ac proinde eſſe non poteſt ſummum bonum : honor eſt in honorante : beatitudo debet eſſe in beato . Veruntamen hunur ſequitur beatitudinem , quæ , cùm ſit bonum perfectum , excellentiam ſupponit, propter quam debetur honor. Præterquamqund poteſtas humana cunſtituere beatitndinem neutiquam puteſt ; eſt euim ſecundùm ſe ad bunum , & ad malum . Secus in Deo , cujus puteſtas eſt ipſa bonitas divina , qua malè uti poteſt nemo . Licèt verò optimum ſit , ſi qnis poteſtate benè utatur ; eſt tamen peſſimum , ſi malè nratnr in regimine . Ecce honor in homine ſe habet ad bonum, & malum .

Ad primam confirmationem per ſe loquendo neganda eſt *minor* . Honuris deſiderium oritur ex deſiderio beatitudinis , quam hunos ſequitur ; qnia abſque excellentia nun ſubſiſtit beatitudo . Hinc ſit , ut homines a Sapientibus cupiant hunorari , quorum judicio , utpote recto ſeſe verè excellentes reputant . Servitutem autem fugiunt , non quia poteſtas ſit ſummum bonum , ſed quia impedit uſum naturalis libertatis , quâ quemque natura donavit : divitiis obediunt omnia propter multitudinem ſtultorum , qui meliora contemnunt . Judicium de bono perperam ea ſtultis petitur . Nec infinita eſt ſecundùm ſe cupiditas divitiarum , quæ ordinatæ ſunt in naturæ commoda : his autem moderatus pecuniæ uſus ſufficit . Quia tamen effrenis concupiſcentia, cui res numaria deſeruit in malis , ſe habet inſtar ignis , qui ab ingeſto pabulo nun extinguitur , ſed augetur ; ideò inordinatus affectus videtur infinitus . Addo : hominis bonum eſt in fruenda beatitudine poſitum , ad quod requiritur , ut illam jugiter poſſideat . Bonitas verò divitiarum conſiſtit in effuſione earuudem , quæ niſi effundantur , non ſunt utiles , nec proinde beatum efficere queunt habentem , ſi illas effundit . Ea his patet ad ſecundam confirmationem : per divitias ſola bona venalia poſſidentur , quæ certè infimi ordinis ſunt ; non enim virtutes , ant ſapientia emuntur auro .

Deſiderium libertatis a natura.

109 OBJICIES 2. In eo , quod eſt optimum , conſiſtit beatitudinis perfectio ; ſed corporis bona ſunt optimum : unde Eccleſ. 30. v. 16. dicitur : *Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis* : & communiter eſſe , & vivere , ad quod ſalus requiritur , omnibus aliis bonis melius creditur : quod etiam apparet ex eo, quòd eſſe ultimi finis aſſequitur conditionem ; nam quò aliqua cauſa eſt ſuperior , eò ejus virtus ad plura ſe extendit , & ſicut cauſalitas efficientis ſecundùm influxum conſideratur , ita cauſalitas finis ſecnndùm appetitum : ergo ſicut prima cauſa eſt , quæ influit in omnia , ita ultimus finis eſt , quem omnia appetunt ; ſed eſſe , & vivere omnia appetunt : ergo eſt ultimus finis : ergo , quæ ſpectant ad corpus , beatum faciunt .

RESP. *neg. min.* Anima melior eſt corpore , cùm per eam vivat , & ab ea ſuum omne bonum in ſe derivet . Itaque in bonis corporis nun ſtat ultima felicitas ; nec enim fieri poteſt , ut quæ res ordinatur ad illud tanquam ad finem , ejuſdem conſervatio ſit finis ultimus . Navis , quia ad aliud ordinatur , Gubernator non intendit conſervationem navis tanquam ultimum finem . Cùm igitur corpus ad animam ordinetur , ſit , ut ejuſdem conſervatio non ſit optimum . Dicitur tamen eſſe , & vivere bonum omnium optimnm , non quia reverà ſit tale ſecundùm ſe , ſed quia eſt fundamentum , quo ſublato, aliis frui bonis nequaquam poſſumus . Neque ex eo , quòd omnia appetant eſſe , infertur ratio finis ultimi ; ſicut enim ſupponit primum principium , a quo habet eſſe, ita & ultimum finem , ad quem ordinantur . Atque hic eſt primum principium eſſendi , in quo eſt omnis eſſendi perfectio , cujus ſimilitudinem appetunt ſecundùm ſuam perfectionem, quædam ſecundùm eſſe tantùm, quædam ſecundùm vivere , quædam ſecundùm eſſe beatum , quod paucorum eſt .

Corpus ordinatur ad animam .

110 OB-

110 OBJICIES 3. Id, quod appetitur ab omnibus, & ad aliud non ordinatur, eſt beatitudo. Voluptas ita ſe habet; nam 10. Ethic. *Stultum eſt quærere, propter quid aliquis velit delectari*. Explicatur *primò*. Ideò bonum appetitur, ut eo acquiſito, appetitus quieſcat; hæc quies eſt delectatio: ergo propter eam omnia appetuntur. *Secundò*. Proprium eſt cauſæ primæ, & ultimi finis vehementer movere; ſed voluptas maximè movet: ergo.

RESP. *neg. min.* in ſenſu explicando. Delectatio non eſt beatitudo, ſed quid conſequens ad illam; conſurgit enim ex poſſeſſione boni convenientis in re, vel in ſpe: ſi bonum ſit perfectum, beatitudo eſt completa, & completa delectatio: ſi bonum imperfectum, eſt beatitudinis participium, & delectatio diminuta: unde delectatio non eſt beatitudo, & multò minùs corporea, quæ non ſequitur bonum perfectum, ſed apprehenſum per ſenſum, qui eſt inferior ad rationalem partem animæ. Quoniam verò bonum omnes appetunt ſibi conveniens, ideo omnes appetunt delectationem: & quando dicitur, quodnam appetitur propter aliud, falſum eſt, loquendo de cauſa motiva, & formali, quia eſt appetibilis propter bonum, quod eſt objectum delectationis, & principium. In genere cauſæ finalis non dicitur propter aliud appeti, quia non ponit in numero cum ipſo bono poſſeſſo, ad quod ſequitur: ex quo patet ad primam explicationem. Ad ſecundam motio vehemens in ſenſibili delectatione ex eo naſcitur, quòd ſenſuum operationes, utpote noſtræ cognitionis principia, ſunt magis perceptibiles; unde ſenſibilis delectatio a pluribus appetitur. Undequaque jam colligas, nullo corporis bono humanam conſtari beatitudinem.

Delectatio conſurgit ex poſſeſſione.

An verò noſtra felicitas ſit bonum animæ, dupliciter poteſt intelligi, vel ipſa res, quam adipiſci deſideramus, vel uſus illius, aut ſubjectum, *cui* appetitur. Uſus utique eſt bonum animæ, quia nihil eſt aliud, quàm poſſeſſio boni concupiti, quæ habetur per actum intellectus, & voluntatis, ſicut homo eſt ſubjectum, & finis *cui* beatitudinis. Si ipſa res concupita attendatur, anima eſſe non poteſt ultimus finis, quæ ſecundùm ſe conſiderata eſt in potentia exiſtens, unde de ſciente in potentia fit ſciens in actu, de perfectibili in potentia fit perfecta in actu. Potentia verò ad actum ſe habet ùt incompletum ad ſuum complementum; adeoque quod eſt in potentia, nequit eſſe finis ultimus; ſicuti neque aliquid animæ inhærens ſive actus, ſive habitus ſit; quia omne inhærens bonum quoddam participatum eſt impotens ſatiare voluntatem, quæ eſt boni univerſalis, adeoque increati boni.

Quod eſt in potentia, nequit eſſe finis ultimus.

111 OBJICIES 4. Finis ultimus cujuslibet rei eſt in opere ſuo perfecto, unde pars eſt propter totum tanquam finem; ſed homo ad univerſitatem creaturarum ſe habet ùt imperfectum ad perfectum, ùt pars ad totum: ergo univerſitas creaturarum eſt finis ultimus hominis. Ulteriùs ſecundùm vulgatum axioma, ſupremum infimi attingit infimum ſupremi; ſed infimum ſupremi ſcilicet Dei, eſt creaturarum productio: ergo harum cognitio eſt finis hominis.

RESP. Totum tunc eſſe finem ultimum partis, quando ad ulteriorem finem non ordinatur. Univerſitas autem creaturarum ordinatur ulteriùs ad Deum, tanquam ad ultimum finem. Adductum axioma non aſſumitur ad intentum, ſolùm enim ſignificat res inferioris ordinis ſecundùm ſuam perfectionem participare aliquid de ordine ſuperioris, eique aſſimilari in aliquo. Cætarùm cùm omne bonum homini ſuperiùs præter Deum limitatum ſit, nequit hominem perfectè beare.

112 OBJICIES 5. Contra rationem *D. Thomæ*. Id ſolùm quietat voluntatem, quod eſt ejus objectum; ſed bonum increatum non eſt objectum voluntatis; objectum ſiquidem voluntatis eſt bonum univerſale in prædicando, ſeu in abſtracto; Deus verò non eſt bonum univerſale in prædicando, ſed in cauſando: ergo non eſt ejus objectum: ergo non benè arguitur ab uno univerſali ad aliud.

RESP. *nego min.* Ex eo quòd objectum voluntatis ſit bonum univerſale, benè ſequitur Deum ſolùm explere voluntatem; tota enim perfectio univerſalis boni in prædicando ſolùm continetur a bono univerſali in cauſando, & eſſendo, demptis imperfectionibus, modo eminentiali; itaque ſola hujus poſſeſſio poteſt voluntatem ſatiare.

113 DICES. Licèt humanitas Chriſti terminetur, & ſatietur per ſubſiſtentiam Verbi creatam ſubſiſtentiam continentis; tamen illam non petit; ſed ſatiatur propriâ, ad quam inclinat: ergo licèt voluntas creata ſatietur a bono increato ùt continente alia bona, illud tamen non petit, ſed ſatiabitur bono abſtracto, quod eſt ipſius objectum.

RESP. *neg. conſeq.* Ex quo objectum voluntatis eſt bonum abſtractum, inclinatur in poſſeſſionem particularium objectorum ſub illa univerſali ratione contentorum; non enim quieſcit per hoc, quòd attingat illam rationem logicè abſtractam utpote ens rationis, & bonum imperfectiſſimum: aliter nullum bonum particulare, Deo excepto, adæquat latitudinem univerſalitatis appetentis, immo neque omnia ſimul, cùm ſint bona particularia, participata, & imperfecta. Adde: ſub illa univerſalitate, cùm Deus ùt principalius objectum contineatur, fit, ut eo non attacto, non quieſcat: ſubſiſtentia verò creata ſe ſolâ ſufficit ad terminandam inclinationem ſubſtantiæ, quia illi adæquatur, unde non petit ſubſiſtentiam creatam.

Sine Deo voluntas non quieſcit.

114 URGEBIS. Ex quo bonum abſtractum eſt objectum voluntatis, fit, ut poſſeſſo bono increato, non quieſcat inclinatio voluntatis, niſi bonum creatum poſſideat; nam inclinatio ejus eſt ad bonum, prout comprehendit creatum, & increatum: ergo non ſatiatur, niſi utroque poſſeſſo. *Explicatur*: ſicut, viſis effectibus, oritur deſiderium cognoſcendi cauſam; ita viſâ cauſâ, videndi effectum; ſed viſis effectibus, non quieſcit, niſi

cauſam

eauſam videat : ergo viſà cauſà, non quieſcit, niſi videat effectus, qui ſunt creaturæ.

RESP. *neg. ant.* Bonum ſiquidem creatum meliori modo continetur in Deo, quàm in ſe ipſo ; & creaturæ, quæ ſunt effectus, meliùs, & perfectiùs videntur in Deo, quàm in ſe. *Creatura cōtinetur in Deo.* Quare non remanet inexpletus appetitus voluntatis ; præſertim quòd appetitus videndi effectus eſt ſecundarius, appetitus videndæ cauſæ eſt primarius : ad eſſentialem beatitudinem ſufficit ſatietas inclinationis primariæ, ſatietas inclinationis ſecundariæ eſt complementum beatitudinis.

115 REPLICABIS : quamvis Dens modo perfectiſſimo effectus creatos contineat ; nihilominus non unitur ſecundùm quod illos in particulari exprimit, aliter comprehenderetur Deus : ergo non expletur inclinatio ; & licèt ſit ſecundaria, expleri tamen debet, ut tollatur anxietas ; ſecus objectum primarium non expleret, niſi ſecundariæ inclinationis ſatietatem radicaret.

RESP. *neg. conſeq.* Tum quia non datur inclinatio ad videndum Deum ùt cauſam univerſaliſſimam exprimentem omnes effectus in particulari ; *Beatus non petit perfici modo infinito.* haud enim habet inclinationem, ut perficiatur modo infinito, quod eveniret in caſu, quo poſſideret cauſam primam omnem effectum in particulari exprimentem : tum quia anxietas non ſequitur niſi ad privationem rei poſitivè debitæ ; quantitas verò intenſionis, & extenſionis in Dei viſione penes merita attenditur, quæ utique numquam exigunt videre in Deo omnes effectus in particulari.

116 INSTABIS. Sient divina eſſentia eminenter continet effectus creatos, & hi ad ſecundarium objectum ſpectant, ita continet divinas relationes, & hæ pertinent ad objectum ſecundarium, cùm in eſſe entis non ſint de primaria conſtitutione Dei ; atqui viſà eſſentià, non viſis Perſonis in particulari, non ſatiaretur appetitus : ergo neque ſatiaretur appetitus, non viſis creaturis in particulari.

RESP. *nego majorem* ; quia Perſonæ Divinæ pertinent ad eſſentialem conſtitutionem Dei, ùt eſt Unus, & Trinns ; *Perſonæ Divinæ pertinēt ad conſtitutionem Dei.* & quamvis ab eſſentia quaſi emanent, ſunt tamen modi intrinſeci ejuſdem ; nequit proinde videri Deus prout in ſe, niſi in particulari videantur Perſonæ. Creaturæ verò non pertinent ad eſſentialem conſtitutionem Dei, ſed ad ejus eminentiam, nec ſunt modi intrinſeci, & eſſentialis eſſentiæ : adeoque perfectè ſatiatur appetitus, illis non viſis in particulari.

Hinc Scholaſtici metaphyſicam movent quæſtionem ; an, ſi per impoſſibile viſà eſſentià, non viderentur Perſonæ, eſſentialiter eſſet Beatos ; ſed hoc nihil intereſt ad Fidei controverſias : ſufficiat, quòd de facto nullus beatificetur, quia videat eſſentiam, & Perſonas ; cùm beatitudo ſit viſio Dei prout in ſe, ùt docent Scripturæ : non videtur autem Deus clarè prout in ſe, niſi videantur prædicata formaliter conſtitutiva Deitatis, & Trinitatis ; cùm Deus in ſe formaliter ſit Unus, & Trinus : quidquid ſit, an Perſonæ in ſuo conceptu relativo dicant perfectionem.

CONTROVERSIA VI.

AN BEATORUM ANIMÆ CONSTITUANTUR IN STATU BEATIFICANTE PER INCREATAM DEI COGNITIONEM.

117 TAmetſi nullum Controverſia hæc directè involvat articulum Fidei, nihilominus quoniam pleriſque hæreſim videtur ſapere, pleriſque temeritatem, & a nonnullis appellatur erronea propoſitio : ideo non eſt ab inſtituto noſtro aliena, immo maximè propria, cùm non tam expreſſos Fidei errores noſſe oporteat, quàm proximos. Inoleverat quorundam doctrina ævo *S. Bonaventuræ*, animas non eſſe in ſuo ſtatu conſtitutas per actum ab ipſis elicitum, ſed per increatam Dei viſionem illis intrinſecè unitam.

118 DICO : *Animæ non conſtituuntur in ſuo ſtatu per viſionem Dei increatam intrinſecè ſibi unitam.* PROB. 1. auctoritate : Scripturæ deſcribunt Beatos poſſidere ſuum ultimum finem per actiones ab ipſis elicitas ; ſed viſio increata Dei non eſt actio a Beatis elicita : ergo per eam non poſſident ſuum ultimum finem. *Major* declaratur Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt autem vita æterna : Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum.* Apoc. 2. v. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ* ; ſed ratio vitæ actualis, & vitalis comeſtio importat operationem egredientem a vivente ; in hoc enim differt vivens a non vivente, quòd primum movetur a ſe ipſo, ſecundum ab alio : ergo.

118 CONFIRM. 1. aliis teatibus, 1. Joan. 3. v. 2. *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt* ; 1. ad Corinth. 13. v. 12. *Tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum* ; Ibidem *videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate : tunc autem facie ad faciem* ; ſed videre, & cognoſcere *Vivens movetur a ſe.* important actiones egredientes a vidente, & cognoſcente : ergo. Ubi etiam advertendum, apud Apoſtolum idem eſt (exceptà claritate, & obſcuritate) videre per fidem, & per ſpeciem ; ſed viſio per fidem verè elicitur à nobis : ergo etiam viſio per ſpeciem. Ulteriùs dicit ſe activè cognoſciturum Deum quiditativè, ſicut eſt quiditativè cognitus ; ſed cognitus eſt per actionem virtualiter emanantem a Deo : ergo cognoſcet per actionem ab ipſo emanantem realiter ; *Nulla creatura eſt ſuum operari.* cùm nulla creatura ſit ſuum operari.

119 CONFIR. II. ex Patribus ; quorum unam, vel alteram ſubdo ſententiam, quia ſuperioribus in Controverſiis citatæ etiam præſenti deſerviunt. *Ambroſius* lib. 2. de Divin. Officiis cap. 2. — Scriptura Divina „ vitam beatam in cognitione poſuit divini- „ tatis, & fructus bonæ operationis : — *Auguſtinus* pluribus locis beatitudinem explicat verbis operationem elicitam, atque creatam exprimentibus ; lib. 1. de doctrina Chriſti cap. 32. — Hæc autem merces ſum- „ ma

„ ma eſt, ut Deo perfruamur, — lib. 8. de Civit. cap. 9. — Nemo beatus eſt, qui „ eò quòd amat, non fruitur; — lib. 12. de Civit. cap. 1. explicata beatitudine per adhæſionem ad Deum ſubdit — Quàm por„ rò magna ſit laus adhærere Deo, ut ei „ vivat, inde ſapiat, illo gaudeat, tanto„ que ſine morte, ſine errore, ſine mole„ ſtià perfruatur, quis cogitare dignè poſſit, „ aut eloqui? — *Nazianzenus* orat. in plagam grandinis, Regnum cælorum eſſe contemplationem Trinitatis ſe totam cum tota mente miſcentis: dicit enim: — Illos qui„ dem lux omni ſermone præſtantior exci„ piet, & Sanctæ, regiæque Trinitatis pu„ riùs jam, & clariùs illuminantis, to„ tamque ſecum tota mente miſcentis, con„ templatio (in qua ego vel ſola, regnum „ cælorum maxima ex parte poſitum eſſe „ cenſeo) — *Boetius* de conſolat. lib. 3. proſa 10. Beatos dicit fieri quadam participatione; ſi ergo per participationem ſit, non ſit eàdem increatâ Dei viſione.

CONFIR. III. ex ſenſu Eccleſiæ; quæ in Conciliis ſtatuens formalem Animarum beatitudinem verbis utitur exprimentibus operationem ab ipſis procedentem: Concil. Florentinum in Decreto Unionis — De„ finimus . . . Illas etiam, quæ poſt con„ tractam peccati maculam, vel in ſuis „ corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus „ (prout ſuperiùs dictum eſt) ſunt purga„ tæ, in Cælum mox recipi, & intueri „ clarè ipſum Deum Trinum, & Unum „ ſicut eſt: — Et Conſtitutione ejuſdem pro unione cum *Jacobitis* idem repetitur: eadem omnino verba recitantur in fidei formula CLEMENTIS VIII. ad Orientales: BENEDICTUS XII. in ſua extravaganti de ſtatu Animarum: — Cum Chri„ ſto Sanctorum Angelorum conſortio ag„ gregatæ, ac poſt Chriſti Jeſu paſſionem, „ & mortem viderunt, & vident, & vide„ bunt divinam eſſentiam immediatè ſe be„ nè, & clarè, & apertè illis oſtendentem; „ quodque ſic videntes eàdem eſſentià per„ fruuntur, nec non, quòd tali viſione, & „ fruitione earum Animæ, quia jam deceſ„ ſerunt, ſunt verè beatæ: — Et Cathechiſmus PII V. in Articulum Symboli: *Credo in vitam æternam* — Solida beatitudo, „ quam eſſentialem communi nomine licèt „ vocare, in eo ſita eſt, ut eum videamus, „ ejuſque pulchritudine fruamur, qui eſt „ omnis bonitatis, ac perfectionis fons, „ & principium — Prædictæ igitur locutiones, anima ſcilicet intuetur, videt, fruitur: viſio, fruitio in proprietate ſermonis, ſecundùm quam accipiendæ ſunt Conciliorum definitiones, ſignificant operationem activè elicitam a vidente. His accedit definitio Concilii Viennenſis relata in Clement. *Ad noſtrum* de Hæreticis, dicens: *Animam indigere lumine gloriæ ad Deum videndum, & beatè fruendum*; ad videndum non ad recipiendam viſionem, ut intelligamus non ſe habere ſolùm diſpoſitivè, ſed etiam activè.

121 CONFIR. IV. Quælibet res finem ſuum aſſequitur modo naturæ ſuæ proportionato; ſed anima rationalis tendit in ſuum finem mediis actibus ab ipſa elicitis: unde definit Tridentinum *ſeſſ. 6. can. 4.* liberum arbitrium cooperari Deo excitanti, & agere, nec merè ſe habere paſſivè: ergo etiam illum aſſequitur activè agendo; quies enim motui correſpondet: hinc egregiè *Bernardus* ſerm. 5. de Aſſumpt. *Hæc eſt merces, hic eſt finis fructus noſtri laboris, viſio ſcilicet Dei*.

Quælibet res tendit in ſuū finem modo ſibi proportionato.

122 CONF. V. Omnis Juſtus glorificatur conformiter ad Chriſti glorificationem, ùt habetur ex Apoſtolo; ſed Chriſtus non glorificatur per increatam viſionem: ergo nullus. *Minor* oſtenditur ex ſexta Synodo Generali Act. XVII., quæ definivit contra *Monothelitas* duas in Chriſto operationes: — Juxta quod olim Prophetæ de „ eo, & ipſe nos Dominus Jeſus Chriſtus „ erudivit, & Sanctorum Patrum nobis tra„ didit Symbolum duas naturales volunta„ tes in eo, & duas naturales operationes „ indiviſè, inconvertibiliter, inſeparabili„ ter, inconfuſè, ſecundùm Sanctorum Pa„ trum doctrinam adæquatè prædicamus — Et ex Conſtit. Concilii Florentini ſuper unione *Jacobitarum* numero de approbatione Concil. Chalcedonenſis: — Et definitum „ eſt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum „ eſſe verum Deum, & verum Hominem, „ & in una, eademque Perſona Divinam, „ humanamque naturam integras, inviola„ tas, incorruptas, inconfuſas, diſtinctaſ„ que manſiſſe, humanitate agente, quæ „ hominis ſunt, & Deitate, quæ Dei ſunt: — ergo ſi humanitati Chriſti non conceditur beatitudo per unionem increatæ viſionis, multò minùs aliis hominibus concedenda eſt. Certè unio perſonalis Divinitatis magis conducit ad unionem mediâ operatione, quàm unio ſolùm objectiva: ergo ſi prima non trahit unionem viſionis increatæ, nec trahere debet ſecunda.

Explicatur argumentum. Ideo ſanxit Eccleſia duas in Chriſto operationes; quia Scriptura quaſdam operationes attribuit ejus humanitati: Marci 14. verſ. 34. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*: Joann. 7. v. 1. *Non enim volebat in Judæam ambulare: quia quærebant eum Judæi interficere*. Sed itidem Scriptura ſignificat viſionem Dei beatificam eſſe activè a Beato: *Videbimus eum ſicuti eſt: ſatiabor cùm apparuerit gloria tua; gaudebunt, & ſaturabuntur*: ergo.

Explicatur ſecundò. Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitanum ideo geminas admittunt in Chriſto operationes; quia datur duplex natura: ſed idem proportionabiliter currit in noſtro caſu; ineſt enim homini natura ſupernaturalis, participata quidem a Deo, ſed diſtincta, & homini inhærens, ùt ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 7.* — Demùm uni„ ca formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non „ qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos fa„ cit, qua videlicet ab eo donati renova„ mur ſpiritu mentis noſtræ, & non mo„ do reputamur, ſed verè juſti nomina„ mur, & ſumus juſtitiam in nobis re„ cipientes. — Cùm igitur ſuas hæc forma operationes habeat, & perſeveret in

Pa-

Patria, eas oportet eliciat; nec aliæ ſunt, præterqoam viſio, & froitio. Et ſanè Apoſtolus 1. ad Cor. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit*, quæ utique eſt virtus proxima operativa gratiæ, & operatur in Patria eliciens actus fruitionis, & gaodii, qui charitatis ſunt proprii; quare Joan. 16. v. 22. *Gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis*: Matth. 25. v. 21. *Intra in gaudium Domini tui*: ergo ſi fruitio eſt elicitivè a Beato, erit quoque viſio.

Charitas eſt virtus operativa.

123 Hinc ductatur ratio concluſionis noſtræ. Vel Anima Beati formaliter, realiter, & in veritate Deum videt, vel non? ſecundum dici nequit: primum non poteſt haberi per viſionem increatam: ergo per elicitam ab ipſa anima. *Prob. min.* quoad primam partem: I. Beatus verè poſſidet vitam æternam: Matth. 19. v. 16. *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam*; ſed vita æterna non aliter poſſidetur, niſi per viſionem, & fruitionem: ergo verè videt, & fruitur.

Vita æterna habetur per viſionem, & fruitionem.

124 II. Actualis poſſeſſio beatitudinis objectivæ conſiſtit in optimo actuali creaturæ rationalis; ſed optimum actuale rationalis creaturæ in operatione intellectivæ, & volitivæ potentiæ conſiſtit: ergo talis poſſeſſio habetur per actus intellectus, & voluntatis. *Major* eſt certa; nam formalis beatitudo eſt ultimum perfectivum in actu, ſicut objectiva in eſſe rei poſſeſſæ; ideoque Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. v. 10. ait: *Cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*; quid autem eſt, quod evacuatur? Cognitio Dei imperfecta: *Nunc cognoſco ex parte*: qoid eſt acquirendum? Cognitio Dei perfecta: *Tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*.

125 III. Anima in ſtatu felicitatis conſtituitur vera unione ad ultimum finem; atqui unio cum fine ultimo habetur per operationem; nam finis non finalizat, niſi ùt cognitus, & attactus: ergo anima verè cognoſcit, & attingit Deum tanqoam bonum beatificans, & finalizans.

EXPLICATUR. Formalis ſtatus felicitatis eſt ultimus finis homini intrinſecus; unde in perfectiſſima debet unione ad finem conſiſtere, & in forma, per qoam ſimilior ad Deum accedit; ideo Scriptura: *cùm apparuerit, ſimiles ei erimus*; atqui per operationem ſimilior Deo fit, qui actualiſſimus eſt, omnem excludens potentialitatem; operatio enim eſt ultima hominis perfectio viâ actuationis, & maxima perfectio adveniens ſubjecto beatificabili, hoc eſt, habenti gratiam, quæ eſt primum eſſe ordinis ſupernaturalis; operatio namque omnem capacitatem explet potentiarum, & eſt earum finis.

126 Probatur nunc ſecundum, ſcilicet animam non conſtitui videntem, & fruentem, niſi per actionem elicitam, non autem per increatam. Status ultimæ felicitatis eſt homini ſuaviſſimus; ſed non eſſet hujuſmodi, niſi operationes, ad quas inclinat, eliceret, qoia delectatio in potentias emanat ex productione operationum, quæ potentiis iiſdem correſpondent: homo autem per gratiam elevatus maximè avet, & excupit intueri ſuum finem, eoqoe perfrui, quandoquidem gratia ſit per ſe radix cognoſcendi Deum, & amandi. Quamobrem haud eſſet connaturaliter ſaturata, niſi per ſuas operationes ultimum, ſummumque bonum complecteretur, ac poſſideret ſoom. Quod ut ſentiam, ea quoque urget ratio; quòd cùm Deus ex ordinaria providentia moderetur, ac dirigat creaturas ad ultimam perfectionem, ſe ſe aptat noſtræ ipſorum naturæ, & inclinationi: juxta illud Sapientiæ 8. v. 1. *Attingit ergo a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*.

Status felicitatis eſt homini ſuaviſſimus.

127 II. Implicat voluntatem diligere Deum clarè cognitum per actum a ſe non elicitum; ſed ex dictis anima in ſtatu beatitudinis diligit Deum: ergo per actum a ſe elicitum. *Major* eſt evidens; implicat enim actus voluntatis diligentis Deum, qui non ſit voluntarius; voluntarium autem eſt ab intrinſeco cum cognitione: qood autem dicitur de actu voluntatis pari paſſu procedit de actu intellectus *S. Thomas* 2. 2. q. 2. art. 1.

128 III. Implicat hominem vivere in actu ſecundo abſque actu ab ipſo elicito; ſed operatio beatificans eſt vita hominis in actu ſecundo, ùt conſtat ex citatis Scripturis: ergo. *Major* eſt clara; quia vivere in acto ſecundo eſt ſemovere in actu ſecundo. Sicut ergo viſio, & fruitio ùt actiones immanentes eſſentialiter recipi debent in ſubjecto, ita qoia vitales eſſentialiter debent exire a vivente; nam ſicut ob primum munus formæ immanentis important dependentiam ſubjectivam, ita ob munus vitalitatis important dependentiam egreſſionis. Hinc etiam Philoſophus hanc veritatem agnovit 12. Metaph. cap. 9. textu 51. *Si Deus eſt dormiens, non erit beatus*.

129 *Urgentius probatur*. Operatio, quæ non eſt ipſa ſubſtantia operantis, ut verè conſtituat operantem, debet ab eo realiter procedere tanquam a principio effectivo; ſed eſt implicantia in terminis, quòd actio increata Dei, quæ eſt perfectiſſima ſubſtantia a ſe, procedat realiter effectivè a creatura; nam in hoc caſu haberet rationem effectus: ergo. *Explicatur major*. Operatio verè conſtituens in eſſe operantis id, a quo realiter diſtinguitur, comparatur ad illud tanquam ad operans in genere cauſæ efficientis: & ſi operans ſit vivens, debet eſſe tanquam effectivum ſe movens; etenim ſi ad illud compararetur præcisè ùt ad ſuſceptivum, non conſtitueret agens, ſed recipiens: ergo ab eo debet effectivè procedere.

Actio increata Dei non poteſt procedere a creatura.

SOLVUNTUR ARGUMENTA .

130 OBJICIES 1. Status Animarum eſt ultimus finis naturæ rationalis Nulli formæ creatæ convenit ratio finis ultimi : ergo in nulla forma creata conſiſtit ſtatus Animarum : ergo in viſione increata Dei . *Explicatur* . Si ſtatus animarum non conſiſtit in actu increato, conſiſtet in accidenti creato . Hoc eſſe non poteſt ; aliter beatitudo eſſet imperfectior ſubſtantiâ beatificabili .

Beatitudo eſt aſſecutio ultimi finis.

RESP. Formalis animarum ſtatus eſt ultimus finis aſſecutivè, quatenus aſſequitur ſummum bonum, illudque poſſidet, eidemque unitur . Ratio autem ultimi finis aſſecutivè non repugnat formæ creatæ ; quo item modo non implicat creaturam moveri in Deum, ipſum amare, & cognoſcere . *Ad explicationem* . Stante exceſſu ſubſtantiæ quoad perfectionem entitativam, ſtat exceſſus in operatione accidentali quoad perfectionem actuationis, unionis, poſſeſſionis ſummi boni, in quo formalis poſita beatitudo eſt . Itaque nulla imperfectio, ſed magna dignitas, & excellentia eſt . Non enim ſubſtantia ordinatur ad hoc accidens velut ad finem, *cujus gratia*, ſed tanquam ad finem, *quo* conſtituitur vivens in actu ſecundo, & aſſequitur in actu finem ultimum .

Accidens poteſt dicere exceſſum quoad actualitatem.

131 OBJICIES 2. Implicat merentem beatificare ſe ipſum . Si beatitudo ſtatuitur in actu a beato elicito, merens ſe ipſum beatificaret : ergo cùm nequeat beatitudo conſiſtere in tali actu, debet in actu Dei increato collocari, ut verè præmium ſit ab alio .

CONFIR. I. Intellectus nequit viſionem Dei elicere : quod probatur . Qui non poteſt imperfectiùs, neque perfectiùs poteſt . Intellectus nequit lumen gloriæ producere, quod eſt imperfectius : ergo neque viſionem, quæ eſt quid perfectius .

CONFIR. II. Ultima beatitudo eſt bonum ſtabile . Operatio a beato elicita non eſt bonum hujuſmodi, cùm ab ea poſſit homo pro libito ceſſare : ergo .

CONFIR. III. Intellectus perfectior cum æquali lumine perfectiorem eliceret viſionem, ac per conſequens ex duobus habentibus æqualia merita, ille majori præmio donaretur, qui præſtantior eſſet intellectu .

RESP. Sicut nulla eſt implicantia, quòd Mercenarius ſuis manibus trahat ad ſe, & poſſideat pecuniam, quam vineæ Dominus dat illi, nec inde dicitur ſe ipſum ſolvere ; ita nulla eſt difficultas in eo, quòd homo ſuis operationibus ſuum faciat ultimum finem, illumque poſſideat . Nec inde dicitur ſe ipſum remunerari, ac beatificare, ſed dicitur præmium, & beatitudinem aſſequi ; Deus verè præmiatur, & beatificat ; quia ſeipſum videndum, & fruendum tradit animabus .

Homo ſuis operationibus ſuum facit ultimum finẽ.

Primæ confirmationi communiter reſpondent extra Scholam *D. Thomæ* negando lumen gloriæ imperfectius eſſe viſione ; quia ponunt actus habitibus imperfectiores : unde ſecundùm hanc ſententiam inſtantia non urget . A Neque urget in via *D. Thomæ* ; haud enim eſt univerſaliter verum, quòd qui poteſt majus, poſſit minus : unde videmus agens naturale producere formam, & non producere materiam . Ulteriùs ſequeretur, ut nullus poſſet medio auxilio tranſeunti actum elicere ſupernaturalem ; quia nullus poteſt producere auxilium tranſiens, quod utique actu ſupernaturali imperfectius eſt . Cùm igitur nullum agens efficiat ſibi ſuum poſſe, licèt faciat ſibi ſuam operationem, ſequitur, quòd Beatus non efficiat lumen gloriæ, quod dat poſſe, tamen operationem nempè viſionem efficiat ſuam .

Qui poteſt majus, non ſemper poteſt minus .

B 132 DICES . Meliori modo viſio beatifica eſt participatio divinæ naturæ, quàm gratia ſanctificans . Homo nequit ſibi producere gratiam ſanctificantem ; quia eſt participatio divinæ naturæ : ergo neque viſionem .

RESP. in primis *negando majorem* ; nam ùt probant P. P. Salmaticenſes de auxiliis, gratia ſanctificans eſt perfectior viſione beatifica, quia eſt participatio divini eſſe ſub conceptu naturæ, & radicis : conceptus autem radicis in Deo eſt perfectior conceptu operationis . Deinde *neganda eſt minor* . Non enim gratia eſt improducibilis, quia utcumque C eſt participatio divinæ naturæ, ſed quia eſt participatio per modum formæ : unde ſicut in naturalibus nullum ens dat ſibi ſuum primum eſſe, ita neque in ſupernaturalibus : viſio autem beata non eſt prima, ſed ſecunda forma, ideo eſt producibilis .

Nullum agẽs producit ſuũ eſſe .

133 INSTABIS . Sicut lumen gloriæ in actualitate inferius viſione ipſam præterit : ſic auxilia ſupernaturalia, quoad permanentiam inferiora gratiâ, ipſam præcedunt ; atqui mediis auxiliis nequit gratia produci : ergo neque viſio medio lumine gloriæ .

RESP. *negando paritatem* . Tametſi lumen gloriæ in actualitate formali ſit viſione D inferius, continet nihilominus in actualitate virtuali totam viſionem quoad tendentiam in objectum ; nam actualitas ſub conceptu expreſſo actualitatis a ſolo Deo producitur : auxilia verò gratiam præcedentia non continent ſubſtantiam gratiæ, nec permanentiam ; dantur enim ad quoſdam actus imperfectos, quibus homo ad eam recipiendam diſponitur . Ratio eſt ; quia nullum auxilium tranſiens, gratiam præcedens poteſt virtualiter primam vitam continere, a qua totus ordo ſupernaturalis perfectè dependet, & vivit .

Lumen gloriæ in virtuali actualitate continet viſionem .

Ad ſecundam confirmationem *neg. min.* Beatus nequit pro libito ceſſare a beatitudine, quæ cùm in attingentia ſummi boni conſiſtat, E neceſſitat potentias, ùt infra patebit ex dicendis contra Hæreticos, ubi oſtendemus perpetuitatem ſtatus animarum . Tertia confirmatio errat in majori ; cùm enim lumen gloriæ ſit tota ratio proxima agendi, non ſequitur perfectiorem intellectum perfectiorem elicere viſionem . Illa major perfectio eſt omnino naturalis, & improportionata ad quemlibet etiam minimum ſupernaturalitatis gradum . Errat in *minori* ; nam eſto perfectior intellectus perfectiorem eliciat viſionem, non inde fit, ut ſtantibus æqua-

Beatus nequit ceſſare a viſione .

Lumen gloriæ tota ratio agendi .

libus meritis, majus præmium nunc præ alio baberet; quia in tali caſu Deus minùs de lumine infunderet , ùt Scotiſtæ defendunt , & conantur Scripturas explicare , & ſalvare Concilia .

134 OBJICIES 3. Implicat idem ſecundùm idem eſſe motum , & movens . Si anima bearetur operatione a ſe elicita, eſſet ſecundùm idem movens , & mota : ergo beatur recipiendo viſionem increatam . *Major* eſt certa ; quia idem ſecundùm idem nequit eſſe in actu , & in potentia . *Minor* pariter eſt certa ; nam actio immanens immediatè recipitur in potentia proxima , a qua elicitur . In intellectu beatorum nulla eſt potentia ad viſionem proxima , præterquam lumen gloriæ : ergo in hoc recipitur viſio , & per hoc elicitur .

RESP. Extra Scholam *S. Thomæ* admittitur idem eſſe in actu virtuali alicujus formæ , & in potentia formali ad eandem . Hinc perfuſus lumine gloriæ intellectus eſt in actu virtuali viſionis ; cùm lumen ſit virtus elevans , & ſit in potentia formali ; quia nondum eſt formaliter actuata . Verùm ex Schola Thomiſtica aliter reſpondetur eodem argumento omnes infringi actiones immanentes , maximè ſupernaturales .

Triplex igitur adhibetur ſolutio . Prima aſſerit intellectum ſpecie , & lumine gloriæ fœcundatum activè concurrere ad viſionem , eſt autem ſubjectum præcisè ùt elevatum lumine gloriæ ; unde non eſt idem movens, & motum adæquatè ſecundùm idem . Si quis opponat , quòd in actu voluntatis , finis non movet per aliquod prævium , ac proinde adæquatè conſiderata & elicit , & recipit : dicas , vel principium elicitivum adæquatum eſſe potentiam elevatam cum cognitione inſtar conditionis ; receptivum autem ſolam eſſe potentiam elevatam , vel ad primum actum regulativum in quacumque ſerie applicativè moveri a principio extrinſeco , ſcilicet Deo , elicitivè per ſe ipſam , ad alios verò actus ſe movere etiam applicativè , ùt actuata per primum actum , recipi autem ùt non actuatam , ſed tantùm ùt elevatam .

Triplex ſolutio ad axioma Idem ſecundùm idem nequit eſſe in actu,& in potentia .

Secunda ſolutio eſt , quòd potentia vitalis utcumque habitu elevata non producat actualitatem actus ; ſed tendentiam ſolam : eandem verò tendentiam recipiat non ſecundùm ſe , ſed ùt reductam ad actum , ſeu ùt formalizatam per actum ; ac proinde non eſt ſecundùm idem in actu , & potentia .

Tertia eſt , quòd axioma illud , nequit idem eſſe in actu , & potentia ſecundùm idem , valeat ſolùm in motu phyſico , qui actus entis in potentia prout in potentia , non autem in actu intentionali de genere qualitatis , qui eſt totus ſimul . Et hoc ex rerum natura ; quia viventia moventur a ſe , & per ſe , non viventia ab alio ; & ex hoc phyſico motu deſumitur demonſtratio exiſtentiæ Dei .

135 OBJICIES 4. Beatitudo objectiva eſt aliquod increatum : ergo etiam formalis. *Prob. conſeq.* Beans formaliter ita ſe habet , ſicuti beans objectivè ; ſed hic eſt increatum : ergo etiam ille . *Probatur totus diſcurſus* . Uterque beans debet ſatiare ; ſed ut ſatiet in linea objectiva , eſſe debet infinitum , & increatum : ergo etiam , ut ſatiet formaliter .

RESP. *nego conſeq.* Ad probationem dico . Beatitudo formalis eſt aſſecutio beatitudinis objectivæ ; quare ſit oportet infinita in eſſe aſſequentis , hoc eſt terminativè, quatenus trahit , & poſſidet bonum infinitum , & hoc modo ſatiat appetitum .

136 OBJICIES 5. ex Scripturis ſæpè citatis eàdem beatitudine gaudent Juſtorum animæ , quà Chriſti anima ; ſed hæc gaudet increatâ beatitudine : ergo . *Minor prob.* Beatitudo debet cum ſanctitate coaptari . Chriſti ſanctitas eſt increata : ergo èt Beatitudo .

137 EXPLICATUR I. Sanctitas fundat jus beatitudinis : ergo ſanctitas diverſi generis fundat jus ad beatitudinem generis diverſi ; ſed Chriſti ſanctitas eſt generis increati : ergo fundat jus ad beatitudinem generis increati .

EXPLICATUR II. Ex capacitate ſanctitatis ut ſic arguitur capacitas beatitudinis ut ſic : ergo ex capacitate talis ſanctitatis capacitas talis beatitudinis : ergo ex exiſtentia talis ſanctitatis ſcilicet increatæ , exiſtentia talis beatitudinis ſcilicet increatæ .

EXPLICATUR III. Conceptus ſanctitatis increatæ eſt conceptus naturæ divinæ radicantis viſionem, & amorem, Animæ Chriſti unitur conceptus ſanctitatis increatæ : ergo unitur conceptus radicantis viſionem , & amorem increatum .

Ut hoc argumentum retundam , miſſa facio , quæ a Doctoribus acervantur , ubi de gratiâ Chriſti . Unum moneo : in ſententia , quæ ſtatuit Chriſti humanitatem ſanctificari formaliter ſanctitate increatâ (qui enim tenent ſolùm radicaliter ſanctificari ſanctitate increata, omnes ejuſdem argumenti nervos frangunt) Sanctitas increata non ſanctificat animam Chriſti ſubjectivè , conferendo naturam ſupernaturalem , quæ fundat operationes ſupernaturales ; atque ideo Chriſtus præter increatam ſanctitatem opus habuit ſanctificantis gratiæ , & habituum , ut operaretur ad ſatisfaciendum , & merendum . Verùm ſanctificat ſolùm terminativè , quatenus per unionem ſubſiſtentiæ divinæ conſtituitur congruum divinæ dilectionis objectum . His poſitis , ad argumentum *nego minorem* . Ad probat. *diſtinguo* : beatitudo proportionatur ſanctitati ſubjectivè , *concedo majorem* : purè terminativè , *nego majorem* . Anima autem Chriſti ſanctitate increatâ ſolùm terminativè ſanctificatur . Ad primam explicationem : Sanctitas ſubjectiva fundat jus beatitudinis , *concedo* : Sanctitas purè terminativa fundat jus ſaltem immediatè beatitudinis , *nego* . Ratio eſt ; quia beatitudo conſiſtit in vita perfecta actus ſecundi : hæc menſuram capit ex vita in actu primo , quæ eſt ſanctitas ſubjectiva , ſaltem , inquam , immediatè ; nam mediatè , quatenus radicat dona habitualia gratiæ , non eſt ambigendum , quin fundet jus beatitudinis . Ad ſecundam eodem modo diſtinguo ; ex capacitate ſanctitatis ſubjectivæ , *concedo* : termi-

Sanctitas increata non ſanctificat Chriſti humanitatem ſubjectivè , ſed terminativè .

terminativè, *nego*; pariformiter reſpondetur ad tertiam: Conceptus ſanctitatis increatæ ſubjectivæ eſt conceptus naturæ radicantis viſionem, & amorem, *concedo*; Sanctitatis terminativæ, *nego*: & licet ſanctitas ſubjectiva, & terminativa ſit una, & eadem ſimpliciſſima entitas, muneraliter tamen eſt multiplex: ſicut natura, & ſubſiſtentia unum ſunt: & tamen unitur ſubſiſtentia, & non natura ſub conceptu naturæ.

138 DICES. Sanctitas terminativa fundat jus beatitudinis, nempe filiationem, cui debetur hæreditas. Fundat inſuper impeccabilitatem; aliàs non peccanti beatitudo debetur. Ecquis credit humanitatem Chriſti non ſalvandam, ſi in ea non exiſteret accidentalis, ſed tantùm ſubſtantialis ſanctitas, cùm per hanc fieret objectum maximè congruum divinæ dilectioni?

Sanctitas terminativè fundat jus exigitivè beatitudinis.

RESP. Sanctitas terminativa exigitivè fundat jus beatitudinis in anima Chriſti, quatenus fundat debitum donorum gratiæ ſubjectivæ. Quando dicitur fundare filiationem, verò utique veriùs eſt de naturali filiatione Dei, ac per conſequens ſolùm arguitur debitum beatitudinis Filio Dei. Chriſtus autem reduplicativè qua homo non eſt Filius Dei. Fundat etiam impeccabilitatem, quia ſuppoſitum divinum dirigere tenetur humanitatem, & cum ſit principium immediatum ut *quod*, ideo non poteſt influere in actionem non rectam. Non peccanti autem datur beatitudo, quia per prius conferuntur dona gratiæ ſubjectiva. Si verò ſupponamus hæc non communicari, jam ſumus extra caſum connaturalitatis, ac conſequenter in caſu abſolutæ potentiæ, in quo Deus ùt ſupremus Dominus facere poteſt, quidquid vult; ſicut abſque injuria ſanctiſſimum quemque poſſet mittere in gehennam.

139 REPLICABIS. Sanctitas perſonalis ſe ſolâ tribuit actionibus Chriſti valorem infinitum: ergo ſe ſolâ tribuit jus ad beatitudinem.

Actiones naturales ex ſe non ſunt capaces meriti.

CONTRA. Antecedens verum eſt, ſi actiones elicitivè, vel imperativè ſupponantur ſupernaturales; actiones enim naturales ſunt meriti incapaces. Nequeunt autem eſſe ſupernaturales elicitivè, vel imperativè niſi per dona gratiæ ſubjectiva.

140 INSTABIS. Gratia habitualis, communicatur Juſto ùt radix, & ùt terminus divinæ dilectionis: ergo etiam ſanctitas perſonalis, in qua eminenter continetur habitualis.

Gratia habitualis eſt prima forma ordinis ſupernaturalis.

RESP. *nego conſeq.* Gratia habitualis communicatur ùt prima ordinis ſupernaturalis forma, cujus eſt proprium radicare. Perſonalis autem communicatur ùt terminus, & utcumque habitualis gratia contineatur eminenter effectivè, quatenus a Divina Sanctitate gignitur; nihilominus in ea non continetur formaliter executivè; quia Perſonalis Sanctitas humanitati unita non omnia exequitur immediatè munera; nentiquam enim dat primum eſſe.

141 URGEBIS. Habere Sanctitatem eſt eſſe objectum congruum divinæ dilectionis. Non ſtat aliquem eſſe Deo amabilem, niſi potis ſit redamare: ergo perſonalis Sanctitas fundat redamationem; ſed nequit hanc fundare, niſi ſubjectivè uniatur, & ut radicat dona habitualia: ergo.

Sanctitas Perſonalis exigit collationem donorum.

CONTRA. Perſonalis Sanctitas fundat redamationem mediatè, quatenus dona exigit habitualia conferri ad amandum neceſſaria. Quare licet ſubſtantialis Sanctitas non uniatur immediatè in eſſe radicis, attamen petit, ut principia conferantur humanitati ad ſupernaturales operationes perneceſſaria.

142 URGEBIS *ulteriùs*. Implicat communicari effectum ſecundarium formæ, primario incommunicato; ſed conceptus in natura Divina primarius eſt conceptus radicis: ſecundarius eſt terminare dilectionem: ergo implicat communicari, prout conſtituit divinæ objectum dilectionis, & non ſecundùm munus radicis.

CONTRA. *Major* eſt vera in forma communicata per inhæſionem; quia hoc ipſo quod inhæret, ſeipſam tradit ſubjecto, atque adeo primarium communicat effectum in immediata ſui communicatione poſitum. Secus accidit in forma terminativè communicata; hoc enim ipſo, quòd communicatur ùt terminus, non dat primum eſſe, eaquepropter non eſt neceſſe, ut primarium communicet munus.

143 OBJICIES 6. Si negari non poteſt abſque imperfectione beatum intelligere intellectione increata, debet concedi, quia ſtatus beatificus eſt perfectiſſimus; ſed negari non poteſt: ergo. *Explicatur min.* Si divina intellectio dicatur unire per unionem ab intellectu creato productam, & ſufficere, ut intellectus cognoſcat, ſtat aſſertum; ſed hoc eſt verum: ergo. *Minor* quoad primam partem probatur; nam tunc intellectio divina non diceret imperfectionem egreſſionis. Quoad ſecundam: ut homo verè alium generet, ſufficit, quod producat unionem animæ ad materiam: & hoc ipſo totum ei concretum tribuitur: ergo ad hoc ut intellectus intelligat, ſufficit producere unionem cum forma intellectiva, & hoc ipſo totum ei concretum tribuitur.

RESP. Argumentum nutat quoad omnes partes. *Major* refellitur; quia ſi ſtatus beatitudinis perfectiſſimus eſt, modum ſervare debet proprium agendi potentiæ intellectivæ; in eo ſiquidem perfectiſſimo ſtatu omnis admittenda, & ſervanda connaturalitas eſt. Rejicitur minor quoad omnes partes; utvis enim ſubſiſteret dependentia egreſſionis, imperfectio non abeſſet informationis propriè dictæ. Namque ut intellectio divina conſtitueret intelligentem, non per modum termini unienda foret, ſed per modum formæ tribuentis vitam in actu ſecundo. Præterea intellectio cùm ſit ipſa cauſalitas intelligentis, non aliter unitur, quàm per ſe ipſam; eſt enim ſe ipſa egreſſio. At detur hæc unio; tunc intellectus non viveret; nam vivere in actu ſecundo eſt ſe movere per id, quo vivit: ad hoc autem oportet, ut ipſa intellectio, quæ vita eſt, careat.

144 DICES: non minùs imperfectionem ſapit divinum ens deficere, ſeu ceſſare,

& temporaliter incipere , quàm temporaliter produci a creatura ; ſed ſtat ubſque imperfectione, ſalvâ entitate, divinum ens deficere circa terminationem , ùt quemadmodum in liberis decretis elucet , & ſalvâ entitate, temporaliter incipere : quod oſtenditur in Myſterio Incarnationis , ubi juxta formalitatem , & munus terminantis , & fieri hominem temporaliter incipit: ergo ſine imperfectione ſtat , quòd divina intellectio incipiat eſſe dependenter a creatura ſub conceptu terminationis , hoc eſt dependentiæ a creatura , quin producatur ſecundùm entitatem: hoc ſufficit ad intentum , ùt in adductis exemplis : ergo .

CONTRA . *Nego paritatem* : ratio eſt, quia terminatio , quæ eſſet in actu libero, eſt illata ; etenim libertas Divina in ſumma actualitate conſiſtit ùt terminationem inſerente . Quare nulla occurrit imperfectio in eo , quòd intelligatur deficere ; at ſumma perfectio ob divinæ ſummam actualitatem activitatis . Incœptio pariter ſub munere perſonantis non eſt , quòd Deus de novo fiat ſecundùm aliquid , ſed eſt unio humanitatis ad Verbum , ùt ad terminum ſubſtantiæ . Non eſt igitur per deſcenſum Verbi ad humanitatem , ſed per aſſumptionem humanitatis ad Verbum , quod ubſque imperfectione fit . Verùm in noſtro caſu fit per egreſſionem a creatura per realem dependentiam cum imperfectione maxima .

In aſſumptione humanitatis ad Verbū nulla imperfectio .

145 OBJICIES 7. *Auguſtinus , Dionyſius* , aliique Patres ſentiunt animas beari viſione increata : ergo . *Prob.* Auguſtinus *lib. 1. de Trinit. cap. ult.* aſſerit nos ea donari beatitudine , quâ Deus beatur , & quâ bonus : ibidemque hanc , ait, beatitudinem noſtrum eſſe ſummum bonum , quod creatæ haud convenit formæ ; Et ſupra *Gen. lib.* 8. *cap.* 23. ſentit Deum ex ſua ſubſtantia locutionem præbere Angelis , nempe ſemetipſum manifeſtare : *Dionyſius* de cœleſti Hierarchia amorem , inquit , habere vim unitivam , & transformativam amantis in rem amatam .

RESP. *nego ant.* Auguſtini mens non eſt , eàdem formali beatitudine , eademque bonitate , qua Deus eſt bonus , & beatus , nos quoque formaliter beari , ſed tantùm effectivè , participativè, & objectivè . Oritur ex divina bonitate communicatio noſtra, & objectum , ſeu bonitas objectiva eſt eadem . Quonam autem modo ſummum bonum dicatur formalis beatitudo , jam ſatis verba fecimus . Neque *Dionyſii* ſententia creaturam efficit Deum , ſed transformat propter excellentiam affectus fruitivi , & ſublimem donorum communicationem .

Quomodo Creatura dicatur transformari in Deum .

SUPREMUM ARGUMENTUM REFELLITUR PRÆSERTIM CONTRA ILLUMINATOS, *ET* QUIETISTAS .

146 OBJICIES 8. Contemplatio fruitiva perfectorum in hac vita longè imperfectior eſt beatitudine Patriæ . Hæc ex unanimi myſticorum omnium ſenſu , & ſignanter principum myſticæ Theologiæ, videlicet *Areopagitæ* , *Bonaventuræ* , *Bernardi* , *Riccardi* , S. M. THERESIÆ , & S. P. JOANNIS A CRUCE haudquaquam ſtatuitur in actu intellectus , & voluntatis activo , ſed in pura paſſione ; ergo multò magis viſio beatifica .

RESPONSIO adæquata huic argumento ſatis prolixam diſcuſſionem flagitat eorum omnium , quæ ad myſticam Theologiam pertinent ; ſed hæc ab inſtituto nos longiùs avocaret ; ideo primoribus labiis aliqua delibem ad intelligentiam difficultatis neceſſaria , per quam rejiciemus errorem *Illuminatorum* , & *Quietiſtarum* , qui ſummam conſtituunt contemplationem in quadam inerti , otioſa , ac penè ſtupida potentiarum quiete .

Quietiſtarū , & Illuminatorū delirū .

147 Hinc notandum *primò* . Contemplatio hic non accipitur in illa univerſali ſignificatione , quâ inquiſitio cujuſcumque veritatis contemplatio ſolet appellari , nec in ea , quæ Philoſophica nuncupatur in cognitione rerum naturalium poſita , ſed pro catholica ſumitur divinorum intuitione ad praxim ordinata . Quamobrem contemplatio hujuſcemodi per ſe primò reſpicit Deum , deinde èt alia myſteria Chriſtianæ Fidei : & quidem practicè tam ea parte rei contemplandæ , quàm ex parte contemplantis . Res contemplanda non eſt Dei majeſtas , ejuſque attributorum magnitudo ſub ratione intelligibilis , ſed prout digna laudis , & honoris . Ex parte Contemplantis haberi debet ſeria intentio acquirendæ ſanctitatis . Ratio eſt ; quia finis contemplationis eſt unio affectiva cum Deo per modum cogniti , & amati , cui repugnat ſterilis , otioſa , iners ſummæ veritatis ſpeculatio .

Contemplatio quid reſpiciat .

148 Nota *ſecundò* . Contemplationis actus eſt ultimum proceſſus intellectualis complementum , appellaturque ſimplex veritatis intuitus ; quatenus ceſſante motu , & volatu inquiſitionis fixis , ut ita loquar , pupillis hæret anima in contuenda , ac fruenda ſumma veritate ; proinde diſtinguitur contemplatio a cogitatione ; hæc enim a *Riccardo de S. Victore* lib. de contempl. c. 3., & 4. dicitur : *Reſpectus animi ad evagationem pronus* ; plura enim inſpicit , ut aliquam inde veritatem eliciat ; ac ideo ſenſuum operationes complectitur , & imaginationis , diſcurſus rationis circa quæcumque inducentia ad notitiam quæſitæ veritatis : in re cogitatio non diſtat a conſideratione . Diſtinguitur contemplatio a meditatione , quæ ex eodem *Riccardo* eſt *Intuitus animi in inquiſitione veritatis occupatus* ; ſiquidem ex principiis cum veritate connexis procedit ad ejus ſcientiam .

A quo diſtinguatur contemplatio .

Diſtinguitur a ſpeculatione, quæ ex Au-

guſtino

guſtino *lib. 15. de Trin. c.* 8. a ſpeculo dicitur, non a ſpecula. Videre per ſpeculum eſt in eo cernere, in quo relucet viſæ rei ſimilitudo. Et quia effectus ſe habet ùt quædam ſimilitudo cauſæ, ſpeculatio eſt cognitio rei per effectus, eademque pars meditationis. Diſcriminatur quoque ab oratione, qua Deum, quæ cupimus, flagitamus; dupliciter enim homo veritatis notitiam affectatur proprio ſtudio, cui neceſſaria eſt cogitatio, vel per ea, quæ accipit ab alio, nempe a Deo; ad quod requiritur oratio; ad ea, quæ ab hominibus accipit, ſi per vocem, neceſſarius eſt auditus, ſi per ſcripturam, lectio. Hujuſmodi actus contemplationem præcedunt; docet enim *S. Thomas* infra citandus, Angelum ab homine in eo differre, quòd apprehenſione ſimplici veritatem Angelus intuetur: homo pervenit ex multis ad ſimplicis veritatis intuitum, qui vitæ contemplativæ finis eſt, ſeu formalis ipſa contemplatio, & proprio nomine viſio appellatur. Quapropter meditatio eſt motus, contemplatio eſt quies: illa cibum præparat, hæc guſtat: illa Marthæ labor, hæc Mariæ quies. Adeas S. Thomam 2. 2. *q.* 180. *art.* 1. 2. 3. *& ſeq.*

Qui finis vitæ contemplativæ.

149 Nota *tertiò*. Contemplatio Chriſtiana, & ordinis gratiæ alia eſt acquiſita, ſeu activa: alia infuſa, ſeu paſſiva. Hæc quieta Dei, vel ſupernaturalis cujuſquam veritatis notitia ab extrinſeco nobis provenit abſque ſtudio noſtro; ſed communicatur a Deo per donum ſapientiæ; qua de cauſa dicitur paſſiva, quippequòd anima a Deo contemplationi applicatur. Acquiſita eſt quieta notitia Dei, vel alterius veritatis ſupernaturalis ab intrinſeco proveniens, quatenus oritur ex induſtrioſa applicatione media meditatione, aliiſque adminiculis; dicitur activa, quia ſtudio noſtro præcedente, acquiritur, & ob eandem cauſam connaturalis appellatur, utpote ſecundùm modum proprium naturalem agendi hominis ſubſecuta. Num autem reverà detur hujuſmodi acquiſita contemplatio, negant apertè nonnulli, qui, ut a *Quietiſtarum* ſtultitia recedant, ad extrema declinant. Attamen frumentum, ut eradicentur zizania, non eſt evellendum. Meum non eſt hoc loco controverſiam hujuſmodi diſcutere. Approbo quidem activam contemplationem; namque ùt docent communiter Scholaſtici Doctores, inter quos noſtri Salmaticenſes *diſp.* 1. *tract.* 9. *in dub. Append. & ibid. diſp.* 6 *dub.* 2. datur in hac vitâ inchoata quædam ſupernaturalis beatitudo, utique in aliqua contemplatione poſita. Hæc non eſt infuſa, utpote communis omnibus Juſtis, infuſa verò non omnium eſt. Inſuper in ordine naturali datur contemplatio naturalis acquiſita: ergo in ordine gratiæ admittenda erit contemplatio ſupernaturalis acquiſita. *Antecedens* negari non poteſt, niſi dicas Philoſophos omnes ignoraſſe felicitatem, quam in contemplatiooe excellentia veri admittebant, ùt paſſim docent Scholaſtici in prima ſecundæ; & experientia evincitur. Etenim poſt diſcurſus, & illationes in aliqua veritate acquirenda, ea habitâ, ſiſtimus, & quieſcimus in ejus contemplatione. *Conſeq. probatur*. In quocumque ordine datur motus, neceſſe eſt dari etiam terminum. In ordine gratiæ datur motus tendens ad acquiſitionem veritatis, oratio ſcilicet, meditatio, lectio, & ſimilia: ergo dari debet terminus, ſeu quies in veritate cognitâ. Hæc quies eſſe nequit infuſa, cùm ſit excedens, improportionata, & extraordinaria: ergo acquiſita. Porrò ſecundùm Theologiæ principia Deus hominem perficit per gratiam ſecundùm modum naturæ. Non perficeret autem in veritatis cognitione, ſi non ſequeretur quies ad ſupernaturalem motum, ſicut in naturali contemplatione ad naturalem motum ſequitur. Quapropter activam contemplationem admittit S. Thomas *loco cit. art.* 3. — Sic „ ergo contemplativa vita unum quidem „ actum habet, in quo finaliter perficitur, „ ſcilicet contemplationem veritatis, a qua „ habet unitatem: habet autem multos „ actus, quibus pervenit ad hunc actum „ finalem, quorum quidam pertinent ad ac„ ceptionem principiorum, ex quibus pro„ cedit ad contemplationem veritatis; alii „ autem pertinent ad deductionem princi„ piorum in veritatem ejus, cujus cognitio „ inquiritur: ultimus autem completivus „ actus eſt ipſa contemplatio veritatis. — Idem docet art. 6., ibique *Cajetanus* 3. ſent. diſt. 34. q. 1. art. 2., *Suarez* tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 10. num. 9., *Joannes a Jeſu Maria* Theolog. myſtic. cap. 3. §. *Cùm enim*, *Thomas a Jeſu* lib. de Contempl. Divina cap. 2., *Joſeph a Jeſu Maria* lib. 1. de aſcenſu mentis ad Deum cap. 21., *Joſeph a Spiritu Sancto* Catenâ Myſticâ collat. 1. prop. 7. reſp. 2., *Nicolaus a Jeſu Maria* in elucid. Thelogica part. 2., *Alvarez de Paz.* lib. 5. part. 2. cap. 13., *S. JOANNES A CRUCE* lib. 2. aſcenſ. Montis cap. 13., & alibi, *Dionyſius* lib. de myſt. Theologia, ubi etiam plures regulas aſſignat eam acquirendi, ex quo infertur, quòd inter contemplationem infuſam, & meditationem datur medium.

Quid ſit paſſiva, & activa contemplatio.

Datur in hac vita activa contemplatio.

150 Nec indè probatur, vel omnes fideles acquiſitam contemplationem habere, vel *Quietiſtarum* error. Non primum; quia admiſſo, quòd contemplatio hæc conſiſtat in recto in actu fidei, in obliquo tamen connotat plura, quæ in omnibus non dantur, ùt ſunt vitæ puritas, ardens Dei amor, evagationum refrænatio, diſcurſuum ſedulo exercitio comparata ſuſpenſio. Non ſecundum; *Quietiſtæ* ſiquidem ponunt ſuam contemplationem in eo, quòd anima nihil agat, ſed ſe habeat velut corpus mortuum, & ne illam turbent, quibuſcumque occurrentibus tentationibus, conſentiunt, meditationem ſpernunt toto illo tempore, quod utique diuturnum eſt, Superiorum, & Eccleſiæ mandatis obedire abnuunt, pœnitentiam, corporiſque caſtigationem tanquam noxiam quieti averſantur, occultis, neſcio quibus, diriguntur revelationibus, iis ſeducti contra Eccleſiæ Doctrinam ſperant, omnem interiorem, & exteriorem imaginem eliminant. Sanè verò Contemplativi oppoſita docent, animam in contemplatione verè intellectu, & voluntate agere ad acquirendam,

Quietiſtarū contemplatio quid importet.

ſeu

ſeu ad reaſſumendam contemplarionem, commendant meditationem, tentationibus fortiter obſiſtunt, vitæ auſteritatem præcipiunt, corpus per abſtinentiam, per flagellationes affligunt, obſervantiam mandatorum Eccleſiæ, Superiorumque docent, tanquam utiles interiores ſpecies, exterioreſque imagines prædicant, ab occultis abhorrent revelationibus Eccleſiæ dogmatibus contrariis, atque Confeſſariorum innituntur conſiliis.

Contemplatio appellatur myſtica Theologia.

151 Contemplationem infuſam omnes Catholici admittunt, cùm certum ſit dari Spiritus Sancti dona, ſapientiæ ſcilicet, ſcientiæ, & intellectus, quibus a Deo movetur homo præter naturales regulas, & ordinarias gratiæ ad veritatis acquiſitionem. Habet plures gradus perfectionis, quos expendere non vacat: ut tamen detur quæſtioni locus, conſideramus eam in ſummo gradu, videlicet ut eſt ſupereminens, diciique fruitivam unionem, appellaturque myſtica Theologia. Ad cujus intelligentiam ſciendum eſt multiplicem dari unionem animæ contemplativæ cum Deo. Primus unionis modus generalis eſt, quo Deus eſt intimus creaturis per eſſentiam dans eſſe, per præſentiam univerſa proſpiciens, per potentiam univerſa diſponens. Secundus particularis Juſtorum, quo homini ineſt per gratiam ſanctificantem, quæ eſt divinæ naturæ participatio ſecum trahens omnes virtutes infuſas, quæ ſunt principium cognoſcendi, & amandi Deum; unde etiam dicitur unio per modum amantis, & amati, cognoſcentis, & cogniti, cùm gratia ſit & principium diligendi Deum, & divinæ dilectionis terminus: hæc unio major eſt, quò gratia intenſior. Tertius eſt actualis, quo Deus, & anima uniuntur, quando ſcilicet homo actu elicit actum Fidei, & dilectionis Dei; ſed hæc adhuc non pertingit ad fruitivam contemplativorum unionem; unde eſt quartus modus, qui fit per contactum ſubſtantialem Dei ad animam: & ex parte intellectus per quandam exuberantem cognitionem, & quandam quaſi evidentiæ lucem importat, ex parte voluntatis plenitudinem cujuſdam excellentis ſatietatis, & ſuperabundantiam fruitivæ dulcedinis cor replentis. Quam unionem deſiderabat Auguſtinus *lib. 1. Confeſſ. cap. 5.* -- Quis mihi dabit acquieſcere in te? Quis mihi dabit, ut venias in cor meum, & inebries illud, ut obliviſcar mala mea, & unum bonum meum amplectar te? .... Noli abſcondere a me faciem tuam: moriar, ne moriar, ut eam videam -- Et *Gerſon* tom. 2. ſerm. de Spiritu Sancto conſider. 2. habet -- Hæc eſt pax, quæ exuberat omnem ſenſum, pax, quam Mundus dare non poteſt .... Solus Spiritus Domini eſt, qui replet in bonis deſiderium noſtrum, qui adipe frumenti ſatiat nos, qui dat manna abſconditum, quo Propheta paſtus eructat, quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te: hic eſt calculus filiorum Dei habens nomen ſcriptum, quod nemo novit, niſi qui accipit: hic in divinam caliginem inſtar Moyſi vocatur ſpiritus: hic in ſibi-

Quibus modis Deus eſt in anima.

Modi unionis animæ cum Deo.

A lo antæ tenuis ſeotitur Dominus: hic in thalamo dormit, & requieſcit Salomon pacificus, & Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu: hic guſtatur ſavus mellis, favus propter illuminationem intellectus, vel propter dulcorationem affectus: hic Moyſes myſticus ducit gregem virium ſuarum in interiora deſerti -- Prædicta ſimilitudinibus explicantur, quæ apud Patres requiruntur; quomodo ſtilla aquæ infuſa vino deficere a ſe tota videtur, dum & ſaporem vini induit, & colorem; & quomodo ferrum ignitum, & candens igni ſimillimum fit priſtinâ, propriâque formâ exutum, & quando ſolis luce perfuſus aer in eandem

B tranſformatur luminis claritatem, adeout non tam illuminatus, quàm ipſum lumen eſſe videatur: haud aliter omnem hominis affectionem ineffabili modo a ſe ipſa liqueſcit, atque in divinam prorſus transfunditur voluntatem. De hac ergo ſublimiſſima contemplatione inquirimus, an contingat abſque ullo actu activè ab anima procedente; & loquimur in ſenſu formali. Etenim in ſenſu prævio nulla eſt difficultas, cùm ex parte ſuſcipientis requiratur diſpoſitio antecedens, ſedulo virtutum exercitio comparata. Præſcindo, an aliquoties minùs perfectis hanc Deus contemplationem impertiatur.

C Non igitur deſunt, qui quemcumque activum actum negent ex parte contemplantis, & aliquos Patres perperam intelligentes aſſerant animam merè paſſivè ſe habere. Unde recentiores *Pſeudoquietiſtæ*, ſeu *Moliniſtæ* ſuos errores exorſi, jure, meritoque ab Eccleſia damnati ſunt.

152 DICO. *Animo in exercitio myſticæ Theologiæ, ſeu in perfectiſſima contemplatione proprias operationes activè exercet.* PROB. 1. concluſio. Definitio rerum naturam manifeſtat; ſed definitio myſticæ Theologiæ conſtituit eam in actionibus animæ: ergo in exercitio myſticæ Theologiæ anima activè

D operatur. *Minor* probatur aliquas afferendo definitiones. *Gerſon* to. 3. lib. de myſtica Theologia inquit, *Theologia myſtica eſt experimentalis cognitio habita de Deo per amoris unitivi complexum.* *Dionyſius* de Divinis nominibus, eſt *digniſſima Dei cognitio per ignorantiam cognita ſecundùm unionem, quæ eſt ſupra mentem, quæ eſt vera cognitionis effectiva.* *Dionyſius Cartuſianus* in comment. Areopagitæ de myſtica Theologia quæſt. 3. inquirens quid ſit -- Multi itaque, *inquit*, eam definiunt dicentes: Myſtica Theologia eſt ſecretiſſima cum Deo locutio; alii quòd ſit ardentiſſima divinæ caliginis intuitio: quæ de-

E ſcriptio aptior videtur, quàm prima; non enim in myſtica Theologia dirigitur ſermo mentis in Deum, ſed ipſa mentis defixio, admiratio majeſtatis -- Conſimiles tradunt *D. Bonaventura*, *Bernardus*, *Riccardus*, aliique; ſed cognitio, locutio, defixio mentis, amor ſunt actus proprii animæ operantis: ergo.

Afferuntur myſticæ Theologiæ definitiones.

153 PROB. 2. ex quibuſdam locis Scripturæ, quæ perfectiſſimæ contemplationi applicari ſolent: Cant. 2. v. 4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*: introduci importat actionem ſe moventis; Ibid. cap. 5. verſ. 1.

Bibi-

Bibite, & inebriamini chariſſimi : *Bibite* actionem ſonat ea parte bibentis. Iſai. 58. v. 14. *Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob Patris tui :* *Delectaberis* actionem animæ ſignificat. Joan. 14. v. 21. *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo : & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* *Qui diligit* : dilectio eſt operatio voluntaria.

Scriptura explicat contemplationē per actionem.

154 PROB. 3. Inter excellentiores contemplationes connumeratur illa, quam habuit *Moyſes* ex conſortio Domini, *Jacob* in lucta, *Paulus* in raptu; & adeò ſublimes ſunt, ut a pluribus velut Beatorum contemplationes per modum tranſeuntis communicatæ credantur. In iſtis verè interfuit operatio ex parte contemplantium: ergo. *Prob. min.* de Moyſe dicitur Num. 12. v. 6., & ſeqq. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſervus meus Moyſes, qui in omnì domo mea fideliſſimus eſt : ore enim ad os loquar ei : & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* *Videt* : ecce actionem. Sic de Jacob dicitur : *Vidi Dominum meum facie ad faciem* : de Paulo 2. ad Corinth. 12. v. 4. *Quoniam raptus eſt in Paradiſum : & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* *Audivit* perceptionem importat, quæ non ſtat ſine operatione.

Contemplatio Moyſis, Jacob, & Pauli in actione.

155 PROB. 4. Nullus altiorem contemplationis ſpeciem habuit illâ, quam anima Chriſti. Contemplatio Chriſti eſt per operationes activè elicitas ab ipſo, ùt ſexta Synodus ſub AGATHONE definivit : ergo & contemplatio aliorum elucidatur per contemplationem, ſublimatur anima ad participationem cujuſdam ſtatus deifici : ergo ad ſtatum operativum; nam dicit *Dionyſius* cap. 3. de Cœleſt. Hierarch. *Omnium diviniſſimum eſt cooperari Deo.*

In Chriſto perfectiſſima cōtemplatio.

156 PROB. 5. Actus Fidei, Spei, Charitatis, & ſimilium ſecundùm definitionem Concilii Trid. *ſeſſ. 6. Can.* 4, & 5. non ſunt a ſolo Deo, intellectu, & voluntate paſſivè ſe habente; atqui ſupereminens contemplatio conſiſtit in Fide, Spe, Charitate, Gaudio, & ſimilibus in gradu excellenti : ergo non a ſolo Deo, paſſivè ſe habente homine; illa ſiquidem major excellentia, perfectio, & exuberantia non tollit ſubſtantiam actuum, ſed ſolummodo petit ſublimius, & perfectius principium.

Spes, Fides, Charitas, Gaudium, & ſimilia dantur in cōtemplatione.

157 PROB. 6. Contemplatio ſupereminens procedit a donis Spiritus Sancti, ùt omnes aſſerunt; ſed dona Spiritus Sancti perficiunt animam in ordine ad operationem : ergo non ſtat ſine actione a potentiis elicita. *Minor* eſt certa; quia per dona diſponitur anima ad obediendum promptè Spiritui Sancto; ſicuti per virtutes morales diſponitur ad obediendum rationi; ſed obedire Spiritui Sancto, ſicut obedire rationi, importat eſſentialiter ex parte obedientis operari; obedire enim Spiritui Sancto eſt ſequi ejus ductum agendo ea, ad quæ movet, & inclinat : ergo.

Spiritus Sancti dona movent ad agēdum.

158 PROB. 7. Fruitiva contemplatio, ùt communitèr docent myſtici Doctores, conſiſtit in dulciſſima, delectabili, atque amicabili unione animæ cum Deo; ſed unio ſuavis, & delectabilis amicitiæ neceſſariò expoſcit operationem ex parte utriuſque amantis; amor ſiquidem amicitiæ eſt mutuus; unde Deus amans redamatur a creatura, & e contra : & in hac redamatione conſiſtit amicitiæ ſuavitas.

Amor amicitiæ, qui datur in contemplatione, eſt mutuus.

159 PROB. 8. Quamvis Deus perfectiſſimè, & altiſſimè illuſtret, & elevet contemplantem, non tollit tamen ejus eſſentiam, & naturam, ùt inter alios ſublimis myſticus *Thaulerus* declarat in Inſtitutionibus cap. 12. — Qua (ſcilicet Divinitate) etiam viciniùs unitur ineffabiliter, „ quàm ipſe purus aer ſolari lumini, dum „ ab eo in meridie perfunditur, ac illu„ ſtratur, ubi licèt ſplendor ſolis, & aer „ ipſe ſine medio ſint unita; non tamen „ ſplendor aerem ſuâ naturâ, & eſſentiâ „ privat, ſed ipſum purgat, illuſtrat, no„ bilitat, & transformat : eodem ſanè modo, „ & hominis ſpiritui contingit, in Deo „ ſiquidem puriſſimè illuſtratur, nobilitatur, „ & in divinæ conformitatis transformatur „ ſimilitudinem, nec tamen in ſublimi illa „ ad Deum vicinitate, vel propinquitate „ creatam eſſentiam ſuam amittit. — Sed de eſſentia naturæ humanæ eſt, divinis ſuffultam auxiliis activè ſe habere in ſupernaturalibus : ergo.

Contemplatio non tollit hominis eſſentiam.

160 PROB. 9. Inconcuſſum apud omnes Myſticos eſt in illo ſublimiſſimo ſtatu intervenire plures actus; & quia verſamur in materia apud omnes certa, ſufficiat unius auctoritas *S. Laurentii Juſtiniani*, qui hunc ſtatum tract. de caſto connubio Verbi c. 2. ſic deſcribit — Sic in Verbi amplexus jucundiſſimè „ ruit, dulci guſtu repletur, perfunditur „ gaudio, exultat affectu, lumine coruſcat, „ & dilectione langueſcit : cunctorum, quæ „ foris ſunt, obliviſcitur, horum, quæ „ pertulit, malorum non meminit, deſide„ ratâ Verbi fruens præſentiâ : inde ſi li„ ceat, nunquam cupit exire amoris referta „ dulcedine, ardet & gemit, clamat & ta„ cet, tenet & deficit, amplectitur & ſuſpi„ rat, magnoque amoris deſiderio anxia quò „ plus paſcitur, eò vehementioris charitatis „ vulnere ſauciatur. — Qua auctoritate ſuppoſita, ſic diſcurro: vel hoſce actus activè non producit anima, utpote nimis ſublimes, & perfectos : vel quia ſunt increati. Non primum; quia ſicuti Deus poteſt eos infundere, ita èt conferre auxilia ad animam elevandam, ut eos producat; nam proportione ſervatâ, datur in Deo participabilitas per modum actus, & per modum potentiæ correſpondentis, qui modus, cùm ſit conditioni naturæ activæ connaturalis, de facto eſt admittendus. Non ſecundum; quia actus increati non poſſunt creatæ potentiæ uniri media phyſica informatione, vel phyſica identitate, cùm potentias conſtituant in actu phyſico completas, & in ordine naturali: neque uniantur per modum termini, ſed tendentiæ ad terminum; atqui unio per phyſicam informationem, vel phyſicam identitatem Deo repugnat, ſicuti latè probant Scholaſtici in prima parte : ergo. Adde, plures ex iſtis actibus in divinis non dantur, ùt langueſcere,

Plures actus in contemplatione debent eſſe a creatura, nec poſſūt eſſe actus increati.

re, ſuſpirare, deficere, gemere, & ſimiles.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

161 OBJICIES 1. In eo, quod anima purè patitur, non agit; ſed in ſublimiſſima contemplatione purè patitur: ergo non agit. *Minor* declaratur ex illis Scripturis, quæ pro contemplatione ſolent afferri. Iſai. 25. v. 4. *Spiritus enim robuſtorum, quaſi turbo impellens parietem*: ad Rom. 8. verſ. 14. *Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt Filii Dei*: ad Galatas 2. v. 20. *Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Chriſtus*: Pſal. 118. verſ. 81. *Defecit in ſalutare tuum anima mea*: & Pſal. 72. verſ. 26. *Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei*: Job 5. verſ. 26. *Ingredieris in abundantia ſepulchrum*: explicat S. Gregorius *in vitam contemplativam*. Hiſce locis anima demonſtratur ùt ab alio acta, per alium vivens, ſine viribus, in ſepulchro quaſi mortua. Senſus itaque, & Myſticorum locutio eſt animæ paſſivè ſe in illo ſtatu habere, ſicuti de ſuo Hierotheo dicebat *Dionyſius*, quòd erat divina patiens.

RESP. *neg. min.* Cujus objectioni, ut occurramus, breviter præmitto *S. Thomæ* doctrinam, quæ omnia ad hanc materiam ſpectantia egregiè explicat *ex 3. ſent. diſt. 34. quæſt. 1. art. 1., & prima 2. quæſt. 68. art. 2.*

Actio aliquando dicitur paſſio.

Quando potentia, aut virtus, quæ eſt principium alicujus actionis, movetur ab agente ſuperiore, actio procedens non dicitur pura actio, ſed etiam paſſio, quatenus eſt a potentia mota a ſuperiori principio. Anima autem elevata, & fulcita donis gratiæ dupliciter nata eſt moveri ad finem ſupernaturalem modo ſcilicet humano, & divino: Modo humano dicitur moveri, quando ad operationem exit ex motione rationis, ſeu ſecundùm regulas rationis: Modo divino, quando in operationem exit mota ſpecialiter a Spiritu Sancto, non ſecundùm regulas rationis, quatenus non eſt vis diſcurſus humani, & rationis lumen, quod applicat ad operandum, ſed impulſus, inſtinctus, ſeu motio ſpecialis Divini Spiritus applicat potentiam immediatè ad actum, qui motionis modus intervenit in ſublimi contemplationis gradu. Et hæc eſt vera paſſio Myſticorum, & Scholaſticorum, quæ mediata ſolet vocari, quia prævia ad operationem: ex qua doctrina ſolutæ remanent Scripturæ ſive adductæ, ſive adducendæ. Clarioris tamen doctrinæ causâ ad ſingulas reſpondeo. Textus *Iſaiæ* ſignificat, quòd ſpiritus robuſtorum ſuperat de facili quamcumque difficultatem in via Domini. Primus locus *Pauli* dicit, quòd ſpiritualis homo, & contemplativus non ſolùm inſtruitur a Deo interiùs, ſed etiam ſpeciali impulſu movetur ad agendum; eo quòd non movetur principaliter propriæ voluntatis imperio, nec ſua ſe induſtria applicat, ſed a Spiritus Sancti dono applicatur. Secundus ſenſum habet, quòd Paulus non vivebat vitâ carnis, ſeu terreni hominis, ſed cœleſtis; quia carnis legem non ſequebatur, ſed Chriſtum. Cæterum ſi dicebat *vivo*, in ſe habebat vitam, utique in actu ſecundo, adeoque ab intrinſeco, & activè. *Pſalmiſta* explicat exceſſum dulcedinis, quem ſibi relictus ſpiritus ſuſtinere non poteſt, & caro deficit, eo quia quodam modo divinizatur, quatenus non permittitur operari ſecundùm propria, ſed elevatur ad communicationem quandam divinorum; unde dicitur alibi: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum*. Textum *Job* exponit *Gregorius*: tunc in contemplationem ingredi animam in abundantia, quando in pace habet ſuum habitaculum, hoc eſt quando homo virtutum exercitio paſſiones corporis perfectè fuerit moderatus. Quibus addo, myſticos Patres hoc loquendi modo uti propter experientiam ſuavitatis operationum illarum, quæ adeo pacificæ, & ſuaves ſunt, quòd anima videtur potiùs recipere, quàm agere. Quia id ſolum videtur agere, quod cum difficultate agit, & advertit ſe agere: ſic *S. Auguſtinus* lib. de quantitate animæ cap. 33., & ſerm. 27. de verbis Domini in monte: *Riccardus* de gradu violent. charit.

162 OBJICIES 2. Ubi potentiæ otiantur, & dormiunt, activè non operantur; In unitiva oratione otiantur, & dormiunt: ergo activè non operantur. *Minor* continet vulgatum Myſticorum axioma, qui ſublimem hanc orationem vocant mutum ſilentium, otium, ſomnum, quod deducunt ex illo Apocal. 8. v. 1. *Factum eſt ſilentium in cœlo, quaſi media hora*: Job. 4. v. 12. *Quaſi furtivè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri ejus. In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines*: Cant. 5. v. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat*.

RESP. *neg. min.* Prædictæ locutiones nequaquam partis intellectivæ excludunt operationes, quod breviter oſtenditur. Oratio unionis, ſeu contemplatio mutum ſilentium, & otium dupliciter dicitur, ex parte ſenſuum, & ex parte potentiarum intellectualium. Ex parte ſenſuum, quatenus ſenſus a ſuis operationibus ſuſpenduntur, & evagationum tumultu deſinunt ſuperiorem partem interturbare. Hoc tamen ſilentium eſt dimidiæ horæ, hoc eſt modicæ durationis; quia, ùt ait *Bernardus* lib. de amore Dei c. 4., non diu durat in hoc ſeculo felicitas pacifica ſenſuum, cùm facilè ad inferiora diſtrahatur homo, dicit enim — Quandiù quippe in hac ſumus vita, hoc feliciſſimæ pacis ſilentio in cœlo, ideſt in anima Juſti, quæ eſt ſedes ſapientiæ, aliquando fruitur affectus; ſed hora eſt dimidia, vel quaſi dimidia, intentio verò de reliquiis cogitationis diem feſtum perpetuum agit tibi: — Ex parte voluntatis ſcholaſticè otium dicitur per *S. Thomam* 3. ſent. diſt. 35. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 3., quatenus voluntas in tali ſtatu non movet externas potentias ad ſuas operationes, quæ ob imperfectionem comparativè ad perfectos intellectus vocantur motus, cujus ceſſatio dicitur otium; ſed myſticè accipitur pro ſuavi adeo, & ſimplici operatione, quæ via ſentitur, & illa locutio interior cum Deo com-

Explicatur, quid ſit ſilentium, & otiū.

comparatur voci ſubmiſſæ, quâ quis ureos dicitur ſileos, juxta illud Jo. 11. v. 28. *Vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt*: quod expreſſit *Gregorius* lib. 5. Moralium in laudatum locum Job. *Superni ſuſurri auris motus cordis furtivè ſuſcipit, quia ſublimitate locutionis intima afflata mens, & raptim, & occultè cognoſcit.* Somnus dicitur; quia anima ſe ipſa abſtracta, & ſenſuum operationibus, aliiſque rebus, ſoli intuitioni, & caſto ſponſi amori dulciſſimè inhæret, & a ſopore non differt, niſi penes intenſionem; ſopor enim nihil aliud eſt niſi intenſus ſomnus: ſpiritualis iſte ſomnus ſæpè Schola eſt plurimæ intelligentiæ; nam in hoc ſomno ſolet Deus arcana revelare, ùt habemus *Num.* 12., *Job* 33., & alibi, & in ſopore ſuo Adam altiſſimorum cognitionem recepiſſe ſentiunt Doctores cum D. Th. 2. 2. *q.* 2. *art.* 3., & 3. *part. quaſt.* 1. *art.* 3. *ad* 5.

163 OBJICIES 3. Quoties anima ex parte ſua ſtat in totali carentia lucis, toties non operatur activè; ſed in hac ſublimi contemplatione anima conſtituitur in totali carentia lucis; ſiquidem communiter Myſtici docent eſſe in tenebris, in caligine, in totali ignorantia, quod probant ea Pſal. 17. v. 10. *Caligo ſub pedibus ejus*: v. 12. *Poſuit tenebras latibulum ſuum*: 3. Reg. 8. v. 12. *Dominus dixit, ut habitaret in nebula*: unde dicitur anima omnino annihilari; quia totaliter cognitionem amittit, juxta illud Pſal. *Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi*; leguot alii *ad nihilum ſcientiæ redactus ſum*.

RESPONDEO. Hæc vana eſſe Pſeudomyſticorum ſomnia. Tantùm abeſt, ut in ſublimitate orationis ſit caligo per lucis carentiam, adeoque operationis, ut verius oppoſitum invictè probetur. Sicut enim Myſtici docent, principe Areopagita Epiſt. 5., *Caligo myſtica lux exuberans eſt*; anima aſſueta Deum contemplari per entium tenebras, hoc eſt in imaginibus rerum creatarum, & corporeis phantaſmatibus, luce ſuperveſtitur puriſſimâ, quâ quodammodo excæcatur: unde partim ob carentiam craſſioris modi tendendi in Deum per dictas entium tenebras, partim ob luminis exuberantiam dicitur ſpiritus in caligine poſitus. Non ſecus ac quando oculus corporeus fixo obtutu in radios ſolis reflectentes, aut reverberantes obtenebreſcit: quod fortiùs eveniret in majori propinquitate ad ſolem. In caliginoſa oratione triplicem ſolet affectum ſuſtinere, tædium, inflammationem, & ſpem. Tædium, quod tamen ex amore gignitur, quia ſciens ſub ea caligine, ſeu lucis exuberantiâ Deum latere, nequit clarè intueri propter ſuam imbecillitatem, & viatoris conditionem; & hinc faſtidium patitur ex quadam amoris impatientia. Ceu cùm Sponſa latentem ſub deaurata culcitra Sponſum novit eſſe præſentem, deſiderio inflammatur, non jam per cancellos, neque per feneſtras, ſed diſrupto obice facie ad faciem plenè fruendi Dilecto. Hinc etiam habetur certa ſpes futuræ aliquando facialis præſentiæ. Interim altiſſimorum arcanorum recluduntur myſteria proportionaliter, ùt dicebat Paulus, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*. Atque horum excellentia maximè conducit ad augendam caliginem, quatenus ſibi cœlum novum, & terram novam videtur conſpicere.

Myſtica caligo lux exuberans eſt.

Triplex affectus in caliginoſa oratione.

164 Appellatur ignorantia non ſolùm propter dicta, ſed quia ſolet eſſe per modum negationis. Ad cujus intelligentiam Dionyſius *lib. de Myſtica Theologia cap.* 1. & 2. docet duplicem eſſe modum cognoſcendi Deum, per affirmationem ſcilicet, & per negationem. Modus primus eſt, quando aſſurgimus ad Dei notitiam per additionem perfectionis, ùt quòd ſit omnipotens, immenſus, ſapiens, bonus, miſericors, & ſimilia. Per negationem, quando aſcendimus ad Dei notitiam removendo, ùt non eſt ſapiens, non eſt bonus, ſapientiâ ſcilicet, & bonitate modo quo eſt in nobis, ſed plusquam bonus, plusquam ſapiens eſt: & hoc modo anima efformat conceptum excellentiſſimum poſitivum Dei, entis ſcilicet eminentiſſimi, in quo ſiſtit, & quieſcit: qui modus poſitivo excellentior eſt, quia procedit, imperfectiones removendo; & utvis non perveniat ad cognoſcendam quidditatem Dei (in hac vita enim ſolùm cognoſcitur quoad an eſt) aliqua tamen ratione quidditatem attingit, quatenus ab omni defectu denudat Deum. Explicat laudatus Doctor Pictoris, & Statuarii exemplo. Primus imaginem format, addendo ſcilicet colores, lineamenta, & ſimilia. Secundus detrahendo craſſitiem ligni, & removendo ſuperfluam materiam, quo poſito, reſultat figura perfecta, ſeu ùt *Dionyſius* vocat *Agalma*, quamvis velint alii *Agalma* Dionyſii eſſe ſplendorem ſmaragdi, qui apparet, quando ex ſubjacente luto, & terra, in quibus involvitur, depurgatur. Sic divinus ſplendor reſultat, quando negamus ei, quæ creaturis per affirmationem attribuimus: & hæc eſt myſtica ignorantia.

Deus cognoſcitur per affirmationem, & negationē.

Explicatur myſtica ignorantia.

165 Ad hanc notitiam rurſus ferri poteſt anima elevata per fidem ſecundùm humanum modum ſeipſam applicando, & adjuvando medio diſcurſu, & intellectuali artificio, & dicitur contemplatio acquiſita, ſeu primus gradus. Rurſus in ea conſtituitur per aſſuefactionem nullo prævio formali diſcurſu, ſed media coordinatione ſpecierum per donum ſapientiæ, & dicitur ſecundus gradus, & purus ingreſſus in caliginem, ſi contingat, vel per totalem dependentiam a phantaſmatibus, vel per ſubtilem, & vix perceptibilem dependentiam; quando autem in ea ſe reperit anima divino quodam particulari lumine, & motione ſpeciali velut immerſa, tam quoad intellectivam, quàm quoad affectivam velut independenter, & a præcedenti diſcurſu, & præexiſtenti ſpecierum coordinatione eſt tertius gradus, diciturque modi neſcius; quia neſcit, quomodo fuerit poſita in illo ſtatu, licèt etiam dicatur modi neſcius ab intenſione dulcedinis affectuoſæ, & experimentalis, quam velut ſine menſura largitur Deus.

166 Ex quo annihilatio myſtica ſequitur, quoad modum ſcilicet operandi ſecundùm eſſe naturale, quatenus in illo altiſſimo

S ſ gradu

gradu contemplans nec utitur naturalibus viribus, benè verò ſupernaturalibus gratiæ, nec innititur diſcurſu ſuo induſtrioſo, quo ſe applicet, ſeu intromittat in illum quietis actum, & guſtum delectivæ dulcedinis, cùm in ipſo ponatur a Deo; & quamvis in eo ſtatu conſtitutus verè agat cognoſcendo, & diligendo, abſorptus nihilominus a luminis ſuperabundantia, & effectu exuberante non reflectit formaliter ſupra ſuas operationes, unde non videtur intelligere, & amare. Solet etiam perfectam contemplationem comitari propria annihilatio moralis, quæ ex duobus conſurgit. *Primò* quia ſub illo altiſſimo Deitatis lumine clarè conſpicit veritatem illius propoſitionis Iſajæ 40. v. 17. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei*. Itaque creaturas omnes Deo comparatas dum videt, inane quiddam eſſe, ac veluti non eſſe, ſe verò inter creaturas omnes eſſe velut atomum, confunditur, ac Deo humiliatur. *Secundò* quia dum contemplatur, ſublimi lumine perfuſus conſpiſcit multitudinem ſuorum criminum, quam non advertebat: & gravitatem coram Deo penſitat, quam parvi homines ducunt. Quocirca recognoſcit ſeſe veluti fœtidum corpus putredinem, ſaniemque exhalare. Id enim accidit in anima, quod in aere uſuvenit, qui puriſſimus videtur; at ſi ſplendidiori luce perfundatur, atomis plenus apparet. Hinc anima divinum reveretur conſpectum, nec audet oculos attollere, & confuſionis magnitudine quaſi obruta vellet non eſſe, ſeu erubeſcit de ſuo eſſe. Hæc eſt vera chriſtiana annihilatio, non illa ſtolida *Quietiſtarum* extumulata, aſſerentium verè animam nihil fieri, & realiter transformari in eſſe divinum. Quid enim abſurdiùs, quàm creaturam facere Deum, & Deum, qui immutabilis eſt, conſtituere mutationis ſubjectum, cùm in eum creatura convertatur? Quid ſtultiùs iteratis miraculis auferre, iterumque dare eſſe homini? cùm horâ contemplationis deſinit eſſe, & Deus fit, ea ceſſante, iterum eſſe hominis recipit.

Quomodo dicatur in contemplatione non intelligere, & amare.

In quo diſtinguatur annihilatio Chriſtiana ab illa Quietiſtarũ.

167 DICES. Nonne dictam annihilationem ſignificant illa Patrum dicta: *Anima tunc perdit ſuum eſſe: Immergitur in pelagum Divinitatis: Se habet ſicut gutta aquæ multo mixta vino, quæ non apparet: Deus, & anima ſunt velut duplex cera liquata, ex quibus unum efficitur*, & ſimilia?

Proh quàm ſubtilis Theologia! Siccine diſtorquetur doctrina Patrum? Verè animalis homo non intelligit, quæ ſunt Spiritus Dei. Cùm deſit proprium nomen, quod exprimat noſtræ eſſentiæ tenuitatem, quæ propemodum nihil eſt, ſi cum divina ſublimitate comparetur, nec inveniri poſſit locutio, quæ nobis ſignificet altiſſimam illam unionem, hæ phraſes, & circumlocutiones perneceſſariò adhibentur.

168 OBJIC. 4. Duce Scripturâ, communiter traditur in contemplatione paſſiva Deum immediatè illabi animabus; ſed illapſus Dei immediatus fit per unionem, qua Deus per ſe ipſum conjungitur animæ: ergo hæc non operatur. Paſſiva hæc proinde contemplatio oſculum Dei plerique appellant, explicantes illud Cant. 1. verſ. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui*. Ad oſculantem proculdubio paſſivè ſe habet is, qui oſculum recipit.

RESP. A malignantibus in ſancto pervertitur divini illapſus doctrina, quæ ſi rectè intelligi velit, noſtram ſententiam confirmet. Illapſus igitur ſignificat ingreſſum unius ſubſtantiæ intra terminos alterius; & quia ſubſtantia divina non eſt in loco per quantitatem, ſed media operatione: ideo Deus non ingreditur terminos ſubſtantiæ creatæ, niſi ibi operando. Si operatio ad ſubſtantiam terminatur immediatè eam producendo, vel conſervando, illapſus dicitur immediatus. Sin autem operatio terminatur ad aliquid in anima productum, atque in ea receptum v. g. gratiam, dicitur mediatus. Præter hunc modum illabendi, quem effectivum vocant utpote efficientem aliquid in re, alium aſſignant objectivum, quo Deus eſt præſens, ùt cognitum in cognoſcente, & amatum in amante; eò quia Deus ſe præſentat ùt objectum cognoſcendum, & amandum. Præſentat ſe ùt objectum cognoſcendum infuſione luminum, quibus ad Divinitatis notitiam intellectus elevatur: ùt amandum voluntati infuſione habituum affectivorum, quibus aſſurgit ad dilectionem. Atque hæc ſunt pauca, quæ ſatis dilucidè explicant communem Myſticorum illapſum; qui tamen major, vel minor eſt, prout Deus majora indit & perfectiora lumina, majoremque, vel minorem dilectionem excitat, majorem, vel minorem dulcedinem, & ſatietatem impertitur.

Quid, & quotuplex illapſus Divinus.

Ut alios etiam terminos percipias, advertendum eſt diſcrimen, quo intellectus in Deum, & voluntas tendit in Deum. Ille in hac vita Deum cognoſcit trahendo ad ſe, nempe Deo unitur media ſpecie intelligibili diſtincta a divina eſſentia. Voluntas fertur ad Deum prout eſt in ſe, immediatè attingens divinam ſubſtantiam. Igitur unio intellectus dicitur mediata, voluntatis immediata: ex quo oriuntur illæ locutiones, voluntas intrat, intellectus remanet extra, voluntas tangit, palpat &c. Dei autem oſculum nihil aliud eſt ſecundùm Patres, niſi donorum communicatio, & oſculum Dei ad animam eſt motio, & infuſio Spiritus Sancti effectus varios operantis. Hinc dicitur oſculum pedis, cùm pœnitentiæ dona infundit, quibus incipientes ad pedes Domini cum Magdalena lacrymis, & gemitibus criminum ſordes purgant: diciturque etiam oſculum pacis, quia mediâ pœnitentiâ peccator Deo reconciliatur. Ab oſculo pedis fit aſcenſus ad oſculum manus, largitione virtutum, quâ proficiens intendit, ſedulòque incumbit moralium acquiſitioni virtutum, & aliarum, quibus proficit in via Domini. Ab oſculo manus ad oris oſculum pervenit, quatenus perfectè purgatus, & virtutibus ornatus admittitur ad mutui amoris dulcedinem, majorem utique, vel minorem ſecundùm oſculi, & myſticæ unionis gradus. Ex quibus patet nec illapſum, nec oſculum ſubſiſtere abſque operatione, ſeu cooperatione a Contemplante elicita.

Diverſitas tendentiæ in Deum intellectus, & voluntatis.

Quid ſit oſculũ, & quot effectus operatur.

169 OBJI-

169 OBJICIES 5. In contemplatione frequeuter Deus animæ loquitur juxta illud Pſal. 84. v. 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus*. Sed tunc anima nihil operatur, & tamen verè orat : ergo ſtat contemplatio abſque ullo actu orantis. *Minor* declaratur. Quando anima expectat, quòd Deus loquatur, tunc certè non agit, ſed omnem actum ſuſpendit, ut Deum audiat. Optimè verò dicitur orare; ſicut quandu pauper ponit ſe ad januam, ubi dominus tranſit, tacitus expectaus eleemoſynam, verè eleemoſynam petit, etſi nihil dicat; ita in caſu noſtro.

RESP. *neg. min.* Non enim ſtat Deum animæ loqui, & hanc audire abſque operatione. Locutio Dei ad animam in oratione nihil eſt aliud, quàm immiſſa illuminatio, per quam vel in ſenſitivo auditu, ſi locutio ſit externa, vel in phantaſia, ſi imaginaria, vel in mrnte, ſi intellectualis, format verba exprimentia conceptum, quem manifeſtare intendit. Quæ formatio verborum fit vel mediâ præexiſtentium ſpecierum coordinatione, vel novarum productione. Eſt autem implicantia in terminis, quòd Deus illas ſpecies coordinet, vel producat, & intellectus non percipiat: ſicut implicat in terminis, quòd lux oculum apertum illuminet, & oculus non videat. Ratio eſt; quia hæc ſpecierum coordinatio ex parte Dei dicitur locutio, ùt in intellectu recepta, eſt auditio; & accidit proportionaliter, ùt in humano magiſterio, ubi docens ſententias ſuas proferendo, in audientibus ſpecies indit: & fit auditio, & perceptio illius dicti hoc ipſo, quòd audiens attendat, & percipiat. Deus autem animam alloquens ad attentionem excitat. Locutiones porrò divinæ aliæ ſunt reprehenſionis, aliæ conſolationis, quædam inſtructionis, pleræque revelationis, & hujuſmodi: omnes tamen ad ſalutem contemplantis, vel aliorum ordinatæ. Celebris eſt diviſio in verba ſucceſſiva, formalia, & ſubſtantialia. Locutio per vrrba ſucceſſiva dicitur, quando anima per verba audita circa contemplationis objectum, nova adinvenit motiva, rationes non cognitas percipit, diſcurſus non prævios format, non quaſi a ſe ſola, ſed ab alia perſona interiùs ſecum colloquente, interrogante, reſpondente, inſtruente, & hoc mira facilitate, & claritate. Per verba formalia locutio efficitur, quando anima diſtinctè, clarè vrrba quædam perfectè formata intus audit ſibi ab alio loquente. Hæc verba diſtinguntur a ſucceſſivis, quòd ſucceſſiva formantur ab anima, & determinatè circa materiam contemplationis, dum aliis in rebus non eſt occupata. Formalia verò ab alio diſtincto proferuntur, & ad animam aliquando vagantem, & in aliis occupatam, aliquando non vagantem, ſed divinis incumbentem diriguntur. Nec ſemper pertinent ad materiam orationis, in qua fortè tunc occupatur, ſed ad alia objecta. Per verba ſubſtantialia ſic dicta, non quia ſubſtantia ſint, ut ab accidenti diſtinguitur, quod nonnulli inſipienter, ne dicam malignè, intellexerunt, acriter carpentes S. P. N. JOANNEM A CRUCE, ſed ſubſtantialia ideo dicuntur, quia ſingulariſſimè efficacia; ſuum enim ſtatim producunt effectum, & inimpedibiliter. Sic a vulgari loquendi modo appellata, quo res inanes, & nullius virtutis dicere ſolemus carere ſubſtantiâ. Diſtinguuntur a formalibus, quia illa videntur purè ſpeculativa, ideſt purè inſtructiva: hæc ſunt practica, ſeu effectiva. In primis facilè anima eſt obnoxia Dæmonis illuſioni: ſecus in ſecundis, quia non eſt in Dæmonis, vel imaginationis poteſtate ſublimes illos effectus operari. Ex quibus ad argumentum patet; quando Deus actu loquitur animæ, hæc ſemper audit, attendit, percipit, adeoque operatur. Illud verò imaginari ſibi Deum præſentem, illum adorare, illique ſe ſiſtere, & poſtea nihil aliud agere, nec cogitando, nec amando, ſed expectare, ut Deus neceſſaria provideat animæ, & profectui conſulat illuminationibus, inſpirationibus, revelationibus, aliiſque modis, inſipiens, & malitioſa oratio illa quietis eſt, quam nonnulli recentiores Pſeudomyſtici in hominum perniciem commenti ſunt. Contra quos Seraphica Mater THERESIA clamat Manſ. 7. cap. 7., quòd non eſt *Eliæ* ignis expectandus, qui ſacrificium incendat, ſed poſtulandus, excitandus, inquirendus gemitibus, petitionibus, humiliationibus, aliiſque actibus, & cordis effectibus. Pauperis exemplum adverſariis nihil ſuffragatur, qui licèt nihil ore proferat, geſtibus tamen, poſitione corporis, ſitu, aliiſque exterioribus ſignis eleemoſynam quærit, neceſſitatem ſuam exponit, ſubſidium poſtulat, movetque tranſeuntes. Haud tamen nego illum orare, & quidem utiliter, qui coram Deo humiliatus ſuam agnoſcat indigentiam & divinam miſericordiam præſtoletur ſuſpirando, & deſiderando, quin vel alios affectus eliciat, vel novos actus, ſed in primis productis inſiſtat.

Quid ſit locutio Dei ad animam.

Triplex locutio ſucceſſiva, formalis, & ſubſtãtialis.

Quãdo Deus animæ loquitur, hæc ſemper audit.

170 OBJICIES 6. Communiter apud myſticos Doctores habetur in contemplatione dari ſuſpenſionem intellectus, impotentiam operandi. Cæteris ommiſſis, S. Mater THERESIA in Itinerario perfectionis c. 31. totalem operationis privationem ſtatuit; aſſignans ſiquidem diſcrimen inter orationem Quietis, & Unionis dicit — In ea Deum
„ ſe habere, ſicut ſe habet Mater mamillam
„ manibus præmens in ore Infantis, qui li-
„ cèt ipſe mamillam non excutiat, lac ex-
„ trahendo, ſentit nihilominus laborem ali-
„ quem in movendo palatum, & deglu-
„ tiendo; in oratione verò unionis, nec
„ hunc laborem habet, ſed invenit in ſto-
„ macho cibum, abſque eo quòd cogno-
„ ſcat, quomodo Deus poſuerit — Quid
clariùs?

RESP. Peſſimè Interpretantur ſublimem THERESIÆ doctrinam, cujus longè alius eſt ſenſus. Vult enim Diva Mater noſtra in oratione quietis aliquam ex nobis induſtriam intercedrre non quidem in ipſa formali contemplatione, ſed in præparatione, ſeu in prævio proceſſu, ùt patet ex his, quæ tradit cap. 14., ubi laborem aliqualis

Doctrina S. M.Thereſiæ.

 medi-

meditationis exigit, antequam conſtituatur in actu quietis. In oratione verò unionis neque modica hæc difficultas concurrit, quia Deus animam ſuper regulas rationis prorſus evehit, & applicat ad fruitionem. Dum verò apud Myſticos dicitur in contemplatione dari ſuſpenſio intellectus, impotentia, & quid ſimile, ſemper intelligas de ſuſpenſione, & impotentia diſcurrendi, non autem operandi. Egregiè de hac materia *Boſuet* Epiſcop. Meldenſis in libro, cui titulus *De nova quæſtione Tractatus tres*.

171 URGEBIS. Manſ. 5. cap. 2. expreſsè S. THERESIA habet animam in oratione quietis ſe habere, ſicut cera ad ſigillatorem, quæ ſolùm eſt diſpoſita ad recipiendam impreſſionem, ita ut ex ſe ipſa, nec ſe ipſam liquefaciat: ergo anima paſſivè omnino ſe gerit.

CONTRA. Seraphica Virgo nequaquam excludit operationem intellectus, & voluntatis. Nam ibi apertè aſſerit, quod Deus noſtram exigit voluntatem. Cæterùm reliqua, hoc eſt, præparatoria ipſe facit, abſque labore, & induſtria reperit ſe contemplationi applicatam, & Dilecto unitam. Antecedenter autem dixit animam in eo conſtitutam ſtatu deſiderare vehementer ſeparationem a corpore, ſed præ nimio amore ſubjicitur totaliter Dei beneplacito: unde patet non ſe habere merè paſſivè.

§. II.

AN VOLUNTAS MANEAT DEO UNITA NULLA COMITANTE COGNITIONE.

172 SOluta necdum ſatis eſt præcedens objectio, nec declarata videtur doctrina de contemplatione, neque omnino devictos error Pſeudoilluminatorum, niſi hæc alia ſubnectatur quæſtio, an ſcilicet in ſupereminenti contemplatione voluntas agens Deo uniatur nulla prævia, aut concomitante intellectus operatione. Super hoc non defuere Myſtici probatæ doctrinæ, qui partem affirmativam tenerent, qua opinione freti intolerunt prævaricatores terræ voluntatem etiam in gradu ſublimiori carere ſuis actibus, ac tandem eò rem ducunt, ut oratio perfectior collocetur in ſuſpenſione cujuſque operationis, & in otioſa quadam ſegnitie, quæ vitiorum omnium origio eſt, conſpurcatâ interim doctrinâ Patrum, & verâ contemplatione.

171 Igitur *S. Bonaventura* tom. 2. opuſc. de myſtica Theologia circa finem duplicem viam indicat aſcendendi ad Deum, ſcholaſticam ſcilicet, & myſticam. Prima ſtudium hominis requirit, quo tranſeundo per creaturas, & rationes vel naturales, vel revelatas ratiocinando pervenitur ad cognoſcendum Deum, & terminat in affectum, & dilectionem ejuſdem, indigetque ſemper intellectus operatione. Altera incipit a Deo movente, & applicante voluntatem ad affectum, & dilectionem; & in hac ſæpè nulla præit, nec comitatur cognitio, ſed potiùs ſequitur. Cum *Bonaventura* ſentiunt Hugo

A de Palma *tract. de dilucidatione myſtica Theologia litera T conſiderat. 5.*, Gerſon *de myſtica Theologia Alphabeto 66. litera O Induſtria XI.*, haud tamen ex propria ſententia loquitur; ſolentque adduci *Paludanus*, *Argentina*, *Gregorius*, aliique, qui tamen procedunt attentâ abſolutâ Dei potentiâ, contra quos breviter,

174 DICO. *Nulla datur ſublimiſſima licèt oratio, in qua voluntas agat nullâ præviâ, vel concomitante intellectus operatione.*

PROB. 1. auctoritate *Auguſtini* lib. 10. de Trinit. cap. 1. *Rem prorſus ignotam amare omnino nullus poteſt.* Ex quo infert *D.*

B *Thomas* Opuſc. 61. de dilectione Dei, & proximi cap. 2. *Inviſa poſſumus diligere, incognita nequaquam.* *Bernardus* de Gratia, & lib. arbitr. circa principium: *Habet ſanè* (voluntas) *quocumque voluerit ſemper rationem comitem, & quodammodo pediſſequam; non quod ſemper ex ratione, ſed quod nunquam abſque ratione moveatur;* Idem ſer. 78., & 52. in Cantic., *Anſelmus* in Monologio cap. 48. *Nulla res amatur ſine ejus memoria, aut intelligentia.* *Gregorius Magnus* lib. 5. Moral. cap. 23. de Contemplante ait: *Videt, quia videre non poſſit hoc, quod ardenter diligit: nec tamen ardenter diligeret, niſi ali-*

C *quatenus videret.* Gerſon. conſid. 8. myſticæ Theologiæ practicæ dicit, amorem elicitum, & meritorium non poſſe eſſe abſque prævia cognitione. *Ariſt.* 3. de Anima cap. 10. *Appetibile non movere, niſi mente, aut imaginatione perceptum.*

175 PROB. 2. Implicat actum amoris eſſe, & non eſſe voluntarium; ſed implicat eſſe voluntarium abſque cognitione. Definitur enim voluntarium eſſe ab intrinſeco cum cognitione: ergo implicat actus amoris abſque ulla cognitione. *Explicatur.* Sicuti ſe habet potentiale dominium voluntatis ad intellectum: ita actuale ad actum

Voluntarium eſt ab intrinſeco cum cognitione.

D intellectus; ſed voluntatis dominium potentiale ſupponit intellectum, in quo radicatur, & medio quo ab anima emanat: ergo etiam actuale dominium, ſeu uſus potentiæ volitivæ eſſentialiter ſupponit actum intellectus. In eſſentialiter enim ſubordinatis unum non operatur abſque alio. Sic *S. Thomas* opuſc. 61. cap. 2. de dilectione.

Explicatur ſecundò. Omnis inclinatio ſequitur aliquam formam, & omnis forma ſuam habet inclinationem proportionatam. Inclinatio autem duplex eſt: alia naturalis, & phyſica: alia ſpontanea, ſeu elicita; unde duplex eſſe debet forma. Na-

Duplex inclinatio, phyſica, & elicita.

E turalis, per quam res ponitur in eſſe phyſico, & elicita, ſeu intentionalis, per quam res conſtituitur ſub eſſe apprehenſo; ſed amor unitivus eſt appetitus elicitus: ergo ſequi debet formam intentionalem; ſicut impoſſibilis eſt appetitus innatus abſque forma naturali.

176 PROB. 3. Secundùm Myſticorum phraſim, ex Magno *Dionyſio* cap. 7. de divinis nominibus deſumptam in fruitiva contemplatione anima deificatur, quatenus per excellentis amoris extenſionem, quantum poſſibile eſt creaturæ, Trinitati eminentiſſimè

mè conformatur ; ſed in Trinitate Spiritum Sanctum, ſeu amorem increatum præcedit Filius, ſeu notitia, & ſapientia increata, non ſolùm præcedentia ordinis, ſed originis, nec aliter eſſe poteſt : ergo ſi in contemplatione fruitiva anima Trinitatem imitatur, neceſſe eſt admittere notitiam intellectivam præcedere, & comitari vim affectivam.

Non ſtat unio fruitiva Beatorum abſque notitia.

ILLUSTRATUR. Non eſt perfectior unio affectiva myſticæ contemplationis, nec in ea immediatiùs unitur, aut movet Deus ipsâ fruitivâ Beatorum unione ; ſed unio fruitiva Beatorum non ſtat abſque notitia Dei mediâ viſione intellectus, immo ſumma efficacitate rapitur voluntas, quia clariùs divinam excellentiam videt : ergo pariter myſticam unionem comitatur cognitio intellectus, & perfectior erit cognitio, quò perfectior unio.

177 DICES. In adducta paritate non eſt par ratio ; nam viſio beata non impedit amoris perfectionem, utpote perfecta. Cæterùm cognitio viæ eſt impedimentum perfectionis amoris, utpote non pura, vel quia admixta phantaſmatibus, vel quia finito modo repræſentans Deum, qui infinitus, & immenſus eſt, ideſt repræſentans ſub ratione particulari alicujus attributi : amor verò fertur in totum pelagus divinitatis. Ita *Seraphicus* ad quintum. Sed falſum eſt cognitionem viæ amori proportionatam impedire dilectionis perfectionem : vel enim impedit ex parte potentiæ, quatenus anima, quia finitæ virtutis pluribus actibus occupata diſtrahitur, ne toto impetu feratur in amorem ; vel impedit ex parte objecti. Non primum ; quia idem contingeret in Patria ; nam ibi etiam anima eſt finita ; tametſi & hic, & ibi adjuta viribus ſupernaturalibus. Præterea in eſſentialiter ſubordinatis actuum pluralitas, quorum unus ab alio oritur, non admittit diſtractionem, nec unus alium impedit : ſicut cauſalitas cauſæ non impedit effectum, aſſenſus præmiſſarum aſſenſum concluſionis, immo potiùs juvat, & perficit. Non ſecundum ; quia juxta connaturalem operandi modum, ùt *Seraphicus* fatetur, cognitio eſt omnino neceſſaria ad amoris productionem : ergo nequit objectum ejus perfectionem impedire : ſicut nulla cauſa impedit perfectionem effectus.

Nulla cauſa impedit perfectionem effectus.

Ratio eſt ; quia ideo cognitio gignit amorem, quia bonum amabile repræſentat : ergo ſi cognitio repræſentet vel bonum melius, vel meliori modo, amorem gignet perfectiorem ; ſicuti melior penetratio principiorum perfectiorem infert aſſenſum concluſionis. Nec verum eſt cognitionem viæ ſemper corporeis admiſceri phantaſmatibus, ùt plures docent, vel ſi admiſcentur, imagines ſunt adeo ſubtiles, & depuratæ, ut perfectam non minuant repræſentationem. Nec ſemper cognitio Deum proponit ſub particulari unius attributi ratione, ſed etiam ſub generali entis eminentiſſimi, & perfectiſſimi, quare voluntas per amorem mergi poſſit in pelagus Divinitatis. Quamvis autem intellectus non cognoſcat Deum niſi ùt attractum ad ſe, ac proinde non cognoſcat in ſe, per hoc tamen haud tollitur amoris perfectio ; quia non fertur amor in cognitionem, ſed in objectum a cognitione propoſitum, unde non ſequitur imperfectiones cognitionis, ſed perfectionis objecti prout eſt in ſe.

178 PROB. 4. ex doctrinâ D. Th. 1. 2. *q.* 6. *art.* 1., ubi explicat naturam voluntarii, & *q.* 27. *art.* 2. ubi inquirit, an cognitio ſit cauſa amoris. Actus ſublimis charitatis Theologiæ myſticæ eſt voluntarius. Nequit eſſe voluntarius abſque præviâ cognitione : ergo. Explicatur *minor*. Actus nequit eſſe voluntarius, niſi ad eum ſe moveat, & impellat voluntas ; non autem ſe ad eum impellit niſi mota, & illecta a proprio objecto, quod eſt bonum. Bonum verò non movet niſi cognitum, & vitaliter voluntati præſentatum, quæ præſentatio non fit niſi per intellectum.

Bonum movet in genere cauſæ finalis.

Bonum movet in genere cauſæ finalis : cauſa finalis non movet niſi metaphoricè, ideſt media apprehenſione alliciendo, & ideo non movet, ùt in ſe exiſtens, ſed intentionaliter. Quapropter ſicut fieri non poteſt, ut voluntas moveatur a non bono, ita a non cognito ; & ſicut appetitus ſenſitivus non movetur niſi præviâ imaginatione, & eò fortiùs, quò fortior eſt ; ita nec appetitus rationalis movetur niſi præviâ ratione, & eò fortiùs, quò ea fortior eſt ; ideoque Eccleſ. 20. v. 32. dicitur : *Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus ; quæ utilitas in utriſque?*

Diſcrimen inter viventia cognoſcētia, & non cognoſcentia.

Hinc deſumitur diſcrimen, cur viventia non cognoſcentia dicantur ſemimoventia ; quia in ſe non habent integrum principium motus, ſed potentiam dumtaxat executivam, cùm careant notitiâ finis, propter quem omne agens agit, & ad illum moveatur ab extrinſeco. Cognoſcentia verò dicuntur perfectè viventia, & moventia ; quia non tantummodo potentiam in ſe habent executivam, verùm etiam impulſivam, videlicet notitiam finis media cognitione. Et ſanè percipi non poteſt, quomodo voluntas potiùs amet bonum, quàm malum, niſi cognoſcit objectum honeſtum potiùs, quàm delectabile, vel utile ; cur ſtante advertentia peccet, & ea invincibiliter deficiente non peccet, ſi ſemel amat abſque cognitione. Deinde vel amor eſt neceſſarius, vel liber. Si primùm : ergo ſemper erit, & in perpetuum voluntas actu Deum amabit, cùm ſemper objectum ſit ſufficiens, utpote non habens neceſſitatem cognitionis. Si liber : cur non admittitur in carentibus uſu rationis, ſi nullum requiritur opus intellectus, qui eas diſcernat rationes, & voluntati proponat?

179 DICES : Elapſa illuminatione a Deo immiſſa, & ceſſante actu intellectus, voluntas remanet per aliquod tempus excitata, & unita Deo : ergo ſtat unio affectiva abſque cognitione.

RESP. *neg. conſequen.* Illa unio eſt effectus a contemplatione relictus, ſeu habilitas, & diſpoſitio, vi cujus voluntas, adveniente actu illuminationis, facillimè concipit charitatis ignem : non ſecus ac lignum ſemel accenſum, denuò faciliùs accenditur. Hæc habilitas eſt etiam ex parte intellectus,

ut

ut faciliùs illuminetur. Videatur Angelicus 2. 2. *q.* 171. *art.* 1. *ad* 2., ubi etiam reponit documentum D. Auguſtini *lib. de orando Deum*, ſcilicet *neceſſarias eſſe crebras orationes, ne devotio extinguatur*.

180 DICES 2. Deus magis eſt unitus, & præſens voluntati, quàm cognitio immediatè movens voluntatem ad amorem; cognitio enim utpote pura conditio ad amandum, suppleri poteſt a Deo: maximè cùm voluntas, & intellectus ſint potentiæ realiter diſtinctæ; nam Deus conſervare poteſt operationem unius abſque operatione alterius: ſic Thomas de Argentina 1. *ſent. diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 4., loquendo ſaltem de abſoluta Dei potentia, quæ motiva applicatur a quibuſdam contemplationi.

CONTRA. Probandum eſt, quomodo Deus abſque cognitione ex parte Intellectus ſit voluntati intimè præſens per modum objecti amati. Eſt quidem intimè præſens per eſſentiam, præſentiam, & potentiam; ſed hoc non ſufficit, niſi ſit conjuncta cum præſentia objectiva, quæ non ſtat ſine cognitione: nec Deus per ſeipſum poteſt supplere; quia in eſſe cognitionis nequit creaturæ uniri, quod non negat *Seraphicus*. Univerſaliter enim nequit Deus ſe ſolo supplere quamcumque conditionem, & cauſalitatem, cùm aliquæ importent eſſentialem dependentiam a principio creato: quam eſſentialem dependentiam non tollit realis potentiarum diſtinctio, ſicut diſtinctio realis actus a ſua potentia non impedit eſſentialem dependentiam, & ſubordinationem. Ratio in præſenti eſt; quia Deus nequit movere voluntatem ad amorem ſui, niſi ùt unitus per modum objecti, & boni. Bonum verò movet per modum finis, & hic non movet niſi metaphoricè, videlicet in apprehenſione: ergo Deus debet eſſe præſens, & cognitus.

Deus non poteſt ſupplere quālibet conditionem.

181 PROB. 5. Ideo admittitur unio affectiva abſque cognitione, quia hoc experientia demonſtrat, quam Myſtici ſentiunt; ſed experientia demonſtrat oppoſitum: ergo. *Minor* declaratur. Experientia eſſentialiter dicit cognitionem; adeſt experientia: ergo cognitio. Ut experimentum habeatur, neceſſaria eſt memoria amoris habiti; ſi nulla ſit cognitio, nulla poteſt eſſe memoria, quæ eſt recordatio rei cognitæ. Hinc ſi quid contingat ſub oculis, cui non attendimus, ejus poſtmodum non recordamur. Si ergo iſti homines nullam habent cognitionem, quomodo enarrare poſſunt, quæ in contemplatione patiuntur?

Experientia non datur ſine cognitione.

182 DICES cum Gerſone *Alphab.* 66. *conſid.* 6. *ſub litera X.* adeſſe cognitionem non directam Dei amati, ſed ipſius amoris; quia contemplans cognoſcit ſe amare, licèt ipſa cognitio non præcedat, nec dirigat amorem.

CONTRA. In adverſarios telum redit. Si amoris ſublimitati non repugnat cognitio, & intuitio amoris, multò minùs pugnat directa cognitio Dei amati, quæ meliùs conjungitur cum amore, quàm prior; etenim ex natura rerum cognitio boni conducit ad illius amorem. Si igitur admittunt cognitionem, ne rejiciant cognitionem præcedentem cauſalitate, & naturâ. At quia ad diſtinguendam hujuſmodi prioritatem opus eſt attentiſſima reflexione, quâ Contemplantes utpote abſorpti carent: ideo videtur illis cognitio prævia eſſe nulla. Nec proindè mendacii incuſamus hoſce boni nominis myſticos, qui non re, ſed modo explicandi negant hujuſmodi cognitionem. Ut enim jam dixi, ab exuberanti dulcedine abrepti non reflectunt ſupra ſuas operationes. Reflexio autem eſt cauſa memoriæ: maximè cùm ſit cognitio a lumine divinitùs immiſſo, & non activo contemplantis labore procurata. Valdè ſublimis eſt, & ſubterfugiens reflexionem. Præterea in exercitio amoris tanta ſentitur dulcedo, ut ſuperet credulitate, & ideo in ea contemplatione demerſus videtur ſibi non cognoviſſe: atque hæc eſt cognitio, quæ ſequitur amorem, ideſt guſtando experitur majus bonum eſſe Deum amatum, quàm priùs cognoſceret, & arbitraretur.

Reflexio eſt cauſa memoriæ.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

183 OBJICIES 1. ex auctoritate. De hac contemplatione Pſalmiſta loquens ſic Pſalm. 33. v. 9. dicit: *Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus*; & rurſus: *Accedite ad eum, & illuminamini*; ſed hic affectus voluntatis præit, cognitio ſequitur: ergo voluntas in contemplatione operatur ſine prævia, aut comite cognitione.

CONFIRM. ex celebri dicto *Areopagitæ* ſub initio myſticæ Theologiæ, ubi hæc habentur ſecundùm lectionem Perionii: *Tu autem, Thimothee chariſſime, pro maxima myſticorum ſpectaculorum exercitatione, qua vales prætermitte, & ſenſus, & mentis actiones, eaque omnia, quæ ſub ſenſu cadunt, & animo cernuntur*. Vides? Omnis operatio intellectus excluditur. Hæc doctrina omnino videtur Seraphicæ Matris THERESIÆ, quæ frequenter dicit in myſtica unione deperdi potentias; tunc nihil animam videre, & intelligere: ibi animam ſolùm frui: Intellectus operationem auferri: animam ex toto ſtolidam fieri; quod & dicit Dionyſius 7. *de divinis nominibus*, vocans ſapientiam hanc ſtultam, irrationalem, & amentem. S. P. JOANNES A CRUCE lib. 2. cap. 2. Aſcenſus Montis Carmeli docet, animam ſpoliari rationis luce, & obcæcari.

RESP. *neg. min.* ad cujus intelligentiam notanda eſt duplex cognitio, directiva, & experimentalis. Prima ſemper præcedit affectum, quæpote ad principium operativum voluntatis pertinet, quatenus proponit bonum, & finem, qui affectum rapit. Experimentalis ſubſequitur, quatenus experiendo certior fit de veritate, quam cognoſcebat, immo ſe non adæquatè percepiſſe cognoſcit, cùm aliquid plus ſibi videatur ſentire, & de hac ſecunda cognitione loquitur Pſalmiſta. Cæterùm de prima habemus ex Apoſtolo: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia Deus eſt*.

Quid ſit cognitio directiva, & experimentalis.

In confirmatione abs re omnino adducitur *Areopagita*, qui non operationem intellectus,

ctus, ſed modum negat operationis, negotioſam ſcilicet induſtriam, qua ſpiritus ad notitiam Dei aſſurgit per aſcenſum, ſeu per affirmationem mediis creaturis, & docet animam ferri ſine hoc operoſo diſcurſu ſublimiori lumine, & obtutu: & ideo ibidem ſubdit — Ut illi jungaris, qui ſuper omnem „ ſubſtantiam, omnemque ſcientiam eſt, ignotè pro viribus intendens — *Intendens*: en cognitio; & rurſus — Et eo quoque ipſo, „ quòd nihil cognoſcit ſuper ſenſum, mentemque cognoſcens — & cap. 2. — Ad hanc „ nos per lucidam, limpidiſſimamque caliginem admitti oramus, & per viſus, ſcientiæque privationem videre, ac ſcire eum, „ qui aſpectum omnem, ſcientiamque tranſcendit — Ex hoc quaſi contradictoriæ locutionis textu percipimus admirabilem Doctoris phraſim, quòd anima ignotè cognoſcit: veraciter tunc cognoſcit, cùm nihil cognoſcit: carentiâ lucis videt &c. Non cognitionem excludit, ſed qualitatem cognoſcendi modo explicato. Anima cùm ſuapte naturâ ad cognitionem procedat, ab uno ad aliud diſcurrendo, & media ſenſuum operatione, quando ſuperiori lumine ad intellectionem movetur, dicitur carere luce, ſcilicet naturali: ignotè intelligere; quia ſine ratiocinatione intelligit. Aliud verò dictum ex cap. 7. de Divinis Nominibus exponit ibidem *S. Thomas* lect. 2. — Divina ſapientia laudatur excellenter ſicut irrationabilis, in „ quantum excedit rationem, & ſicut amens, „ in quantum excedit mentem, ſive intellectum, & ſicut ſtulta, in quantum excedit „ habitum mentis, ſcilicet ſapientiam — Et videtur alludere ad illud 1. ad Corinth. 1. v. 25. *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus*; & verſ. 23. *Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*.

Explicantur phraſes Dionyſii.

Divina ſapientia quomodo dicatur irrationalis, amens, ſtulta.

Quoad S. Matrem THERESIAM, & S. JOANNEM A CRUCE ſupervacaneum eſt immorari, quorum ſublimem doctrinam opera ipſa manifeſtant, & contra rigidos cenſores apologeticum impigrè calamum diſtrinxere Patres noſtri *Thomas a Jeſu*, & *Nicolaus a Jeſu Maria*, ubi capita eadem ab Adverſariis oppoſita retorquent, ùt *cap.* 14. *lib.* 2. *Aſcenſus in Montem*, & *cap.* 15. *ejuſdem libri*, & alibi: & quoad Sanctam Matrem præter alia plura, videri poteſt *Vita cap.* 10., 16., 17., & 18., *Itinerar perfectionis cap.* 30., & 31., *Manſ.* 4. *cap.* 4., *Manſ.* 5. *cap.* 5., & alibi ſæpè. Ratio autem locutionum in objectione eſt; quia prætermiſſo connaturali modo operandi, intellectus altiore cognoſcendi methodo tam vehementer, ac intensè occupatur, ut non reflectat ſupra ſuos actus. Atque hinc nata eſt allucinatio dicentium, intellectum non operari, cùm reverà nobiliùs, & excellentiùs operetur, ùt noſtri docent laudati Doctores. Sicut enim anima ibi ardenter occupata non meminit, quæ foris ſunt, ita intellectus non attendit ſe intelligere; quia reflexio eſt cauſa recordationis. Ubi placet advertere dictum S. Antonii ab Abbate *Iſaac* relatum, videlicet *perfectam non eſſe Monaci orationem, in qua cognoſcit ſuam orationem*. Et ratio eſt; quia cognitio directa Dei magis proportionata eſt divino amori; & ad eum magis conducit, quàm reflexa amoris cognitio, cùm illa ſit boni infiniti, hæc finiti, nempe objecti creati, & eſt aptiſſima ad diſtrahendum; quamobrem qui ſolicitus eſt in reflectendo, an oret, imperfectè orat.

184 OBJICIES 2. ratione. Anima in contemplatione gradatim perficitur aſcendendo: primò attingit, quod in Deo ultimum eſt; ſed quod in Deo eſt ultimum, eſt Spiritus Sanctus, amor increatus, utpote tertia Perſona origine, licèt non tempore: ergo primum, quod attingit, eſt amor divinus: ergo priùs perficitur per affectum, quàm per cognitionem: ergo ſtat amor ſine cognitione.

RESP. Hæc eſt ratio valde diſperata, & quæ præfefert inconvenientia; ex ea ſiquidem ſequitur priùs amandum eſſe Spiritum Sanctum, quàm Filium, & hunc, quàm Patrem: eſſe cognoſcendum priùs Spiritum Sanctum, quàm Filium, & Patrem: priùs intelligendam eſſe Trinitatem, quàm eſſentiam: proprietates, quàm naturam, & ſimilia, ſi incipiendum eſt a poſterioribus origine, & emanatione. In iis igitur, quæ neceſſariò ſubordinantur, in modo attingendi attenditur habitudo prioris ad poſterius, non prioritas, & poſterioritas originis in objecto. Cùm ergo cognitio, & amor ſint eſſentialiter ſubordinata, debet hunc illa præire.

185 OBJICIES 3. Anima in myſtica, & ſuprema unione perficitur juxta participationem triumphantis Eccleſiæ, in qua primus ordo eſt Seraphinorum, qui ardentes, & amantes interpretantur: hi Cherubinos præeunt, qui plenitudo ſcientiæ dicuntur: ergo in myſtica unione priùs inflammatur affectus per amorem.

RESP. *neg. conſeq.* Seraphim præcedunt Cherubim, non quia deſit iis ſcientia, vel his charitas; quod eſt falſum; ſed quia dum eſſent in via excelluerunt in proprietate dilectionis, & alii ſcientiæ; vel ratione muneris, quòd primi ad inflammandum, ſecundi ad erudiendum ordinantur. Cæterùm argumentum probat, Angelos, & Beatos priùs amare, quàm intuitivè Deum videant, quod repugnat.

Unde ordo inter Seraphim, & Cherubim.

186 OBJICIES 4. Deus priùs movet in nobis, quod eſt illi propinquius, quàm quod eſt remotius; ſed affectus per amorem diſpoſitus eſt Deo propinquior, quàm cognitio: ergo prior debet moveri.

RESP. Hoc argumentum deberet majorem, & minorem probare. *Majorem*; quia non ſemper Deus in nobis movet priùs, quod eſt ei propinquius, cùm ſoleat ad altiora diſponere per imperfectiora. *Minorem*; quia intellectus eſt Deo propinquior, utpote immediatiùs ab eſſentia emanans. Deinde; ubi datur ſubordinatio in motione, non attenditur propinquitas ad Deum; ſed ordo in motibus, & moventibus: hìc in caſu eſt ordo intellectus moventis, & voluntatis motæ: ergo.

187 DICES: Deus a creatura diſtat gradibus infinitis: ergo, ut aliquo modo, ſeu aliqualiter cognoſcatur, neceſſe eſt, ut

anima

anima ſic Deo appropiuquet, ut eum attingat; atqui ſolus amor ſui extenſione facit, ut anima appropinquet Deo: ergo, ut mens cognoſcat, præcedit amor, & quò ferventior amor, eò erit perfectior cognitio.

RESP. Hæc inſtantia probat, quod omnes concedunt, non verò quod abſque prævia cognitione voluntas diligat, ſed oppoſitum. Ratio eſt; quia antequam anima Deo appropinquet perfectius, neceſſe eſt, ut appropinquet imperfectiùs, ſicuti demonſtrat argumentum gradibus infinitè diſtantibus; ſed in myſtica unione perfectior appropinquatio eſt per dilectionem (hæc enim eſt finis, hæc intenditur primariâ intentione, ad hanc cætera ordinantur): ergo præcedere debet alia imperfectior per intellectum. Dulcedo tamen dilectionis perficit cognitionem, & quia ex ea fit, ut exerceatur abſque diſtractione, & ſollicitudine, & quia per experientiam effectuum, quos anima ſenſit, didicit practicè certitudinem veritatis, quam intuetur.

Dulcedo dilectionis perficit cognitionem.

188 DICES 2. Diverſo modo ſe habet anima in unione per aſcenſum, ac ſe habeat per deſcenſum; ſed unio per aſcenſum incipit ab intellectu, quatenus ab inferioribus erigit ſe ad Dei notitiam: ergo unio per deſcenſum incipere debet a voluntate: in unione per deſcenſum conſiſtit perfectior contemplatio: ergo.

RESP. Diverſitas unionis per aſcenſum, & deſcenſum non conſiſtit in eo, quòd in una incipiat voluntas, in alia intellectus; ſed quòd notitia Dei, quam ſequitur amor, in aſcenſu habetur operoſo diſcurſu unum ex alio deducendo: in deſcenſu habetur per donum intellectus immiſſum a Deo, & ab eodem ſpecialiter applicatum abſque opere noſtro, & meliùs, & clariùs erudit animam brevi tempore, quàm diuturna inquiſitio per ratiocinationem.

Unio per aſcenſum, & deſcenſum.

189 OBJICIES 5. Sapientia unitiva, quæ ex ardentiſſimis aſpirationibus ad Deum conſurgit, eſt perfectiſſima contemplatio; ſed in hac non operatur intellectus: ergo. *Minor* explicatur. Sapientia hæc nihil eſt aliud, quàm quoddam exercitium voluntatis, quæ per annagogicorum actuum frequentationem fertur in Deum.

RESP. *neg. min.* Aliqui præpoſterè intelligentes veritatem ſapientiæ unitivæ, quæ tantopere eſt animabus proficua, & a SS. Patribus eximiè commendata, ejus explicationem depravant. Falsò dicitur voluntas operari in iſtis aſpirationibus (jaculatorias dicunt a raptu, & jaculo, quia ſubito quodam impetu anima actibus dilectionis ferit quodammodo cor Domini) abſque intellectus operatione; ſed quia cognitio, interveniens eſt valde ſubtilis, generalis, & non ſpecialiter per ratiocinium ordinata, propterea videtur eſſe nulla. Hujuſmodi ſapientia in Viris ſolet perquàm illuminatis haberi, & frequenti oratione tum acquiſitâ, tum infusâ præditis; unde in illis facillimè excitatur ſimplex conceptus ſummi entis, quo in amorem rapiuntur. Proinde videmus, ſtatim ac Deum, vel beatitudinem æternam audiunt, vel Chriſti imaginem vident, amore colliqueſcunt, ac rapiuntur; nam illa viſio, vel auditio illicò Dilecti ſpeciem excitat: & plura de hoc exempla occurrunt in ſacris hiſtoriis. Et explicari poſſet a contrario in homine timido, qui nocte concubia fugit hoſtem: ad motum auræ, ad aſpectum umbræ trepidat: excitatur ad ſpeciem inimici, quem putat jugulo jamjam imminere. Haud ſecus animæ ob familiarem Dei notitiam meditatione, & contemplatione acquiſitam quoquo verbo, aut ſigno, quod Dilecti memoriam excitet, ad eum cogitandum, & amandum inflammantur.

Quid ſint orationes jaculatoriæ.

190 OBJICIES 6. Myſtici optimi nominis, ùt Sancta Mater noſtra THERESIA: S. Bonaventura *Itiner. 5. æternit. diſt. 5.*, *&* *2. diſt. 23. art. 3.*, ubi citat S. Bernardum: Ugo Victorinus *in cap. 7. Angelica Hierarchiæ*: Immo S. Thomas 1. 2. *q.* 27. *art.* 2. *ad* 2. Voluntas plus amat Deum in contemplatione, quàm intellectus cognoſcat: ergo abſque ulla cognitione poteſt diligere. *Prob. conſeq.* Qua ratione ferri poteſt in aliud plus amatum, quàm cognitum, ferri poteſt in totum incognitum; nec aſſignabitur ratio, cur magis illud valeat diligere, intellectu non dirigente, & non totum. Occaſione hujus argumenti examinandum eſt illud antecedens, & conſequentia; unde ſit.

§. III.

AN VOLUNTAS PLUS DILIGAT, QUAM INTELLECTUS COGNOSCAT.

191 DICO: *Voluntas plus diligit, quàm intellectus cognoſcat.* Ad cujus intelligentiam advertendum *primò* axioma certum eſſe in Via, non autem in Patria, ubi dilectio exæquat cognitionem, cùm utraque potentia in Deum tendat immediatè, prout eſt in ſe. Advertendum *ſecundò* iſtam comparationem non fieri in genere moris, & meriti; quia certum eſt charitatem eſſe potiorem cognitione in merito, cùm omnium virtutum ſit forma, & prima radix valoris in ordine ad ſupernaturale præmium. Itaque comparatio fit in ordine entis, in quo pro hoc ſtatu dilectio rerum ſupernaturalium excellit earumdem cognitionem, ùt docet D. Thomas 1. *p. q.* 87. *art.* 3. Ratio eſt; quia res ordinis ſuperioris ad nos perfectiùs eſſe habent in ſe, quàm in nobis; illas enim non cognoſcimus in ſe ipſis, ſed ùt involutas ſpeciebus, & phantaſmatibus, queis carent in ſe. Cùm ergo intellectus non feratur in eas prout in ſe, ſecus voluntas, ſequitur, ut actus voluntatis perfectior ſit, & intimior Deo, quàm operatio intellectus. Ut hæc illuſtriora fiant, adnoto eruditionem *D. Thomæ*. In potentiis ordinatis contingit, ut ubi operatio prioris potentiæ terminatur, inibi incipiat ſequentis. De facto ſenſus terminatur ad imaginationem, quæ eſt motus factus a ſenſu ſecundùm actum; ſicut & intellectus in termino imaginationis incipit; quia phantaſmata accipit pro objecto, ùt dicitur 2. *lib. de Anima*, & ideo illarum rerum, quæ non habent phantaſmata,

Voluntas in via plus diligit, quàm intellectus cognoſcat.

taſmata, cognitionem non poteſt accipere, niſi in rebus, quarum ſibi phantaſmata occurrunt. Quare in ſtatu viæ, ubi cognitionem accipit a phantaſmatibus, nequit Deum immediatè attingere, ſed ex viſibilibus in Dei cognitionem venit. Quamvis ipſam eſſentiam non inſpiciat immediatè, tamen cognitio intellectus ad ipſum Deum terminatur; quia ipſum eſſe ex effectibus apprehendit: unde cùm ad intellectum ſequatur affectus, ubi terminatur operatio intellectus, ibi incipit operatio affectus, ſeu voluntatis. Diximus autem operationem intellectus, ſcilicet ejus cognitionem ad ipſum Deum terminari, quem eſſe ex effectibus apprehendit; hinc operatio voluntatis circa ipſum Deum poteſt eſſe immediatè, nullo medio interveniente, quòd ad voluntatem pertineat, multis tamen mediis præcedentibus ex parte intellectus, quibus in Deum cognoſcendum pervenit. Ex quo diſcurſu habetur, quomodo voluntas intret, intellectus extrà remaneat: illa immediatiùs uniatur, iſte mediatiùs, quod apud aliquos ſufficit ad verificandum prædictum Myſticorum axioma. Revera tamen non ſatisfacit adæquatè, cùm plus diligere, quàm cognoſcere, aliquid aliud explicare videatur, quàm præcisè modum tendendi in ſe, & in medio per ſpeciem.

Plus diligere ſumitur ex parte amantis.

Quare plus diligere attendi poteſt ex parte amati, & ex parte amantis; ex parte amati implicat voluntatem plus amare, quàm intellectus cognoſcat eſſe amabile; quia nihil eſt plus amabile ex parte objecti, quòd ut bonum non diligatur; bonum autem non diligitur niſi apprehenſum: ex parte amantis optimè ſtat, quòd voluntas plus diligat, quàm intellectus cognoſcat, hoc eſt circa idem objectum intenſior ſit actus dilectionis, quàm cognitionis. Et ratio evidens eſt; nam dilectio non proſequitur cognitionem, ſed bonum per cognitionem propoſitum; cognitio enim eſt mera conditio, non ratio motiva voluntatis; quod enim movet, eſt bonitas apprehenſa. Hinc ſtante remiſſiori cognitione, poteſt voluntas validiori impetu in objectum ferri. Quocirca ſi dentur duo bona inæqualia unum minùs, aliud majus, etiam ſi minùs bonum magis, majus verò minùs cognoſcatur, voluntas tamen magis diligit bonum majus (dummodo repræſentetur ùt majus) quàm minùs bonum, quamvis meliùs cognitum. Immo cognitio melior minoris boni minorem cauſat dilectionem; quo enim melior eſt cognitio minoris boni, eò minorem amabilitatem detegit, & majores imperfectiones. Secus accidit in cognitione Summi Boni, in quo, cùm nulla ſit mixtio mali, quo meliùs cognoſcitur, magis amabile apparet. Hoc explicat *Angelicus* 1. 2. q. 27. art. 2. ad 2. exemplo amoris ſcientiarum, quas ſæpè ardentiſſimo amore diligit homo, habens de eis generalem, & ſummariam cognitionem, ùt ſciens Rethoricam eſſe artem benè perſuadendi vehementi deſiderio in eam rapitur; ſic ſtante imperfecta quadam, & ænigmatica Dei cognitione, toto affectu voluntas rapitur.

Bonitas apprehenſa eſt ratio motiva voluntatis.

192 DICES I. Sicuti ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis; ſed voluntas quoad ſimpliciter amandum, & ad ſubſtantiam amoris dependet eſſentialiter a ſimpliciter cognito: ergo etiam in magis amando dependet a magis cognito; vel niſi magis dependet, nec pendebit ſimpliciter: & intentum habet contraria opinio.

RESP. philoſophicum axioma in caſu noſtro verum eſſe; quia ex parte objecti, ſicuti quoad ſubſtantiam nihil diligit, quod non ſit cognitum, ita nihil plus diligit, quod non ſit magis cognitum; ſed axioma non valet ex parte conatus intenſivi; nam, ùt diximus, voluntas non proſequitur affectu cognitionem, ſed bonitatem cognitione apprehenſam..

193 DICES II. Voluntas eſt potentia rationalis: ergo nequit propenſior, & intenſior inclinari, & ferri in objectum, niſi incitetur motivo rationabili: ergo niſi ex nova ratione objectiva: ergo ſi plus diligit, quàm intellectus cognoſcat, fertur in aliquam rationem objectivam incognitam.

Duplex inclinatio in voluntate.

RESP. propenſionem voluntatis duplicem eſſe appretiativam, & ſenſitivam: prima conſiſtit in prælatione unius ad aliud: ſenſitiva in majori radicatione in ſubjecto. Illa ſine dubio requirit novam rationem objectivam, meliorem ſcilicet bonitatem in uno, quàm in alio. Secunda non requiris, ſed poteſt ſubſiſtere circa idem bonum. Haud aliter in noſtro caſu, ſtante cognitione ejuſdem Summi Boni abſque novâ ratione objectivâ, voluntas ardentiori conatu tendit in Deum: ſicuti videmus, quòd ſtante eadem cognitione Patris, & Fratris, intenſiùs Patrem amamus, quàm Fratrem.

194 DICES III. Hæc intenſior dilectio debet ab intellectu dictari: ergo debet ab intellectu cognoſci. *Probatur ant.* Intenſiùs diligere terminatur ad intenſiorem diligibilitatem, quæ ſe tenet ex parte objecti; ſed intenſior diligibilitas objecti eſt modus ejuſdem: ergo debet eſſe cognitus; aliter voluntas ferretur in incognitum.

Conatus ſubjecti eſt cauſa intenſionis ſubjectivæ actus.

RESP. argumentum procedere in æquivoco. Duplicem diſtinximus intenſionem appretiativam, & ſubjectivam, ſeu ſenſitivam. Appretiativa debet dictari ab intellectu, & terminatur ad intenſiorem diligibilitatem objectivam, ſeu ad majora motiva bonitatis. Subjectiva non debet dictari ab intellectu, cùm non terminetur ad novam rationem motivam objecti, ſed ad conatum majorem ſubjecti.

195 DICES IV. Omne volitum objectivum debet eſſe cognitum; ſed intenſiùs diligere ſubjectivum eſt objectivè volitum: ergo cognitum: ergo non plus diligit voluntas, quàm intellectus cognoſcat: *Minor* explicatur. Voluntas utpote reflexiva ſupra ſuos actus vult ſe velle; ſed etiam intenſio eſt actus voluntatis modalis: ergo eſt reflexiva ſupra ſe ipſam: ergo vult ſe magis, & intenſiùs diligere: ergo illa intenſio eſt volita.

RESP. hanc etiam inſtantiam laborare

in æquivoco. Aliud enim eſt, quòd Intellectus proponat voluntati tanquam bonum melius intensè Deum diligere, quàm remiſsè: aliud eſt, quòd in objecto directè amaro intenſiùs ſe habeat voluntas, quàm intellectus cognoſcat; hoc enim eſt, quod diſputatur, an ſcilicet ſtante cognitione directa objecti imperfecta, & remiſſa, ſtet perfectior intenſio voluntatis; quidquid ſit de reflexa.

196 DICES V. Illa major intenſio dilectionis eſt voluntati libera: ergo dependet ab intellectu, qui eſt radix libertatis: ergo dirigitur cognitione; quia intellectus non radicat libertatem voluntatis, niſi media cognitione.

RESPONDENT aliqui voluntatem non eſſe liberam in intenſione dilectionis; quia voluntas toto niſu fertur in finem ultimum, & beatitudinem: ergo ea ſuppoſitione, quòd eligat aliquod medium, tota vi fertur in illud, cùm ſemper eligatur in ordine ad ultimum finem: ergo cùm eligat pro medio beatitudinis aſſequendæ diligere Deum, toto conatu cum diligit.

Verùm hæc doctrina eſt contra communem Theologorum, & Philoſophorum ſententiam, qui inter circumſtantias moralitatis enumerant intenſionem actus. Libertas verò eſt fundamentum moralitatis, & per conſequens implicat intenſionem moralizare actum, & non eſſe liberum. Deindè voluntas eſt formaliter libera circa quodcumque objectum, in quo apparet aliqua ratio mali, ſeu difficultatis, & laboris; ſed in intenſiori operatione elevet aliqua ratio mali; cùm utique in intenſiori conatu major labor, & difficultas ſit ſuperanda: ergo. *Ulterius* doctrina ſuprà allata probat nos ſemper neceſſitari ad optimum; nam quoties operamur, ultimum finem intendimus: ergo neceſſariò eligimus id, quod magis proponitur, ùt magis conducens ad finem. Ideo enim cogimur ad totalem conatum circa medium; quia volitio medii debet æquari intentioni finis, quæ eſt ex toto conatu: ergo quia finis nobis proponitur ùt quid optimum, ad eligendum optimum medium adigimur. Debet enim medium eſſe fini proportionatum; maximè quòd ſicuti major intenſio actus magis conducit ad finem, ita & optimum medium conducit melius præ aliis. Si ergo ad primum cogimur, etiam ad ſecundum: ergo ſtante affectu etiam intenſo circa finem poteſt voluntas majorem, vel minorem intenſionem actus eligere.

Libertas eſt fundamentũ moralitatis.

Ad argumentum DICO libertatem intenſionis radicari in Intellectu, quatenus proponit voluntati objectum ſub judicio indifferenti, quod ſic propoſitum abſque ulteriori cognitione appetit intenſiùs, ad quam intenſionem movetur tum a propenſione voluntatis contemplativæ in Deum, tum a majori auxilio donato a Deo, quem expertus eſt bonum ſibi ſummè conveniens, & delectabile; & ab hac propenſione, & inclinatione voluntatis in Deum naſcitur illa frequens cogitatio de Deo in Contemplativis, & facilitas ſe cum ipſo uniendi ex quocumque motivo ſibi oblato; quia, ùt docet *Angelicus* 1. 2. q. 77. art. 1., ob communem potentiarum colligationem in eadem anima omnes potentiæ moventur in id, in quod una vehementer propendit, & inclinat. Hinc videmus, iracundia prædominante, illicò plures repræſentari modos exercendæ vindictæ. Nam imaginatio, & intellectus ſollicitè excogitant modos injuriæ propulſandæ. Febricitans ſibi vexatus, dum ſomniat, aquas reputat; quia ſenſus, & potentiæ obſequentes concurrunt ad vehementem appetitum, & præſertim intellectus facilè judicat juxta affectionem voluntatis; unde axioma — Quiſque judicat, ſecundùm quod eſt affectus — & paſſim Rethores docent, hanc eſſe amplificationis vim, ut motus animorum conciliat fidem.

Unde habetur in Contemplativis frequens cogitatio de Deo.

Unuſquiſque judicat, ſecundùm quod eſt affectus.

197 Hinc habetur, cur ſtante recto judicio in univerſali — Omne peccatum eſt „ fugiendum, omne honeſtum eſt proſequen„ dum — Nihilominus particulare detur judicium ex oppoſito — Hoc peccatum ſcili„ cet non eſt fugiendum, hoc honeſtum non „ eſt proſequendum — Quia in practicis judicium pendet a voluntate. Ad cujus intelligentiam adverto, judicium aliud eſſe ſpeculativum, aliud practicum: illud conſiderat rem ſecundùm ſe, abſtrahendo ab hoc, quod conveniat, vel non ad appetitum; practicum verò metitur rem ſub ordine convenientiæ, vel diſconvenientiæ ad appetitum, eò quòd ſecundùm Philoſophum praxis eſt in voluntate, & intellectus extenſione fit practicus. Iterùm judicium practicum aliud eſt generale, quod dicitur practicum ſpeculativè, aliud, quod dicitur particulare, ſeù practicè practicum: generale judicat de re factibilis ſecundùm convenientiam appetitus, ſed abſtrahendo a particularibus circumſtantiis. Et quia naturaliter voluntas eſt propter ſynderesim rectificata circa principia generalia practica; ideo judicium generale practicum ſemper eſt rectum; ac proinde ab aliquibus definitur, quòd ſit per conformitatem ad rem. Judicium practicè practicum judicat de operabili in ordine ad appetitum, attentis particularibus circumſtantiis hic, & nunc occurrentibus. Cùmque hic, & nunc appetitus inordinata paſſione ſit affectus, ſecum trahit intellectum ad judicandum juxta ſuam Inclinationem; nam, ùt dicebam, cauſa judicii practici eſt intellectus motus ab appetitu inclinato ad finem. Quamobrem, dum intellectus procedit ad judicandum, adeſt motio voluntatis utique ſuæ affectioni conſona: quæ, cùm ſit propter paſſionem deordinata, inficit ſua paſſione intellectum, qui ita infectus judicat ſecundùm apprehenſionem, ſeù impreſſionem voluntatis. Non ſecus ac vitrum viride omnes colores repræſentat virides: palatum amarum quidquid guſtat, amareſcit. Et quia paſſio facit quodammodo objectum conveniens; ideo intellectus ita permotus proponit hic, & nunc eſſe abſolutè conveniens, quod reverà non eſt, non obſtante judicio univerſali, quòd malum ſit inconveniens, & fugiendum, ſub quo illud particulare continetur.

In practicis judiciũ pendet a voluntate.

Voluntas eſt rectificata circa principia generalia practica.

198 In judicio practicè practico datur

error

error ſufficiens ad peccatum, dum judicat eſſe conveniens abſolutè, quod ſolum eſt tale ſecundùm quid, & hoc quia non ſatis attendit utpote diſtractas tum ex motione voluntatis malè affectæ, tum ob connexionem potentiarum in eadem anima. Cùm enim una ſit vehementer applicata, altera minus attendit ad ſuum objectum ob limitatam virtutem radicis influentis. Hinc ſequitur I. ut non aſſentiatur intellectus duobus contradictoriis, quando judicio univerſali dictat omne malum eſt fugiendum, & particulari judicio, hoc malum non eſt fugiendum; quia non ſunt de eodem ſecundùm idem, ùt explicatum eſt. Sequitur II. illam inclinationem voluntatis ratione paſſionis eſſe peccaminoſam cauſaliter; & licèt non impedire intellectum, ne practicè erret, ſit formaliter peccatum, non ponit tamen in numero cum peccato, quod poſtmodum ad illud pravum judicium ſequitur: ſic venatio, quæ eſt cauſa omittendi divinum Officium, non ponit in numero cum illa omiſſione. Sequitur III. neceſſariam eſſe rectificationem voluntatis erga finem, ut quis aptus ſit ingredi ad ſtatum unionis contemplativorum, quæ rectificatio cùm haberi nequeat, niſi ſubactis paſſionibus inordinatis, neceſſe eſt præmittere moralium virtutum exercitationem, quæ animam non purget ſolùm ab actualibus culpis, ſed etiam a pravis inclinationibus.

Judiciū univerſale, & particulare appoſitū non ſunt contradictoria.

199 OBJICIES 3. Sicut eſſentialiter voluntas intellectui ſubordinatur, ita intellectus phantaſiæ. In pura contemplatione intellectus operatur nullo phantaſmate comitante: ergo etiam voluntas operari poterit nulla comitante operatione Intellectus. *Minor* eſt apud Myſticos familiariſſima, quos citat, & ſequitur Ven. N. P. Thomas a Jeſu *diſp.* 1. *de natura, ſubjecto, & cauſa raptus cap.* 8. Quare placet hanc difficultatem, quæ gravis eſt, & valde controverſa breviter explicare juxta mentem *S. Thomæ*, qui & myſticam excellenter docuit.

§. I V.

AN IN PURA CONTEMPLATIONE DENTUR PHANTASMATA.

200 ANtequam ad difficultatis reſolutionem deſcendam, notandum eſt primò hoc nomen *phantaſia* accipi ſpecialiter, & generaliter. Primò ſumitur, prout eſt ſenſus internus realiter a ſenſu communi, ab æſtimativa, & a memoria diverſus. Generaliter prout complectitur omnes ſenſus internos cogniſcitivos rerum tum præſentium, tum abſentium; & in hoc ſecundo ſenſu accipitur controverſia, quando inquiritur, an detur contemplatio abſque dependentia a phantaſmatibus.

Quid veniat nomine phantaſiæ in contemplatione.

Notandum ſecundò hic agi de contemplatione paſſiva, ſive infuſa, non de activa, & acquiſita. In hac enim certum eſt phantaſmatum dependentiam intervenire; quia artificioſo labore per diſcurſum, licèt ex viribus gratiæ acquiritur. In ratiocinio autem diſcurſivo intercedere phantaſmatum concurſum ſaltem mediatè, certum eſt. Neque hic agimus de Beatorum contemplatione, quæ utique a phantaſmate non dependet, nec per ordinem ad abſolutam Dei potentiam; nam non apparet ulla implicantia, quòd Deus miraculosè elevare poſſit animam ad ſui notitiam per ſpeciem omnino intelligibilem, quinimmo abſque ulla ſpecie ſupplendo illam immediatè per ſuam eſſentiam. Quærimus ergo, an abſque miraculo aliquando eveniat in hoc ſtatu, & extra ſtatum viſionis beatæ per modum tranſeuntis communicatæ abſque phantaſmate contemplatio.

201 *Notandum tertiò.* Hoc nomen *purum* ſignificare carentiam mixtionis alterius rei. Contemplatio autem intelligi poteſt carens mixturâ prævii diſcurſus ex humana induſtria per gratiæ auxilium, & dicitur ſimplex: vel carens mixturâ phantaſmatum, & a Myſticis propriâ appellatione dicitur pura contemplatio, unde inquirimus, an ita ſit:

202 DICO: *Nulla datur in hoc ſtatu contemplatio pura a phantaſmatibus.* Concluſio eſt abſque dubio *S. Thomæ* pluribus locis, & præcipuè 1. p. q. 84. art. 7. ubi in corpore articuli habet — Dicendum, quòd „ impoſſibile eſt intellectum ſecundùm præ„ ſentis vitæ ſtatum, quo paſſibili corpori „ conjungitur, aliquid intelligere in actu, „ niſi convertendo ſe ad phantaſmata — In qua propoſitione notanda eſt illa particula *impoſſibile*, quæ comprehendit quamcumque cognitionem.

PROB. doctrina *D.Thomæ* primò a poſteriori. Impedita virtute imaginationis per læſionem organi, ùt in Phræneticis, impeditur operatio intellectus, etiam in cognitione eorum, quorum facilem, & claram habebat notitiam; ſed ſi eſſentialiter non penderet intellectus in ſuis operationibus a phantaſia, hac læsâ non impediretur, quia ſecundùm ſe eſt omnino ſpiritualis potentia, & vis non utens corporali organo: ergo eſſentialiter dependet ab operatione phantaſiæ.

Læsâ phantaſiâ, impeditur operatio intellectus.

PROBATUR *ſecundò a priori*. In hoc ſtatu anima eſſentialiter unitivè, & informativè dependet a corpore: ergo eſſentialiter intellectus in ſui operatione a phantaſmatibus dependet. *Probatur conſeq.* Modus operandi in ſui ſubſtantia ſequitur modum eſſendi. Hinc potentia aliorum viventium magis, vel minùs dependet ab operatione corporis, quo animæ magis, vel minùs in eſſendo materiæ, ſeu corpori immerguntur: ergo ſi homo in eſſendo eſſentialiter aliquo modo dependet a corpore, etiam potentia intellectiva dependet eſſentialiter ſecundùm quid a corporalibus phantaſmatibus.

Anima in eſſendo deſcendit a corpore.

EXPLICATUR. Utut contemplatio ſublimis fuerit, & beatificæ quædam participatio contemplationis, non conſtituit animam plenè corporis dominam, ſicuti cœleſtis contemplatio efficit. Quare nequeunt Viri contemplativi pro ſuo libito de corpore diſponere: ergo in quocumque ſtatu perfectiſſimæ contemplationis aliquo modo rebus corporeis ſubjicitur in eſſendo, &

 ope-

operando. Id autem diſcriminis eſt, ùt docet S. Thomas 3. *p. q.* 11. *art.* 4., inter Chriſtom, & alios contemplativos, quòd Chriſtus erat viator, & ſimul comprehenſor, & dominaus totaliter corpori, & ideo ſcientiâ infuſâ contemplabatur abſqne mixtione phantaſmatum; ſecus alii, qui comprehenſores non ſunt.

Chriſtus ſciẽtiâ infuſâ cõtemplabatur.

EXPLICATUR II. Quia homo, & Angelus in quolibet ſtatu etiam viſionis beatificæ in eſſendo immerguntur potentialitati, nec per quodcumque donum poſſunt illam totaliter ſuperare; in nullo ſtatu poſſunt habere operationem non mixtam potentialitate, licèt magis, vel minùs ſecundùm majorem, vel minorem perfectionem eſſendi, & donorum: ergo quia homo in ſtatu viæ citra ſpeciale miraculum per nullum donum nequit a corpore non dependere in eſſendo, aut ei perfectè dominari, independenter a corporeis non poterit operari.

203 DICES. *D. Thomas* loquitur de cognitionibus naturalibus: ergo non opponitur negantibus phantaſmata in ſupernaturali contemplatione.

RESP. *nego ant.* S. Thomas tam de cognitionibus naturalibus loquitur, quàm ſupernaturalibos, ùt videre eſt 2. 2. *qu.* 174. *art.* 2., ubi inquirit, an prophetia intellectualis excellentior ſit, quàm imaginaria: & affirmativè reſpondet — Manifeſtum eſt „ autem, quòd manifeſtatio divinæ veritatis, quæ fit per nudam contemplationem „ ipſius veritatis, potior eſt, quàm illa, „ quæ fit ſub ſimilitudine corporalium re- „ rum; magis enim appropinquat ad viſionem Patriæ, ſecundùm quam in eſſen- „ tia Dei veritas conſpicitur; & inde eſt, „ quòd prophetia, per quam aliqua ſuper- „ naturalis veritas conſpicitur, ſecundùm „ intellectualem veritatem eſt dignior, quàm „ illa, in qua veritas ſupernaturalis mani- „ feſtatur per ſimilitudinem corporalium re- „ rum ſecundùm imaginariam viſionem — Contra quam doctrinam ſibi objicit in quarto argumento — Dionyſius dicit *in primo cap.* „ *Cœleſtis Hierarch.*, quòd impoſſibile eſt nobis ſuperlucere divinum radium, niſi varie- „ tate ſacrorum velaminum circumvelatum. „ Sed prophetica revelatio fit per immiſſio- „ nem divini radii: ergo videtur, quòd „ poſſit eſſe abſque phantaſmatum velamini- „ bus — *Cui reſpondet* — Dicendum, quòd „ illuſtratio divini radii in vita præſenti „ non fit ſine velaminibus phantaſmatum „ qualiumcumque; quia connaturale eſt bo- „ mini ſecundùm ſtatum præſentis vitæ, ut „ non intelligat ſine phantaſmate. Quando- „ que tamen ſufficiunt phantaſmata, quæ „ communi modo a ſenſibus abſtrahuntur, „ nec exigitur aliqua viſio imaginaria divi- „ nitùs procurata, & ſic dicitur revelatio „ prophetica fieri ſine imaginaria viſione — Quid clarius? Ubi etiam explicat, quomodo intelligat dicta in quæſt. 173. antecedenti, ubi videtur velle aliquas prophetias fieri per ſpecies intellectuales, & non per imaginarias; quia ſcilicet ſufficiunt præcedentia phantaſmata, nec ſont etiam nova a Deo immittenda.

204 Idem perſpicuè 2. 2. *q.* 180. *art.* 5. inquirens, utrum vita contemplativa ſecundùm hujus ſtatum vitæ queat Divinæ Eſſentiæ viſionem attingere; & reſpondet negativè, niſi in raptu extraordinario, in quo homo fiat comprehenſor per modum tranſeuntis, adinſtar Pauli, *ſecundùm quem fecit medio modo ſe habens inter ſtatum præſentis vitæ, & futuræ.* Et in ſecundo argumento ſibimet objiciens *D. Gregorium* dicentem contemplativos rimari ſpiritualia abſque corporalium umbris, ac proinde non impediri a viſione Divinæ Eſſentiæ, cui obſtant corporalia, ſic reſpondet — Ad ſecundum dicen- „ dum, quòd contemplatio humana ſecun- „ dùm ſtatum præſentis vitæ non poteſt eſſe „ abſque phantaſmatibus; quia connaturale „ eſt homini, ut ſpecies intelligibiles in „ phantaſmatibus videat, ſicut Philoſophus „ dicit *in* 3. *de Anima*. Tamen intellectua- „ lis cognitio non ſiſtit in ipſis phantaſma- „ tibus; ſed in eis contemplatur puritatem „ intelligibilis veritatis, & hoc non ſolùm „ in cognitione naturali, ſed etiam in eis, „ quæ per revelationem cognoſcimus — Dicit enim Dionyſius *ſecundo cap. Cœleſt. Hierarch.* — quòd Angelorum Hierarchias mani- „ feſtat nobis Divina Claritas in quibuſdam „ ſymbolis figuratis, in cujus virtute reſti- „ tuimur in ſimplum radium, ideſt in ſim- „ plicem cognitionem intelligibilis veritatis, „ & ſic intelligendum eſt, quod *Gregorius* „ dicit, quòd contemplantes corporalium „ rerum umbras non ſecum trahunt; quia „ videlicet in eis non ſiſtit earum contem- „ platio, ſed potiùs in conſideratione intel- „ ligibilis veritatis —.

In quibus ſicut & in aliis locis perpetuus eſt in aſſerenda ratione hac, quòd ſcilicet gratia elevat quidem naturam, ſed juxta modum naturæ proprium. Quamobrem modus proprius naturæ cùm ſit dependens a corpore, opus eſt ſemper in ordine gratiæ aliqua dependentia a phantaſmatibus. Quare excepto caſu extraordinario, in quo contemplans elevetur per modum tranſeuntis ad intuitivam viſionem, in qua Deus per ſe ipſum gerat vicem ſpeciei, nulla datur tam pura, ut omnem admixtionem cujuſque phantaſmatis excludat. Quod clarè apparet; nam ſi contemplatio ita non pertingit ad viſionem Dei intuitivam, ut verificetur viſio facie ad faciem, ùt loquitur Apoſtolus, verificetur oportet modum cognoſcendi, quem idem Apoſtolus contraponit 1. Corinth. 13. v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*; ſed cognoſcere per ſpeculum non ſtat ſine phantaſmatibus: ergo. Declaratur *minor*. Res tripliciter intelligi poteſt ùt præſens. In ſe immediatè, ùt lux oculo per ſe ipſam præſens. *Secundò* per ſui ſimilitudinem, ùt cùm res præſens per ſe ipſam non eſt, ſed per ſui imaginem, licèt imago non videatur, ùt cùm albedo in pariete videtur, non exiſtente ipſâ in oculo, ſed per ejus ſimilitudinem ab ipſa re derivatam. *Tertiò* per præſentiam ſimilitudinis non immediatè derivatæ ab ipſa re, ſed derivatæ a ſimilitudine rei in aliquid aliud: ſicut videtur homo per ſpeculum; non enim ſimilitudo hominis imme-

Gratia elevat naturam juxta modum ipſius naturæ.

Res tripliciter intelligi poteſt ùt præſens.

immediata eſt in oculo; ſed ſimilitudo hominis in ſpeculo reſultantis; & hoc tertio modo Deum in hac vita cognoſcimus, in quantum inviſibilia Dei per creaturas cognoſcimus, ut dicitur ad *Rom.* 1.

205 Quibus poſitis ſic diſcurrendum: ſpecies ſupernaturalis contemplanti infuſa a Deo non eſt ſimilitudo Dei ab ipſo immediatè profecta: ergo eſt ſimilitudo Dei relucentis in alia creatura, quæ ſit in hoc ſtatu, in quo nulla Dei ſimilitudo, niſi ſenſibilis præſens habetur, ac proinde phantaſmate involuta. Quamobrem phantaſma ſaltem mediatè neceſſarium eſt. Etenim ſicuti ut quis in ſpeculo ſimilitudinem v. g. hominis videat, neceſſe eſt, ut realiter ſit præſens ſpeculo, ſeu rei, in qua elucet ſimilitudo: ita homo, ut Deum videat in ſpeculo, in ænigmate neceſſe eſt, ut ſit præſens rei, in qua elucet Dei ſimilitudo; unde intellectualis ſimilitudo ſupernaturalis derivatur. In hoc ſeculo homo non eſt præſens immediatè, niſi creaturæ corporeæ: ſi ergo omnis contemplans videt nunc in ſpeculo, neceſſe eſt intercedat phantaſmatum operatio.

Deum videmus velut in ſpeculo.

206 EXPLICATUR. Si aliquando non intercedit phantaſma, tunc eſt, quando Deus incorporeus cognoſcitur per exceſſum, & remotionem, ùt ait *Dionyſius*; ſed tunc etiam phantaſma intercedit neceſſariò: ergo, *Minor* D. Thomæ *qu.* 84. *p. p. art.* 7. *ad* 2. Si Deus cognoſcitur per exceſſum removendo imperfectiones creaturarum: ergo in hoc aliqualis comparatio intercedit: ergo converſio ad phantaſmata, quorum materialitatem removemus a Deo: ſeu cùm corporearum creaturarum defectus de Deo, atque de aliis ſpiritualibus creaturis negamus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

207 OBJICIUNT Myſtici *primò* plurium Sanctorum doctrinam, quæ cùm in illa diſtinctione contineatur trium cognitionum *D. Auguſtini*, eas referre ſufficiat. Igitur *Auguſtinus* lib. 12. ſuper Geneſim ad literam c. 3., 5., 6., 12., 24., 26. tres cognitiones aſſignat. Prima eſt corporalis medio ſenſu externo: altera eſt ſpiritualis, quæ verſatur circa corporales imagines: tertia intellectualis habet objecta intelligibilia ab omni phantaſmate abſtracta. Similitudinem adducit triplicis cœli, & ait ad tertium Cœlum cum Paulo illum perveniſſe, qui Deum intellectuali viſione cognoſcit. Quam diſtinctionem admittit D. Thomas *lect.* 1. *in Epiſt.* 2. *ad Cor. cap.* 12. Igitur viſio intellectualis in depuratas fertur rerum naturas, ac proinde verum eſt illud Myſticorum axioma, contemplationem infuſam, & perfectam eſſe omnino puram, nempe phantaſmatum expertem, immo abjicere, & refugere omnium corporum umbras. Sic idem Auguſtinus *tract.* 102. *in Joannem*, Bonaventura 5. *Itinerario æternit. diſt.* 4., Bernardus *ſerm.* 52., & 53. *in Cant.*, Hugo de S. Victore *lib.* 2. *de Anima*, Gregorius de Valentia *tom.* 1. *diſput.* 6. *quæſt.* 1. *punct.* 3., aliique Philoſophi, qui etiam a contemplatione purè naturali phantaſmata excludunt.

Sed adducta nihil contra nos urgent, & multò minùs contra *D. Thomam*, qui hæc omnia ſolidè ediſſerit, nonnullos ex laudatis Patribus allegans. Atque ut obiter dicam, loco immediatè citato ad Corinth. quem pro ſua opinione adducunt Adverſarii, illis omninò adverſatur. Explicans ſiquidem tertium cœlum, ait: *Intellectualis, qua cognoſcimus naturas rerum in ſe ipſis; nam propriè objectum intellectus eſt, quod quid eſt.* Certum eſt autem quiditatem non quamcumque, ſed materialem eſſe objectum intellectus pro hoc ſtatu, adeoque impræſcindibilem a phantaſmate. Verùm legitimam Patrum doctrinam exponamus. Contemplatio eſt pura, & purificata ab omni phantaſmate, & immunis a corporeis imaginibus; quia in objecto contemplato nullum concipit phantaſma. Quod ut intelligas, duo adverte in contemplatione, repræſentationem, quæ habetur mediis ſpeciebus objectum potentiæ præſentantibus, & lumen intellectivum, quo producitur judicium circa veritatem contemplatam -- Circa cognitionem humanæ mentis, -- *inquit* 2. 2. *q* 173. *art.* 2. -- Duo oportet conſiderare, ſcilicet acceptionem, ſivè repræſentationem rerum, & judicium de rebus præſentatis. Repræſentantur autem menti humanæ res aliquæ ſecundùm aliquas ſpecies: -- peragit oſtendere ſecundùm naturæ ordinem, dari ſemper opus imaginationis, licèt ſub diverſis combinationibus; deinde ſubdit -- Judicium autem humanæ mentis fit ſecundùm vim intellectualis luminis -- Et de Veritate *q.* 12., de Prophetia *art.* 12. de ſupernaturali cognitione loquendo ait -- Cùm enim omnis cognitio perfecta duo habeat, ſcilicet acceptationem, & judicium de acceptis, judicium de acceptis in prophetia eſt ſolùm ſecundùm intellectum, acceptio verò eſt ſecundùm intellectum, & ſecundùm imaginationem -- Idem 1. p. q. 12. art. 13. Quadruplicem autem ponit modum, quo phantaſmata ſolent intervenire. *Primò* ſunt naturaliter acquiſita per ſenſus, a quibus, ſicuti circa naturalia intellectus agens educit ſpecies intelligibiles, & naturales veritates: ita lumen ſupernaturale infuſum plures veritates deducit, & eò fortiùs, quò lumen eſt ſuperiùs. *Secundò* lumen intellectuale infuſum coordinat ſpecies præexiſtentes, & acquiſitas ſenſuum miniſterio, & facit, ut repræſentetur hæc, vel illa veritas. *Tertiò* Deus novas infundit imaginarias ſpecies. *Quartò* Deus puras ſpecies intelligibiles ingerit, ex quibus homo format ſpecies imaginarias; & iſte eſt modus nobilior, & excellentior in divinis illuſtrationibus. Videatur locus cit. *de Verit. ad* 2. Ex quibus duo colligimus, nullam haberi intellectualem viſionem abſque phantaſmate: judicium autem nullo phantaſmate eſſe impurum; quia intellectus lumine infuſo adjutus judicat de ipſa veritate ſecundùm quod eſt, ſcilicet abſque involucro phantaſmatis; unde tota puritas conſiſtit in judicio, quod fit de objecto, non verò in repræſentatione, in qua mediatè, vel immediatè involvitur umbra corporea, licèt aliquando ſubtilior, aliquando craſ-

Pro hoc ſtatu quiditas materialis eſt objectum intellectus.

In contemplatione datur repræſentatio, & lumen intellectivum.

na , & fidei adminiculo , appellaturque inſuſa tam ex parte principii , quam ex parte objecti ; quia bæc ſcientia , exceptis myſteriis increatis , omnia penetrat tum naturalia , tum ſupernaturalia quiditativè : Thomiſtæ tribuunt Chriſto de eodem objecto utramque ſcientiam .

213 ADVERTO II. , ſcientiam per accidens inſuſam abſque dubio in ſuo uſu dependere a phantaſmate ; quia in ſubſtantia non differt ab acquiſita , ſicut ait D. Thomas 2. 2. *q* 173. *art.* 2. Si cæco nato Deus inſunderet ſpecies coloris , eodem modo perciperet coloratum , ac ſi acquiſiviſſet per ſenſum ; nam quod acquiſitæ fuerint , vel a Deo inditæ non immutat earumdem ſubſtantiam ; Scientia verò per ſe inſuſa ex ſuo conceptu eſt independens a phantaſmate ; ratione tamen ſubjecti importat dependentiam . Hinc dicit S. Thomas 3. *p.* *q.* 11. *art.* 4. Scientiam Chriſti inſuſam ex ſua natura eſſe ſuperiorem ſcientiâ Angelorum , inferiorem verò ratione ſubjecti . Et ideo in ejus uſu Chriſtus non dependet eſſentialiter a phantaſmate, quia ſubjectum eſt comprehenſoris . Cæterùm ſi eſſet Viatoris ſimpliciter , dependeret eſſentialiter . Idem ex S. Thoma *Ibid. art.* 2. *ad* 2. , *&* *art.* 1. *ad* 2.

Admiſsâ in viatore ſcientiâ inſuſâ , hæc dependeret a phantaſmate ,

Hinc uſus ſcientiæ per ſe Inſuſæ in ſubjecto ſimpliciter viatore dependet a phantaſmate ; ſed quiliber præter Chriſtum eſt ſimpliciter viator : ergo in nullo alio eſt independens a phantaſmate , etiamſi admittamus in illo ſcientiam per ſe inſuſam

214 DICES : Licèt ſcientia inſuſa cuique præter Chriſtum repugnet per modum habitus , & permanenter ; non repugnat tamen per modum tranſeuntis : ſicuti alia pleraque dona Chriſto permanenter conceſſa aliis tranſeuntee fuere ; cùmque admixtio phantaſmatum arguat in ſcientia imperfectionem , dicas conceſſam eſſe abſque hujuſmodi admixtione .

RESP. Nos in ſecunda ſolutione non negamus conceſſionem , ſed independentiam ; quia ratione ſubjecti , & ſtatus obligatur ad phantaſmata . Quocirca niſi beatum ſaltem tranſeuntee fiat ſubjectum , non poterit in actu uti ſcientiâ inſuſâ ſine connotatione ad phantaſmata . Nec verum eſt hanc dependentiam tollere illius excellentiam . Etenim ſtante hac excellentiâ , poterat Chriſtus per converſionem ad phantaſmata eam exercere , ùt docet *D. Thomas* .

215 DICES 2. Non minus eſt de ratione animæ pro ſtatu viæ intelligere per diſcurſum , quàm per converſionem ad phantaſmata ; ſed in contemplatione anima intelligit etiam in via abſque diſcurſu , ùt Chriſtus intelligebat : ergo itidem abſque converſione ad phantaſmata .

Anima in hoc ſtatu aliquando intelligit ſine diſcurſu.

RESP. Anima etiam In hoc ſtatu non in omni cognitione utitur diſcurſu : quandoquidem plures ſint cognitiones ſimplices tùm in ordine naturali , ùt primum judicium , cognitio primorum principiorum : tùm in ordine ſupernaturali , ut cognitiones per fidem , quæ non eſt diſcurſiva ; ubique tamen phantaſmata operantur . Non eſt ergo eadem conditio , ac neceſſitas unius , ac alterius . Neganda eſt itaque major in ſua univerſalitate ; Chriſtus verò in nullo caſu poterat , ſi voluiſſet , uti diſcurſu , utpote beatus .

216 DICES 3. Concedi debet in hoc ſtatu talis contemplatio , quæ in ſomno exerceri poſſit juxta illud : *Ego dormio , & cor meum vigilat* ; ſed eſſe non poteſt , niſi per ſcientiam Inſuſam : ergo admittenda eſt contemplatio per ſcientiam inſuſam .

Myſtica vigilia in ſomno.

RESP. *neg. maj.* Loquendo de actuali contemplatione in ſenſu compoſito ſomni , pro quo tempore nullum formale eſt meritum actuale . Attamen dicuntur Perfecti in ſomno contemplari virtualiter ; etenim vel in actu contemplationis rapiuntur a ſomno , vel ſomnum ex affectu contemplationis dirigunt in Deum : neque illud Canticorum intelligas de ſomno phyſico , ſed myſtico , quemadmodum ſuperiùs explicui .

217 OBJICIES 4. ex eodem Auctore , Conſtat experientiâ : cùm divinorum contemplationi mens intenditur , imaginatio diſtrahitur in diſparata , & contraria : ergo contemplationi non deſervit phantaſia ; nam tunc ejus operatio non excitat , neque repræſentat imagines ad eam conducentes , verùm potiùs removet , & contrarias ſimilitudines exhibet offuſcantes .

Divagatio in contemplatione , & meditatione .

RESP. Argumentum nimis probare ; experientia enim conſtat eos , qui ſæpiùs , & ſedulò meditationi puræ incumbunt , pati importuna phantaſiæ deliramenta vagantis in diſparata , & materiæ , atque fructui meditationis oppoſita ; attamen negat auctor , nec concedere poteſt in meditatione phantaſma deeſſe . Præter ergo illa commenta phantaſiæ ſecundùm partem , ùt ità loquar , inferiorem , habentur imagines aliæ ſubtiliores , quæ contemplationem juvant ; quatenus per alicujus corporei connotationem , divina intelliguntur .

218 DICES : Ceſſante totaliter ſenſus externi operatione , operatur phantaſia : ergo ceſſante operatione phantaſiæ , operatur intellectus ; qui non minùs dependet a phantaſia , quàm hæc a ſenſu externo .

Phantaſia ceſſantibus ſenſibus externis operatur .

RESP. Inſtantia in pluribus deficit . *Primò* quia uſuvenit ex more operandi , ut phantaſia ceſſantibus agat externis ſenſibus , Secus intellectus , qui etiam per Adverſarios ſemper agit per converſionem ad phantaſmata præter rariſſimas contemplationes . *Secundò* ceſſante ſenſus externi opere , phantaſia non agit , niſi ex ſpeciebus per ſenſum externum præhabitis ; unde videtur intellectus agere ſine actuali phantaſiæ adjumento ; non tamen abſque præhabitorum ope phantaſmatum . *Tertiò* phantaſia ſanè eſt organum a ſenſibus externis diſtinctum , ſed corporeum ; unde ea operante , etſi alia organa otientur , ſtat dependentia a corpore , At , ſi intellectus ageret abſque phantaſmate , cùm non ſit potentia corporea , operabitur ſine dependentia a corpore , ac velut corpori non unitus .

219 OBJICIES 5 ex eodem . In ſtatu gratiæ dantur contemplationes attingentes perfectionem , quam habuit Adâ in ſtatu inno-

innocentiæ; atqui per *D. Thomam* Ada habuit raptum abſque admixtione phantaſmatum per immiſſiones intelligibiles more Angelorum: ergo. Præmiſſas probat diſcurſus S. Doctoris *de veritate q. 13. art. 2. de Raptu ad 9.*, ubi duplicem aſſignat raptum: alterum per abſtractionem a ſenſibus externis ad viſionem imaginariam: alterum per abſtractionem a ſenſibus & imaginatione ad intellectualem viſionem, quæ dupliciter contingit — Uno modo, ſecundùm quòd intelle„ ctus intelligit Deum per aliquas intelli„ gibiles immiſſiones, quod eſt propriè „ Angelorum, & ſic fuit extaſis Adæ Gen. „ 2. in gloſſa, quæ quod extaſis rectè in„ telligitur ad hoc immiſſa, ut mens Adæ „ particeps Angelicæ Curiæ, & intrans in „ Sanctuarium Dei noviſſimè intelligeret. „ Alio modo, ſecundùm quòd intellectus „ videt Deum per eſſentiam —

220 CONFIRM. Contemplatio perficitur per donum intellectus; ſed donum intellectus promovet ad notitiam Dei abſque phantaſmate: ergo. *Minor* declaratur: ex *D. Thoma* 3. ſent. diſt. 34. q. 1. art. 4., ubi — In ſtatu viæ ſpiritualia, & præcipuè „ Deum magis videmus, quid non eſt, quàm „ apprehendendo quid eſt; & ideo quan„ tum ad ſtatum viæ ponitur cordis munditia „ non ſolùm a paſſionum illecebris, quàm „ munditiam donum intellectus non facit, „ ſed præſupponitur per vitam activam per„ fectam, ſed etiam erroribus, & phan„ taſmatibus, & ſpiritualibus formis, a „ quibus omnibus docet abſcedere *Dionyſius* „ lib. de myſt. Theolog. cap. 1. in divi„ nam contemplationem — Ecce quomodo donum intellectus præſupponit purgationem a phantaſmatibus. In eadem quæſt. art. 2. — „ In his autem, quæ ſupra rationem ſunt, „ perficit fides, quæ eſt inſpectio divino„ rum in ſpeculo, & ænigmate. Quod au„ tem ſpiritualia quaſi nudâ veritate ca„ piantur ſupra humanum modum eſt; & „ hoc facit donum intellectus —

Hæc eadem fermè verba repetis diſt. 35. q. 2. art. 2., & eodem art. ad 2. quæſt. — „ In ſtatu ergo viæ intellectus ingreditur „ ad ſpiritualia primo modo, maximè di„ vina (ideſt per viam remotionis) & ad „ hoc pervenit Moyſes, qui dicitur intraſſe „ ad caliginem; in qua Deus erat Exod. „ 19. Et propter hoc etiam quantum ad „ ſtatum viæ munditia ponitur in ſexta bea„ titudine, quæ pertinet ad depurationem „ intellectus ab omnibus corporalibus —

Antequam diſſolvamus argumentum operæ pretium erit advertere *D. Thomæ* doctrinam tum in omnibus, tum in hac materia excellentiſſimam; utitur enim *Dionyſio Areopagita*, ad quem recurrunt Myſtici in hoc potiſſimùm articulo. Nego igitur *minorem*; nam expreſsè hunc raptum intellectualem, ait *Angelicus*, intelligendum eſſe, prout dixit de prophetia *quæſt. 12. art. 12.*, ubi intellectualem prophetiam diſtinguit ab imaginaria, non ex eo quòd in prima nullum interſit phantaſma, ſed quòd judicium de rebus fit juxta lumen intellectuale a Deo immiſſum, & excellens, quod eſt potiſſimum cognitionis principium. Acceptio autem ſpecierum fit, vel quia Deus immediatè indit imaginarias ſpecies, vel quia infundit puras intelligibiles, ex quibus anima format imagines juxta conditionem ſtatus viæ; atque hæ ſunt intelligibiles immiſſiones Adæ conceſſæ in raptu more Angelorum; quia ſunt ſpecies infuſæ, ex parte principii non acquiſitæ; & quia infuſio eſt per accidens, adeoque in uſu dependens a phantaſmate, ſicuti ſuperiùs exemplo cæci demonſtravimus. Mens Adæ particeps Angelicæ Curiæ eſt facta, quippequi Angelos cognoverit perfectiori cognitione, quàm nos, ùt 1. p. q. 94. art. 2., & propter tantam eminentiam dicit *Gregorius*, quòd intererat Angelorum ſpiritibus, quæ excellens cognitio non eſt habita, niſi per converſionem ad phantaſmata, ùt ibidem dicit.

In quo diſtinguatur prophetia intellectualis ab imaginaria.

221 DICES. Ex *D. Auguſtino* lib. 15. de Trinit. cap. 27. cognoſcere per converſionem ad phantaſmata eſt pœna peccati: *Quæ cauſa, cur acie fixa ipſam (ideſt lucem) videre non poſſis, niſi infirmitas? & quis eam tibi fecit, niſi iniquitas?* Sed per *S. Thomam* quæſt. 18. de Veritate art. 2. de cognitione primi hominis habet — Ex perfectione gratiæ „ hoc habebat homo in ſtatu innocentiæ, „ ut Deum cognoſceret per inſpirationem „ internam ex irradiatione Divinæ Sapien„ tiæ, per quem modum Deum cognoſce„ bat non ex viſibilibus creaturis, ſed ex „ quadam ſimilitudine ſpirituali ſuæ menti „ impreſſa — ergo intelligebat abſque converſione ad phantaſmata.

CONTRA *nego majorem*. Intelligere per phantaſmata eſt connaturale animæ informanti corpus nondum beatum, & ideo oſtendit S. Thomas 1. *p. quæſt.* 94. *art.* 2. Adam in ſtatu innocentiæ habuiſſe in cognitionibus dependentiam a phantaſmate, nec in hoc differt ſtatus innocentiæ a ſtatu peccati, & rationem adducit — Anima „ enim hominis in ſtatu innocentiæ erat „ corpori perficiendo, & gubernando ac„ commodata, ſicut, & nunc . . . . ma„ nifeſtum eſt autem ex præmiſſis, quòd ex „ hoc, quòd anima eſt accommodata ad „ corporis gubernationem, & perfectionem „ ſecundùm animalem vitam, competit ani„ mæ noſtræ talis modus intelligendi, qui „ eſt per converſionem ad phantaſmata, „ unde & hic modus intelligendi etiam „ animæ primi hominis competebat — Quia tamen erat per gratiam ſpecialiter rectificatus, a Deo infuſas habuit ſpecies per accidens, & illuſtrationes, & de hac immiſſione effatur *Angelicus* in citata objectione. *Auguſtinus* verò non de phantaſmate loquitur, ſed de noſtra viatorum difficultate in cognitione Dei acquirenda.

Phantaſmata ſunt connaturalia animæ conjunctæ corpori in hac vita.

Confirmatio auctoritate *Angelici* roborata Adverſarios impetit. Verùm antequam hoc commonſtretur, placet advertere textus adductos non favere oppoſitæ ſententiæ. Primus aſſerit, donum intellectus præſupponere purgationem ab erroribus, phantaſmatibus, & formis ſpiritualibus: ergo, ſi ex hoc infertur in contemplatione non adeſſe phantaſmata, argue-

mus

mus etiam deeſſe formas ſpirituales intelligibiles. Hoc autem cùm falſum ſit, neceſſariò aſſerimus alium fore laudatæ auctoritatis ſenſum. Textus alter probat ad donum intellectus pertinere quaſi nudâ veritate ſpiritualia percipi. Igitur non capiuntur nudâ veritate, ſed quaſi nudâ veritate, adeoque aliquo modo involutâ corporum umbris. Tertius textus in ſenſu Adverſariorum eſt contradictorius ſolutioni ad primum, ubi inſit umbram phantaſmatum non impedire defixionem mentis in Divinam Eſſentiam. Quare infirmum eſt refugium pro contraria opinione abs *D. Thoma* expetitum.

Donum intellectus perficit animam.

Sed ut hæc ſolutio fiat luculentior, explico munus doni intellectualis. *Primò* donum intellectus perficit animam in ordine ad rectam apprehenſionem, & judicium rerum divinarum, quæ cadunt ſub fide tam ex parte ſpeculativa, quàm practica, ſequendo naturam fidei, quæ non veritates modò intelligit, ſed per dilectionem quoque operatur ea, quæ novit.

Duplex judicium circa divina.

Secundò. Judicium divinorum dupliciter fit: primò *reſolutione*, ùt cùm de rebus per ipſarum cauſas, vel effectus ratiocinando judicamus: ſecundò *diſcretione*, ùt cùm decernimus, hoc non eſſe illud, vel ſicut illud, quod efficit intellectus ſimplici comparatione. Si divina judicantur reſolutione per cauſas ſupremas, judicium attinet ad donum ſapientiæ: ſi per cauſas inferiores, ad donum ſcientiæ. Si judicium non ſit reſolutivum formaliter, ſed ex teſtimonio extrinſeco revelantis, pertinet ad fidem. Si verò neque per cauſas fiat, neque per effectus, aut quodquam alterius teſtimonium, ſed ex interiori inſtinctu, & motione Sancti Spiritus diſcernendo ſpiritualia a corporalibus, ſpectat ad donum intellectus. Et quamvis tam judicium fidei, quàm doni intellectus ſit inevidens, & obſcurum; tamen judicium doni intellectus majorem quandam habet negativam evidentiam, quàm illud fidei: & res creditas ita percipit per quandam etiam certitudinem experimentalem, ut miram quietem anima experiatur, quod totum evenit abſque diſcurſu, & evidentiâ rationum, ſed ex intima illuſtratione Divini Spiritus.

Donum intellectus judicat ex interiori inſtinctu.

Tertiò. Hoc Judicium dicitur diſcretivum, quia mundat, & ſecernit res percipiens abſque admixtione extraneorum, dum judicat, quòd res ſit, vel quid non ſit, ac proinde removet errores formales. Et quia Deus non eſt de genere corporum, nec Angelorum; ideò rectum judicium debet de Eſſentia Divina conceptum de Deo formare, ut intelligat Deum non eſſe corpus, nec eſſe Angelum. Ex his, quæ ab Angelico 2. 2. *q.* 8., *q.* 9., *q.* 45., & alibi decerpſimus, elucet perſpicuè ejuſdem mens, & concluſionis noſtræ veritas ſtabilitur.

Hinc ad primam, ſecundam, & tertiam auctoritatem, quatenus conveniunt in hoc, quòd donum intellectus mundat a phantaſmate, & detegit quaſi nudam veritatem, *reſpondeo*, ſenſum eſſe, quòd tale donum judicat Veritatem Divinam, & ſpiritualia non eſſe corpus: nec alius tribui ſenſus poteſt iis textibus; impoſſibile enim eſt hoc judicium fieri abſque phantaſmate; natura enim hujuſce judicii eſt, ut fiat per quandam comparationem, & diſcretionem unius ab alio, ad quod neceſſaria eſt phantaſmatum connotatio.

Ad ſecundam, tertiam, & quartam auctoritatem, quatenùs conveniunt in eo, quòd fides percipit intelligentiam humano modo, donum verò intellectus ſuprahumano modo; reſpondeo diſparitatem in eo non eſſe, quòd in primo phantaſmata adſint, ſecus in altero, ſed quod fides promovet ad notitiam per extrinſecum teſtimonium, & per ratiocinium diſcurſuum circa credibilia, & varias conſequentias deducendo ex myſteriis creditis. Donum autem promovet inſtinctu impulſivo Spiritus Sancti interiùs illuminante, & certificante, dum acuit ad penetrandas res credibiles, & creditas, addita etiam quadam experimentali firmitate, quæ eſt ſine diſcurſu, ideoque dicitur pertinere ad modum intelligendi primorum principiorum. Hæc ex eodem Doctore 3. *ſent. diſt.* 35. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 1., & alibi carptim ſumpſimus.

In hoc ſenſu intelligas Sanctorum Patrum effata *Auguſtini*, *Bonaventuræ*, *Bernardi*, *Ugonis*, *Carthuſiani*, S. M. THERESIÆ, & S. P. N. JOANNIS A CRUCE. Nam puritas illius judicii ſatis denominat contemplationem puram, quæ componi facilè poſſit cum eorundem ſanctitate, qui quamvis ſpiritu verſentur in cœlis, corpori tamen paſſibili ſubduntur in terris: & hæc pro Myſticis ſufficiunt in hac digreſſione. Eò jam unde exceſſimus, revertamur.

CONTROVERSIA VII.

AN ANIMÆ CONSTITUANTUR IN STATU BEATIFICO PER VIRES NATURALES CONTRA BEGUARDUM, *ET* BEGUINAS.

222 B*Eguardi*, & *Beguinæ* perditæ conſcientiæ homines in pluribus exorbitarunt, pluraque neſaria, fideique adverſa commenti ſunt, quæ in actis Concilii Viennenſis anno 1311. ſub CLEMENTE V. referuntur, atque damnantur. Ipſorum *primus* error fuit hominem in via talem conſequi perfectionis gradum poſſe, ut neque peccare, neque in gratia queat proficere. *Secundus* error non eſſe jejunandum, nec orandum iis, qui hunc gradum perfectionis ſint adepti. *Tertius* hominem præditum hoc libertatis ſpiritu minimè ſubdi obedientiæ, neque Eccleſiæ præceptis. *Quartus* hominem poſſe in hac vita potiri finali beatitudine in eo perfectionis gradu, quem in Patria conſequetur. *Quintus* omnem intellectualem naturam eſſe naturaliter in ſe beatam, nec animam egere lumine gloriæ elevante ad Deum clarè videndum. *Sextus* virtutum exercitationem eſſe hominis imperfecti, quia perfecti anima dimittit a ſe virtutes. *Septimus* mulieris oſ-

Octo errores Beguardorū, & Beguinarum.

V u cu-

culum eſſe peccatum mortale, quia hoc nou intendit uatura: ſecus fornicatiunem, ad quam natura ineliuat, maximè cùm rentatur exerceus. *Octavus* ad elevationem corporis Chriſti minimè eſſe aſſurgendum, uec exbibendam ab bumiue reverentiam ita perfecto; & eſſe imperfectiuuem maximam deſerere contemplatiouem, ut quicqnam cogitetur de Euchariſtia, & Chriſti bumanitate. Hæe eum ſuis erroribus infanda hæreſis in laudatu Vienneuſi Concilio icta eſt graviſſimo anathemate ſimul eum ſect. *Fraticellorum*, *& Dulciniſtarum*, ibidemque *Templariorum* ordo extinctus. Quartus præſertim, & quiutus error ad ſtatum pertinet animarum: uterque igitur impræſentiarum eſt refellendus. A primo exordiar, an ſcilicet homo per vires poſſit naturales ſuam couſequi felicitatem. Quoduam genus hominum fuerint *Beguardi*, & *Beguinæ* in obſcoro eſt. Beguinæ quædam mulieres extitere iu Germania inferiori huneſto incedeutes habitu, in communi contubernio vitam degentes abſque ullo voto, quæ èt proprias opes tenerent, & ubi metbodus ea viveudi nou arrideret, pro libitu digredereutur. Secus autem *Beguardi* iu ſocietate adinſtar Monachorom ſe habebaut votis ubſtricti. Alvarus Pelagius Silveuſis Epiſcopus *lib.* 11. *de Planctu Eclesiæ cap.* 52. hujus hæreſis auctorem facit *Dulcinum*: quem tamen errorem ego impugnandum ſumo, nuu illi fuernut primi inventores, ſed *Aëtius Anomæorum* ſectæ pareus anno 377. doceus poſſe humanis Deum viribus prout iu ſe videri. In Quietiſtis plures ex *Beguardorum*, & *Beguinarum* redivivus errores habemus, duce *Michaele Molinoſo* Cæſarauguſtanæ Diœceſis in Araguuia presbyteru ab INNOC. XI. Rumæ damnato.

Dulcinus Novarienſis Gerardi Segarelli Parmenſis *diſcipulus*.

Fraticelli *nomen ſectæ, cujus auctores fuere* Petrus de Macerata, *&* Petrus de Foroſempronio *ſub Cœleſtino V.*

223 DICO: *Per vires naturales repugnat, animam conſtitui in ſtatu ultimo beatitudinis.* Couclnſio eſt de fide. PROB. 1. ex Scriptura. Illud non eſt in uaturali facultate poſitum, quod ex diviuu munere eſt concedendum; viſio beatifiea, & amor fruitivus, iu quibus ultimus animarum ſtatus conſtituitur, ex divino munere ſunt euncedenda: ergo ſtatus ultimus non eſt in facultate naturali poſitus. *Probatur minor*. Jub. 36. v. 32. *In manibus abſcondit lucem ... Annuntiat de ea amico ſuo, quòd poſſeſſio ejus ſit.* Eu ùt poſſeſſio beatitudinis ultimæ ſit in Dei manibus abſcondita! Exod. 33. v. 13. *Oſtende mibi faciem tuam, ut ſciam te*: vel ſecundùm aliam verſionem: *Oſtende mibi te ipſum manifeſtè, ut videam te*. Eu Muyſes petit divinum auxilium, ut divinam eſſentiam intueatur: Pſal. 35. v. 10. *In lumine tuo videbimus lumen*: Pſal. 83. v. 12. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*: Pſal. 138. v. 10. *Etenim illuc manus tua deducet me*: Iſaiæ 64. v. 4. *Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Quæ loca prupalam faciunt non uiſi ex dono Dei ultimam concedi felicitatem. Neque alia deſunt plurima ex novo teſtameuto Ju. 14. v. 8. *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*: ibid. v. 21. *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum*. Ecce divina conceditur viſio in præmium charitatis, quæ eſt actus excedeus virtutem naturalem: Matth. 11. v. 27. *Nemo novit filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*: quæ Chriſti locutio da cognitiune per fidem vim habet majurem pro divina viſiune; quare dieitur Apocal. 21. de Beatorum gluria v. 23. *Claritas Dei illuminavit eam*: ad Rum. 6. v. 22. *Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam: ſtipendia enim peccati mors. Gratia autem Dei vita æterna*; ubi noranda eſt phraſis Apoſtoli: licèt pœna, & præmium dentur ex juſtitia meritis, & demeritis, nibilominus pœna dicitur ſimpliciter ſtipendium, præmium verò gratia; quia nun niſi ex dono Dei.

Poſſeſſio beatitudinis a Deo eſt.

224 DICES. Gratia appellatur donum Dei in radice, quateuus ea eſt opus ad cumpeſcendas paſſiones, quæ claram Divinæ impediuut Eſſentiæ viſiunem. Cæterùm pacatis vitiorum tumultibus humini ſufficiunt vires ad illam, quud ducere videtur Gregorius Magnus *in cap. 36. Job cap. XI. lib. 27.* —
„ De hac igitur luce æternæ patriæ amicu
„ ſuu Deus annuneiat, quòd poſſeſſio ejus ſit,
„ ut uequaquam infirmitatis ſuæ fragilitate
„ deſperet .... Sed tantò eertiùs ſciat,
„ quia illius claritatem poſſideat, quantum
„ nunc vitiorum pulſantium teuebras veriùs
„ caleat. —

CONTRA. Solutiu hæc diſtorquet Scripturas, quæ gloriam non radicaliter modò, ſed formaliter, & immediatè donum Dei appellat: *In lumine tuo videbimus lumen, gratiam, & gloriam dabit Dominus: Oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectantibus te: Claritas Dei illuminavit eam*, Beatorum ſcilicet Civitatem: & rationem dat Apuſtulus ad 1. Timoth. 6. v. 16., *& lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt*: ſcilicet per naturæ vires; & ideo quia lucis eſt excedentis; ſed debellatiu paſſiouum nun adæquat tantæ lucis exceſſum: ergo nun ſufficit gratia, quæ corruptiuuem naturæ emendet.

Deindè gratia ita corrigit uaturam, ut actus producat virtutum, in quos non poteſt agere vis naturalis; ſed collatio gloriæ eſt præmium iſtorum virtutis actuum, uude dicitur, *qui diligit me, manifeſtabo ei me ipſum*: ergo a fortiori nun habet uatura facultatem in viſionem beatificam, cùm medium ſit inferius fine. In alio ſenſu loquitur *Gregorius*, viam ſcilicet ad conſequendam felicitatem meritoriè eſſe vitiorum victoriam per exercitium virtutis.

225 DICES *ſecundò*. Gloria dicitur munus Dei, utpotequam uemu conſequimur, niſi amutu uniunis ad corpus impedimento, quod ex divino beneplacito amuvetur: cæterùm, eu ſecluſo, ſuis animæ viribus fertur in Divinam Eſſentiam.

CONTRA. Huic inſtantiæ quamvis nihil ſuffraganti *Beguardis* opinantibus homines in bac vita Beatitudiuis puſſe cumpotes fieri, tamen reſpondetur, *neg. antecedens*. Anima etiam ſeparata iudiget elevatiune, ut Deum inſpiciat: & ſine dubio pro ſtatu ſeparatiouis loquitur Scriptura, *in lumine tuo vide-*

videbimus tamen : Claritas Dei illuminavit eam. Ratio eſt ; quia in re, & in eſſe objecti, dempta claritate, & obſcuritate, eſt ejuſdem improportionis Deus ad animam ſeparatam, & unitam ; ſed Deus ab anima conjuncta credendus, naturalem proportionem excedit, unde ad actum fidei eliciendum opus eſt auxilio ſupernaturali : ergo Deus videndus ab anima ſeparata naturalem ſuperat proportionem. Quod etiam præclarius fit exemplo charitatis, quæ eadem eſt in via, ac in patria, dicente Apoſtolo, *Charitas nunquam excidit* : ad quam ex Eccleſiæ definitione, & Scripturis neceſſaria eſt virtus naturam ſupergrediens. Cùm ergo non ſit minùs excedens videre Deum intuitivè, eoque frui, non ſufficit amotio unionis ad corpus. Præterquamquod ſeparatio animæ a corpore non eſt Dei donum, ſed naturalis conditio corruptibilis viventis.

Deus excedit noſtram naturalem virtutem.

226 PROB. 2. ex Patribus. *Auguſtinus* lib. 8. de Civit. Dei cap. 25. *Cùm verò ſanamur, ut quales ipſi, ideſt Angeli, ſunt, ſimus : Fide interim, illis propinquamus, ſi ab illo*, ideſt Deo, *nos fieri beatos, a quo & ipſi facti ſunt* ; ſi igitur a Deo eſt beatitudo, non eſt per vires naturæ, & alibi ſæpè : *Ambroſius* l. 2. de Officiis c. 1. *Vitam æternam præſtare non poteſt, niſi auctor æternitatis* : *Epiphanius* hæreſ. 70. : *Damaſcenus* lib. 1. cap. 1., & alii communiter ; unde hæc veritas definita eſt in laudato Viennenſi Concilio ſub CLEMENTE V., & recitatur in Clement. *Ad noſtrum* de Hæreticis ; atque ſancitum eſt homini, ut clarè Deum videat, gloriæ lumen opus eſſe.

227 PROB. 3. Ut Intellectus creatus, aut creabilis connaturaliter Deum videat quiditativè, debet eumdem habere modum eſſendi in gradu immaterialitatis. Nullus intellectus habet eundem eſſendi modum in grado immaterialitatis cum Divina Eſſentia prout eſt in ſe : ergo nullus intellectus connaturaliter videre poteſt Divinam Eſſentiam, prout in ſe. *Maj.: declaratur*. Cognitio rei fit per hoc, quòd objectum ſit in cognoſcente connaturaliter ; ſed unumquodque eſt in alio ſecundùm modum proprium illius : ergo ut Deus ſit quiditativè connaturaliter cognitus, eondem habeat, neceſſe eſt, immaterialitatis modum cum cognoſcente. Argumentum ſic oſtenditur. Potentia ſenſitiva, quæ immergitur in materia individuali, nequit connaturaliter videre, niſi objectum individuali affectum materia. Intellectus partim involutus materiâ, partim ab ea ſecretus nequit ea ſe involutum attingere ab omni ſejunctum materia, & potentialitate. Dixi oportere, ut eundem habeat intellectus modum eſſendi in grado immaterialitatis. Abſque enim dubio eſt neceſſe, ut habeatur proportio inter cognoſcentem, & cognitum, tanquam inter potentiam, & objectum. Radix autem hujus proportionis per ſe intrinſeca, & tranſcendens eſt immaterialitas, quippequæ fundat cognoſcibilitatem objecti, & dat potentiæ aptitudinem ad cognoſcendum. Nam per hoc diſcriminatur cognoſcens a non cognoſcente, quòd primus aliorum formas individualiter, & ſpecificè continet in eſſe repræſentativo mediis ſpeciebus. Secundus in ſe non habet aliorum formas, niſi ad ſummum in eſſe entis, ſed non eandem individualiter, uti calor in aqua receptus, qui individualiter multiplicatur. Ad hoc verò, ut ſit forma aliorum, & ùt dicit Philoſophus, quodammodo omnia neceſſe eſt, ut capacitas extendatur ; quod certè non ſtat cum immerſione in materia, quæpote ſit cujuſque origo limitationis, & nonniſi materialiter res omnes recipiat, non verò formaliter, ſeu repræſentativè. Qua etiam ratione conſtat objectum eſſe intelligibile ratione immaterialitatis, cùm debeat in alio, ſcilicet in cognoſcente, recipi.

Objectum debet cognoſci connaturaliter, & quid ad hoc requiratur.

228 CONFIRMATUR. Principium naturale qua tale nequit attingere objectum ſupernaturale qua tale. Deus ùt clarè cognitus eſt objectum omnino ſupernaturale : ergo non poteſt attingi a principio naturali qua tali : ergo per vires naturales quicumque intellectus Deum videre non poteſt. *Major clara eſt* ; quia connaturaliter nulla potentia, aut virtus attingit objectum excedens qua excedens. Supernaturale verò eſt excedens naturale qua tale. *Minor etiam eſt clara* : nam gratia ſanctificans eſt ens omnino ſupernaturale : eſt enim Divinæ participatio Eſſentiæ in ſe ipſa, juxta illud Petri ſecundæ cap. 1. v. 4. *Per quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit : ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ* : ergo viſio Dei in ſe ipſa eſt omnino ſupernaturalis. Ratio autem eſt ; quia ſupernaturale ſuperioris ùt talis proprium eſt. Unum dicitur ſupra aliud in eo, quòd non eſt utrique commune, ſed alterutri ſupereminet, & ab illo diſtinguitur : & exinde inferius participat ſuperius, quando recipit aliquid proprium ſuperioris ùt talis. Cùm ergo conceptus atomus Divinæ Eſſentiæ conſtitutivus ſit proprium Dei qua talis, & non commune creaturis, fit, ut ſecundùm hoc non conſtituatur ens ſupernaturale. Ideo gratia, utpote participium hujus conceptus, eſt ſupernaturalis. Sicuti verò Deus conſtituitur in ſuo eſſe per conceptum proprium atomum : ita quaſdam habet veluti proprietates cum ſequentes, quæ etiam ſupernaturales dicuntur, & earum participium eſt ens ſupernaturale. Inter haſce proprietates eſt quiditativa cognoſcibilitas, & amabilitas ; proindè ſicuti prout in ſe non eſt naturaliter amabilis, ita neque connaturaliter viſibilis quiditativè.

Deus eſt objectum ſupernaturale.

EXPLICATUR I. Viſio beatifica eſt communicatio amicabilis, ſeu effectus ſequens divinam amicitiam ; ſed ad veram amicitiam ſpectat communicatio in bonis amici non quibuſcumque, ſed in his, quæ ſunt proprii amici, ùt dicitur 2. 2. *q.* 23. *art.* 1. : ergo viſio beatifica eſt participatio divinæ intellectionis, ſecundùm quod eſt propria Dei.

Viſio beatifica ſequitur ad divinam amicitiam.

EXPLICATUR II. Videre Deum per Divinam Eſſentiam convenit divinæ naturæ. Operari ſiquidem juxta propriam formam, per quam conſtituitur in eſſe, & diſtinguitur ab alio, eſt proprium cujuſque operantis : ergo viſio intuitiva Dei debet eſſe ex participatione a Deo derivata ; nam

Vu 2 forma

forma ſuperior nequit fieri forma inferioris abſque ſuperioris actione: ergo eſt participatio ſupernaturalis, cùm ſit proprium operari Divinæ Naturæ: ergo tranſcendit vires, & proportionem intellectus creati, & creabilis.

OPPOSITUS ERROR DISSOLVITUR.

229 OBJICIES 1. Nulli deficit natura in neceſſariis. Homini ſummè neceſſarium eſt ſuam conſequi beatitudinem: ergo ſuapte naturâ eſt ſufficiens principium aſſequendæ viſionis beatificæ, in qua ſtatus animarum ultimus conſiſtit. Secùs potior eſſet conditio rei cujuſque infimæ, quæ ex ſe potis eſt ſuam conſequi felicitatem.

RESP. Beatitudo bifariam dividitur. Imperfecta, eademque naturalis conſurgit ex imperfecta quadam abſtractiva cognitione rerum ſupernaturalium: hæc poteſt ſolis naturæ viribus comparari: perfecta verò, de qua ſermo, prorſus naturam ſupergreditur. Homo ad hanc, non ex conceptu ſuo naturali, ſed ex divina dignatione ordinatus ſuis nequit viribus eandem adipiſci. Neque in hoc deficit natura; tùm quia res eſt extra ordinem ipſius, tùm quia ſufficit, ut habeat aliunde parata a Deo auxilia; quod enim facimus per amicos, per nos facere videmur 3. *Ethic. cap.* 3. Nec indè ſequitur hominem deterioris eſſe conditionis; longè enim excellentius eſt bonum, ad quod homo ordinatur, cujus poſſeſſione defectus impotentiæ naturalis cumulatiſſimè compenſatur.

230 DICES. Quo in ordine habetur inclinatio ad terminum, in eo eſſe debet ſufficiens virtus aſſecutiva ejuſdem. In homine habetur naturalis inclinatio ad felicitatem poſſeſſivam Dei in ſe: unde ait *Auguſtinus* lib. 4. contrà Julianum cap. 3. *Neque enim omnes homines naturali inſtinctu immortales, & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus.* Ratio eſt; quia naturali ratione cognoſcitur bonum perfectè beans, eſſe poſſeſſionem boni divini, ſummi, & univerſalis propter capacitatem univerſalem cognoſcendi, & appetendi potentiarum: ex quo oritur inclinatio naturalis videndi Deum, eodemque perfruendi.

CONTRA: *neg. min.* Poſſeſſio Dei in ſe eſt conſummata perfectio ſtatus gratiæ, ùt dicitur Jo. 14. v. 21. *Qui diligit me . . . manifeſtabo ei me ipſum*: & ad Rom. 6. v. 22. *Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Sed ad ordinem gratiæ non datur naturalis inclinatio: ergo neque ad poſſeſſionem Dei in ſe. Appetitus, qui in nobis eſt, oritur ex revelatis, & ex naturalium effectuum, & ſupernaturalium cognitione: ergo non eſt naturalis, niſi radicaliter, quatenus creatura quælibet naturali inſtinctu tendit in bonum ſibi conveniens, ſuæque proportionatum formæ. Quamvis intellectus, & voluntas ſint veri, & boni univerſalis, ad totum non extenduntur ſecundùm proportionem, ſed ſecundùm eſſentialem commenſurationem. *Auguſtinus* nobis favet, quatenus ibidem ſtatim docet beatitudinem eſſe donum Dei — Sed de hoc ſummum bonum „ præſtari hominibus non poteſt, niſi per „ Chriſtum, & tunc Crucifixum, cujus mors „ vincitur, cujus vulneribus natura noſtra „ ſanatur —

Nō datur naturalis inclinatio ad ordinem gratiæ.

231 REPLICABIS. Niſi creaturæ intellectuali clara viſio Dei conveniret ex facultate naturali: nullatenus conveniet; hoc eſt falſum: ergo. *Prob. ſeq.* Niſi poteſt naturaliter videre Deum, ipſum intuitivè videre erit proprium Dei; ſed hoc ipſo non poteſt alteri convenire; nam quod eſt proprium alicujus, nequit alteri convenire, ùt conſtat in rationalitate: ergo.

CONTRA. Inſtantia probat nulli creaturæ competere videre Deum per eſſentiam ex naturali virtute, non autem ex elevatione; nam uti dicebam in probatione concluſionis, quod eſt proprium ſuperioris, inferiori eſt communicabile actione ſuperioris, quod idem eſt, ac elevativè.

Quod eſt proprium ſuperioris, inferiori eſt communicabile.

232 INSTABIS. Non eſt minùs divinæ proprium formæ videre Deum intuitivè, quàm formæ hominis ratiocinari; ſed quia ratiocinari eſt humanæ proprium formæ, nequit alteri ab homine communicari neque connaturaliter, neque per elevationem: ergo neque viſio divina poteſt intuitivè alteri a Deo etiam per elevationem communicari.

CONTRA: *nego cauſalem minoris.* Ratiocinari eſt incommunicabile cuique non homini, non quia ſit proprium formæ humanæ; ſed quia communicari nequit niſi univocè ob ſui limitationem, adeoque ex tota eſſentiali ſua ratione. Quamobrem verus homo fieret ſubjectum illud, cui facultas ratiocinandi tribueretur. Perfectio autem divina utpote infinita eſt communicabilis analogicè, & conſequenter per elevationem.

233 URGEBIS. Communicatio analogica divinæ perfectionis non eſt communicatio in prædicato ſupernaturali; ſed videre Deum intuitivè eſt communicatum analogicè: ergo non eſt ſupernaturale: ergo non excedit potentiam naturæ. *Major declaratur.* Communicatio in prædicato analogico eſt communicatio in prædicato communi, & non proprio, quod conſtat in participatione ſubſtantiæ, & intellectionis, quæ analogicè conveniunt Deo, & creaturis.

Pro ſolutione adverte, prædicatum analogicè commune eſſe oportere in primo analogato ſimpliciter, in ſecundo dependenter, & diminutè. Dupliciter autem eſſe poteſt in ſecundo dependenter, & diminutè, nempe juxta modum proprium ab inferiori, & modum requiſitum a ſuperiori. Quando prædicatum analogicè communicatur in ſecundo analogato diminutè ſecundùm modum ab inferiori requiſitum, tunc non eſt ſupernaturale: & hujuſmodi eſt analogia ſubſtantiæ, & intellectionis; nam creatura imitatur divinæ perfectionem ſubſtantiæ juxta modum a creaturis expetitum. Quando prædicatum analogicè communicatur, prout eſt in ſuperiori, tunc ſupernaturale eſt, quemadmodum ſunt gratiæ, & gloriæ dona.

Quomodo analogicè cōmunicantur dona gratiæ.

234 SUB-

234 SUBSUMES. Viſio nequit imlrari viſionem divinam, ùt in ſe eſt, niſi compreheudat per ideuiitatem, & ſit iuſinita; nulla viſio creata eſt hujuſmodi: ergo. *Explicatur major*. Viſio divina prout in Deo ſupernaturalis eſt, non eſt ſuperuaturalis, niſi in eo, quòd excedit creaturam; atqui creaturam non excedit, niſi ſecuodùm quòd eſt infinita per eſſeutiam; conceptus enim creaturæ proprius, prout diſtiuctua a Deo eſt dependere, eſſe finitum &c.

Quid ſit participare.

CONTRA. *Nego maj.* Præſcindeudo a modo infinitatis, viſio quiditatlva Dei eſt ſupernaturalis, & exeedens. Eſt enim juxtà formam Deo propriam, ſcilicet ea Divina Eſſentla tanquam ſpecie. Quòd autem eſt ſecundùm formam ſuperioris propriam ſupergreditur inſerioris conditionem: & ubi prædicatum formæ ſuperioris eſt participativè, non eſt ſecundùm adæquationem; participare enim eſt partim capere, partim relinquere. Lieèt eſſe creaturæ ſit finitum, & dependens, imitando divinum eſſe, vel ùt exigitur creaturis, vel ùt eſt iu ipſo Deo; primus modus eſt communieatio in prædicato communi: alter eſt in prædicato proprio, ac propterea ſupernaturali.

235 OBJICIES 2. Non minùs Deus abſtractivè cognitus eacedit gradum immaterialitatis animæ, quàm Deus intuitivè cognitus; ſed anima connaturalitèr cognoſcit Deum abſtractivè: ergo poteſt etiam Deum intuitivè cognoſcere. *Minor eſt certa*. Nam Deus abſtractivè cognitus caret omni materia, & potentialitate, ſecus intellectua cognoſcens.

Cognitio abſtractiva in quo diſtinguatur ab intuitiva.

RESP. *neg. maj.*, ad cujus probationem moneo, cognitum abſtractivè eſſe cognitum connotativè, & per ſpecies alienas, ideſt per aliorum ſpecies objectorum, quæ directè repræſentantur. Itaque principium cognoſceus debet eſſe proportionatum, eodemque immaterialitatis gradu cum primo objecto, & non cum objecto connotativè cognito. Secus accidit in cognitione quiditativa, ideſt ſecundùm propriam ſubſtantiam, & immediatè. Equidem poteſt intellectus abſtractivè Deum cognoſcere naturaliter abſque æqualitate immaterialitatis, ſecus intuitivè.

236 DICES: Anima ſeparata poteſt connaturaliter per ſpecies infuſas a Deo quiditativè Angelum videre, & Angelus inferior quiditativè cognoſcit ſuperiorem; ſed nec anima eſt in eodem immaturalitatis gradu cum Angelo, nec inferior cum ſuperiori: ergo Deus quiditativè eſt cognoſcibilis ſtante inæquali gradu immaterialitatis.

Anima ſeparata, & Angelus ſunt in eodem gradu immaterialitatis.

CONTRA. *Nego min.* Anima ſeparata *qua talis*, & Angelus inferior, & ſuperior ſunt in generico eodem gradu immaterialitatis, & ordinis ſejuncti a materia phyſica; etſi hac in ordine ſuperior majorem importet immaterialitatem actualitatis, quâ quidem inducitur perfectior cognitio ſpecifica, non tamen impeditur ſubſtantialis cognitio quiditatis. Deus autem (utpote actus puriſſimus) quiditativè cognoſcibilis eſt immaterialitate tam ordine, quàm genere ſuperiori.

237 OBJICIES 3. Vel intellectus habet ſufficientem ordinem ad Deum tanquam potentia ad objectum, vel non habet; ſi habet: ergo virtute naturali poterit Deum videre; ſi non habet: ergo Deus non eſt ejus objectnm, ac proindè nullo modo viſibilis, cùm nulla potentia feratur extra ſpheram ſui objecti.

RESP. intellectum habere proportionem eſſentialis commenſurationis ad Deum tanquam potentia ad objectum, non tamen proportionem connaturalitatis; adeoque neutrum ſequitur ex poſitis in argumento: habet enim eſſentialem commenſurationem, quatenus eſt potentia intellectiviva veri ùt ſic, ſub quo continetur verum creatum & verum divinum: non habet proportionem connaturalitatis, quia verum divinum eſt eseedens virtutem naturalem potentiæ: ſicut oculus ad ſolem directè inſpiciendum habet ordinem eſſentialem, quia eſt potentia in omne lucidum: non habet tamen proportionem connaturalitatis, quia ſol excedit ordinariam virtutem potentiæ viſivæ.

Verum creatum, & increatum poteſt attingi ab intellectu.

238 DICES: Hoc ipſo quòd intra intellectus objectum continetur Deus, naturali virtute eſt viſibilis; nam ideo lux excedens nequit ab oculo attingi, quia organum a vehementia læditur; ſed intellectus utpote ſpiritualis non læditur, ſed perficitur ab excellentia objecti intelligibilis; hinc eſt, ùt quòd plures veritates, altioreſque pervadit, magis acuitur, corroboratur, & perficitur.

CONTRA. Intellectus exceſſu objecti intelligibilis non læditur læſione violenta, ſed impedimento proportionis, quatenus magnitudo viſibilitatis divinæ infinitè tranſcendit vim naturalem; eaquepropter virtute indiget elevante, ut coaptetur. Cæterùm accedente proximâ proportione per elevationem, certè perficitur ex tantæ veritatis cognitione.

Impotentia intellectus ad objectum ſuperexcedens.

239 OBJICIES 4. Natura quicquam ordinans ad aliquem finem, ſuppeditat media fini aſſequendo opportuna; ſed hominem ordinat ad ultimam beatitudinem: ergo.

RESP. Provida hominem natura inſtruxit mediis beatitudini adipiſcendæ neceſſariis, cùm ei indiderit potentias receptivas, & paſſivas virium proximè diſponentium ad ipſam beatitudinem; dedit enim potentias elevabiles per gratuita.

In homine dantur potentiæ elevabiles per gratuita.

240 OBJICIES 5. Natura magis proſpexit potentiæ intellectivæ, quàm ſenſitivæ; ſed potentiæ ſenſitivæ non deſunt inſtrumenta ſufficientia ultimæ ſuæ perfectioni conſequendæ: ergo eadem non deerunt potentiæ intellectivæ.

RESP. Senſus non eſt capax niſi ſenſibilis, immo nec omnis, quemadmodum potentia viſiva reſpectù ſolis: intellectus verò eſt capax cujuſque intelligibilis; adeoque potis eſt elevari ad attingendum aliquod ſupernaturale naturæ viribus improportionatum, quod ſenſui ob ſui limitationem, & imperfectionem non convenit.

Intellectus eſt capax omnis intelligibilis.

241 OBJICIES 6. Potentiæ cuique paſſivæ correſpondet activa in quolibet ordine. Datur potentia naturalis paſſiva ultimæ beatitu-

titudinis : ergo admittenda eſt etiam activa illius .

Non omni potentiæ paſſivæ correſpondet in eodem ordine potētia activa.

RESP. Naturæ ineſt capacitas paſſiva ad animam rationalem ; attamen extra Deum nulla extat potentia activa , quæ poſſit illam producere . Sat igitur ſit , quòd potentiæ paſſivæ obedientiali activa correſpondeat contenta in genere entis a Creato , & Increato præciſi .

242 OBJICIES 7. In tota enim naturalium claſſe nullum eſt , quod attingere nequeat objectum in ſua ſphera contentum , ſeu adæquatum . Ultima beatitudo ad objectum ſpectat adæquatum potentiæ intellectivæ : ergo hæc poteſt illam aſſequi .

RESP. Ens activum poteſt ſuum attingere objectum adæquatum per vires ſibi congenitas , vel elevantes forinſecus communicatas , ſicuti in noſtro caſu .

243 OBJICIES 8. Omnis inclinatio perfecta , & ſumma in actu , cùm nequeat compleri abſque ſuo termino, complenda eſt in actu per vires aſſecutivas termini ejuſdem ; ſed rationalis natura fertur , & quidem vehementer ad beatitudinem , ſumma enim natura ſummam appetit ſui perfectionem : ergo .

RESP. ùt ſupra . Inclinatio perfecta in actu debet eſſe completa per vires potentes ſuum aſſequi finem ab intrinſeco , ſi terminus contineatur in linea intenſiva objecti : ab extrinſeco , ſi ad lineam ſpectet extenſivam , ad quam cùm Deus pertineat , ideo intellectui ſufficit aſſecutiva facultas ab extrinſeco .

244 OBJICIES 9. Ineſt homini naturalis cupiditas videndi Deum ùt eſt in ſe ; viſi enim effectus appetitum accendunt videndæ cauſæ quiditativè : & quidquid imperfectum eſt in aliquo actu , appetit in eo perfici ; ſed homo experitur ſe imperfectum in cognitione primæ cauſæ ; quam cognoſcit dumtaxat imperfectè, abſtractivè , nec perfici aliter poteſt niſi per claram primæ ejuſdem cauſæ notionem : ergo illam appetit . Nulla verò poteſt inſita cupiditas ferri ad id , quod aſſequi non poteſt , ne dicamus hominem a natura cogi ad aliquid inane . Porrò hoc hominis deſiderium venit ſub neceſſitate ſpecificationis . Etenim intrinſeca primæ cauſæ cognitio nullam imbibit rationem mali quoad ſua intrinſeca : ſola arduitas ſe tenet ex parte aſſequibilitatis per media determinata ; atque hæc eſt communis doctrina , voluntatem neceſſariò excupere beatitudinem neceſſitate ſpecificationis ; ſed naturalis appetitus ad id ſolummodo extruditur , ad quod ſe extendit potentia naturalis , quandoquidem effectus ſuam nequit tranſcendere cauſam , & appetitus naturalis exoritur a cauſa naturali : ergo .

Ut deſiderium non ſit impoſſibile , quid requiritur.

RESP. Ne deſiderium hocce ſit impoſſibile , ſat eſt potentiam naturalem poſſe elevari : quod enim per amicos poſſumus , per nos ipſi poſſe videmur , ùt ſupra dixi . Naturæ lumen dictat in genere aliquid eſſe ſupra nos , quod tamen ex nobis aſſequi non poſſumus .

245 OBJICIES 10. Potentia intellectiva ſic a natura inſtituta eſt , ut ſit capax ſummi veri , ſicut èt voluntas ſummi boni ; ideo probat *Angelicus* non alio objecto hominem poſſe beari , præterquam increato . .

RESPONDEO , & hoc velim benè attendas . Potentia intellectiva eſt capax ſummi veri : hoc ipſum eſt , quod intendit ratio Angelici Doctoris . Veruntamen ut ſummi veri eſſentiam penetret intuitivè , indiget intellectus virtute elevante improportionem potentiæ ad objectum ordinis ſuperioris .

246 OBJICIES 11. Intellectus ex ſe quiditativè res materiales intelligit , quæ utique minùs intelligibiles ſunt , quàm ſupernaturales : ergo multò meliùs attingere poteſt Deum ſummi intelligibilem .

Deus ab intrinſeco eſt cognoſcibilis plus quā res materiales .

RESP. Deus eſt magis cognoſcibilis ab intrinſeco quoad ſe , quàm res materiales , non tamen quoad nos propter exceſſum , quo carent res materiales , ac proinde magis coaptantur naturæ hominis prout ex anima, & corpore conſtati .

Quòdſi dicas , viribus naturæ acquiri naturalem poſſe beatitudinem , quæ non ſatiat , niſi fuerit clara Dei cognitio ùt auctoris naturæ ; hoc negandum eſt . Deus in ſe perſpicuè cognitus attinet eſſentialiter ad ordinem ſupernaturalem ; nam in ſe auctor naturæ non diſtinguitur a ſe ipſo ùt auctore ſupernaturali , niſi quoad effectus . Neque dixeris poſſe creari intellectum acie perfectiori inſtructum, quàm intellectus elevatus . Poſito quovis intellectu finitæ virtutis , creari poteſt alius, atque alius ſemper excellentior . Intellectus autem elevatus eſt finitæ perfectionis : Si hoc dixeris , iterum neges aſſumptum ; virtus enim ordinis inferioris quantumlibet creſcat etiam in infinitum , æquare nunquam poterit virtutem ordinis ſuperioris . Quare ex *D. Thoma* quomodocumque creſcat linea , nunquam æquabit perfectionem ſuperficiei .

Virtus ordinis inferioris nunquā pertinget ad virtutem ordinis ſuperioris .

CONTROVERSIA VIII.

CONTRA BEGUARDORUM HÆRESIM.

AN ANIMA CONSTITUATUR IN STATU ULTIMO BEATIFICO IN HAC VITA .

247 QUartus *Beguardorum* error circa ultimum animarum ſtatum in eo erat , ut dicerent animas in hac vita eandem adipiſci beatitudinem poſſe , quâ in cœlis potiuntur animæ ſeparatæ . Quem errorem quarto loco damnavit Concilium Viennenſe , cujus ſanctio refertur in Clement. titul. *de Hæreticis cap. ad noſtram* . In hoc *Beguardi* affines ſunt *Quietiſtis* , qui ſuæ interiori vitæ tribuebant perfectam ſatietatem cujuſque deſiderii expertem .

Quietiſtarū doctrina affinis Beguardorum errori .

248 DICO : *Extra caſum extraordinarium ſuperioris providentiæ nullus homo quantumvis perfectus in hoc ſeculo beatificatur* . PROB. 1. Ex ordinaria providentia non conceditur ultima felicitas , niſi prout promiſſa in Scripturis : Hæ ſolùm in altero ſeculo veram ſpondent beatitudinem : ergo in hoc eſſe poteſt nemo perfectè beatus . *Prob. min.* pr.

Petri

Petri 1. *Regeneravit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis, in hereditatem in corruptibilem, & immarceſcibilem, conſervatam in cœlis*. Viden'. Nobis æterna felicitas deſignatur in cœlis, dum nunc ſub ſpe ambulamus: ad Hebræos 13. v. 14. *Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*: ad Rom. 8. v. 18. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*.

CONFIRM. 1. Vera beatitudo animæ conſiſtit in clara Dei viſione, & fruitione, ùt contra *Cherinthum* oſtendimus; viſio Dei clara haberi non poteſt in hoc ſeculo: ergo. *Minor prob.* Exod. 33. v. 20. *Non enim videbit me homo, & vivet*, hoc eſt, *dum vivit*, ùt exponit cum aliis Patribus *Gregorius* 18. Moral. cap. 38. — Videmus nunc per „ ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie „ ad faciem — 1. ad Corinth. 13. v. 12. *Dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino (Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem)*: 2. cap. 5. v. 6.

Beatitudo eſt merces, & corona.

CONFIRM. 2. Vera beatitudo nobis tribuitur tanquam merces, & corona Gen. 15. v. 1. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*: 2. ad Timoth. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi . . . in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex; non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus*: & cap. 2. v. 5. *Non coronatur, niſi legitimè certaverit*. Atqui merces, & corona ſpiritualis certaminis non conceditur in hoc ſeculo, in quo deerat certamen: ergo. *Prob. min.* Job. 7. v. 1. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*: ergo non eſt coronæ, ſi eſt certaminis locus: Matth. 5. v. 12. *Gaudete, & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis*: ad Philipp. 3. v. 14. *Ad deſtinatum perſequor ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu*.

Bonum, quod ſperatur, non poſſidetur.

CONFIRM. 3. Bonum, quod ſperatur, non poſſidetur, ad Rom. 8. v. 24. *Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus; per patientiam expectamus*; ſed hoc ſeculum eſt iter ſpei ad beatitudinem: ergo non habetur in hoc vera beatitudo. *Min.* perperuò aſſeritur a Scriptura loc. cit. v. 23. *Et ipſi intrà nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri*: ubi obiter adverto, Apoſtolum de ſe ipſo loqui, tanquam de perfecto, ideoque præmiſit v. 22. *Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc; non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes*: ad Titum 2. v. 12 *Sobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei*: & cap. 3. v. 7. *Ut juſtificati gratia ipſius, heredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ*: ergo non hujus vitæ, quæ eſt temporalis: ad Hebræos 6. v. 11. *Cupimus autem unumquemque veſtrum eandem oſtentare ſollicitudinem ad expletionem ſpei uſque in finem*: 1. ad Corinth. 13. v. 13. *Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas*; ſi *nunc*, ideſt in hac vita manet ſpes: ergo non habetur poſſeſſio.

In hoc ſtatu non eſt dabilis aggregatio omnium bonorum.

249 PROB. 2. Beatitudo propriè dicta juxta vulgatam *Boetii* definitionem — Eſt bo„ norum omnium ſtatus aggregatione per„ fectus — quam ſub aliis terminis deſcribit *Auguſtinus* — Beatus eſt, qui habet, quid„ quid vult, nihil mali vult — ſed in hac vita non eſt dabilis ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus; quia ùt dicitur Job. 14. v. 1. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis*: Gen. 3. v. 19. *In ſudore vultus tui veſceris pane*: & v. 18. *Spinas, & tribulos germinabit tibi*. Ecqui fieri poteſt, ut bonis omnibus abundet vita innumeris obnoxia calamitatibus? Ubi cibi, potuſque quotidiana neceſſitas, ubi frigoris, æſtus, dolorum, infirmitatis, triſtitiæ, peccati, aliorumque malorum frequentia?

CONFIRM. Si qua in hoc ſeculo aſſignari poſſit beatitudo, ea foret in exercitatione octo Beatitudinum; hæc non eſt perfecta beatitudo adæquans cœleſtem: ergo. *Minor declaratur*. Cœleſtis beatitudo nullum patitur dolorem, fletum, timorem, ùt habetur Apoc. 21. v. 4. *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà*; aſt beatitudo a Chriſto prædicata conſiſtit in tollerantia miſeriarum Matth. 5. v. 5. *Beati pauperes: Beati qui lugent: Beati qui perſecutionem patiuntur: Beati eſtis, cùm maledixerint vobis*: ergo in his non habetur vera felicitas beatitudinis conſummatæ.

Probatur cōtra Quietiſtas.

250 PROB. 3., & præcipuè contra *Quietiſtas*. Si in hac vita adſtruitur ultima beatitudo, eſſet proculdubio in ſatietate perfecta, omne deſiderium excludente, quàm novæ Myſtagogiæ auctores adſcribunt viæ ſuæ interiori; ſed animæ, quantumvis interiores, & perfectæ in hac vita non ſatiantur, ſed deſiderant, & ſitiunt Deum: ergo. *Prob. min.* Pſal. 41. v. 1. 2. *Quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* ergo.

CONFIR. Semel admiſſa perfecta ſatietate, jam excluditur ab anima pro hoc ſtatu triſtitia, aut turbatio; ſed hoc eſt falſum: ergo. *Prob. min.* D. Auguſtinus in Pſal. 41. ad verba *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me* hæc habet — Ecce „ jam quadam interiore dulcedine lætati „ ſumus, ecce acie mentis aliquid incom„ mutabile, etſi perſtrictim, & raptim per„ ſpicere potuimus. Quare adhuc contur„ bas me? Quare adhuc triſtis es? Non „ enim dubitas de Deo tuo . . . . Et quaſi „ reſponderet illi anima ejus in ſilentio; „ quare conturbo te, niſi quia nondum „ ſum ibi, ubi eſt dulce illud, quo ſic rap„ ta ſum quaſi per tranſitum? Nunquid „ jam bibo de fonte illo nihil metuens? —

Actus contēplationis continuus in hac vita impoſſibilis.

Illud ergo prorruitur fundamentum *Quietiſtarum* de actu contemplationis perpetuo, quem ne ſomnus quidem interrumpat, quod ſanè verum eſt ſomnium. Caſſianus *collat.* 1. c. 4. Abbatem inducit Moyſem in hæc ſermocinantem verba — Finis noſtræ profeſſionis,

„ ùt

„ ùt diximus, regnom Dei, ſeu regnum
„ Cœlorum eſt. Deſtinatio verò noſtra
„ poritas eſt cordis, ſine qua ad illum
„ finem impoſſibile eſt quempiam pervenire.
„ In hac ergo deſtinatione defigentes noſtræ
„ deſtinationis obtutus, velut ad certam
„ lineam curſum rectiſſimum dirigamus,
„ acſi paulolom quid ab hac cogitatio
„ noſtra deflexerit, ad contemplationem
„ ejus illicò recurrentes, rursùs eam velut
„ quàdam normâ certiſſimâ corrigamus;
„ quæ ſemper omnes conatus noſtros ad
„ unum hoc revocans ſignum; arguet ſta-
„ tim, ſi a propoſita directione mens no-
„ ſtra vel paululom deviarit — *& cap.* 13. —
„ Inhærere quidem Deo jugiter, & contem-
„ plationi ejus, quemadmodum dicitis inſe-
„ parabiliter copulari, impoſſibili eſt homi-
„ ni iſta carnis fragilitate circumdato —

SOLVUNTUR OBJECTIONES BEGUARDORUM, *ET* MOLINISTARUM *&c.*

251 OBJICIES 1. Pſal. 118. verſ. 1. dicitur, *Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini*: Pſal. 1. v. 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum*: & Pſal. 143. v. 15. *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt*, ideſt bona præſentis vitæ: Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt autem vita æterna: Ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*; ſed hæc cognitio eſt pro hac vita, ùt declarat *Cyrillus* in hunc locum, *Hilarius* de Patris, & Filii unitate: ergo in hoc ſeculo eſt aſſequibilis vera, & ultima felicitas.

Timens Deū eſt Beatus in ſpe.

RESP. Primus, & ſecundus Pſalmorum textus ſignificat timentem Deum, ejusque legem adimplentem eſſe beatum in ſpe, non autem in re, juxta illud ad Rom. 8. v. 24. *Spe enim ſalvi facti ſumus*. Cæterùm dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino. Dicuntur illi tamen Beati, quia ambulantes in lege Domini viam ſalutis arripuerunt, & quoddam pergustant cœleſtis beatitudinis dulce libamen ex victoria tumultuantium cupiditatum, & virtutum exercitatione. Textus alter Pſalmi ſugillat Inſanam Stultorum ſeculi hujus ſapientiam, qui eos ſelices appellant, ac credunt, quos vident efloxis hiſce, ac futilibus bonis affluere. Textus demùm *Joannis* ſolùm intendit fidem in Chriſtum eſſe radicem, & viam ſalutis: quod notat laudatus *Cyrillus* in lib. de Fide ad Reginas, exponens hunc locum Joan. 17. — Si cum agnitione ſolius,
„ & veri Dei junctam eſſe neceſſe eſt, adeſſe
„ & agnitionem Jeſu Chriſti, & vitam hoc
„ æternam parit: quomodo non omnibus ma-
„ niſeſtum eſt, quòd Deus verus eſt Chri-
„ ſtus? — *Parit*. En fides in Chriſtum non
„ eſt, ſed parit vitam æternam.

252 OBJICIES 2. Secunda ad Cor. 3. v. 17., & 18. dicitur: *Ubi autem ſpiritus Domini, ibi libertas; nos verò omnes, revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini ſpiritu*. Ecce quomodo viri ſpirituales in hoc ſeculo beatitudinis claritatem, & divinæ faciei viſionem in Deum transformati aſſequuntur; unde de illis verificatur, quod dicebat Joannes: *Cùm apparuerit, ſimiles erimus ei: quia videbimus eum ſicuti eſt*.

RESP. Ex hoc textu diverſos errores Hæretici extorſere: *Beguardi*, & *Libertini* Verbum ſcriptum dictitant eſſe regulam noſtræ directionis, unumque interiorem ſpiritum cuique ſequendum eſſe. Hominem perfectum negant eſſe humanæ legi, vel etiam divinæ ſubjectum. Atque in hoc cum *Beguardis* conſentiunt *Lutherani*, queis adſtipulatur *Molinos* propoſitione 65. — Præpo-
„ ſitis obediandum eſt in exteriore, & la-
„ titudo voti obedientiæ Religioſorum tan-
„ tummodo ad exterius pertingit. In inte-
„ riore verò res aliter ſe habet, quò ſolus
„ Deus, & Director intrant — *&* 68. —
„ In Mundo non eſt facultas, nec juriſdi-
„ ctio ad præcipiendum, ut manifeſtentur
„ Epiſtolæ Directoris quoad internum ani-
„ mæ, & ideo opus eſt animadvertere,
„ quòd hoc eſt inſultus Satanæ — Volunt

Error Michaelis Molinos.

Almaricus, & *Fanatici* animam in contemplatione transformari ſubſtantialiter in Eſſentiam Divinam, ac redire ad eſſe ideale, quod in Deo habuit ab æterno. Ita delirant cæci, & duces cæcorum. Igitur abſre adducitur locus *Pauli*, qui intendit explicare excellentiam legis Chriſti ſupra legem Moyſis. Libera dicitur Chriſti lex per oppoſitionem ad velum Moſayeum, præcipuè quoad perfectam ſcilicet Trinitatis, Incarnationis, aliorumque cognitionem Myſteriorum, cùm hæc in veteri lege in figuris contingebant: & etiam quoad ſpiritualitatem cultus, quatenus non honoratur Deus craſſa bovum, & arietum laniena, corporeiſque lotionibus, ſed in ſpiritu, nempe cordis affectu; quare legem Chriſti non adimplemus timore vindictæ, ſed amore virtutis. Itaque ly *revelata facie* ſignificat perfectam cognitionem, ſcilicet non in figuris, ac velut in umbra. Ly *gloriam Domini*, Divinitatem Incarnati Verbi: transformamur luce fidei, & affectu charitatis. *De claritate in claritatem*, a gloria veteris Teſtamenti ad gloriam novi, a claritate creationis in claritatem redemptionis, a claritate Fidei in claritatem viſionis; unde ex hoc non colligitur perfecta beatitudo, ſed initiativa ſolummodo.

252 OBJICIES 4. Niſi in hac vita quiſque poſſet eſſe beatus, nemo naturaliter mortem exhorreſceret; quinimmo potiùs mortem appeterent omnes, ſine qua nemo in altera vita beatitudinem aſſequitur.

RESP. Mors conſideratur dupliciter, primò ùt tranſitus ad vitam æternam, juxta illud *Nyſſeni* orat. pro mortuis, *velut obſtetrix, ut ad vitam meliorem educamur*: ſecundò ùt vitæ privatio. Prout tranſitus ad æternam vitam appetitur a Viris Sanctis, qui cum *Paulo* cupiunt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hinc docet D. Thomas 2. 2. *q.* 26. *art.* 8. perfectæ ſanctitatis ſignum eſſe diſſolutionem corporis cupere. Ut autem privatio vitæ eſt, certè a nemine exoptatur, cùm ad vitam naturaliter incline-

Mors dupliciter conſideratur.

clinemur; nec implicat idem eſſe amabile, & non amabile ſecundùm diverſa.

253 OBJICIES 5. Status capax proprietatis eſt capax eſſentiæ, ad quam naturaliter conſequitur. In præſenti vita Viri ſpirituales aſſequuntur beatitudinis proprietatem, nempè charitatem, quæ hic, & in alio ſeculo eſt omnino eadem: *Charitas nunquam excidit*: ergo eſt aſſequibilis etiam eſſentia. Maximè quòd vera beatitudo ſtat, quin omne deſiderium impleatur, unde in Cœlo animæ appetunt unionem ad corpus, quam non aſſequuntur: ſollicitæ ſunt de noſtra ſalute, ùt docet *Hieronymus* contra *Vigilantium*, ſed ſæpe fruſtra, majoris gloriæ capaces ſunt, adeoque deſiderant, licèt non obtineant.

Charitas viæ non eſt proprietas beatitudinis.

RESP. Charitatem conſummatam, ideſt neceſſariam, & regulatam clara Dei viſione eſſe beatitudinis proprietatem, non verò liberam, amiſſibilem, & ænigmaticâ cognitione directam: Beatorum animæ appetunt unionem cum corpore, & animarum ſalutem, ſed ſecundùm divinæ voluntatis beneplacitum, adeoque non perturbantur: ſunt quidem capaces perfectioris beatitudinis, ſed non deſiderant, quia omne eorum rationale deſiderium eſt expletum, cùm videant Divinam Eſſentiam, poſſideantque totam rationem ſpecificam beatitudinis, & gradus meritis proportionatos.

CONTROVERSIA IX.

AN ANIMÆ IN STATU ULTIMO BEATIFICO SINT ÆQUALES.

CONTRA JOVINIANUM, ET LUTHERUM.

254 J*Ovinianus* primùm Monachus ſub DAMASO, poſtmodum anno 382. Apoſtata ab quodam Monaſterio Mediolani, ubi cæteroqui per ea tempora duo ex quatuor Catholicæ Eccleſiæ Doctoribus efflorucre *Ambroſius*, & *Auguſtinus*. Mox ſacris ſub *Siricio* initiatus in omnium voluptatum ſtabulo ita volutatur, ut ipſum *Hieronymus* appellet Chriſtianorum Epicurum, vel certè majorem eo de grege porcum. Sex potiſſimas hæreſes Romæ diſcriminavit. I. Virginitatem non eſſe majoris excellentiæ, quàm Matrimonium, nec majoris meriti, cæteris paribus. II. Beatam Virginem Mariam pariendo fuiſſe corruptam. III. Ritè baptizatos peccare non poſſe; unde qui tentatur, verè haud fuiſſe baptizatum. IV. Nullum eſſe diſcrimen inter jejunantem, & comedentem, ſi hoc fiat cum gratiarum actione. V. Omnia peccata eſſe paria. VI. In Cœlis omnium æquale eſſe bravium: quæ omnia tendunt ad laxandas vitiorum habenas: eaquepropter Eremum deſeruit, quem coacto Romæ Concilio anno 390. *Siricius* ſacro percuſſit anathemate: quod ſtatimatque *Ambroſio* tum Mediolanenſi Epiſcopo innotuit, ſecundùm Romani Pontificis Judicium iterùm *Jovinianus*, ejuſque ſectatores damnati ſunt. Sextam hæreſim, quæ ſtatum animarum vulnerat, totis lacertis am-

Siricius *damnavit* Jovinianum.

plectitur Lutherus *in ſerm. de Nat. B. V. M.*, eò audaciæ progreſſus, ut affirmet nos æquè ſanctos, ac beatos fore, ſicuti eſt ipſa Dei Mater. Igitur contra hanc blaſphemiam.

Lutherus *adhæſit* Joviniano.

255 DICO: *Animæ in ſtatu ultimo beatifico non ſunt æquales*. PROB. 1. ex Scripturis veteris Teſtamenti: Iſai. 56. v. 5. de Virginibus comparativè ad non Virgines dicitur: *Dabo eis in Domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a Filiis, & Filiabus: Nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit. Nomen melius a Filiis*; quia caſtis etiam conjugibus nomen adſcribitur bonum, at non melius: *Nomen ſempiternum, quod non peribit*, ut connotet ſermonem de præmio eſſe beatitudinis æternæ, non temporanei fructus. Job 3. v. 19. *Parvus, & magnus ibi ſunt*: ſupra quem locum *Gregor.* 4. Moral. c. 4. -- „ Quo hic alius alium merito ſuperat, „ illic alius alium retributione tranſcendit -- *Ezech.* 34. ubi Deus in judicio diſtinguit inter pecus, & pecus, bonum, & melius: *Jerem.* 31. Ubi in Domo Domini ponitur minimus, & maximus.

256 PROB. 2. ex Scripturis novi Teſtamenti Joan. cap. 14. v. 2. *In Domo Patris mei manſiones multæ ſunt*: utique de Domo Patriæ cœleſtis loquitur Chriſtus, & non de pluribus Eccleſiis in terra, ùt temerè exponit *Jovinianus*; nam ibidem Dominus habet: *Si quò minùs dixiſſem vobis: quia vado parare vobis locum*: Matth. 5 v. 19. *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum*. Si ergo in æterna beatitudine diſtinguitur minimus, & magnus, adeſt utique inæqualitas. Probatur etiam inæqualitas ex eodem Evangeliſta cap. 11. v. 11. *Non ſurrexit inter natos Mulierum major Joanne Baptiſta*: & cap. 20. v. 23. *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo*. Quid eſt ſedere cum Chriſto in Regno ſuo, niſi gloriâ, & beatitudine cum ipſo frui? Quid ad dexteram, & ſiniſtram, niſi inæqualitas? Et cap. 25. v. 15. Paterfamilias ſervis diſtribuit ſubſtantiam, *& uni dedit quinque talenta, alii duo, alii verò unum, unicuique ſecundùm propriam virtutem*. Quomodo unicuique ſecundùm propriam virtutem inæqualis ſit diſtributio? Si æquales in merito omnes, & præmio ſunt futuri.

Sed hoc clariùs patet ex alia parabola Luc. 19. v. 12. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reverti; vocatis autem decem ſervis ſuis dedit eis decem mnas, & ait ad illos: negotiamini dum venio*. Revertens ſervo, qui lucratus eſt decem mnas, dedit decem civitates, qui lucratus fuerat quinque, quinque civitates, & mnam, quam dederat negligenti, abſtulit, addiditque plus habenti. Parabola hujuſmodi eſt figura judicii in morte cujuſque, abs quo rationem Deus repetet de donis gratiæ eidem collatis, ubi clariſſimè deſignatur meritorum inæqualitas, & præmiorum. Si omnes ſunt æquales, ùt optimè ratiocinatur *Hieronymus*, laudabilius fuiſſet, qui mnam abſcondit, ne perderet, quàm qui gravi

 labore

labore expoſuir; nec potior eſſer ratio, cur dederit plus habenti, quàm miuus. Ex eodem cap. 7. v. 47. *Dico tibi: remittantur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm, cui autem minùs dimittitur, minùs diligit:* ubi *Hieronym.* — Cui autem minùs dimittitur, & „ minùs diligit, utique in minori gradu „ erit — & cap. 17. v. 5. *Adauge nobis fidem:* ſi una omnium eſt menſura, quomodo orant Apoſtoli ſuam fidem augeri?

257 PROB. 3. ex *Apoſtolo* 1. ad Corinth. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. Unuſquiſque autem in ſuo ordine.* Si unuſquiſque in ſuo ordine reſurget: ergo diverſa ſunt reſurgentium merita; quòd ſi diverſa non ſunt, omnes in eodem ordine reſurgent: ibid. v. 41. *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum: ſtella enim a ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* En aperta inæqualitas.

Peccatores tenebræ dicuntur.

258 Neque dicas cum *Joviniano*: ſtella diſcriminatur a ſtella, quia ſpirituales differunt a carnalibus; namque hæc ratio commiſcet in cœleſtibus carnalia cum ſpiritualibus? Lucent ergo inſtar ſyderum peccatores, quos alibi Chriſtus, & Paulus tenebras vocitant? Si probè velit intelligi, *Apoſtolus* loquitur de ſolis Juſtis: 2. Corinth. 9. v. 6. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Non ne iſthic inæqualitas præmii elucet juxta inæqualitatem laboris? 1. Corinth. 3. v. 12. *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam uniuſcujuſque opus manifeſtum erit.* Igitur in judicio alii erunt inſtar auri, alii inſtar argenti, alii ceu lapides pretioſi. Cùm ergo ibidem v. 8. dicatur: *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem:* ſequitur fore bravium inæquale Beatorum.

Pœna damnatorum non eſt æqualis.

259 PROB. 4. Pœna damnatorum impar eſt: ergo & Beatorum merces. *Ant.* habetur Lucæ 12. v. 47. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulavit multis. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulavit paucis.* Expreſſa hæc ſunt pœnarum diſcrimina. Matth. 10. v. 15. *Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die Judicii, quàm illi Civitati.* Ecce diſparis ſupplicii latam ſententiam ob criminis diſparitatem. Sap. 6. v. 6. *Horrendè, & citò apparebit vobis: quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt fiet: exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur:* & v. 9. *Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio.*

Deus diſtribuens gloriã eſt judex.

260 PROB. 5. Deus impertitur Electis gloriam tamquam juſtus judex, teſte Apoſtolo: *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex, non ſolùm autem mihi, ſed & his, qui diligunt adventum ejus.* At juſtus judex haud tribuit æquale præmium inæqualiter merentibus: ergo merita Juſtorum cùm inæqualia ſint, non erit æquale omnibus præmium. Subſumpta propoſitio eſt obvia in ſacris Scripturis: 2. ad Timoth. 2. v. 20. *In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia:* Matth. 5. v. 22. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri ſuo Racha reus erit Concilio. Qui autem dixerit, fatuè: reus erit gehennæ ignis.* Contra hunc errorem Auguſtinus *de ſacra Virginitate* calamum diſtrinxit, ubi cap. 26. — In multis autem „ manſionibus, *inquit*, honoratur alius alio „ clariùs — Hieronym. libros exaravit duos contra *Jovinianum*: Ambroſius *epiſt.* 26. *ad Vercellenſem Eccleſiam*: Cyprianus *lib. de diſciplina, & habitu Virginum*: Gregorius *lib.* 4. *Moral. cap.* 42.: Nazianzenus *orat.* 1. *Theolog.*: Cyrillus Alexandrinus *in cap* 56. *Iſaiæ*. Hic error cum aliis *Joviniani* fuit Romæ damnatus, referente *Hieronymo* in Apologia ad Pamachium. Item in Concilio Florentino ſub EUGENIO IV. ſeſs. ultima in Decreto ſacræ unionis habetur — Definimus... „ Intueri clarè ipſum Dominum, Trinum, „ & Unum ſicut eſt, pro meritorum ta„ men diverſitate alium alio perfectius —

RETUNDIMUS TELA HÆRETICORUM.

261 JOVINIANUS ſuo dogmati ſtabiliendo totam ſuſdeque jactat Scripturam: per fas, nefaſque in ſuam retorto collo ſententiam trahit Prophetas cum Evangeliſtis, prout legere eſt apud *Hieronymum* lib. 2. contra eundem propoſ. 4., ubi ſingulis acutè reſpondet. Quamvis ab impuro Apoſtata illo plurima coacerventur, unico tamen dicto, & ſenſu rejiciuntur. Aſt ne omnia prætermittam; ad aliquot capita doctrinam nephariam contrahens refello.

262 OBJICIES 1. Si inæqualis eſſet beatitudinis retributio, multiplex eſſet ordo in divino judicio; ſed univerſa Scriptura duos tantùm ordines ponit bonorum ſcilicet, & malorum: ergo æquales ſunt omnes mali. *Minor prob.* Matth. 25. v. 34 omnibus ad dexteram exiſtentibus dicitur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum*: omnibus ad ſiniſtram ſtantibus v. 41. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.* Ibidem decem Virgines inducuntur, quinque prudentes, quæ omnes intrant cum Sponſo: quinque fatuæ, quæ excluduntur. In diluvio Juſti in Arca ſalvantur: impii aquis ſuffocantur. In Sodomis Juſti liberantur: Peccatores incendio pereunt. In mari rubro Juſti tranſeunt: obruuntur iniqui: & alia, in quibus non datur aliud diſcrimen præter bonorum, & malorum conditionem.

Scriptura ponit duos ordines ſupremos, plures ſubalternos.

RESP. *diſtinguendo min.* Duos tantùm Scriptura ponit ordines ſupremos, dividentes inter genera, *concedo min.*: duos tantùm ſubalternos intra idem genus, *nego min.* Boni ergo, & mali conſtituunt velut duo prædicamenta; in quolibet tamen eorum aſſignatur majus, minuſve meritum, vel demeritum, major, minorve pœna, vel gloria. Porrò in ordine bonorum erant Apoſtoli; excellentiorem tamen claſſem tenebant, utpote duodecim tribus Iſrael judicaturi. Boni omnes unum corpus efficiunt Chriſti my-

myſticum, ſed non abſque inæqualitate ad Rom. 12. v. 4. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis, differentes* .... 1. Corinth. 3. Qui ædificat ſtipulam, ſalvatur, ſed per ignem: Qui aurum ædificat, ſalvatur, ſed abſque igne: ergo inæqualiter ſe habent iidem, qui ſalvantur. Et cap. 14. *Paulus* fatetur ſe plus aliis laboraſſe: ergo ampliori præmio donandus, reſte ſiquidem Scriptura ad Hebr. 6. v. 10. *Non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*; unde Apoſtolus ad Epheſios optimè ſcribit c. 3. v. 10. *Ut innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei*. Habemus ergo multiplicem ſapientiam Dei in Eccleſia utique cœleſti, & terreſtri; ac propterea diverſam, & inæqualem donorum gratiæ, & gloriæ menſuram.

263 OBJICIES 2. Quæ Iſraelitis contigere, præſertim quadraginta annos peregrinantibus in deſerto, exempla ſunt futurorum; omnia ſiquidem in figura illis contingebant; atqui Iſraelitis omnia erant æqualia, idem omnibus labor, cibus, veſtitus, diuturnitas, iter ad manſionem unam, æquale omnibus Sabbatum, Scænopegiæ, Neomeniæ, Paſcha, ſeptimus requiei annus, in Jubilæo cunctis relaxantur debita, & ad antiquam venditor redit poſſeſſionem: ergo omnis Juſtus eſt æqualis in Paſchate, Sabbato, & Jubilæo æternitatis.

RESP. hoc itidem argumentum æquivocum eſſe a genere ad ſpeciem, & nimis probare. Æquivocat a genere ad ſpeciem, quia ex his, quæ communia ſunt in genere, arguet æqualitatem etiam ùt ſunt ad differentias contracta. Probant enim hæc omnibus fidelibus leges univerſales, præcepta, Sacramenta eſſe communia, omnes ordinari ad cœleſtem Patriam, Juſtis prædeſtinatis univerſa crimina deleri. Non autem probant in individuo Juſtos eſſe pares in merito, in exequendis præceptis, in ſumendis Sacramentis, ac proinde in recipienda mercede; nam, ſicuti ratiocinatur *Hieronymus*, propter Noe liberantur a diluvio filii, & uxores: propter Lot eripiuntur ab incendio filiæ: propter decem Juſtos iniquæ civitati pepercisset Deus: propter Paulum a naufragio eripiuntur nautæ, & milites. Nunquid ejuſdem meriti ſunt Pauli, & milites? Juſtus Lot, & Filiæ? Noe, & Cham? Judas idem Chriſti Corpus ſumit cum Petro, cæteriſque Apoſtolis: nunquid pari fructu? Chriſtum dereliquerunt in ſua paſſione Apoſtoli, & Populus. Nunquid eodem modo, eodemque ſcelere? Condemnant Dominum Caiphas, & Anna, Herodes, & Pilatus, an æquali culpa, qui compulſus tulit ſententiam, & qui coegit? Abſint hæc. Argumentum inſuper nimis probat, Juſtos ſcilicet, & Impios pari ſorte gaudere ſalutis; iſtis namque & illis communis eſt lex gratiæ, Sacramenta, judicium, elevatio ad gloriam, Redemptio: omnes eodem modo naſcuntur, & moriuntur, ſitiunt, & eſuriunt, communis aer, communis lux, pluviæ, & ſimilia: ergone commune meritum? Ejuſdemne Sanctitatis Chriſtus, & Latro ſimul crucifixi? Eodem ſupplicio moritur Martyr, & Homicida: eodem naufragio perit Virgo, & Stuprator: ergone æqualis ſanctitas? Ridicula ergo ſunt hujuſmodi argumenta.

Argumentū a genere ad ſpecies non probat.

264 OBJICIES 3. Secundùm unionem animæ ad Chriſtum in hoc ſeculo eſt manifeſtatio gloriæ ejuſdem in cœlo; æqualiter omnes Juſti in hoc ſeculo ſe habent ad Chriſtum: ergo æqualiter ad gloriam. *Minor probatur* Joan. 14. v. 23: *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Ecce quomodo Trinitas æqualiter habitat in quolibet Juſto: 1. ad Corinth. 6. v. 19. *Neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti?* Dixit *templum*, non templa, ut intelligas eodem modo Deum inhabitare: Joan. 17. v. 21. *Rogo* ... *ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint* .... *Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis* ... *Et dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti*. Ex hiſce teſtibus omnimoda conſtat æqualitas hic cum Chriſto: ergo & illic; ideoque dixit: *Vado parare vobis locum*, & non loca.

RESP. Hoc quoquè argumentum nimis probat. Ut ab ultimo incipiam: ſicut Chriſtus ait, *vado parare vobis locum*, & non loca: ita alibi dixit *ut ubi ego ſum, illic ſit, & miniſter meus: ſedere faciam eum ſuper ſedem Patris mei*: ergo æqualis erit gloria Juſtorum cum Chriſti gloria, immo cum gloria Patris: *Ut unum ſint, ſicut unum ſumus*: ergo nulla inæqualitas inter Chriſtum caput, & membra. Igitur unitas, manſio, templum ſpiritualia efficiuntur largitione gratiæ, quæ quoad ſubſtantiam eſt ejuſdem ſpecificæ perfectionis, & æqualem effectum primarium in omnibus Juſtis radiat. Ideo omnes ſunt Templum Spiritus Sancti, ad omnes deſcendit Trinitas. Diverſa tamen eſt gratia in intenſione, & munere, & diverſimodè fructificat, differentiamque facit inter templum, & templum, inter manſionem, & manſionem. Optimè Paulus 1. ad Cor. 12. v. 4. *Diviſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: Et diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Vide inæqualitatem cum unitate. *Num.* 11. de ſpiritu Moyſis accepit Deus, & dedit ſeptuaginta Judicibus. Utique excellentioris meriti Moyſes erat, ſicuti fons rivulum ſuperat. Quemadmodum ergo in Templo ſunt diverſæ ſtationes Atrium ſanctum, Sancta Sanctorum, & ſimilia: non aliter myſtico Spiritus Sancti Templo diſparia inſunt merita. *Prima ad Corinth.* 12. Qui unum ſunt cum Chriſto, unum corpus conſtituunt, ſed non omnia membra ſunt oculus, aut pes, aut manus, aut auris: ergo qui Chriſto uniuntur charitate, non habent æquale meritum.

Effectus primarius gratiæ in omnibus idem.

265 DICES cum *Joviniano*. Diverſa quidem habentur membra in corpore, ſed

omnia æqualiter diligimus, nec oculum præ-
ponimus digito, & in ſingulorum amiſſione
A communis eſt dolor: ergo.

CONTRA. Quis non palper ſic ar-
guentis inſipientiam? Quis non videt unum
eſſe altero membrum excellentius? Nonne
capitis amputatio magis nocet, quàm digiti?

Peccata inæqualia.

Et herclè peccata aliæ ſunt levia, alia gra-
via, & graviora, & difficilioris veniæ 1.
Joan. 5. v. 16. *Qui ſcit Fratrem ſuum pecca-
re peccatum non ad mortem, petat, & dabitur
ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum
ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis.*
Si ergo datur hæc inæqualitas in malo,
cur non etiam in bono? Cùm cæteroqui
B magis Deo placeat miſericordia, quàm ſa-
crificium, obedientia, quàm victima? Ubi
eſt magis, & minùs, ibi certè eſt inæqua-
litas.

266 OBJICIES 4. *Matth.* 10. Labo-
rantes in vinea figura ſunt Chriſtianorum,
qui apud Deum merentur. Omnibus de-
narium confert procurator, ſcilicet præ-
miam beatificum. Laborantes in vinea
acceperunt ſinguli denarios, & facti ſunt
pares primi, & noviſſimi: ergo præmium
beatificum eſt omnibus æquale.

RESP. Vide jam dicta Controverſia II.,
ubi de glorificatione Sanctorum ante Ju-
dicii diem. Addo impræſentiarum non
C placere Patris *Vaſquez* reſponſum; nam ex

In rebus Fidei non ſunt deſerẽda Patrum interpretationes.

Tridentino in rebus Fidei non ſunt deſe-
rendæ Patrum interpretationes, ut inſeran-
tur marte noſtro excogitatæ; & quia non
ſatis commodè Evangelium exponit: ſentit
enim primos damnari, glorificari noviſſimos.
Unde pro denario non intelligatur vita
æterna, quod manifeſtè pugnat cum textu.
Etenim eandem mercedem receperant no-
viſſimos, ac primi: Matth. cap. 20. v. 8.
*Voca operarios, & redde illis mercedem inci-
piens a noviſſimis uſque ad primos*; acceperunt
autem primi ſingulos denarios ſicut noviſſi-
D mi: ſed noviſſimi non acceperunt dam-
nationem: ergo neque primi. Deinde pri-
mi, & noviſſimi facti ſunt pares: verſ. 12.
*Hi noviſſimi unâ horâ fecerunt, & pares illos
nobis feciſti, qui portavimus pondus diei, &
æſtus*: ſed ſi recepiſſent primi ſupplicium,
& noviſſimi præmium, jam non eſſent pa-
res, ſed valde diſpares: ergo. Ulteriùs:
Illud receperunt primi, quod erat conven-
tum: verſ. 13. *Nonne ex denario conveniſti me-
cum?* Sed conventum eſt de mercede, &
præmio laboris: ergo acceperunt præmium,
& non damnationem.

267 DICES cum *Vaſquez*: Paterfami-
E lias primo operario dixit verſ. 14. *Tolle
quod tuum eſt, & vade*; ſed hoc *tuum* eſt
peccatum, quod ſolùm tribuitur proprium
creaturæ: ergo primi non acceperunt vitam
æternam.

RESP. *negando minorem*, quæ nil evin-
cit. Ea ſiquidem verba unienda ſunt præ-
cedentibus, *non ne ex denario conveniſti me-
cum? Tolle quod tuum eſt, & vade*: ergo
ly *tuum* non eſt peccatum, ſed eſt denarius.
Unienda ſunt ſequentibus *vado: volo autem
& huic noviſſimo dare ſicut & tibi*. Conſtat
primum idem recepiſſe, ac noviſſimum; hic
non recepit peccatum: ergo nec ille; ſed
uterque denarium accepit.

268 INSTABIS. Si primi vitam æter-
nam recepiſſent, non murmuraſſent, tum
quia apud Juſtos in Judicio non datur que-
rela, tum quia apertè vidiſſent juſtitiam;
nam & viderant opera, & laborem no-
viſſimorum, & unitatem æqualitatis præmii
ex parte objecti, quod unum, & idem eſt:
ſed murmurant adversùs Patremfamilias:
ergo.

RESP. Operariorum murmuratio non
fuit formalis, ùt patet; moderatè enim

Murmuratio aliquando eſt genus quoddã admirationis

præſumptam rationem exponunt, quod uti-
que damnati non faciunt. Eſt igitur illa
murmuratio genus quoddam admirationis
inductum ad majorem myſterii gratiæ ex-
plicationem, cujus efficacia, & abundantia
non attenditur ex laboris diuturnitate, ſed
ex valore: poteſt enim quis una hora plus,
quàm decem alter operari. Juſti utvis
non ignorent myſterium hoc in generali;
tamen non penetrant ejus vim reſpectivè ad
hunc, vel illum hominem, & etiam reſpe-
ctivè ad valorem, qui totus eſt à gratia,
cùm, ùt diximus, brevi ad ſanctitatem
plerique, alii non niſi longiſſimo tempore
aſſequantur.

269 REPLICABIS. Præmiorum di-
ſtributio fit ſecundùm juſtitiam. In præ-
ſenti denarius non eſt diſtributus ſecundùm
juſtitiam: ergo non intelligitur denarius
pro mercede. *Minor declaratur*. Murmu-
ranti reſpondet Paterfamilias verſ. 14. *Volo
autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi. Aut
non licet mihi quod volo, facere? an oculus
tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* At hîc
non indicatur æquitas juſtitiæ, ſed volun-
tatis arbitrium: ergo.

RESP. *negando min.* Noviſſimis data eſt
retributio, ſecundùm quòd Paterfamilias
illis dixerat a principio: *Ite & vos in vi-
neam meam, & quod juſtum fuerit, dabo vobis*.
Ambigi utique non poteſt, quin illis pro-
bare potuerit factam ex juſtitia fuiſſe diſtri-
butionem. At hoc non erat neceſſe: ſatis
fuit innuere, nullam iis injuriam fieri, ac
propterea minùs rationabilem eſſe eorundem
querimoniam. Cæterùm Paterfamilias ra-
dicalem, ùt ita loquar, rationem adduxit,
cur hic magis, vel minus habeat de meri-
to, & præmio, quia videlicet ex ſua bo-
nitate, & beneplacito huic dat minorem,
majorem illi confert operativam gratiam.

270 URGEBIS. Finem myſterii decla-
rat concluſio parabolæ, primos nempe fore
damnatos: nam ſic habetur verſ. 16. *Sic erunt
noviſſimi primi, & primi noviſſimi. Multi enim
ſunt vocati, pauci verò electi*: primi igitur
videntur vocati, ſed non electi, atque ideo
in reſponſione eos vocat malos. *An oculus
tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?*

RESP. *neg. min.* Non intendit Scriptu-
ra declarare primos eſſe damnatos, cùm
aliis pares effecerit, ùt vidimus ſuperiùs;
ſed oſtendit non eſſe gloriandum, & fiden-
dam ſoli vocationi, aut quòd quis priùs
fuerit vocatus, & diuturniori tempore in
ea permanſerit, ſed electioni, ac virtuti
gratiæ. Breviter ſenſus eſt, Juſtos quidem
eſſe

Multi ſunt juſti, pauci tamen ferventer operantur.

eſſe permultos, ſed paucos ſedulò operari, & brevi eos tranſcendere, qui ſunt vocati ordinaria gratiæ motione. Neque illud verbum *nequam* eſt affirmationis, ſed locutionis; interrogativè enim dicit: *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Alioquin ſibi contradiceret, cùm priùs illum amicum appellaverit; verſ. 13. *Amicè, non facio tibi injuriam.*

271 OBJICIES 5. Omnes, inquit *Lutherus*, ſunt in ſanctitate æquales: ergo & in glorificatione. *Antecedens ſic oſtenditur* 1. ad Corinth. 1. Chriſtus factus eſt noſtra juſtitia, & ſanctificatio; at Chriſtus eſt unus æqualis ad omnes: ergo æqualiter ſunt omnes Sancti.

RESP. Hoc *Lutheri* argumentum nititur falſo principio, quòd non fiat juſtificatio per aliquod intrinſecum, ſed ex ſola Chriſti juſtitia nobis forinſecùs imputata: quod repugnat Apoſtolo dicenti: *Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Miſſa facio alia Scripturæ loca, quæ in Controverſiis de Gratia afferuntur.

Nego igitur antecedens, cujus probatio nulla eſt; nam ibidem *Paulus* ubi ſupra v. 30. dixit: *Qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Atqui non ſapimus formaliter ſapientiâ Chriſti nobis imputatâ: ergo neque formaliter ſanctificamur ſanctitate Chriſti nobis extrinſecè attributa. Dicitur ergo noſtra redemptio, noſtra juſtitia; quia ipſe eſt cauſa meritoria noſtræ juſtitiæ per opus redemptionis: noſtra ſapientia, utpote nos doceat viam virtutis, & ſalutis &c. Nec inde trahitur noſtrum æqualitas omnium in ſanctitate.

Quomodo Chriſtus eſt noſtra ſanctificatio.

272 DICES: Ubi res poſſeſſa, & modus poſſidendi ſunt eadem, nulla ibi eſt inæqualitas beatitudinis: Beati eandem omnino rem poſſidebunt, nempe Deum, & eodem modo: erunt ergo in beatitudine æquales. *Minor habetur* 1. Joann. 3. v. 2. *Videbimus eum, ſicuti eſt*; ſed videre Deum ſicuti eſt, res viſa, & modus videndi ſunt eadem; nec unus rem poteſt meliorem videre, nec modo meliori quàm alter, cùm omnes videant Deum, ſicuti eſt intuitivè: ergo. *Ulteriùs* 1. Corinth. 13. v. 12. *Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.*

Hinc patet a quolibet Beato totum videri Deum, ſicut totum, quod in nobis eſt, a Deo videtur. Ubinam inæqualitas? Ratio a priori eſt; quia omnia, quæ in Deo ſunt, una ſunt ſimpliciſſima entitas, ac proindè implicat unam formalitatem videri aliâ non viſâ.

RESP. *neg. minorem*. Etſi quiſque Beatus Deum videat prout in ſe, & in hoc videndi modo nullum ſit diſcrimen, unus tamen magis videt, quàm alter, & meliori cognitione, quatenus lumen habet intenſius, quo intenſiorem elicit viſionem, & proinde ſit beatior. Sicuti ſubjectum dicitur magis calidum, quando intenſiorem calorem habet.

Datur diverſitas intenſionis in lumine gloriæ.

273 INSTABIS. Non ſtat intenſius lumen abſque majore intenſione viſionum ex parte objecti; ſed ex parte Dei viſi non plura videt unus Beatus, quàm alter: ergo unus non habet intenſius lumen, quàm alter. *Major* certa videtur: nam habere majus lumen, & ſecundùm illud videre, eſt magis penetrare objectum. Penetratio majoris objecti eſt in objecto meliùs videre, ideſt non ſolùm clariorem habere cognitionem ex parte videntis, ſed etiam ex parte viſi; quia formalitates illæ melius deteguntur: hoc duplici ſimilitudine explicatur. Duo v. g. eandem picturam inſpiciunt, ſed alter, cùm præditus ſit acie oculorum peracuta, meliùs comprehendit, quàm alter diſpoſitionem colorum, & linearum proportionem; & ita ſemper eſt verum, ubi ſit melior modus ex parte operantis, meliorem quoque rem operari, ùt in duobus patet artificibus, qui operantur idem opus. Aliud exemplum ſit: ubi charitas intenſior eſt, ibi fervor eſt major, & amans plura agit in Dei obſequium. Ubi lumen fidei eſt melius, plura detegit myſteria explicitè, & meliùs penetrat rationes credibilitatis, convenientiam, & connexionem cum veritate revelata: ergo.

CONTRA: *concedo majorem*, quam veriſſimam admitto, nec capere poſſum, quomodo majus lumen, majorem eliciat viſionem, quin ex parte objecti aliquid melius viſum correſpondeat. *Negatur autem minor*. Unus ſiquidem Beatus plura detegit, quàm alter; cùm enim in Deo ſint infinitæ virtualitates, & eminentiæ, immo infiniti modi virtualitatum, ex his unus plura, minora alter videt.

Perfectius lumen plura videt in Deo.

274 URGEBIS. Illa plura, quæ videntur, vel ſunt aliquid Dei, vel ſunt plures creaturæ. Si primum: ergo Deus ab eo, qui minori lumine eſt inſtructus, non videtur prout in ſe; quia quæ ſunt Dei, ſunt una in ſe entitas ſimpliciſſima, quæ non eſt viſibilis ex parte, niſi videatur tota. Si ſecundum: non ergo eſt alter eſſentialiter beatior; quandoquidem creaturæ pertineant ad beatitudinem accidentalem. *Auguſtinus* lib. 5. Conf. cap. 4. — Qui verò „ & te, & illa novit, non propter illa „ beatior, ſed propter te ſolùm beatus eſt — Et ratio eſt; quia meritum eſſentiale reſpicit Dei viſionem ùt præmium eſſentiale ſibi correſpondens. Igitur oportet inæquali merito eſſentiali correſpondeat inæqualis viſio eſſentialis, quæ cùm ſit impoſſibilis, dicas Beatos omnino eſſe æquales.

CONTRA iy *plura* utrumque includere: beatior enim non ſolum plures creaturas, ſed etiam plures modificationes videt ex parte Dei: nec hinc ſequitur a minùs beato non videri intuitivè Deum, & prout eſt in ſe; nam ad hoc ſufficit videre prædicata conſtitutiva Dei Unius, & Trini; non eſt neceſſe videre omnes comparationes in particulari unius attributi ad aliud tam ad intra, quàm ad extra, iſtæ namque pertinent ad majorem, & majorem penetrationem objecti.

275 REPLICABIS. Comparationes eæ, connexiones, connotationes, & quicquid aliud dixeris vel ſunt aliquid Dei formali-

maliter, vel non. Si primum: ergo a quolibet videntur, cùm juxta communem Theologiam quivis Beatus omnia vider, quæ ſunt formaliter in Deo; & quia eminentia præcontinens creaturas eſt quid Dei formaliter, Ideo Beatorum quilibet illam videt. Sin autem ſecundum: ergo nihil latet ex parte Dei ſemel viſi intuitivè.

Connexio omnipotentiæ cũ creaturis.

CONTRA: illæ comparationes inſunt Deo formaliter comparativè, non verò conſtitutivè. *Explict*. Omnipotentia Dei in re eſt cum omnibus connexa poſſibilibus *ut ſic*, & cum ſingulis in particulari. Quia tamen connexio ea *ut ſic* ad conſtitutionem pertinet, ſeu ſpecificationem divinæ omnipotentiæ, ideo eſt in Deo formaliter conſtitutivè, atque ideo videri haudquaquam poteſt omnipotentia, non viſis creaturis *ut ſic*. Quoniam verò connexio cum hac particulari non pertinet ad ſpecificationem divinæ potentiæ, non dicitur formalis, ſed materialis. Quamobrem viſà omnipotentià non omnes videntur creaturæ In particulari. Ita èt comparatio quæque peculiaria, connexio, connotatio unius attributi ad aliud, & ad creaturas ſunt reapſe in Deo, & hoc modo dicuntur in eo formaliter. Quia tamen ſunt formalitatea, & modificationes de materiali, non ſunt in Deo conſtitutivè, neque eſt neceſſe, ut qui Deum videt intuitivè, omnes in particulari comprehendet, ſed magis, & minùs pro merito uniuſcujuſque. Inæqualitas igitur optimè explicatur, & cùm veriſſima *Auguſtini* locutione componitur. Quomodo autem communicetur Deus ſecundùm perſonalitatem Verbi, non communicata Paternitate, & Eſſentia Divina, applicetur ad communicandam Filiationem, & non Paternitatem, quamvis in re hæc omnia ſint, & communicatio fiat perſonalitatis Divinæ prout In ſe. Item cur Deus non ſit minùs in eſſe entia, & phyſicè ens ſimpliciſſimum, & actus purus, quàm in eſſe viſibili; & tamen dum videtur prout eſt in ſe, debet videri juxta omnia conſtitutivà formaliter, nedum radicaliter abſque reali diſtinctione. Secùs ſecundùm quod participatur a gratia ex conceptu naturæ prout in ſe, non participatur ſecundùm totum ſaltem formaliter, ſed inadæquatè ſolùm, & ad ſummum ùt radicat attributa participata per virtutes infuſas, noſtrum non eſt esplicare; ſed ad ſcholaſticas præciſiones ſunt remittenda.

CONTROVERSIA X.

CONTRA ORIGENISTOS.

AN BEATI ALIQUANDO AMISSURI SINT FELICITATEM.

276 ORIGENES, Adamantius Alexandrinus vir cæteroquì doctiſſimus plures ſuis libris, quos ad ſex millia numerat *S. Epiphanius* hæreſ. 64., errores indidit ab Eccleſia proſcriptos. Nonnulli *Origenem* vindicant ùt *Ruffinus*, *Pamphilius Martyr* in ſua Apologia latinè reddita a *Ruffino*. Necquiquam tamen; nam Baſilius *lib. de Spir. Sanc. cap.* 30. aſſerit non benè *Origenem* ſenſiſſe de Spiritu Sancto. *Hieronymus* ad *Avitum* recenſet criminoſa ejuſdem dogmata: item Auguſtinus *hæreſ* 34., Gregorius *lib. Moral. in 4. Job*. Sanè in quinta Synodo Generali *collat.* 8. *Can. XI.* latum eſt anathema *Origeni*, *Ario*, *Eunomio*, *Macedonio*, *Neſtorio*, & *Euticheti*. In Prato Spirituali, quod citatur in ſeptima Generali Synodo cap. 25. legere eſt quandam revelationem, in qua ſe ſpectandum dedit *Origenes* demerſum in Inferno acerbiſſimè cruciari cum *Ario*, aliiſque hæreticis; ſed de ejus ſalute diſputent alii apud *Franciſcum Collium* Ambroſianæ Bibliothecæ Doctorem. Certum eſt in ejus libris fuiſſe repertos; niſi fortè malignus quiſquam eos errores ſuppoſuerit.

277 In pluribus tradunt lapſum eſſe *Origenem*, quæ ſummatim ad hæc reducuntur. 1. Adam, & Eva propter peccatum perdiderunt imaginem Dei. 2. Filius, & Spiritus Sanctus creaturæ ſunt appellandi, nec Patris ſcientiam habuere. 3. Homines reſurgent rotundis corporibus. 4. Cœlum, Sol, Luna, Aſtra, & quæ ſuper firmamentum ſupernatant aquæ, ſunt animatæ quædam virtutes rationales ad meritum, & demeritum idoneæ. 5. Anima ante unionem ad corpus in cœlo extitit, ibique plura commiſit peccata, ob quæ in corpore tanquam carceri fuit incluſa, ubi detinetur ſub ſtatu violento. 6. Hinc deduxit Verbum Divinum priùs tempore unitum animæ hypoſtaticè, quàm corpori. 7. Chriſtus iterùm crucifigendus ad ſalvandos Dæmones. 8. Omnes damnatorum pœnæ ſunt finiendæ, ſicut èt omnium Beatorum gaudia. Propterea primùm damnatus eſt *Origenes* in Synodo Alexandrina a *Theophilo* congregata: deinde ab *Epiphanio* in Synodu Cypri: tertiùm ab ANASTASIO Romano Pontifice, præſidio Principum imploraro ad compeſcendam *Origeniſtarum* perfidiam. Inſtantibus poſtmodum *Pelagio* Diacono VIGILII Papæ Apocriſiario, & *Menna* Conſtantinopolitano Patriarcha *Juſtinus*, ſeù, ut alii volunt, *Juſtinianus* Imperator ſeveriſſimo edicto coercuit eam hæreſim, quod èt fecit *Vigilius* in Concilio V. Œcumenico. Qua damnatione commotus *Theodorus* Cæſareæ Capadociæ Præſul *Origeni* addictiſſimus furenti animo Acephalorum ſectæ nomen dedit: Ex *Origenis* libris *Arium*, *Manetem*, *Eunomium*, alioſque hære-

Damnantur errores Origenis.

hæreticus errores ſuos hauſiſſe ferunt .

DICES cum *Hallonio* lib., cui titulus *Origenes defenſus* , nullam in Actis V. Synodi extare *Origenis* damnationem , & *Victorem* Tonnonenſem , & *Facundum* Hermianenſem coævos Scriptores illius non meminiſſe .

CONTRA . *Victoris* , & *Facundi* ſilentio prævalent teſtimonia , quæ paſſim occurrunt ; immo aſſerendum eſt in Actis quintæ Synodi damnationem abſciſſam fuiſſe ; unde ſexta Synodus Act. 18., & 19. aſſerit Acta quintæ Synodi vitiata , & mutila . Quod eruitur etiam ex Epiſtolis *Pelagii* Primi , & Secundi , & *Gregorii Magni* , qui de hac damnatione ſilent , cùm aliàs hanc non præteriiſſent , cùm ad laudatæ Synodi commendationem plurimùm inſerviret . Contra *Origenem* in Controverſiis de Purgatorio demonſtravi Damnatorum pœnas fore ſimpliciter æternas : nunc breviter oſtendam Electorum gloriam fore itidem ſempiternam .

Acta V. Synodi mutila , & vitiata .

278 DICO . *Animarum felicitas æternùm eſt duratura* . PROB. 1. ex Scripturis veteris Teſtamenti . Sap. 3. v. 1. *Juſtorum autem Animæ in manu Dei ſunt , & non tanget illos tormentum mortis* ; at ſi a beatitudine ad miſeriam , a miſeria ad beatitudinem tranſultarent , ùt aſſerit *Origenes* , tangeret eos tormentum mortis : ergo : & c. 5. v. 16. *Juſti autem in perpetuum vivent , & apud Dominum eſt merces eorum* : Eccleſiaſtici 24. v. 31. *Qui elucidant me , vitam æternam habebunt* : v. 32. *Hæc omnia liber vitæ , & teſtamentum Altiſſimi* , cujus verba non præteribant : Pſal. 27. v. 9. *Salvum fac populum tuum , Domine , & benedic hæreditati tuæ , & rege eos , & extolle illos uſque in æternum* : Daniel. 12. v. 1., & ſeqq. *Et in tempore illo ſalvabitur Populus tuus omnis , qui inventus fuerit ſcriptus in libro , & multi de his , qui dormiunt in terræ pulvere , evigilabunt : alii in vitam æternam , & alii in opprobrium , ut videant ſemper . Qui autem docti fuerint , fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti : & qui ad juſtitiam erudiunt multos , quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates* . Ecce bis eodem loco affirmatam fidei veritatem .

279 PROB. 2. ex Evangelii textibus : Mat. 6. v. 20. *Theſaurizate autem vobis theſauros in Cœlo , ubi neque ærugo , neque tinea demolitur* ; demoliretur autem, ſi decurſu temporis Theſaurus deficeret beatificus : cap. 25. verſ. 46. *Juſti autem in vitam æternam* : Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt autem vita æterna : Ut cognoſcant te , ſolum Deum* : Luc. 1. v. 32. Angelus ad Mariam dixit : *Regnabit in Domo Jacob in æternum , & Regni ejus non erit finis* . Domus iſta eſt Eccleſia , prout Militantem , & Triumphantem comprehendit , de qua Baruch 3. v. 24. *O Iſrael , quàm magna eſt Domus Dei !* Ubi verò erit Chriſtus , illicò & Miniſter ejus erit : & Luc. 16. v. 26. Alloquens Abraham divitem in Inferno ſepultum , *& in his omnibus* , ait , *inter nos , & vos chaos magnum firmatum eſt : ut hi , qui volunt hinc tranſire ad vos , non poſſint , neque inde huc tranſmeare* . Videant *Origeniſtæ* alternantem Beatorum , & Damnatorum viciſſitudinem omnino reprobari .

280 PROB. 3. ex Scripturis Apoſtolorum : Apoc. 3. v. 12. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei , & foras non egredietur ampliùs* : ad Rom. 6. v. 23. *Gratia autem Dei , vita æterna* : 2. Corint. 5. v. 1. *Scimus enim , quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur , quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in Cœlis* : 1. ad Theſſalon. 4. v. 16. *Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera , & ſic ſemper cum Domino erimus . Itaque conſolamini invicem in verbis iſtis* . Et ſanè quomodo cæleſtis felicitatis ſpes apta eſſet ad conſolandos Fideles in tot , & tam arduis tribulationibus , ſi aliquando deſinere deberet , & ab illa ad miſeriam daretur tranſitus . Hinc meritò hunc errorem damnavit cum aliis Concilium Conſtatinopolitanum II. loco citato , cumque impugnant Sancti Patres communiter : Auguſtinus *de Civit. Dei lib. 12. cap. 20. , & lib. 21. cap. 17.* , Epiphanius *hæreſ. 64.* , Hieronymus *Epiſtola ad Avitum* , Gregorius Magnus *lib. 34. Moral. cap. 14. in 41. Jobi* exponens illud : *Æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem* ; quibus addendus eſt S. Thomas *3. contra Gentes cap. 62. ; & 1. 2. quæſt. 5. art. 4.* , ubi ſolidè Scripturis , & rationibus hanc veritatem demonſtrat etiam contra *Platonicos* , quorum principiis deceptus eſt *Origenes* .

281 PROB. 4. ratione . Vera , & propria beatitudo debet explere omne naturale , & rationabile deſiderium Beati ; ſed niſi ſit perpetua ſimpliciter , non explet omne naturale , & rationabile deſiderium : ergo eſt ſimpliciter perpetua . *Major eſt clara* ex definitionibus , quas tradit Philoſophus *lib. 10. Ethic. cap. 6.* -- Felicitas nullius „ rei indiga eſt ; ſed ea ſe ipſa ſufficit -- *& lib. 1. cap. 7.* -- ſufficiens id eſſe ſta„ tuimus , quòd ſi ſolùm relinquatur , ſuffi„ cientem , atque expetibilem vitam , nul„ liuſque rei indigam facit — *Minor etiam conſtat* ; nam ſicut creatura rationalis naturaliter optat beatitudinem : ita naturaliter optat perpetuitatem ; quia amat beatitudinem ùt bonum ſibi conſonum : ipſa verò eſt perpetua , adeoque bonum beans ſibi perpetuum optat .

Beatitudo debet explere deſiderium .

Creatura rationalis optat perpetuam beatitudinẽ .

Explicatur . Id quod quæritur propter ſe , quæritur ùt ſemper habendum ; ſed beatitudo quæritur propter ſe : ergo quæritur ùt ſemper habenda, ac per conſequens, niſi perpetua ſit , non explet deſiderium Beati . *Major declaratur* . Quæ propter aliud quæruntur , non quæruntur ùt ſemper habenda , quia adveniente eo , propter quod quæruntur, non ampliùs deſiderantur : ùt patet in medicina , quam propter ſanitatem optamus , quâ ſumptâ, ceſſat appetitus medicinæ . Quæ verò propter ſe appetuntur , appetuntur ùt ſemper habenda ; quia in ſe habent bonum , propter quod ſunt appetibilia , ùt conſtat in ſanitate , quæ , cùm in ſe ſit bonum , naturaliter ab omnibus appetitur . *Minor etiam declaratur* . Finis appetitur propter ſe : Beatitudo eſt finis : & ideo dicitur ab *Ariſtotele* 10. Ethic. c. 2. & 3. *Ultimum*, & lib. 7. cap. 7. *ſecundùm ſe perfectum* .

Beatitudo appetitur propter ſe .

282 PROB.

282 PROB. 5. Animarum felicitas vel deficit voluntate Beati, vel Dei ſubtrahentis concurſum, vel agentis creati impedientis. Nullo ex his modis deficit: ergo eſt ſimpliciter æterna. *Minor demonſtratur*. Non voluntate Beati; quia nemo ceſſat ab actu delectabili, niſi quia vel actui deſit, quod expleat appetitum, vel quia adjunctum ſit ei quicquam incommodum, quod faſtidium pariat; unde ad aliud objectum convertitur; ſed viſio clara Dei, ejuſdem fruitio, in quibus conſiſtit ultima completa felicitas, his defectibus caret: ideoque dicitur Exod. 33. v. 19. *Oſtendam omne bonum tibi*: Pſal. 16. v. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*: Sap. 8. v. 16. *Non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam, & gaudium*. Non deficiet ex ſubſtractione divini concurſus; nam nullum Deus ſubſtrahit donum, niſi in pœnam peccati, cujus Beati ſunt omnino exſortes. Non denique actione agentis creati; nam mens per divinam viſionem attollitur ſupra efficaciam cujuslibet creaturæ, utpote ſpectantem ad ordinem ſupernaturalem, & excellentiſſimum; quare Joan. 16. v. 22. dicitur: *Gaudium veſtrum nemo tollet a vobis*.

Beatorũ felicitas ex nullo capite poteſt deficere.

Explicatur. Quod eſt ab intrinſeco incorruptibile non ceſſat niſi per actionem Dei miraculoſam; beatorum felicitas eſt hujuſmodi: ergo. *Declaratur minor*. Ex definitione omnium Philoſophorum illud eſt ab intrinſeco incorruptibile, quod in ſe caret principio corruptionis; atque ob id Anima, & Angeli ſunt incorruptibiles, ſecus homo, & alia mixta ſublunaria. Beatitudo in ſe caret quovis principio corruptionis; quippe omnem expleat capacitatem ſubjecti; aliter non eſſet beatitudo. Ubi verò forma explet ſubjecti capacitatem, inde quodquod expellitur principium corruptionis, & ideò cœlos non tangit corruptio; quia eorum formæ implent omnem materiæ potentialitatem. Quamdiu enim ſubjectum non eſt expletum, tamdiu ad alias tendit formas, appetitque alterius actionem extrudentis præhabitam formam, ùt patet in ſublunaribus.

Illud eſt incorruptibile, quod caret principio corruptionis.

Explicatur 2. Incorruptibilitas ab intrinſeco oritur a privatione contrarii. Beatitudo ex ſuis intrinſecis exigit carere contrario tum phyſico, tum morali; ex ſuo enim conceptu petit mali cujuſque excluſionem, aliter non eſſet beatitudo — Beatus „ enim eſt, *ait Auguſtinus*, qui nihil mali „ appetit — Sed contrarium phyſicum, ac morale eſt aliquod malum: ergo. Caret inſuper contrario phyſico; quandoquidem viſio beata, & fruitio participationes ſunt Divini intellectus, & voluntatis prout in ſe. Caret etiam contrario morali, ſeu facultate peccandi; ſiquidem, ùt ajebam, beatitudo ex ſuo conceptu flagitat omnimodam excluſionem mali; nullum verò malum eſt pejus peccato: unde poſtulat ab intrinſeco providentiam Dei, quæ voluntatem arceat ab omni culpa: maximè quòd voluntas ab acto amoris Dei deſiſtere haud poteſt, & ad peccatum converti, niſi in objecto amato reſplendeat aliqua ſpecies mali, vel ratio minoris boni, aut in exequendo actu aliquod incommodum, vel labor; ſed qui Deum in ſe intuetur, cognoſcit Deum eſſe bonum ſummum, & extra ipſum eſſe nihil amabile, niſi ùt eidem ſubordinatum, nec in re ipſa apparet labor ullus, cùm in ejus poſſeſſione complectatur omne bonum, & nullibi extra ipſum occurrat affatim boni ad quietem: ergo ſicut in beatitudine generica, cùm nulla appareat ratio mali, cogitur voluntas neceſſitate ſpecificationis ad eam amandam: ita etiam quia in ipſa viſione divinæ bonitatis nulla ſubluceet ſpecies mali, cogitur neceſſitate exercitii. Immobiliter igitur conjunctus practicæ, & claræ ſuæ regulæ indefectibilis moralitatis non habet facultatem expeditam ad peccandum.

Beatitudo ex ſuis intrinſecis caret contrariis.

HÆRETICORUM ARGUMENTA SOLVUNTUR.

PRæcipua ex Scripturis argumenta jam refellimus de Purgatorio Pars III. Controv. I. ubi inquiſivimus: *An ſoli in Purgatorium Juſti deſcendant*; unde perpauca ad ſolvendum ſunt reliqua.

283 OBJICIES 1. Secundùm Scripturas omnia ſunt alternis viciſſitudinibus obnoxia, & ita volutantur, ut ima ad ſummum, & ſumma ad imum redeant. Eccleſ. 1. v. 9. *Quid eſt quod fuit? Ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt? Ipſum quod faciendum eſt*: ergo a felicitate remeamus ad miſeriam, & è contra; & ideo ibidem habetur v. 6. *Luſtrans univerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur*.

RESP. *neg. maj.* In ſenſu concluſionis, quæ non probatur ex allegata Scriptura, cujus ſenſus toto aberrat cœlo ab Adverſantium gloſſa. Intendit enim patefacere ex mutabilitate, fluxuque rerum temporalium vanitatem, ut ſic inducat homines ad terrenorum contemptum, & cœleſtium amorem; ſicut ex toto liquet contextu, & ex principio capitis *Vanitas vanitatum*: & ne quis ob temporis viciſſitudines meliorum ſpe bonorum detineatur, ejuſdem fugacitatis, tàm quæ fuerunt, quàm quæ ventura ſunt, eſſe oſtendit. Nomine autem ſpiritus, qui luſtrat omnia, non venit anima, ſed ventus; ſic enim habetur ex *Symmachi* verſione — Perambulans vadit ventus, & per quæ „ circumierat, revertitur ventus — Idem ſentit *Tigurina* — Adverſis mundi plagis venti „ ſurgentes meant, & in circulos ſuos venti „ revertuntur — Dicitur autem ventus luſtrare omnia, utpote qui ſua ſubtilitate omnia in terra, & circum terram pervadit, ac penetrat, ac quaſi luſtrat.

Nomine ſpiritus veniunt venti.

284 OBJICIES 2. Pſal. 24. v. 10. dicitur: *Univerſæ viæ Domini, miſericordia, & veritas*; ſed niſi alternis vicibus haberetur reverſio a felicitate ad miſeriam, & è contra, hoc non eſſet verum; nam in Inferno totum eſſet veritas: in cœlo totum eſſet miſericordia: ergo.

RESP. Eſto: loquatur Pſalmiſta de viis Domini in altero ſeculo, *nego minorem*, ejuſque probationem. Apud inferos exercetur veritas, ſeù juſtitia, quatenus impiorum de-

licta

Miſericordia etiam in inferno. licta plectuntur, ſed exercetur etiam miſericordia, cùm Deus puniet citra condignum. In Paradiſo dominatur juſtitia; quæ meritum coronat: regnat miſericordia, quia præmium eſt ultra condignum; atque adeo univerſæ viæ Domini ſunt miſericordia, & veritas, quia alternentur vices.

285 OBJICIES 3. ſecundùm Scripturas juxta bonorum operum qualitatem gloriam dabit Dominus; ſed bonis operibus non eſt debita gloria ſimpliciter æterna: ergo. *Minor declaratur.* Bono, ſeu obſequio breviter duraturo æternum præmium non eſt proportionatum; ſicuti levi non debetur peccato pœna gravis; & ideo ait Apoſtolus ad Rom. 8. v. 18. *Exiſtimo enim, quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Proponuntur tamen æterna hominibus præmia ad excitandum, ut opera meritoria eliciant, juxta illud *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem.* Cæterùm æterna dicuntur; quia diuturniora, quàm præſens vita.

RESP. *neg. min.*, cujus probatione nititur etiam *Calvinus* ad denegandam bonis operibus meriti condignitatem contra illud Pauli 2. Corinth. 4. v. 17. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: & 2. ad Timoth. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex: non ſolùm autem mihi, ſed & his qui diligunt adventum ejus.* *Condignitas ad gloriam ex gratia.* Quibus locis, & aliis pleriſque conſtat gloriam æternam eſſe bonis præmium condignum operibus. Quæ condignitas deducitur a gratia ſanctificante, quæ divinæ eſt participatio naturæ ex ſuo conceptu incorruptibilis, & dumtaxat mobilis ob liberi arbitrii mobilitatem. Gratia igitur tribuit proportionem cum præmii æternitate, licèt ſit brevis opus durationis. Deinde, ùt infra *Gregorius* citatus, operans Juſtus vult Deo placere, ſemperque vellet in ea perſeverare. Aſt aliquando defuit ab eo fervore; quia teſte *Paulo* ad Rom. cap. 8. Creatura vanitati ſubjecta eſt non volens. Siquis autem æternitatem pro longiori tempore intelligat, Deum fallacem facit; ſunt enim ubique abſolutæ locutiones, nec uſpiam reperire eſt contrarium. Neque è Divina dignitate foret ad ſui obſequium homines ſponſione fictâ excitare. Vel enim, ùt Auguſtinus prælibato loco *de Civit. Dei ait*: noverunt hoc Juſti, vel non. Si noverunt: non habent motivum ferventiùs operandi, & pejoris conditionis ſunt, quàm Impii, qui a miſeria tranſibunt ad beatitudinem. Si non noverunt: ergo ſunt decepti divinis promiſſionibus, quæ pro æternis explicantur, & non ſunt.

286 DICES: Sicut durationi actus correſpondet duratio gloriæ: non aliter intenſioni intenſio; ſed gratia informans intenſivam bonitatem non fundat infinitam gloriæ intenſionem: ergo neque informans durationem fundat gloriam ſempiternam. Eò vel maximè, quòd ſicuti gratia eſt immobilis ex natura, & ſolùm mobilis ratione ſubjecti: ita ratione ſui poteſt infinitè augeri, utpote participatio divinæ charitatis, & ratione ſubjecti ſolùm finitæ intenſionis.

CONTRA: *nego maj.* Perpetuitas gloriæ non correſpondet durationi operis boni, ſed abſolutè ſubſtantiæ actus charitatis, quæ ex ſuo conceptu petit immobilitatem, & ad conſecutionem tendit ultimi finis in Deo. *Perpetuitas gloriæ habetur ex charitate.* Cæteroqui tam duratio, quàm intenſio pertinent ad circumſtantiam actus, & obſequium efficiunt magis meritorium, augentque intenſivè coronam, non tamen uſque in infinitum, quia tanti non valent.

287 INSTABIS: Principio finis correſpondet; hominis beatitudo habet principium; quia homo non ſemper fuit beatus: ergo finem habere debet.

CONTRA: ex S. *Thoma* ad 3. loc. cit. — Beatitudo habet principium ex con„ditione participantis, ſed caret fine prop„ter conditionem boni, cujus participatio „facit beatum: unde ab alio eſt initium „beatitudinis, & ab alio eſt, quòd caret fine.

288 OBJICIES 4. Deus, ſecluſo miraculo, præſtat rebus concurſum ſecundùm rerum naturas; namque omnia ſuaviter diſponit: beatitudinis natura exigit non durare æternaliter: ergo Deus non conſervabit eam in æternum. *Declaratur minor.* Omnis perfectio ineſt perfectibili ſecundùm modum ipſius; homo ſuapte natura eſt mutabilis: ergo beatitudo ineſt illi mutabiliter.

RESP. *nego min.* Beatitudo eſt perfectio hominis, omnem defectum a beato excludens: ergo advenit immobiliter, tanquam participatio divinæ beatitudinis, ejuſque æternitatis mutationem tranſcendentis omnem. Quare beatitudo non eſt menſuranda cum tempore, ſed æternitate; nam quæ ſunt ad tempus, quandoque ſunt, quandoque non ſunt, 4. Phyſic. text. 117 *Beatitudo menſuratur æternitate.*

289 DICES: Non minùs Divina Eſſentia eſt æterna, quàm Divina beatitudo. Ex eo, quòd gratiæ ſit divinæ participatio naturæ, non participat ſubjectivam æternitatis immobilitatem: ergo neque beatitudo, quamvis ſit participatio divinæ beatitudinis, participat ſubjectivam immobilitatem æternitatis. Præſertim quòd gratia viæ, & patriæ ſunt ejuſdem omnino rationis, & modus conſummationis nihil addit intrinſecum: ergo incorruptibilitas, ſi eſt intrinſeca gratiæ conſummatæ, debet eſſe etiam intrinſeca gratiæ non conſummatæ, vel è contra.

CONTRA: Gratiæ eſt intrinſeca incorruptibilitas; ſed ratione ſtatus non ſemper illam ſubjecto communicat. In ſtatu viæ illam non poteſt animæ tribuere: ſecus in patria. *Gratia petit dirigi lumine gloriæ.* Ratio eſt; quia in ſtatu viæ ſtat ſub cognitione obſcura divini boni, adeoque ſubjectum non perfectè expletur. Verùm in patria dirigitur clara Dei cognitione, ratione cujus ſubjectum perfectè expletur, & ideo ſuam immobilitatem tribuit.

290 INSTABIS: Gratia ex ſuo conceptu eſt indifferens ad ſtatum viæ, &

patriæ : ergo ex ſuo conceptu non eſt immobilis : ergo cùm ſtatus nihil intrinſecum ſuperaddat , in utrovis ſtatu debet eſſe omnino mobilis .

CONTRA : Gratia ex ſua conceptu non eſt indifferens ad hanc , vel illum ſtatum ; namque poſcit , ut claro Dei lumine dirigatur , & per accidens lumen Fidei obſcurum ſubſtituitur . Anima rationalis ex ſuo conceptu elicit operationes omnino ſpirituales , utpote ſpiritualis ſubſtantia habens ſtatum a corpore independentem . Quia tamen eſt etiam corporis forma , ab ipſo in ſuis dependet operationibus . Ita è gratia ex natura ſua eſt participatio Divinæ Eſſentiæ , habens ſtatum per ſe immobilitatis . Sed utpote neceſſaria ad meritum per accidens eſt mobilis ; cùm ſtatus , & via meriti ſit propter terminum præmii .

291 URGEBIS: *Status beatificus ſe habet ad hominem tanquam ad ſubjectum extraneum; ſed forma in ſubjecto extraneo recepta ammiſſibiliter habetur : ſicuti patet in calore , qui in ſubjecto connaturali eſt inamiſſibiliter · ſcilicet in igne , amiſſibiliter in aqua , quæ extraneum eſt ſubjectum : ergo ſtatus beatificus amiſſibiliter informat .*

CONTRA : Forma dupliciter ad extraneum ſubjectum ſe habet elevativè , & purè receptivè . Rurſus forma elevativa poteſt a ſubjecto participari perfectè, & imperfectè . Quando forma elevativa ſecundum ſuam eſſentiam eſt incorruptibilis , & perfectè participatur ab extraneo ſubjecto , tunc non informat amiſſibiliter ; quia ipſum efficit ſubjectum incorruptibile , cùm illud in perfecta participatione expleat . Id declarari poteſt exemplo ſubſiſtentiæ divinæ inamiſſibiliter terminantis naturam humanam , cujus appetitum explet . Status verò beatificus perfectè a Beato participatur ; illum ſiquidem perfectè ſatiat , cùm ſit ſummi boni poſſeſſio , illumque ad ſuam trahit corruptibilitatem . Exemplum de calore aquæ non probat ; quandoquidem calor non ſit in aqua elevativè , ſed potiùs violenter .

Quando forma inamiſſibiliter informat.

292 REPLICABIS ; Quomodocumque participetur , ſtatus beatificus participatur ùt quid indebitum , utpote quid ſupernaturale; ſed hoc ipſo non eſt illi debita perpetua conſervatio : ergo . *Explicatur minor* . Cui non debetur fieri , nec debetur conſervari . Lumen beatificum , & viſio correſpondens habent eſſe indebitum homini quoad fieri : ergo etiam quoad conſervari . E contra quia calor debetur igni quoad fieri , eſt etiam debitus quoad conſervari . Ratio a priori eſt ; quia de accidentis eſſentia eſt ineſſe ſubjecto ; eſt enim entis ens, & ideo ejus menſura quoad debitum, vel indebitum eſt penes ſubjectum ; atque adeo ex parte ſubjecti metimur , an accidens ſit ſupernaturale , vel naturale , ac per conſequens ab eodem metiendum eſt , an conſervatio ſit debita , vel indebita .

CONTRA : *neg. min.* , ad cujus probationem dico : accidens dupliciter ſubjecto indebitum eſſe , vel ſubjiciendo ſe , vel ſibi ſubordinando ſubjectum . Quando accidens ſubordinatur ſubjecto , ùt charitas viæ , tunc eſt indebita perpetua conſervatiò, quando verò ſibi ſubordinat perfectè ſubjectum , tunc conſervatio non eſt illi indebita , ſed ad ſuam immobilitatem trahit ſubjectum . Lumen verò gloriæ , & viſio ſibi perfectè ſubjiciunt ſubjectum , ideò debitum conſervationis non eſt attendendum penes ſubjectum , ſed penes formæ communicatæ exigentiam . Hinc ſolvitur exemplum de calore ignis . Ipſe enim eſt accidens naturale metiendum ex ſubjecti exigentia . Supernaturalitas autem explicatur per exceſſum ad exigentiam naturæ , & per conſequens ſecundùm comparationem ad ſubjectum ; incorruptibilitas poſtmodum attenditur penes formæ exigentiam , ſi perfectè informat , ùt facit viſio totaliter perficiens , & explens ſubjectum .

Lumen , & viſio ſibi perfectè ſubjiciunt ſubjectum.

293 SUBSUMES : Subjectum relictum a forma in potentia ad alia non participat perfectè formam ; ſed intellectus , & voluntas ſub viſione , & fruitione ſunt in potentia ad alia : ille ad cognitiones aliarum rerum a Deo , hæc ad aliarum rerum amorem : ergo non perfectè expletur ſubjectum , cùm perfectè non participet formam .

RESP. *diſting. maj.* , quod eſt in potentia ad alia contraria formæ non participet formam perfectè , *concedo majorem* : quod eſt in potentia ad alia ſubordinata formæ , & ab ipſa imperata , *nego maj.* Cognitiones , & volitiones objectorum, quas habere queunt Beati, ſubordinantur Deo clarè viſo , & ſummè dilecto , immo ab ipſo imperantur , ſeu ipſamet forma beatifica hoc petit ad majorem extenſivam ſubjecti perfectionem .

294 OBJICIES 5. Homo ſub forma beatifica eſt in potentia ad oppoſitum : ergo non eſt in ſtatu perpetuæ felicitatis , nec exigit in eo ſemper conſervari . Deus enim quemque donis gratiæ perficit ſecundùm proprium naturæ ordinem . *Explicatur antecedens* . Homo ſub forma beatifica ſuas retinet intrinſecas perfectiones ; ſed intrinſeca perfectio hominis eſt libertas ad amandum , & non amandum : ergo ſub forma beatifica ſtat libera voluntas ad rejiciendam Dei viſionem . Cui conſonat D. Thomas *quæſt. 22. de verit. art. 6.* in corpore , ubi agens de voluntate quoad velle , & non velle, ait — „ Quantum ad primam ineſt libertas voluntati in quolibet ſtatu naturæ reſpectu cujus„ libet objecti —

RESP. *neg. ant.* , cujus probatio evincit nihil . Libertas ad peccandum non eſt intrinſeca perfectio voluntatis . Non ergo ei auferitur perfectio per hoc , quòd peccandi potentia auferatur . Nec deterior fit ea eo , quòd libertas ſpecificationis , & exercitii proximè impediatur . Nam voluntas libera eſt in his , quæ pertinent ad finem , ſecus circa ultimam finem , ejuſque poſſeſſionem ; quia unumquodque naturaliter cupit eſſe beatum . Quare hoc ipſo , quòd intellectus hominis poſſidet Deum ſummum bonum , neceſſariò voluntas rapitur in ejus amorem . *S. Thomam* explicant aliqui pro omni ſtatu naturæ in via, non autem in termino , quæ expoſitio eſt contra textum . Nam explicans ibidem tertium caput , circa quod voluntas

Libertas ad peccandum nō eſt perfectio voluntatis.

luntas eſt libera, velle ſcilicet bonum, & velle malum, inquit voluntatem non eſſe liberam circa quodlibet objectum, nec in quolibet naturæ ſtatu, ſed in eo dumtaxat, in quo deficere poteſt. Cùm ergo in primo ponit pro omni ſtatu naturæ, comprehendit etiam ſtatum termini. Hac igitur omiſſa reſponſione, ajo, *Angelicum* loqui de velle, & nolle circa quodlibet objectum, & in quolibet ſtatu, ſed non ſecundùm quamlibet conſiderationem. Circa divinam bonitatem qua talem neceſſariò diligit: non ita circa eandem, ùt eſt ratio diligendi creaturas, & ideo habet velle, & non valle.

295 DICES: ſicuti voluntas habet ab intrinſeco activam actionem, Ita èt neceſſariam; ſed voluntas nihil habet intrinſecum ex eo, quòd intellectus clarè Deum videat ſupra id, quod habebat in via: ergo non agit neceſſariò.

RESP. Voluntatem intrinſecè realiter nullam recipere entitatem per hoc, quòd clarè Deum videat, ſed ex diverſa repræſentatione objecti immutatur in modo operandi. Cùm enim ex natura ſua verſetur circa bonum, & in bonum ultimum feratur naturali impetu, hinc fit, ùt ad claram propoſitionem, & præſentiam Summi Boni rapiatur omnino, expleaturque totaliter in ſuo deſiderio. Intellectus abſque ullo intrinſeco ſuperaddito variatur in modo agendi ex diverſo modo propoſitionis objecti: ſi objectum proponatur ſub immediata connexione prædicati cum ſubjecto, abſque diſcurſu fertur in aſſenſum: ſi verò proponatur ſub mediata connexione prædicati cum ſubjecto, fertur diſcurſu in aſſenſum: ſi obſcurè proponatur verum infinitum, non convincitur; ſecus, ſi clarè. Dic idem de voluntate circa bonum.

Intellectus variatur in operando ſecundùm diverſam objecti propoſitionem.

296 INSTABIS. Diverſitas approximationis non variat actionem, nec ſtatum liberi, vel neceſſarii, ſed intenſionem actionis. Hinc ignis applicatus materiæ, quæ meliùs poſſit calefieri, producit quidem intenſiorem actionem, ejus tamen ſubſtantiam, & ſtatum non variat; ſed clara Dei viſio eſt ſolùm melior approximatio: ergo non variat ſtatum liberi, & neceſſarii, ſed eſt dumtaxat charitas intenſior reſpectu charitatis in via. Et ratio eſt; quia conditio pura non variat rerum naturas.

CONTRA. In viſione Dei duo ſunt, primùm trahere, ſeu approximare objectum, & afferre claritatem approximationis. Ex vi attractiva approximatio eſt pura conditio, nec modum variat agendi: juxta vim clarificativam non eſt conditio pura; nam ea claritas convincit potentiam, cui objectum proponitur abſque mali admixtione tam in ſe, quàm in ejus uſu, & poſſeſſione; unde non habet indifferentiam ad velle, ac nolle.

297 URGEBIS. Clara Dei viſio ideo voluntatem cogit Deum amare, quia Deus repræſentatur ſub nulla mali ratione, utpote infinitum bonum; ſed actus amoris non eſt bonum infinitum, cùm actus charitatis non ſit infinitus: ergo in eo non repræſentatur omnis ratio boni: ergo eſt libera ad non velle.

CONTRA. Amor non eſt bonum infinitum entitativè, eſt tamen fruitivè: hoc ſufficit, ut nulla mali ratio appareat. Hoc ipſo quòd eſt fruitio ſummi boni, nullum genus mali involvit: nec voluntas poteſt ab amore deſiſtere propriæ libertatis utendæ causâ, quandoquidem talis uſus non ſit bonum, niſi propter finem quemquam rationabilem. Cùm autem in Patria nulla ſuppetere poſſit ſufficiens ratio ceſſandi ab amore, profectò ageret imprudenter, ſi deſiſteret. Imprudentia verò cùm in illo ſtatu nulla ſit, nullo modo poteſt contingere, ut eſſet voluntas ab amoris actu.

Amor eſt bonum infinitū fruitivè.

CONTROVERSIA XI.

ADVERSUS ANTROPOMORPHITAS, NECNON MAXIMINUM, CELSUM, ALIOSQUE HÆRETICOS.

AN STATUS ANIMARUM COMPLEATUR PER CORPORALEM DIVINÆ ESSENTIÆ VISIONEM.

298 QUidam aſſeruere corporeis oculis Divinam inſpici Eſſentiam poſſe, animarumque felicitatem poſt reſurrectionem complendam corporea Dei viſione. Sic *Antropomorphitæ* ſenſerunt, ſomniantes Deum eſſe quoddam corpus: cui blaſphemiæ aliqui ex *Arianis* aurem adhibuere, præſertim *Maximinus*, contra quem diſputatum eſt ab Auguſtino *lib. 3. cap. 26.*, ab Athanaſio in *Nicæno Concilio*, qui etiam orationem contra eos habuit, qui Deo corpus affingerent: Perſonam Filii corporalibus oculis cerni poſſe cum *Maximino* docuit Novatianus *lib. de Trinitate*, & alii antiquiores, quos impugnat Irenæus *lib. 4. cap. 37.*, & Celſus *lib. 7.* adversùs *Origenem* de hoc errore calumniatur Ortodoxos.

299 DICO tamen: *Felicitas Animarum non complebitur corporali Divinæ Eſſentiæ viſione.* PROB. 1. ex Scripturis. Viſibilitas, & inviſibilitas accipitur literaliter in ordine ad oculum corporeum metaphoricè, quod propriè de intellectu dicitur; ſed Scripturæ abſolutè, & expreſsè affirmant Deum inviſibilem: ergo oculis corporeis non videbitur poſt reſurrectionem. *Minor pluries habetur*: Exod. 33. v. 20. *Non enim videbit me homo, & vivet*: 1. Joan. 4. v. 12. *Deum nemo vidit unquam*: 1. ad Timoth. 3. v. 16. *Qui . . . . lucem inhabitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*: Ibid. cap. 1. v. 17. *Regi autem ſæculorum immortali, & inviſibili*: ad Coloſs. 1. v. 15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis*.

EXPLICATUR I. Privatio viſibilitatis Dei in Scripturis allata ad minus vera eſſe debet in minimo viſibilitatis gradu; ſed minimus gradus viſibilitatis eſt per oculum corporeum: ergo iſte excluditur a viſione Divinæ Eſſentiæ.

EXPLICATUR II. Minor inter oculum corporeum, & Eſſentiam Divinam aptitudo eſt, quàm cum intellectu ſecundùm ſe;

atqui de fide eſt, intellectum per ſe non poſſe Deum videre: ergo. Hinc Athanaſius ad *Liberium* vocat Deum *invisibilem*, *& intactibilem*: Euſebius Cæſarienſ. *lib.* 8. *de præparat. Evangelica cap.* 2. ait, *Deum eſſe ſubſtantiam penitùs invisibilem*: Olimpiodorus in cap. 1. Job: *inaſpectibilem* appellat: Irenæus *lib.* 4. *cap.* 37., Epiphanius *hæreſ.* 70., Auguſtinus *lib.* 2. *de Trinit. cap.* 8., Nazianzenus *de fide* prope finem, Hieronymus *Epiſt.* 142. *ad Damaſum*, aliique Patres unanimi calamo hæreſim hanc explodunt.

Nulla potentia fertur extra ſuū objectum.

300 PROB. 2. Ne divinitùs quidem ferri poteſt ulla potentia extra ſpheram ſui objecti; ſed divina eſſentia excedit ſpheram objecti potentiæ viſivæ: ergo oculus corporeus ferri non poteſt in Divinam Eſſentiam. *Major* eſt primum principium, ſine quo potentiarum nulla eſt diſtinctio, & diverſitas objectorum: neque ratio ulla foret negandi pedem poſſe audire, oculum ambulare, loqui aurem, & ſic de cæteris. *Minor verò explicatur*. Objectum viſivæ potentiæ adæquatum eſt quantum coloratum; Deus non eſt quantum coloratum, cùm ſit purus ſpiritus, Joan. 4 v. 24. *Spiritus eſt Deus, Spiritus autem, neque carnem, aut oſſa habet*: Luc. 24. v. 39.: Sap 1. v. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*: ergo. Quòd autem Deus non ſit corporeus, ſed purus ſpiritus probat Auguſt. *lib.* 4. *Confeſſ. cap.* 7. Deus eſt in qualibet formalitate perfectus, cùm ſit ens primum, independens, & actus purus. Si corporeus eſſet, undequaque perfectus non eſſet; una ſi quidem pars quantitatis non eſt tota perfectio alterius partis, aut totius quantitatis: deindè vel eſt corpus non vivens, & ſic non eſt ens perfectiſſimum; nam vivens melius eſt non vivente; vel eſt corpus vivens, & ſic eſt melius id, per quod vivit: ulterius Deus movet immotus, corpus autem ab alio movetur.

Deus non eſſet ens perfectiſſimum, ſi eſſet corporeus.

HÆRETICORUM ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

301 OBJICIES 1. Job 19. v. 26. dicitur: *In carne mea videbo Deum*. Propheta loquitur de viſione poſt reſurrectionem: ergo Deus ab oculo glorificato videri poteſt: ergo animarum felicitas per corpoream complebitur Divinæ Eſſentiæ viſionem.

RESP. Aliud eſt Deum videre in carne, aliud videre per carnem. *Job* non dixit Deum per carnem meam videbo, ſed in carne mea, ideſt exiſtens in carne videbo Deum intellectuali, non autem corporali viſione. Habemus enim Deuteronomii 4 v. 12. *Vocem verborum ejus audiſtis, & formam penitus non vidiſtis*.

Videre in carne, & videre per carnem diverſificantur.

302 DICES: Job non tantùm ait ſibi Deum in carne videndum, ſed per carnem, ideoque termino immediatè copulativo ſubdit v. 27. *Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt*. Ubi adverte Prophetam clarè diſtinguere obtutum oculorum a viſione per intellectum, & tuti ſuppoſito attribuit: *Quem viſurus ſum ego ipſe*: ecce viſio ſuppoſiti. *Et oculi mei conſpecturi ſunt*: ecce viſio particularis potentiæ.

RESP. Prophetæ ſermonem de viſione eſſe Dei hominis, cujus corpus ſperabat abs ſe viſum iri tot plagis aliàs afflictum; quare dixerat antecedenti verſu: *Scio, quod Redemptor meus vivit*. Hunc ſenſum Eccleſia tribuit in Defunctorum Officio. Illa itaque ocularis viſio reſpicit Chriſti humanitatem, non Divinam Eſſentiam.

Job ſperavit videre Deum hominem.

303 INSTABIS. Eo debet ſenſu intelligi, quo dixerat cap. 42. v. 5. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*; ſed ibi ſermo eſt de oculari Dei viſione, cujus anteà fidem per auditum habuerat: ergo.

RESP. Propheta loquitur de oculo mentis, quando appellat ſupra Deum, ùt Deus eſt, juxta illud ad Epheſ. 1. v. 17. *Det vobis ſpiritum ſapientiæ, & revelationis, in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis veſtri*: aſſeritque de præſenti *oculus meus videt te*; quia de excellenti quadam loquitur Dei cognitione per donum ſapientiæ, & experimentalis dulcedinis, quæ ab ordinaria diſtinguitur cognitione fidei per auditum.

304 URGEBIS. Sub eadem accipiendus ſignificatione eſt oculus, ac caro; ſunt enim copulativa; ſed caro intelligitur in ſenſu proprio, non metaphorico; aliter incideremus in *Eutichii* errorem negantis veram carnis reſurrectionem: ergo debet etiam oculus accipi in ſenſu proprio.

RESP. Si loquamur de oculo, prout uſurpatur in cit. cap. 42., ſumi debet pro oculo mentis; litera enim, & ratio ſic cogunt explicare. Si de oculo, prout in cap. 19., ſumi debet pro corporali; verùm ibi loquitur de viſione hominis Dei. Vide infrà Object. 5.

305 REPLICABIS. Deus homo ideo videtur, quia nobiſcum convenit in forma; ſed Deus ſimpliciter acceptus nobiſcum convenit in forma: unde dicitur Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: ergo.

RESP. *nego min.* Cujus probatio continet fundamentum *Antopromorphitarum*, qui perperam ſunt Geneſim interpretati: non enim hæc ſimilitudo penes corporalia attenditur, ideo Iſaiæ 40. v. 18. habemus: *Cui ergo ſimilem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* & ad Rom. 1. v. 22. *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis*; quare imago attenditur penès animam; quapropter *Nyſſenus* Orat. 1. in locum cit. — Nihil „ profectò in forma corporis eſt, quod ejus „ imagini congruat — & *Auguſt.* Pſal. 48. Conc. ſecunda — Imago Dei intus eſt, non „ eſt in corpore, non eſt in auribus iſtis, „ quas videtis, & oculis, & naribus, & „ palato, & manibus, & pedibus, ſed eſt „ facta ubi eſt intellectus, ubi eſt mens, „ ubi ratio inveſtigandæ veritatis: ubi eſt „ fides, ubi eſt ſpes veſtra, ubi charitas „ veſtra, ibi habet Deus imaginem ſuam —

Similitudo hominis cum Deo quoad animam.

306 SUBDES. Quod capax eſt trinæ dimen-

dimenſiuuis, formâ nobiſcum convenit. Deus trinam habet dimenſionem Job 11. v. 8. A *Excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces? Longior terra menſura ejus, & latior mari.*

CONTRA *nego min.* Similitudo corporalis dimenſionis, quæ cælum, terram, infernum excedat, explicat nobis magnitudinem virtutis, quâ gaudet in ſe Deus. Sic dum exprimitur habere oculos a longe aſpicientes, brachium cum potentia, & ſimilia, depingitur ad noſtram intelligentiam omnia potens, ac ſciens Deus. Senſu nos ducimur, ac proinde ſenſibilibus exemplis ſpiritualia nobis declarat Scriptura. Porrò eandem hanc trinam dimenſionem B innuit Pſal. 138. v. 7. ſpiritualem ponit: *Quò ibo a ſpiritu tuo? & quò a facie tua fugiam?* Si fugere nuſquam a Deo poſſumus: ergo ubique Deus eſt. Id ſanè corpori non convenit.

Per corporalia explicatur Dei magnitudo.

307 ADDES: Si Deo non eſſet viſibilis forma, Moyſes non dixiſſet Exod. 33. *Oſtende mihi faciem tuam:* nec ſanè Deus ipſe negavit ſe viſibilem abſolutè eſſe, ſed dumtaxat in hac vita *Non videbit me homo, & vivet.*

Respondet Ambroſius *Offon.* 8. *in Pſal.* 118. Moyſen — Impoſſibile petiiſſe, excu„ ſabiliter tamen propter ardoris affectum: C „ putavit Deo etiam hoc eſſe poſſibile, ut „ corporeis oculis faceret id, quod incor„ poreum comprehendi; non reprehenſibilis „ hic error, ſed grata cupiditas, atque „ inexplebilis, quòd Dominum ſuum vellet „ manu tenere, & obtutu oculorum videre „ cupiebat — Dicas etiam Moyſem claram petiiſſe Dei viſionem intellectualem.

308 OBJICIES 2. Si Deus corporeo poteſt oculo percipi, de facto percipitur a Beatis; ſed eſt poſſibile: ergo. *Major* abſque dubio admittenda eſt; nam ex regula communi apud *Auguſtinum*, verba Scripturæ accipienda ſunt ad literam, quoties nullum D ſequitur inconveniens. Cùm ergo Scriptura Deum corporeis oculis viſum in terris, & videndum aſſerat in futuro, ſi hoc fieri poteſt, jam nullum eſt inconveniens, & ideo verba intelligas ſecundùm literam.

Explicatur. Tametſi Scriptura pluribi Deum aſſerat eſſe ignoſcibilem, quia tamen alibi ait a Beatis fore videndum, & hoc nullam involvit contradictionem: ita componimus textus, ut dicamus priora loca loqui de cognitione per vires naturales, vel de cognitione comprehenſiva: poſteriora de quiditativa cognitione per vires gratiæ: E ergo etiam quamvis alicubi dicatur Deus inviſibilis, quia tamen alibi aſſeritur viſibilis ab oculo, immo videndus, ſi hoc poteſt fieri, componenda ſunt teſtimonia, ut priora accipiantur de oculo non glorificato, & ex dono naturæ: poſteriora de oculo glorificato, & ex dono gratiæ. Deinde non eſt dubium, quin pertineat hujuſmodi viſio ad maximam perfectionem, & hominis delectationem. Ulteriùs: ſi corpus ad meritum eſſentiale cooperatur, cur non ſit etiam præmii eſſentialis particeps? Probatur nunc poſſibilis hæc viſio. Ratione potentiæ obedientialis oculus eſt capax ſpeciei A ſpiritualis: ergo capax Divinæ Eſſentiæ, ùt conſtat a pari de intellectu. *Antec.* patet ex doctrina *D. Thomæ* ponentis potentiam obedientialem in ratione univerſaliſſima entis participati; oculus habet rationem entis participati: ergo potentiam obedientialem univerſalem, adeoque etiam ad ſpeciem ſpiritualem.

RESP. *concedo maj.*, & *nego min.* Species neceſſaria ad Divinæ inſpectionem Eſſentiæ debet eſſe entis *ut ſic*, ſub quo continetur Deus clarè viſus; quia neceſſe eſt objectum viſum contineatur ſub ſpecificativo potentiæ videntis objecto, ſub quo non B continetur Deus, ſi potentia non eſt ad ens *ut ſic*. Hujus autem ſpeciei univerſaliſſimæ non eſt capax oculus corporeus; quia ſicut ratio entis modificatur a materialitate, ita ab eadem latitudo potentiæ obedientialis contrahitur.

Potentia obedientialis reſpicit ens ut ſic.

309 DICES: Tanta obedientialis potentiæ latitudo eſt in oculo, quanta eſt ratio, ob quam ſibi Deus creaturam ſubigit ad obediendum; ſed hæc eſt illimitata, & abſtrahit a differentiis: ergo. *Explicatur minor.* Ratio, ob quam Deus ſibi ſubdit obedientiam creaturæ, eſt ratio entis univerſaliſſimi elevati ſupra modum differentiarum, ùt docet *D. Thomas* 3. p. quæſt. 75. C art. 4. v 3. — Virtute agentis finiti non „ poteſt forma in formam mutari, nec ma„ teriam in materiam; ſed virtute agentis „ infiniti (quod habet actionem in totum „ ens) poteſt talis converſio fieri, quia „ utrique formæ, & utrique materiæ eſt „ communis natura entis —

RESPONDEO: In potentia obedientiali aliud eſt conſiderare rationem, a qua fundatur, & rationem, quæ agit. Prima ratio certè eſt ens *ut ſic*; potentia tamen obedientialis non agit ùt ſeparata a peculiaribus creaturæ prædicatis, ſed ùt illis D conjuncta. Hinc fit, ut prædicata particularia ſæpenumerò impediunt, ne obedientialis potentia feratur in quemlibet effectum: & ita accidit in caſu noſtro.

Potentia obedientialis impeditur a prædicatis particularibus.

310 INSTABIS. Ratio, ob quam creaturæ obediunt Deo; adeo ſupra particulares naturas eſt elevata, ut Deus poſſit agere contra naturalem earum inclinationem abſque violentia: ergo a prædicatis particularibus non impeditur univerſalitas hujuſmodi potentiæ. *Ant.* habetur ex D. Thoma *quæſt. 1. de potentia art. 3. ad 1., & 3. contra Gentes cap. 100. ratione prima, & ſeq.*

CONTRA. *Concedo antec.* in ſenſu exE plicando. Utique naturis ineſt inclinatio ad obediendum Deum contra ſingularum propriam inclinationem, quatenus ſuo actu privari poſſunt, & admittere contrarium, ut ſuccurrant communi bono, v. g. quòd aqua aſcendat, lapis non deſcendat; ſed tamen non poteſt hoc effici in potentiis immanentibus ab intrinſeco operantibus, ut ſcilicet ferantur in objecta contenta extra ſpheram ſuæ activitatis, v. g. voluntas cognoſcat, intellectus amet; & hoc ideo eſt, quia cùm ſe moveant ab intrinſeco, neceſſe eſt, ut ab intrinſeco habeant eſſentialem

Inclinatio obedientialis ad quid ſe extendat.

ſaltem

ſaltem cummenſuratiunem cum ubjectu, & actu, ad quæ divinitùs elevantur: oculus corporeus eſt potentia vitalis, ac per conſequens determinata ad objectum cuntentum intra ſuam ſpheram.

311 URGEBIS. Nun minùs eſt extra ſpheram ſpecificativam potentiæ viſivæ ſpecificatæ a culurato Deus, quàm divina ſubſiſtentia extra ſpheram ſubſtantiæ creatæ ſpecificatæ a creata, & humana ſubſiſtentia, ſi natura ſit humana; ſed materialitas humanitatis nun Impedit, quominus elevetur natura materialis ad ſubſiſtentiam divinam: ergo neque materialitas uculi corporei impedit viſionem Divinæ Eſſentiæ.

CONTRA: *neg. conſeq.* Humanitas ad divinam ſubſiſtentiam ſe habet ut terminabile purè paſſivum; ideo nun debet in ſua eſſentiali commenſuratiune divinam continere ſubſiſtentiam: ſufficit in ipſa cuntineri, abs qua aſſumitur. Cæterùm activè vitaliter fertur oculus In actum, & ubjectum; ideo neceſſe eſt, ut in ſua contineat eſſentiali habitudine ubjectum attactum.

312 REPLICABIS. Aqua naturalis in ſua habitudine eſſentiali non continet actiunem ſpiritualem, nec gratiam ſupernaturalem; ſed nihiluminus activè concurrit ad productionem gratiæ in Baptiſmu: ergu etiam ſi oculus activè ſe habeat ad viſionem ferri puterit in Deum.

CONTRA: *diſtinguo min.* Concurrit activè inſtrumentaliter, *concedo*, principaliter, *nego*. Aqua in Sacramento agit activè inſtrumentaliter, hoc eſt ùt purè mota, non ùt ſe movens. Aquæ prupterea ſufficit capacitas paſſiva deferendi actionem principalis agentis. Oculus ad viſiunem ſe habet vitaliter ùt ſe movens, & in ſua proinde activitate radicalis contineat oportet objectum viſum.

313 SUBDES. Ut in eſſentiali habitudine oculus contineat Deum, ſufficit ei generica ratio cognoſcitivi, etſi ratio differentialis materialis ſit. Quemadmudum ut intellectus humanus cuntineat in eſſentiali habitudine actum ſupernaturalem, ei ſatis eſt, ut ſub generica ratiune ſit intellectivus; quamvis differentialis ratio ſit naturalitas; atqui oculus corporeus in ratione generica eſt cognoſcitivus: ergo.

CONTRA: *diſt. ant.* Ratiu generica cugnuſcitivi ſpiritualis, *concedo*, materialis, *nego*. Sicuti duplex eſt genus Corporis, & Spiritus: ita ſub utruque ſuum genus cuntinetur coguuſcitivum cum ſuis differentiis. Oculus curporeus eſt cognoſcitivus ex generica ratione curporis, quæ ad Deum videndum non eſt ſatis, cùm debeat repræſentari ſub ſpecie abſtrahente a materia, vel uniri immediatè per ſe ipſam. Secus evenit in generica ratiune intellectus, quæ quia ſpiritualis eſt, cuntinet ſub ſe objectum abſtrahens a materie.

Genus corporis non continet ſub ſe ſpirituale.

314 OBJICIES 3., & potes vim addere priuri argumentu. Ut oculus Deum comprehendat ſub eſſentiali ſua habitudine, ſufficit, quòd Deus virtualiter eminenter ſit culuratus; ſed Deus eſt virtualiter eminenter culuratus: ergu. *Major prob.* Ut Deus ſit efficienter calefactivus, ſufficit, quòd ſit virtualiter eminenter calidus: ergo ut ſit viſibilis, ſufficit, ut ſit virtualiter eminenter coloratus; nam quud facit genus effectivum efficienter, facit èt ubjectivum genus objectivè.

CONTRA: *nega ant.*, ad cujus probationem *nego conſeq.* propter diſparitatem in hoc poſitam, quòd genus effectivum operatur dando aliquid ſui, non autem dando immediatè ſe ipſum, undè ſufficit continentia virtualis. Objectum autem nun concurrit dando aliquid ſui, ſed ſe ipſum extrinſecè. Quamobrem ut terminat actum potentiæ, tanquam quid attactum, debet eſſe in eudem genere formaliter, in quo eſt ſphera potentiæ.

315 OBJICIES 4. Non repugnat oculum corpureum elevari ad videndum corpus Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, quamvis prout in Sacramento eſt inextenſum ſub exiſtentia ſupernaturali; aliuqui non puteſt prout in Sacramento videri. Ergo nun obſtante ſumma Dei incurporeitate eum poterit uculus corporeus intueri. *Antecedens* eſt D. Thomæ 4. *ſentent. diſt.* 10. *quæſt.* 1. *queſtiunc.* 1. *ad* 1.

RESP. *nega conſeq.* Diſparitas eſt, quia Chriſti Corpus ùt in Euchariſtia eſt verè quantum coluratum, quamvis indiviſibiliter exiſtens; & ideo eſt intra ubjecti ſpheram, quod potentiam viſus ſpecificat.

Corpus Chriſti in Euchariſtia eſt coloratum.

316 OBJICIES 5. Deus ſecundùm Apoſtolum *lucem inhabitat inacceſſibilem*; ſed lucidum eſt viſibile: ergo Deus eſt viſibilis.

RESP. Deum inhabitare lucem ſpiritualem, quæ nun cadit ſub potentia curporali viſus.

317 DICES: oculus corporeus lumine gloriæ afflatus, ſecundùm Apoſtolum fiet ſpiritualis non quidem in entitate: ergo in virtute: ergo attingere poterit lucidum ſpirituale.

RESP. *negando ſubſumptum*. Oculus in eſſe puteutiæ erit corporeus ejuſdem omninu rationis, quà nunc eſt, ac per conſequens non attingit niſi corporea. Spiritualis erit virtute, quatenus incorruptibilitatis ſtatum acquiret.

Oculus glorificatus ſpiritualis in virtute.

318 INSTABIS: Auguſtinus *de Civitate Dei l.22. c.29.* tenet oculum glurificatum acutiuris eſſe intelligentiæ, ut Divinam Eſſentiam pertingat — Longè itaque alterius „ erunt puteutiæ, ſi per eos videbitur in„ corporea illa natura, quæ non continetur „ locu, ſed ubique tota eſt . . . fortaſſe „ magna iſta virtus cernendi data fuit ad „ horam etiam in iſtu murtali corpore ocu„ lis Sancti viri *Job*, quando ait ad Deum „ . . . . tunc autem oculus meus vidit „ ſe —

RESP. *Auguſtinus* nun poteſt ſibimet adverſari cùm *Maximini* hæreſim diſtrictè impugnet, & etiam de Trinitate cap. 8., Epiſt. 111., 174., & 178.. Dices igitur *Auguſtinum* de Civitate Dei ſubdubiè loqui; mox enim dixit — Dici itaque, quòd viſuri „ ſint Deum in ipſo curpore, ſed utrumque „ ipſum, ſicut per corpus nunc videmus „ ſolem,

„ ſolem, lunam, ſtellas, mare, ac terram, „ & quæ ſuut in ea, non parva quæſtio eſt -- Attamen *Auguſtinus* in eo textu reſolutoriè aſſerit Deum conſpici ab oculo glorificato ſicut aliquod viſibile per accidens, quo nempe modo vitam hominis conſpicimus, quæ ſenſu uon percipitur, ſed ſtatim cum ſenſu ab aliqua alia virtute cognoſcitiva: hæc *Auguſtini* mens elucet ex ejuſdem verbis -- „ Sed ſicut homines, inter quos viventes, „ motuſque vitales exercentes vivimus, mox „ ut aſpicimus, non credimus videre, ſed „ videmus -- Vide, quæ ex eodem *Auguſtino* dicentur infrà.

319 URGEBIS. Si Deum viſuri ſunt, quo ſolùm modo vitam alterius videmus: ergo in effectibus ſolùm viſibilibus creaturarum videbunt. Hoc non vult *Auguſtinus* apertè loquens de viſione oculari Dei utique præſentis -- Non ſicut nunc inviſibilia „ Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta „ conſpiciuntur --

RESP. *nego min.* Non ille verbis *Auguſtini* eſt ſenſus. Nunc per corpora viſibilia ratiocinaudo conſpicimus Deum quaſi abſentem; ideo videmur Deum potiùs credere, quàm videre. Tunc res aliter ſe habebit; nam cognoſcemus per viſibilia, ùt præſentem, ac velut immediatè propter perſpicuitatem intellectus, & divinam claritatem in corporibus innovatis. Videns igitur oculus beati divinum hunc ſplendorem, intellectus oculo conjunctus fertur immediatè in divinæ præſentiæ cognitionem, & hoc eſt videre, non credere: quod ipſum explicatur exemplo hominum, quos videbimus, & non credimus velut abſentes.

Quomodo oculus videat Deum.

320 Loca Scripturarum, ubi Deus dicitur a Prophetis viſus, ùt Iſai. 6. v. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium*, explicantur a Patribus de viſione imaginaria, aut intellectuali, & plurima explicari poſſunt de viſione corporali, quatenus viderunt aliquando Angelos in corporeo aere repræſentantes Deum, ùt accidit Abraham, & Lot. Solvuntur itidem, quæ Veteres producebant ex Gen. 32. v. 30. *Vidi Deum facie ad faciem*: & Exod. 33. v. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem*: ea igitur procedunt de figura Dei hominis, vel Dei in ſpecie aliqua voluntariè aſſumpta, non autem de viſione corporea in ſenſu Adverſariorum. Viſus in figura hominis cum Jacob luctari eſt Deus, docente *Auguſtino* epiſt. 112. editionis antiquæ. Per aſſumptam aliquam creaturam corporalem, per quam voces fierent, ad Moyſem locutus eſt Dominus, qui propterea incenſus eſt deſiderio videndi eum viſione intuitiva dicens: *Oſtende mihi faciem tuam*: ſic explicat ibi *Auguſtinus*, & Pſal. 138. v. 6. ad illa verba: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*: & licèt Sanctus Doctor *lib. quæſtionum in Exod.*, *lib.* 2. *de Trinit. cap.* 13., *& ſer.* 7. de Scripturis veteris, & novi Teſtamenti poſtremæ editionis Pariſienſis aſſerat, probabile eſſe Dei Filium Moyſi in rubo apparuiſſe, 3. tamen *de Trinitate cap* 10. profitetur Deum ùt in ſe eſt, Patriarchis, & Prophetis in viſioue corporali non viſum -- Secundùm ſpiritum Dei miſſum nobis de altiſſimis, & „ impartitam ejus gratiam in mentibus no- „ ſtris, audeo fiducialiter dicere, nec Deum „ Patrem, nec Verbum ejus, nec Spiritum „ ejus, quòd Deus unus eſt, per id quod „ eſt, atque idipſum eſt, ullo modo eſſe „ mutabilem, ac per hoc multò minùs eſſe „ viſibilem -- Et fuſiùs idem probat in adducto principio, omne viſibile eſſe mutabile, quod Divinæ Eſſentiæ repugnat, additque auctoritatem *Apoſtoli* ad Hebræos 1. v. 5., quòd Angeli ſunt adminiſtratorii ſpiritus ad miniſterium miſſi. Nec inde arguas Angelos ſecundùm ſubſtantiam eſſe viſibiles; nam hoc *Auguſtinus* non intendit, cùm ratio de mutabilitate valeat etiam pro ſubſtantiis ſeparatis, quæ cæteroqui apparebant ſub aliqua corporea figura.

Angelus Moyſi apparuit.

Mox *Auguſtinus* ſibi objicit -- Sed ait „ aliquis, cur ergo ſcriptum eſt, dixit „ Dominus ad Moyſen, & non potiùs: „ dixit Angelus ad Moyſen? & reſpondet; „ cum verba Judicis præco pronuntiat, non „ ſcribitur in geſtis, ille præco dixit, ſed „ ille Judex: ſic etiam loquente Propheta „ Sancto, Propheta dixit, nihil aliud, quàm „ Dominum dixiſſe intelligi volumus, & ſi „ dicamus, Dominus dixit Prophetam, non „ ſubtrahimus, ſed quis per eum dixerit, „ admonemus -- Hæc ex *Auguſtino*, tametſi *Juſtinus Martyr* in Dialogo cum *Triphone*, *Irenæus* lib. 4. adverſus hæreſes, *Theodoretus* quæſt. 5. in Exodum ſtent ex oppoſito.

In eundem ſenſum exponuntur textus Luc. 2. v. 29., & 30. *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*: & cap. 3. v. 6. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei*: & Pſal. 33. v. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur.* Senex Simeon vidit ſalutare Dei, nempe Chriſtum, quem inter ulnas tenens prophetico afflatus lumine ſic appellavit: non ille divinam corporeo obtutu inſpexit eſſentiam, ſed Chriſti humanitatem. Chriſtum itidem in corpore contuebuntur ſub extremum diem judicandi: ita *Auguſtinus* lib. 22. de Civit. cap. 29., ubi eundem Pſalmum exponens -- „ Fide, *ait*, quippe acceditur ad Deum, „ quam cordis conſtat eſſe, non corporis --

Salutare Dei Chriſtus eſt.

321 Hinc robur accedit reſponſo, quod dedimus ſuperius, nempe quidquid *Auguſtinus* in dicto capite de Civitate attulit, non reſolutoriè, & affirmativè protuliſſe, ſed ex quadam ſuppoſitione, & per modum inquiſitionis. Nam melior Dei viſio, quam ait fore in corpore glorioſo, conſiſtit in eo, quòd clariſſimè beatus certior fiet, quòd Deus ubique præſens ſit, & corporalia quoque gubernet, quam certitudinem hauriet non ex viſione terminata ad Divinam Eſſentiam, ſed ad corpora innovata, qua proportione ſcimus homines vivere, non quòd animam videamus, ſed motus ſenſibiles externos, quos vivus homo elicit.

Hæc pateſcunt ex contextu -- Quamo- „ brem fieri poteſt, *ſic ibi de Civit. habetur*, „ valdeque credibile eſt ſic nos eſſe viſuros „ mundana tunc corpora cœli novi, & ter- „ ræ novæ, & Deum ubique præſentem, „ & uni-

„ & univerſa etiam corporalia gubernantem, „ per corpora, quæ geſtabimus, & quæ „ conſpiciemus, quaquaverſum oculos duxerimus, clariſſimâ perſpicuitate videamus; „ non ſicut nunc inviſibilia Dei per ea, „ quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, „ per ſpeculum in ænigmate, & ex parte, „ ubi plus in nobis valet fides, quâ credimus, quàm rerum corporalium ſpecies, „ quam per oculos cernimus corporales; ſed „ ſicut homines, inter quos viventes, motuſque corporales exercentes vivimus, mox „ ut aſpicimus, non credimus vivere, ſed „ videmus, cùm eorum vitam ſine corporibus videre nequeamus, quam tamen in „ eis per corpora, remotâ omni ambiguitate, „ conſpicimus — Quare *lib. de Civit.* non receſſit a ſententia, quam conſtanter docuit in Epiſtolis; & quamvis *lib. 2. Retract. c. 2.* hanc quæſtionem difficillimam vocet: ſe fatetur tamen ſatis eam explicaſſe de Civitate: *Satis quantum arbitror explicavi*, modo ſcilicet mox indicato. Porrò *Auguſtinus* de ſe humiliter ſentiens conſuevit in diſputationibus necdum perfectè examinatis de ſua ſententia metuere, quam animadverteret ſolidis utcunque rationibus innixam haud ſatis accipi ab iis, qui docti viderentur. Ideo mos illi erat, ut reaſſumens quæſtionis ejuſdem elucubrationem efficacia argumenta promeret, objectis redderet ſanas reſponſiones, ſed eos dicendi modos inſpergeret, ut videretur ſibi minùs fidere, alieno ſe judicio ſubmittere, ſe dumtaxat inquirendæ veritatis gratiâ diſputare, remque indagine altiori dignam profiteri, quod, ùt conſtat ex Epiſt. 12. ad *Paulinam*, & 112. de hac materia, ubi tamen argumenta proponit mentem ſuam dilucidè explicantia, eâdem utitur diſcurrendi modeſtiâ eo loco de Civitate; & propterea cuipiam videtur haud ſatis quæſtioni feciſſe: tametſi ibidem manifeſtiſſimè pandit perfectam in Patria oculi corporei viſionem fore, ſupponens interim argumenta, quæ demonſtrant corporalem Divinæ Eſſentiæ viſionem nullatenus poſſe admitti. Et ut illuſtrior explendeſcat mens S. Doctoris, breviter ſubnectam argumenta, quibus ad hoc probandum utitur *Epiſt. 6. ad Italiam*.

Modus procedendi in quæſtionibus probandis Auguſtini.

322 I. Omne viſibile corporeis oculis debet eſſe in loco circumſcriptivè; hoc modo non eſt Deus — Hoc autem oculus „ videre corporis, neque nunc poteſt, neque tunc poterit: omne quippe, quod „ oculis corporeis conſpici poteſt, in loco „ aliquo ſit, neceſſe eſt, neque ubique ſit „ totum, ſed minore ſui parte minorem locum occupet, & majore majorem. Non „ ita eſt Deus inviſibilis, & incorruptibilis, „ qui ſolùm habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem, quam nemo „ hominum vidit, nec videre poteſt —

Deo aſſimilari nequit homo.

323 II. Inde Deum videre poteſt homo, unde poteſt illi ſimilis eſſe *Joann.* 3.; ſed Deo aſſimilari corpore nequit homo: ergo — In tantum ergo videbimus, in „ quantum ſimiles ei erimus, quia & nunc „ in tantum non videmus, in quantum diſſimiles ſumus: inde igitur videbimus, unde „ ſimiles erimus. Quia autem dementiſſimus dixerit corpore nos vel eſſe, vel futuros eſſe ſimiles Deo? —

Deus non diſtat ab oculo.

324 III. Oculo corporeo non videntur niſi ea, quæ aliquantulum diſtant, unde oculus non videt ſe ipſum; Deus autem non diſtat ab oculo: ergo — In quibus „ verbis certè ſi corporalem faciem voluerimus accipere, conſequens erit, ut etiam „ Deus talem habeat faciem: & ſit aliquod „ intervallum inter noſtram, & ipſius, „ cùm eum videbimus facie ad faciem. „ Et ſi intervallum, utique finis, & membrorum habitus terminatus, & cætera abſurda, „ dictuque, & cogitatu impia — & poſt pauca — Dicunt enim quidam eorum, qui „ talia garriunt, quantum ad me potuit „ pervenire. Nos Deum videre nunc mente, tunc corpore; itaut etiam Impios „ eum pari modo aſſeverent eſſe viſuros: „ vide quantum in pejus proficiunt, cùm ſine „ limite timoris, vel pudoris hac, atque „ illac vagabunda fertur impunita loquacitas. Antea dicebant carni ſuæ tantùm „ hoc præſtitiſſe Chriſtum, ut corporeis oculis videret Deum: deinde addiderunt „ etiam omnes Sanctos, receptis in reſurrectione corporibus, eodem modo eſſe viſuros: nunc jam iſtam poſſibilitatem etiam „ Impiis donaverunt. Donent ſanè quantum volunt, & quibus volunt: nam quis „ audeat contradicere hominibus de ſuo „ donantibus? Qui enim loquitur mendacium, de ſuo loquitur. Tu autem cum „ his, qui ſanam doctrinam tenent, nihil „ iſtorum audeas uſurpare de ſuo; ſed cùm „ legis: Beati mundo corde, quoniam ipſi „ Deum videbunt, intellige Impios non „ viſuros; neque enim beati, & mundo „ corde ſunt impii. Item cùm legis: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, „ tunc autem facie ad faciem. Intellige; „ inde nos tunc viſuros facie ad faciem, „ unde videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: hoc autem utrumque interioris „ hominis munus eſt, ſive cùm in iſta peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, „ in qua utimur ſpeculo, & ænigmate, „ ſive in illa Patria, cùm per ſpeciem contemplabitur. Pro qua viſione poſitum eſt „ facie ad faciem. Audiat caro carnalibus „ ebria cogitationibus, ſpiritus eſt Deus, „ & ideo qui adorant Deum in ſpiritu, „ & veritate oportet adorare: ſi adorare, „ quantò magis videre? —

325 IV. Objicit ſibi: potuit Chriſtus oculis ſuis præſtare, ut videat Patrem, an non potuit? Hoc derogat Divinæ Omnipotentiæ: ergo. Et reſpondet — Cur ſolis oculis „ corporeis Chriſti hoc donum attributum „ eſſe contendunt, non etiam cæteris ſenſibus? Sanus ergo erit Deus, ut poſſit „ auribus percipi? Et halitus erit, ut ſentiri poſſit olfactu? & liquor erit, ut poſſit, „ & bibi? Et moles erit, ut poſſit, & tangi? Non inquiunt: quid ergo? An illud „ poteſt Deus, & hoc non poteſt? Si non „ poſſe dixerint, cur derogant Omnipotentiæ „ Dei? Si poſſe, & nolle reſponderint, cur „ ſolis oculis favent; invident autem cæteris ſenſibus Corporis Chriſti —

326 V.

326 V. Dei viſio eſt merces fidei per dilectionem operantis, & ideo per eam mundantur corda, & per eam exercetur animus; ſi verò corporeis oculis Deus eſſet viſibilis, per eam mundandus, & exercendus eſſet ſenſus — Ad hoc enim fide corda noſtra
„ mundantur, quia nobis fidei merces viſio
„ Dei promittitur. Quæ ſi per corporeos
„ oculos erit, fruſtrà ad eam percipiendam
„ Sanctorum animus exercetur, immo verò
„ tam perverſi ſentiens non in ſe exercetur,
„ ſed totus in carne eſt; ubi enim tenacius
„ habitabit, & fixius, niſi unde ſe Deum
„ viſurum eſſe præſumit? —

Iſtis argumentis in ea Epiſtola inſurgit adversùs opinantes corporeis oculis videndum Deum poſt reſurrectionem ad imitationem Chriſti, quem corporali viſione Deum intueri affirmabant.

Si non poſſumus videre in nobis charitatem, neque Deum videre poterimus.

327 VI. Argumentum deſumitur ex eodem *Auguſtino*: Charitas, quæ in nobis eſt, corporali obtutu a nobis non videtur. Multò minùs ergo videbitur Deus, qui gratiæ ſupereminet. Et Epiſt. 112. tria pro hac veritate teſtimonia ex *D. Hieronymo* producit, aliaque tria ex *D. Ambroſio* ibi videnda.

328 Totus itaque *Auguſtinus* in eo eſt, ut Deum conſtituat intuitivè viſibilem oculo mentis ob indiſtantiam potentiæ, & objecti, quæ eſt inter intellectum creatum, & Deum. Licèt intellectus ſit contractus ad eſſe finitum; invenit nihilominus in Deo infinito rationem ſui motivam, nempè ens intelligibile. Et quia infinitas non dicit entis privationem, ſed excellentiam; ideo non extrahit a ſphera objecti intelligibilis, nec diſtrahit rationem motivam, & ſpecificativam. Quapropter non eſt neceſſe, ut ſpecificans intellectualem potentiam ſit aliquid finitum cum objecto infinito, etſi non inſit finitas, reperitur tamen ratio motiva, res nempe ipſa, quæ eſt infinita; ita tamen ut ratio ſpecificans ſit ſola ipſa res attacta, quæ eſt infinita. Infinitas autem reduplicativè non pertinet ad formale ſpecificativum, ſed eſt ratio eidem adnexa. Aliter cognitio eſſet infinita, ſicuti de cognitione patet ipſius Dei, ad quam utraque formalitas reduplicativè concurrit ad ſpecificationem. Cæterùm potentia corporea nullam rationem motivam, & ſpecificativam reperit in ente non corporeo ſive finito, ſive infinito, adeoque oportet, ut intra ſpheram determinatam corporei detineatur. Poteſt oculus ad ſpiritualem aliquam elevari producendam qualitatem, ùt de Sacramentis dicitur, non tamen ut per eam attingat vitaliter objectum non corporeum.

Finitas intellectus non impedit Dei viſionem.

329 Si quas *Tertulliani* ſententias nanciſcere, quæ probare videantur hominem oculo materiali poſſe Deum conſpicari, nil nervorum habent. Vel enim ipſe in hæreſi ea fuit, ut crederet Deum corporeum, ùt *Tertullianum* ſenſiſſe adſtruit *D. Thomas* 1. contra Gentes cap. 20. Vel ſi cum *Auguſtino* lib. de hæreſibus. Ad quod vult Deum cap. 86. ab hoc errore vindicetur, per hoc, quod nomine corporis velit indicare ſubſtantiam, dicendum eſt, quòd *Tertullianus* velit videri poſſe ex effectibus, non autem in ſe.

CONTROVERSIA XII.

CONTRA PELAGIUM, TERTULLIANUM, ALIOSQUE HÆRETICOS.

AN RATIONALIS ANIMA PER TRADUCEM PROPAGETUR.

Auguſtinus de origine Animæ dubius fuit.

330 VAriæ eccleſiaſticorum Doctorum fuerunt ſententiæ de animarum origine uſque ad decretum Lateranenſis Synodi, immo in Occidentali Eccleſia illa frequentiùs propugnabatur, quæ animam ex traduce aſſerebat: unde *Auguſtinus* Epiſt. 157. ad *Optatum* Epiſcopum requiſitus — Utrùm ſcilicet animæ, ut cor-
„ pora propagatione naſcantur, ſintque ex
„ illa una, quæ primo homini creata eſt,
„ an Creator Omnipotens, qui utique uſque
„ nunc operatur, ſine ulla propagatione
„ novas faciat ſingulis proprias: de qua re
„ antequam aliquid admoneam, ſinceritatem
„ tuam ſcire volo in tam multis opuſculis
„ meis nunquam me fuiſſe auſum de hac
„ quæſtione definitam proferre ſententiam —
Dubitavit *S. Eucherius* Lugdunenſis Epiſcopus, ſive alius ſub ejus nomine in cap. 3. Gen. —
„ Utrùm, *inquit*, ſicut caro naſcentium ex
„ carne, ſic animæ ex animabus, an novæ
„ ſemper creentur ex nihilo? Quæ quæſtio
„ in definiendo difficilis eſt, quia nihil a
„ Sanctis Viris, vel Scripturarum auctori-
„ tate manifeſtius pronunciatum eſt — Anceps hæſit *Julianus Pomerius* in 4. librorum, quos de Anima exaravit. Pependere animis etiam Catholici Epiſcopi in Sardinia exules VI. Seculo in Epiſtola ſynodica Byzantium miſſa. Ambiguus item fuit *S. Fulgentius* lib. 3. de veritate Prædeſtinationis, & Gratiæ cap. 18., 19., & 20. *Gregorius Magnus* ſe pendentem animi oſtendit lib. 7. Epiſt. 54. ad Secundinum inquiens — Gravia
„ enim quæſtio eſt, nec valet ab homine com-
„ prehendi — Inter alios pleroſque in hac ambiguitate verſatos obiter adnota inſignem *Dallæi* audaciam, qui lib. de vero uſu Patrum nævum *Auguſtino* impingit, quod propendere ſit in eam ſententiam viſus, quæ animam ajebat ex traduce. Si nihil ab Eccleſia definitum ii Patres compererant, annon iis erat fas veritatem quæſtionibus inquirere?

Redarguitur Dallæus.

Hoc tamen advertas: utcunque ambigeret de animæ origine, nemo tamen eorum corpoream ſenſit — Hactenus autem
„ diximus ſine periculo latere animæ origi-
„ nem, ut non tamen eam partem Dei eſſe
„ credamus, ſed creaturam: nec de Deo
„ natam, ſed ab illo factam, atque in ejus
„ genus adoptandam mirabili dignatione gra-
„ tiæ, non parili dignitate naturæ; nec
„ eam corpus eſſe, ſed ſpiritum, non Crea-
„ torem utique, ſed creaturam — Hactenus ex *Auguſtino* in ea epiſtola ad Optatum. *Tertulliani* quidem ſententiam de anima materiali ita cit. loco ſugillat *Auguſtinus* — Nam
„ & illi, qui animas ex una propagari
„ aſſerunt, quam Deus primo homini de-

Z 2 „ dit,

„ dit, atque ita eas ex parentibus trahi
„ dicunt, ſi Tertulliani opinionem ſequun-
„ tur, profectò eas non ſpiritus, ſed cor-
„ pora eſſe contendunt, & corpulentis ſe-
„ minibus exoriri — Et lib. de Hæreſibus
ad Quod vult Deum hæreſ. mihi 86. — Di-
„ cit ſanè ipſe animas hominum peſſimas
„ poſt mortem in Dæmones verti, ſtatum
„ autem animæ credit per traducem propa-
„ gari — *Alphonſus de Caſtro* titulo de Ani-
ma hæreſ. 5. hujus erroris auctorem facit
Tertullianum — Alii autem dicunt animam
„ filii fieri ab anima Patris, quemadmodum
„ corpus ex corpore hujus erroris auctor eſt
„ *Tertullianus* —

331 DICO: *Animam rationalem per tra-
ducem non propagari*. PROB. 1. eodem modo
nunc propagatur anima rationalis, quo fuit
condita ab initio. Tunc fuit immediatè a
Deo producta, & materiæ diſpoſitæ infuſa:
ergo etiam nunc. *Minor* patet ex Gen. 2.
Diverſa productio animæ, & corporis. v. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem
de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpi-
raculum vitæ, & factus eſt homo in animam
viventem*: hic diverſimodè proponitur pro-
ductio corporis, & animæ. Formatur illud
ex materia præexiſtente *de limo terræ*: anima
verò materiæ diſpoſitæ infunditur immediatè
a Deo: *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum
vitæ*. Pro ſpiraculo vitæ Patres cum *D. Tho-
ma* univerſi intelligunt animam rationalem;
unde additur: *Et factus eſt homo in animam
viventem*. Inter hoſce *Chryſoſtomus* hom. 11.
in Gen. — Inſpiravit .... Vitalem dicere
„ vult operandi efficaciam; ei, qui de terra
„ formatus eſt, ſpiraculum datum eſſe, &
„ hoc ſubſtantiam animæ conſtitutam, *unde
„ ſubdit*, & factus eſt homo in animam vi-
„ ventem —

Major autem propoſitio explicatur *primò*
ſic. Quia corpus ab initio ex præexiſtente
materia formatum eſt, ſemper ex materia
produci patet non ſolùm in hominibus ge-
nitis, ſed etiam in ipſa Eva ex coſta Adæ
educta. Ergo quia anima ab initio fuit
immediatè a Deo producta, ſemper ab eo-
dem pariſurmiter producitur: ùt evincitur
ex *Sancto Ambroſio* in Pſal. 118. ſupra Con-
trov. XI. *Secundò*. Ex quo anima ad ima-
ginem Dei facta eſt, quælibet anima eſt
hujuſmodi: ergo. *Tertiò*. Ex diverſo modo,
quo cæteræ animæ viventium ibi produci
dicuntur: habet enim Scriptura Gen. 1. v.
20. *Producant aquæ reptile animæ viventis*, &
ſic de cæteris: de rationali verò animæ non
dicitur: producant eam aliæ cauſæ; ſed
ipſemet Deus *inſpiravit*: ſic *D. Thomas* 2.
contra Gentes cap. 8. ratione 5.

332 PROB. 2. Singulas animas Deus
producit ex nihilo; ſed quod producitur ex
nihilo, non fit per traducem: ergo. *Prob.
maj.* Zachariæ 12. v. 1. habemus: *Et fin-
gens ſpiritum hominis in eo*: ubi gloſa *Nico-
lai* — Quia anima a Deo creatur, & in-
„ funditur corpori organizato — Sap. 15.
v. 11. *Quoniam ignoravit, qui ſe finxit, &
qui inſpiravit illi animam*: gloſa ejuſdem —
„ Solus infundendo eam per creationem —
Eccleſ. 12. v. 7. *Revertatur pulvis in terram
ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum,
qui dedit illum*: gloſa interlinearis — Re-
A „ vertatur corpus in terram ſuam, & ani-
„ ma redeat ad eum qui dedit illam: non
„ eſt enim de traduce — Pſal. 32. v. 15.
Qui finxit ſigillatim corda eorum: gloſa inter-
linearis — Hic deſtruitur quorumdam hæ-
„ reſis, qui dicebant in Adam ſimul omnes
„ animas eſſe creatas — ideſt in virtute
traducendi unam ex altera.

333 DICES: Poſſe reſponderi cum *Au-
guſtino* ad Optatum prædictis evinci animas
a Deo produci — Utrum enim cùm fingit,
„ ex alio fingat, an ex nihilo, incertum
„ eſt — ad textum *Eccleſiaſtes*, ſic paritèr
ex adverſariis reſpondet — Sicut enim no-
B „ ſtrum corpus, *inquiunt*, quamvis ex pri-
„ mo illo corpore propagatum ſit, eo ta-
„ men redit, unde ipſum primum corpus
„ effectum eſt: ſic anima noſtra, quamvis
„ ex illa anima propagata, non ad nihi-
„ lum, quia immortalis eſt, ſed ad illum
„ redit, a quo prima ipſa anima facta eſt —
& concludit textum hunc non invictè pro-
bare in tam obſcura, ac perplexa quæ-
ſtione.

CONTRA: Hæc ſubtilis ſolutio ex
Auguſtino petita, ſi penitiùs expendatur, ſatis
apertè catholicam, quam intendimus, ve-
ritatem comprobat, ſicuti *Hieronymus Augu-
C ſtino* oſtendit: textus igitur Zachariæ dicit:
Et fingens ſpiritum hominis in eo; fingens de
præſenti ipſe non finxit ad denotandum, *Quid importat fingens de præſenti.*
quòd de præſenti producitur. Deinde ait:
Hominis in eo: non ex eo, non ab eo, quia
materiæ diſpoſitæ infundit; fingit Deus etiam
corpus, at non in eo, ſed ex eo: textus
Sapientiæ, habet: *quoniam ignoravit, qui ſe
finxit, & qui inſpiravit illi animam, quæ
operatur, & inſufflavit ei ſpiritum vitalem*:
loquitur hic Scriptura de impiis hominibus,
qui ad idololatriam declinaverunt, & de
iſtis dicit: *Inſpiravit illi animum, & inſuffla-
vit*: uterque terminus eſt expreſſivus: *Inſpi-
D ravit, inſufflavit* ſignificant cauſalitatem ſpe-
cialem a Deo ſupra cauſalitatem, quam
exercet in corpus per traducem efformatum.
Termini poſtea *illi*, & *ei* important non ex
illo, non per illum, ſed puram paſſivam
receptionem ex parte hominis; & eſt ea-
dem phraſis, qua utitur Scriptura ad expli-
candam perductionem animæ primi Paren-
tis, quæ utique fuit immediatè a Deo pro-
ducta, ergo idem ſignificat in aliis produ-
ctionibus. Ulteriùs ibidem v. 8. loquens
de corpore habet: *Ille qui paulo ante de ter-
ra factus fuerat*; *De terra* en cauſalitas tra-
ducis. Tertia ſolutio non cohæret cum toto
E contextu: in nihilum quidem animæ immor-
talis reſolvi non debet, ſed ſi ex anima
Adæ immortali fieret, ſpiritus hominis re-
diret ad hanc immortalem animam: ſicuti
corpus utpote ex terra corruptibili efforma-
tum, in terram corruptibilem redit. Quare
concordantia paritatis in textu aſſumpta hæc
eſt: pulvis in terram revertitur, quia ex
illa, & per illam immediatè eſt effectus:
ergo anima redit ad Deum, utpote ex illo,
& ab illo immediatè procreata. Et hoc re-
ctè deducitur ex verbis, quæ aſſerunt ani-
mam redire ad Deum Creatorem ſuum;
quia

Perfectio rei in unione cum ſuo principio.

quia Deus primum ejus principium, & finis eſt ultimus. Perfectio cujuſque rei tunc habetur, quando ad ſuum unaquæque principium revertitur, vel per ſimilitudinem, vel quovis modo. Primum ſanè principium, & ultimus finis ſibi adinvicem correſpondent, eùmque ſolus Deus immediatè ſit ultimus cujuslibet animæ finis, ſequitur, ut Deus ſolus immediatè ſit primum ejuſdem principium: hæc fermè eſt doctrina ex *Angelico* decerpta eo loco contra Gentes ratione quinta. Ultimus textus: *Qui finxit ſigillatim corda eorum*: *corda eorum* dicitur in plurali, ut intelligatur loqui de animabus omnium hominum: *ſigillatim*, quia ſingulas ipſe producit, non unam ex altera: *ſigillatim* pariter, quaſi ſingulariter, quia ſpeciali concurſu: equidem cætera, quæ in antecedentibus verſiculis ponuntur ab eo facta, ab ipſo immediatè facta ſunt: ibi enim dicitur: *Qui intelligit omnia opera eorum; quem elegit in hæreditatem ſibi: qui reſpexit de cœlo ſuper filios hominum*: unde *Hieronymus* — Sigillatim, „ ideſt non ex Adam, ùt quidam dicunt, „ anima ex anima —

CORROBORATUR ex Iſaia 57. v. 16. *Non enim in ſempiternum litigabo, neque uſque ad finem iraſcar: quia ſpiritus a facie mea egredietur, & flatus ego faciam*: gloſſa interlin. — „ Ideſt animam — & *Procopius* vertit — Quia „ & ſpiritum vivificantem ego tribuo, & „ animam creo, indignum eſt, ut æternaliter pereant — In hoc textu, ſive verſione verba magnam vim expreſſivam habent. *A facie mea egredietur*; hic modus exprimit immediatam egreſſionem, & cauſalitatem a Deo. *Ego faciam*: denotat ly *ego* ſingularem influxum. *Flatum* in plurali, & indefinitè; quia non unam Adæ animam, ſed ſingulorum hominum ſolus producit. Quia cauſalis, cur non iraſcetur in æternum, ideſt non projiciet a beatitudinis conſecutione, eſt, quia ipſe eſt primum principium; ac proindè ſicut ſolus Deus eſt finis, ita ſolus Deus eſt principium.

334 *Alphonſus de Caſtro* ſupra citatus ad tollendam vim textuum dicit, plus eſſe creare, quàm fingere, quod idem eſt, ac ex alio componere; ſed creare non ſemper ſignificat fieri ex nihilo, ſicuti ex Pſal. 50. v. 12. *Cor mundum crea in me Deus*, & tamen cor præexiſtens habebat: ergo multò minùs fingere ſignificat facere ex nihilo.

Hoc reſponſum non urget. Quoties in Sacra Scriptura adhibetur Verbum creatio, ſemper ex nihilo aliquid fieri denotatur. Petit *David* cor non phyſicum, ſed morale purum, & mundum, quod peccato inquinaverat. Et quia peccatum inducit demeritum, ideo petit ſibi cor myſticum, quamvis careat merito. Concedimus utique verbum illud fingere ſolitariè acceptum eſſe minùs expreſſivum, quàm verbum creare, ſed ex contextu determinatur ſæpè ad ſignificandam creationem, ùt in caſu noſtro. Deum tamen animam creatam infundens dicitur figulus, ſeu compoſitor, non *ex quo*, ſed *cum quo*; quia ex corpore genito, & ſpiritu creato fit hominis compoſitum.

Quare Deus infundens animam dicitur figulus.

335 PROB. 3. Si Anima per traducem fieret, ſicut homo dicitur Pater carnis; ita diceretur Pater ſpiritus; per Scripturam eodem modo non dicitur: ergo. *Minor* præclarè habetur ad Hebræos 12. verſ. 9. *Deinde Patres quidem carnis noſtræ, eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multò magis obtemperabimus Patri Spirituum, & vivemus?* Hic Apoſtolus alium agnoſcit Patrem corporis, alium animæ. Si autem anima per traducem fieret, eodem modo diceretur homo Pater carnis, ac ſpiritus. Adverte: ubi agit de Patre carnis, pluralem uſurpat numerum *Patres quidem carnis*; quia tot ſunt Patres, quot ſunt, qui Filios generant: ubi de Patre ſpiritus, ſingulari contentus eſt *Patri ſpirituum*: quia animarum unus eſt omnium, & ſolus Deus. Ab *Angelico* hoc diſce argumentum loc. 2. — „ Eſt autem hæc prima differentia Dei Patris ad Patrem carnalem: homo enim „ generat hominem quantum ad corpus, „ non quantum ad animam, quæ eſt per „ creationem, & non traducitur . . . Deus „ autem excellentius eſt Pater noſter, ſci„ licet quantum ad animam, quam imme„ diatè creat — Eccleſiaſt. ultimo: *Spiritus redeat ad eum, qui dedit illum*. Ad propoſitum adducitur v. 15. cap. 31. Job: *Numquid in utero fecit me, qui & illum operatus eſt: & formavit me in vulva unus?* Eſt ergo aliquid in homine, quod unus ſolus efficit; ſed hoc non poteſt eſſe corpus, quod ſimul ab homine efformatur: ergo debet eſſe anima. Adducitur etiam illud 2. Machab. 7. v. 22. *Neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis & vitam*; ſed ex hoc non adeo efficaciter probatur, quia ſubditur, *& ſingulorum membra non ego ipſa compegi*: & tamen ad membrorum efformationem mater concurrit.

Alius Pater carnis, alius Spiritus.

336 PROB. 4. Ut *Tertullianus* defendit animam fieri per traducem, aſſerit eſſe corpoream, ùt patet ſupra ex *Auguſtino*; ſed certum eſt, & definitum animam rationalem eſſe ſpiritualem, & non corpoream: ergo certò dici debet animam non fieri ex traduce. Porrò generalis regula eſt: quando Concilia, & Scriptura aliquam propoſitionem condemnant ùt hæreticam, eodem modo damnatæ intelliguntur omnes illam neceſſariò conſequentes, implicantes, & inferentes. *Minor* habetur pluribus in locis Sacræ Scripturæ Eccleſiaſtes 3. v. 21. *Quis novit ſi ſpiritus Filiorum Adam aſcendat ſurſum?* Luc. 23. v. 46. Chriſtus ad Patrem dixit: *In manus tuas commendo Spiritum meum*: & antea dixerat in horto, *Spiritus quidem promptus eſt*, ideſt anima, *caro autem infirma*: & cap. 24. v. 39. ad Apoſtolos loquens: *Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum: palpate, & videte: quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet*: & Paulus deſcribens pugnam carnis, & animæ: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*.

Anima rationalis eſt ſpiritualis.

Athanaſius tract. de definitionibus cap. de anima, & mente — Quapropter anima „ quoque ductu intellectus imaginatur ſu„ perna, & quæ illic ſunt, quærit, appe„ tit, & deſiderat, quoniam illinc habet „ creationem ſuam — *S. Hilarius* 10. de

 Trinit.

Trinit. ante medium — Cum anima homi-
„ nis opus eſt Dei, carnis verò genetatio
„ ſemper ex carne ſit . . . ſed ùt per ſe ſibi
„ aſſumpſit ea Virgine corpus, ita ex ſe
„ ſibi animam aſſumpſit: quæ utique nun-
„ quam ab homine gignentium originibus
„ præbetur —

Nazianzenus carmine de Anima.

En quæ primigeni fuerit ſtructuræ Parentis;
Poſt autem in reliquis carnes ex carnibus ortum
Ducunt: Exterius mens verò illapſa latenter,
Pulvereaque mole ſeſe conjungit, ut ille
Novit, qui primum effigiem cum carne ligavit.

Hieronymus in Comment. Pſalm. 32. v. 26. — Quidam hoc locum mendaciter
„ ad illud referunt, quòd animam ex ani-
„ ma exiſtiment eſſe generatam, & in Adam
„ omnium animas contineri — & Epiſt. ad *Pamachium* adversùs errores Joannis Jeroſolymitani — Omne genus humanum, qui-
„ bus animarum cenſentur exordiis? utrum
„ ex traduce juxta bruta animalia? ut quo-
„ modo corpus ex corpore, ſic anima ge-
„ neretur ex anima . . . . an certa, quod
„ Eccleſiaſticum eſt . . . — hinc affert aliquas Scripturas ſuperiùs datas, atque concludit — Quotidie Deus fabricet animas,
„ cujus velle feciſſe eſt, Conditor eſſe non
„ ceſſat —

Ambroſius in Symb. Apoſt. c. 18. — Quo-
„ tidie Deus Majeſtatis in plaſmatis jam cor-
„ poribus animas facit, & infundit — Idem lib. de Paradiſo cap. 11., *Cyrillus Alexandrinus* lib. 1. in Joannem cap. 9. — Oppor-
„ tunè igitur, atque juſtè non peccare in
„ hac carne jubemur, quoniam eo cœpimus
„ eſſe tempore, quo una cum corpore in
„ hunc Mundum venimus, ac quaſi a loco
„ quodam a nihilo ad eſſe pervenimus —

Joannes Chryſoſtomus Hom. 13. in Geneſ. cap. 2. — Et vide etiam in hoc ipſo,
„ quàm diverſa ratione hoc admirabile ra-
„ tionale animal, & cætera irrationalia
„ formata ſint. De illis enim inquit, pro-
„ ducant aquæ reptilia animarum viventium,
„ & prodierunt ex aquis animantia animata;
„ ſic & de terra, producat terra animam
„ viventem: de homine autem non ſic; ſed
„ prius de pulvere corpus formatur, &
„ poſtea vitalis illi virtus datur, quæ ſci-
„ licet animæ eſt ſubſtantia, & idcircò de
„ brutis dicebat Moyſes: ſanguis ejus ani-
„ ma ejus eſt; in homine autem ſubſtan-
„ tia quædam eſt incorporea, & immor-
„ talis —

Auguſtinus licèt dubitaverit de origine animarum lib. 10. de Gen. cap. 23., in laudata tamen Epiſtola, quam poſteriùs ſcripſit, ſic de opinantibus animam ex traduce ait — Qui animas ex illa una propagari
„ aſſerunt, quam Deus primo homini de-
„ dit, atque ita eas ex parentibus trahi
„ dicunt, ſi *Tertulliani* opinionem ſequun-
„ tur, profectò eas eſſe non ſpiritus, ſed
„ corpora eſſe contendunt . . . Quò per-
„ verſius quid dici poteſt? —

S. Leo Epiſt. 93. ad Turibium c. 10. —
„ Omnes eos Catholica Fides a corpore
„ iuæ unitatis abſcidit conſtanter prædi-
„ cans, atque veraciter, quòd animæ ho-
„ minum, priuſquam ſuis inſpirarentur cor-
„ poribus, non fuere, nec ab alio incor-
„ porentur, niſi ab opifice Deo, qui &
„ ipſarum eſt Creator, & corporum — Si ab alio non incorporantur: ergo non a Parentibus.

Concilium Lateranenſe ſub LEONE X. inter alia de anima rationali habet — Cùm
„ illa non ſolùm verè, & per ſe, & eſſentia-
„ liter forma humani corporis exiſtat, ſicut
„ in Can. CLEM. V. in Generali Viennenſi
„ Concilio edito continetur, verùm & im-
„ mortalis, & pro corporum, quibus in-
„ funditur, multitudine ſingulariter multi-
„ plicabilis, & multiplicata, & multipli-
„ canda ſit — Infunditur corporibus: ergo non traducitur.

HÆRETICORUM SOLVUNTUR ARGUMENTA.

337 OBJICIES 1. ſecundùm Scripturam Deus *requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat* Gen. 2. v. 2.; ſed cum hoc non ſtat, quòd quotidie creet novas animas: ergo dices in prima Adæ omnes alias produxiſſe animas, relinquendo virtutem producendi animas ex anima, ùt corpora ex corporibus: ſic *Tertullianus* apud D. Auguſt. Epiſt. 28. ad Hieronymum.

RESP. *nego min.* Haudquaquam Scriptura dicit eum ceſſaſſe ab omni opere abſolutè, ſed ab opere, quod patrarat. Reſponſio eſt *D. Thomæ* 1. quæſt. 118. art. 3. ad 1. — Deus
„ dicitur ceſſaſſe die ſeptimo non quidem ab
„ omni opere, cùm dicatur *Joan.* 5. Pater
„ meus uſquemodò operatur, ſed a novis
„ rerum generibus, & ſpeciebus conden-
„ dis, quæ in operibus primis non aliquo
„ modo præextiterint; ſic enim animæ,
„ quæ nunc creantur, præextiterunt ſecun-
„ dùm ſimilitudinem ſpeciei in primis ope-
„ ribus, in quibus anima Adæ creata
„ fuit —

Deus uſquemodò operatur.

338 DICES. Illud Chriſti *Pater meus operatur*, intelligitur de operatione conſervationis, & adminiſtrationis, ſecus de operatione noviter producente: quam expoſitionem habet *D. Thomas* in hunc locum Joannis; *eadem operatione ipſam naturam continendo, & conſervando.*

RESPONDEO cum D. Auguſtino *Epiſt.* 28. *ad Hieronymum*: Deus illis ſex diebus non ità produxit creaturas, ut vel omnes ex aliis faceret, vel omnes ex nihilo, & nullam ex alia: ex aquis enim produxit piſces, ex terra arbores, & fœnum: alia autem, quæ non erant, creavit. Dicitur autem requieviſſe, & ceſſaſſe, nec ultra, quæ non erant, creaſſe — Sed novas creare
„ ſingulas ſingulis ſuam cuique naſcenti,
„ non aliquid facere dicitur ante non fece-
„ rat. Jam enim die ſexto fecerat hominem
„ ad imaginem ſuam, quod utique ſecun-
„ dùm

Operatur Deus non ſolùm conſervando, ſed etiam creando.

„ dùm animam rationalem feciſſe intelligitur. Hoc, & nunc facit non inſtituendo, quod non erat, ſed multiplicando, quod erat: unde & illud verum eſt, quod a rebus, quæ non erant, inſtituendis requievit. Et hoc verùm eſt, quòd non ſolùm gubernando quæ facit, verùm etiam aliquid non quod nondum, ſed quod jam creaverat, numeroſius creando uſque nunc operatur —

339 INSTABIS: Ita Deus ceſſavit ab omni opere, ut non reliquerit aliud faciendum, addens perfectionem univerſo, & ideo dicitur Gen. 2. v. 1. *Perfecti ſunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum*; ſed novarum productio creaturarum intellectualium addit univerſo novam perfectionem: ergo repugnat.

Nova productio individuorum, non ſpecierum.

RESP. Major eſt vera de additamento ſpecificæ perfectionis: *D. Thomas* cit. p. p. ad 2. — Perfectioni univerſi, quantum ad „ numerum individuorum, quotidie poteſt addi aliquid: non autem ſecundùm numerum ſpecierum — Quòd ſi dixeris aliqua etiam quoad ſpeciem de novo producta eſſe, puta ſtellam, quæ duxit Magos ad præſepe: columbam, quæ apparuit in Jordane ſupra Chriſtum: novas ſpecies, quæ fiunt per putrefactionem, ſi qua naſcuntur ex putri, reſpondetur ex mente *S. Thomæ* — „ Quòd omnia fuerunt facta, vel cauſaliter, vel potentialiter, & materialiter, vel exemplariter; cauſaliter ſicut illa, quæ generantur per putrefactionem, quorum ratio cauſalis eſt in natura; exemplariter ſicut illa ſtella, & columba, quorum exemplar fuit in cæteris ſtellis, & cæteris columbis; potentialiter ſicut aliqua miraculosè facta, quæ nec habent cauſam in natura, nec ſimilitudinem, ſed tantùm ſunt in materia ſecundùm obedientiam, quâ Deo omnia obediunt, ut inde faciat, quidquid diſponit, & ordinat — ſic in cap. 1. Gen.

340 OBJICIES 2. Si Deus animas infunderet, etiam adulterinis conceptibus id faceret. Hoc eſt Deo indignum; nam — „ Cooperator eſt malorum hominum, & adulteris ſeminantibus corpora, ipſe fabricaretur animas — ſic *Apollinaris*.

Quomodo Deus concurrat in adulterinis conceptibus.

RESP. I. cum Auguſtino *Epiſt.* 28. *ad Hieronymum* — Non eſſe vitium ſementis in „ tritico, quod furto dicitur eſſe ſublatum, ſed in eo, qui frumenta furatus eſt, nec idcirco terram non debuiſſe gremio ſua ſemina confovere, quia ſator immundâ ea projecerit manu — Similitudinem a *Hieronymo* deſumptam elegantiſſimam vocat *Auguſtinus*.

RESP. II. cum *D. Thoma* p. p. q. 118. art. 2. ad 5. — Dicendum, quòd in actione „ adulterorum illud, quod eſt naturæ, bonum eſt, & huic cooperatur Deus, quod verò eſt inordinatæ voluptatis, malum eſt, & huic Deus non cooperatur — Quæ ſolutio eſt etiam *D. Auguſtini* loco cit.

341 OBJICIES 3. Id, quod generatur, fit per traducem; animæ generantur juxta illud Gen. 46. v. 18. *Genuit Jacob ſedecim animas*: & v. 26. *Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de fœmore illius, abſque uxoribus filiorum ejus, ſexaginta ſex*: ergo animæ per traducem propagantur.

RESP. *S. Auguſtinus* exiſtimat hoc eſſe expreſſius teſtimonium, quod poſſit favere Adverſariis, cui Epiſtola ad *Optatum* reſpondet — Ideo non ſufficeret, quoniam & ani„ mæ nomine corpus ſolùm poſſe ſignificari, modo quodam locutionis oſtenditur, quo ſignificatur per id, quod continetur illud, quod continet, ſicut ait quidam, vina coronant, cùm coronarentur vaſa vinaria — Hinc poſito alio exemplo, de Eccleſiæ, & Populo ſubdit — Ita quòd animæ „ corporibus continentur, intelligi corpora filiorum per nominatas animas poſſunt; ſic enim melius accipitur etiam illud, quod lex inquinari dicit eum, qui intraverit ſuper animam mortuam, hoc eſt, ſuper defuncti cadaver, ut nomine animæ mortuæ mortuum corpus intelligatur, quod animam continebat — Hanc dat ſolutionem ex ſuppoſitione, quòd textus ſit fœmininus, ita ut legatur *Cunctæ animæ, quæ*. Cùm autem ſit maſculinus, nulla, ùt ait, eſt difficultas; quia pro animabus veniunt tot homines. In noſtro codice, ſeu Vulgata pronomen non eſt maſculinum, ſed fœmininum, & dicitur *animæ, quæ*: licèt in primo textu maſculinum legatur, *Hos genuit Jacob ſedecim animas*, & infrà v. 25. *Hos genuit Jacob: omnes animæ ſeptem*: unde hic clariſſimè habetur, quòd uſurpatur anima pro homine, quod etiam patet ex contextu; ibi enim enumerat Scriptura, quæ ſint illæ animæ, & vocat filios, & filias *Jacob*. Alibi quoque morem hunc ſervat Scriptura, ùt Levit. 5. v. 2. *Anima, quæ tetigerit aliquod immundum*: & v. 4. *Anima, quæ juraverit, & protulerit labiis ſuis*.

Nomine animæ ſæpè intelligitur corpus.

342 DICES. Pari debet ratione dici anima generari, quia dicitur Gen. cap. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, ita ut continens accipiatur pro contento, & dicatur unà cum corpore animam generari. Sic quando dicitur, *Verbum caro factum eſt*, intelligimus Deum & animam, & corpus aſſumpſiſſe.

RESP. *negando ſequelam*. . Solùm infertur hominem generari non animam; ſicuti non concluditur generari materiam primam propter ſpeciales rationes materiæ, & animæ ſingulariter convenientes. Concedimus quidem, quandoque corporis nomine animam intelligi per ſynocdochen. Verùm concedimus in iis dumtaxat, quæ ad totum pertinent, non autem ſecundùm ea propria, per quæ diſtinguuntur, ùt in caſu noſtro. Ideo ad evincendam hanc veritatem aſſumendi ſunt illi textus, qui corpus contraponunt animæ, & è contra. In textu *Joannis* caro totum hominem complectitur, juxta illud: *Omnis caro corruperat viam ſuam*. Carnem verò potiùs dixit, quàm animam, ut *Manichæorum* præverteret errorem, qui Verbum aſſerebant corpus ſibi phantaſticum induiſſe. Vide alia ibidem apud *D. Thomam*.

343 OBJICIES 4. Illud Deo eſt tribuendum, quod eſt rationi conſentaneum; non eſt

eſt conſentaneum rationi, quòd Deus creando inſundat animas corporibus morituris, & quæ novit moritura, cùm ipſæ ſint immortales: ergo.

RESP. Duo reponit egregiè *Auguſtinus* Epiſt. 28. — Nam quod dicitur, quare fa„cit animas eis, quos novit citò morituros? „ Poſſumus reſpondere parentum hic pecca„ta, vel convinci, vel flagellari. Poſſu„mus etiam rectè illius moderationi iſta „relinquere, quem ſimus omnibus tempo„raliter tranſeuntibus rebus, ubi ſunt etiam „animalium ortus, & obitus, curſum or„natiſſimum, atque ordinatiſſimum dare — Quamobrem ait, ortus, & interitus hominum ordinari ad perfectionem Univerſi, & exemplum ſuggerit de concentu per muſicam, in quo aliquæ voces conveniunt, ut aliquando ſileant, & aliæ de novo miſceantur.

Ortus, & interitus deſervit ad ordinem univerſi.

344 OBJIC. 5. Sicut Eccleſ. 13. v. 19. dicitur: *Omne animal diligit ſimile ſibi*, ita per Philoſophos dicitur, omne animal generare ſibi ſimile in ſpecie; atqui in agentibus univocis non datur generatio ſimilis in ſpecie, niſi producant formam geniti, abs qua habetur ſpecies: ergo neceſſe eſt, ut homo producat animam rationalem.

RESPONDET *D. Thomas* lib. 2. contra Gent. cap. 89. ad 4. — Sibi enim ſimile in „ſpecie homo generat, in quantum virtus „ſeminis ejus diſpoſitivè operatur ad ul„timam formam —

In aliis autem viventibus producitur etiam anima; quia illa dependet in eſſe a materia, ſecus anima intellectiva. Advertit pariter S. Doctor, in agentibus ſubordinatis actiones terminari poſſe ad unum: ita tamen ut actio agentis principalis attingat aliquid in operato, ſeu effectu, quod non attingitur ab actione agentis minùs principalis. Exemplum addit virtutis vegetativæ, quæ perducit ad ſpeciem carnis, ad quam non perducit, niſi diſpoſitivè calor ejuſdem inſtrumentum. In productione hominis Deus ſe habet ùt cauſa principalis, homo velut inſtrumentalis, ſeu minùs principalis; & ideo poteſt Deus producere animam, & non homo.

In productione hominis Deus ſe habet, ut cauſa principalis.

345 OBJICIES 6. Ex *cap. 7. ad Hebræos* Chriſtus, & Levi fuerunt in lumbis Abrahæ, quando is decimas obtulit Sacerdoti Melchiſedech: attamen Levi decimatus eſt, non autem Chriſtus: ergo non eodem modo fuit Levi, & Chriſtus in lumbis Abrahæ; ſed Chriſtus fuit in lumbis Abrahæ ratione corporis: ergo Levi fuit in lumbis ejus ratione corporis, ſimul & animæ.

RESP. Utique diverſo modo fuit Levi, ac Chriſtus in lumbis Abrahæ: Levi ſecundùm materiam carnis, & ſecundùm rationem ſeminalem, cùm Pater, & Mater ei fuerint in terris concurrentes ad generationem: Chriſtus Matrem habuit ex progenie Abrahæ, nec per ſeminalem rationem Patris genitus eſt. Probè ergo dicitur diverſimodè Chriſtus, & Levi fuiſſe in lumbis Abrahæ. *Auguſtinus* lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 19. — „Secundùm rationem quippe illam ſeminalem ibi fuit Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in Matrem, ſecun„dùm quam rationem non erat ibi Chriſti „caro, quamvis ſecundùm illam ibi fuerit „Mariæ caro: quapropter nec Levi, nec „Chriſtus in lumbis Abrahæ ſecundùm ani„mam, ſecundùm carnem verò, & Levi, „& Chriſtus, ſed Levi ſecundùm concupi„ſcentiam carnalem, Chriſtus autem ſecun„dùm ſolam ſubſtantiam corporalem: cùm „enim ſit in ſemine, & viſibilis corpulen„tia, & inviſibilis ratio, utrumque concur„rit ex Abraham, vel etiam ex ipſo Adam „uſque ad corpus Mariæ, quia & ipſum „eodem modo conceptum, & exortum eſt. „Chriſtus autem viſibilem carnis ſubſtan„tiam de carne Virginis ſumpſit. Ratio „verò conceptionis ejus non a ſemine vi„rili, ſed longè aliter, ac deſuper venit; „proinde ſecundùm hoc, quòd de Matre „accepit, etiam in lumbis Abrahæ fuit. Ille „eſt igitur decimatus in Abraham, qui licèt „ſecundùm carnem tantùm, ſic tamen fuit „in lumbis ejus, quemadmodum in ſui Pa„tris etiam ipſe Abraham, ideſt, qui ſic „eſt natus de Patre Abraham, quemadmo„dum de ſuo Patre natus eſt Abraham, „per legem ſcilicet in membris repugnan„tem legi mentis, & inviſibilem concupi„ſcentiam, quamvis eam caſta, & bona „jura nuptiarum non ſinant valere, niſi quan„tum ex ea poſſunt generi ſubſtituendo „proſpicere — hactenùs ex *Auguſtino*.

Diverſitas inter Chriſtū, & Levi.

SOLVITUR SEPTIMUM ARGUMENTUM.

346 OBJICIES 7. Fides docet animam cujuslibet hominis infici peccato originali. Hoc fieri haud poteſt, niſi vel anima deſcendat per traducem, vel Deus damnet innocentem; hoc non poteſt concedi: ergo primum. *Minor explicatur*. Si anima non fit per traducem, nova creatur, & munda exit a Deo: ergo neceſſe eſt, ut Deus condemnet innocentem. Sic argumentatur *Pelagius* apud *D. Auguſtinum* Epiſt. ad *Optatum* — Si anima ex traduce „non eſt, ſed ſola caro tantùm habet tra„ducem peccati; ſola ergo pœnam mere„tur. Injuſtum enim eſt, ut hodie nata „anima, non ex maſſa Adæ, tam antiquum „peccatum portet alienum, quia nulla ra„tione conceditur, ut Deus, qui propria „peccata dimittit, unum imputet alienum — Hoc eſt argumentum illud, quod ita *Auguſtinum* vexavit, ut a *D. Hieronymo*, & ab aliis enixè petierit ſe edocendum.

RESP. cum *Auguſtino* contra *Julianum*. In carne, ſicut aqua in vaſe vitiato corrumpitur: Da aquam puriſſimam ex mundiſſimo erutam fonte, & eam in vas immundum projice: hoc ipſo immunda efficitur. Anima eſt aqua hæc è Domini manibus dilabens: vas immundum eſt caro filiorum Adæ, ſtatim ac ei infunditur, inficitur, & maculatur.

Sicut aqua pura in vaſe immundo vitiatur, ſic anima.

347 DICES. Corruptio aquæ tribuitur infundenti aquam puriſſimam in vas immundum: ergo animam in corpus maculatum infundenti tribuitur macula.

CONTRA. Hæc eſt altera pars ſcopuli, quam delineare ſtuduit *Auguſtinus*, ne ſcili-

cet

cet Deus diceretur auctor peccati. Cui reſpondeo cum eodem. Semen electum, ſi in terram ſpargitur, frumentum generat cum paleis, & ariſtis abſque defectu ſeminantis: ita in caſu. In productione hominis duo ſunt, id quod eſt naturæ, & id, quod eſt vitii; ad primum concurrit Deus animam infundendo, ſecus ad ſecundum. Movet Deus hominem ad entitatem actus intemperantiæ, ad quam ſequitur deordinatio, nec tamen deordinatio tribuitur Deo, ſed defectibilitati creaturæ: ſic a pari.

In productione hominis duo reperiuntur.

348 INSTABIS. Quotieſcumque Deus operatur ùt cauſa particularis in aliquem effectum, ſi in eo eſt defectus, Deo tribuitur. Hinc Angeli in primo inſtanti peccare non potuerunt, quia ſpecialiter a Deo applicabantur, & peccatum tribueretur Deo; ſed Deus creans de novo animas ſe habet ùt particularis cauſa: ergo ipſi tribuitur peccatum juxta illud, *quæ ad eſſe ſequuntur, tribuuntur generanti*.

RESP. *neg. min.* Aliud eſt, quòd ſolus Deus animam creare poſſit, aliud eſt, quòd illam creans ſe habeat ùt agens particulare. Agit ùt cauſa univerſalis providens Univerſo, quod conſervari nequit, niſi multiplicentur homines. Infundit animam ad exigentiam agentis naturalis, qui diſponit ultimatè ad formam hominis, quæ diſpoſitio cùm ſit infecta, inficit animam. Sic *D. Thomas* 1. 2. quæſt. 81. art. 1. ad 2. — Dicen„ dum, quòd etſi anima non traducatur, „ quia virtus ſeminis non poteſt cauſare „ animam rationalem, movet tamen ad ip„ ſam diſpoſitivè: unde per virtutem ſemi„ nis traducitur humana natura a parente „ in prolem, & ſimul cum natura naturæ „ infectio: ex hoc enim fit iſte, qui na„ ſcitur conſors culpæ primi Parentis; quia „ naturam ab eo ſortitur per quandam „ generativam motionem — Vide noſtros Salmaticenſes tract. 7. de Angelis diſp. 10. n. 13. in ſolut. ad 1.

Deus ùt cauſa univerſalis creat animam.

349 URGEBIS. Non poteſt anima per hanc motionem infici verâ culpâ, niſi ipſa comprehendatur in corrupta Adæ maſſa, ſicuti caro ipſa; ſed hoc ipſe neceſſe eſt, ut fiat per traducem. Nam ſicuti caro corrupta eſt in illa prima carne; ita anima corrupta eſt in illa prima anima: ergo ſicut corruptio carnis traducitur ab illa prima; ita corruptio animæ ab illa prima traduci poteſt.

RESP. *concedo maj.* Anima, quæ in Adæ maſſa non eſſet comprehenſa, naſcendo non inficeretur peccato: ſcriptum eſt enim ad Rom. 5. v. 12. *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Negatur autem *minor*, loquendo de traduce phyſico animæ ab anima; ſtat enim optimè aliunde produci, & per unionem ad carnem infectam actu contrahere maculam. Sin vero loquatur de traduce morali, conceditur *minor*, ſiquidem peccatum Adæ imputatur parvulis naſcentibus media voluntarietate morali, qua in ipſo, & cum ipſo peccavere.

Homines peccaverunt in Adam.

350 REPLICABIS: Non ſtat moralis traductio abſque phyſica traductione animæ ab anima; moralis enim voluntas eſſe nequit abſque parvulorum præexiſtentia; nemo enim velle aliquid poteſt, niſi exiſtat; atqui anima puerorum non extabat in ſe formaliter: ergo debet extitiſſe virtualiter in Adamo, quatenus inerat ei virtus propagandarum animarum eodem modo, quo corpora exiſtebant.

RESP. *neg. maj.* Ad probationem dico: non fuit neceſſe, ut exiſterent in ſe parvuli, ſed in alio tantùm, nec in illo phyſicè quoad animam, ſed dumtaxat moraliter, quatenus voluntas Adæ reputabatur parvulorum voluntas; unde, eo peccante, peccarunt èt ipſi, & quando gignuntur, maculam contrahunt ex ſemine propagatam.

Voluntas Adæ parvulorum voluntas reputabatur.

351 SUBSUMES: Anima propriè, & phyſicè in ſe inquinatur: ergo aliquo debuit modo phyſico exiſtere; ſed non potuit aliter eſſe, quàm in virtute animæ primæ ad alias producendas: ergo.

RESP. Anima in ſe propriè, intrinſecè phyſicè, hoc eſt, vera labe, vera privatione gratiæ inficitur, *concedo*: in ſe per voluntarietatem propriam, *nego*: per voluntarietatem in alio, & ſibi imputatam *concedo*. Aliud eſt *maculari* in ſe: aliud per voluntarietatem in ſe: primum eſt concedendum, quia Tridentinum ſancit peccatum originale eſſe unicuique intrinſecum. Secundùm eſt negandum; quia voluntarietas in ſe neceſſaria eſt ad maculam perſonalem. Ad originalem autem ſat eſt voluntarietas in alio, ſcilicet in capite, abs quo deſcendit.

Anima verè maculatur.

Explico breviter difficultatis nodum, quem tangit *D. Auguſtinus* lib. 10. de Gen. ad literam cap. 11. — Non videmus, quid „ aliud poſſit intelligi, niſi unumquemque „ parvulum non eſſe niſi Adam & corpo„ re, & unione . . . proinde ibi anima in„ nocentiſſima eſt, ſi ex Adam propagata „ non eſt — Declarandum igitur eſt, quomodo parvulus ſit Adam animâ, & corpore: attamen anima non fiat per traducem, ad cujus intelligentiam.

Sciendum I. Homines, qui naſcuntur, ſunt & perſonæ particulares, prout ad invicem actualiter diſtinguuntur, & membra unius myſtici corporis humani, quatenus participant humanam naturam in ſpecie ab primo principio media motione generativa ex proportionali ratione, qua in corpore naturali ſub uno principio movente plura membra conſtituunt unum corpus phyſicum.

Sciendum II. In hominibus duplex habetur motio voluntaria phyſicè, & moraliter. Phyſicè, ſeu perſonaliter voluntarium illud eſt, quod a propria perſona exit per propriam voluntatem actualem. Moraliter voluntarium illud eſt, quod non ex propria voluntate actualiter inexiſtente, ſed a voluntate alterius reputata illius, cui voluntarium moraliter tribuitur.

Duplex motio alia phyſica, alia moralis.

Sciendum eſt III. Dupliciter fieri poteſt, ut voluntas unius reputetur voluntas alterius: primò per hoc, quòd ego vices meas, & voluntatem meam alteri commiſerim, ùt cùm quis alteri committit occiſionem inimici: ſecundò per hoc, quòd ſupe-

Transfertur voluntas in alium dupliciter.

ſuperior transferat ſubditorum voluntatem in voluotatem unius in his, quæ ſibi ſubjicinntur: ùt per leges volnntas pupilli translata eſt in voluntstem tutoris, ita quòd perveniens ad debitam ætatem tenetur ſtare contraćtibus, qnos tutor fecit ſecundùm juris formam: ſicut voluntas filii impuberis translata eſt in volnntatem Patris quoad teſtari in quibuslibet bonis.

Supremum Dei dominiũ in noſtras voluntates.

Sciendum eſt IV. Noſtra volnntas in ordine ad finem juſtificationis, & gloriæ magis eſt in poteſtate Dei, quàm in noſtrà ipſorum poteſtate. Ratio eſt evidens; quia Dens eſt auctor ordinis ſupernaturalis, & ad ipſum ſpećtat ordinare creaturam in hunc finem.

Ab Adam pactũ transgreſſum.

Sciendum eſt V. De facto Deus ab initio creationis uſque ad finem ſeculi, qnoad dona ſpiritualia, omnium iuclufit futurornm hominnm voluntates in voluntatem Adami, qui proinde conſtitotns eſt humani generis caput phyſicum, & morale, quatenns eum eo pactum conſtituit transfundendæ in omnes poſteros juſtitiæ, qui per ſeminalem ab eo propagationem corpus reciperent; hac tamen conditione, ot ſervaret mandatum abſtinendi ab eſu fructus vetiti, non ſecus ac Princeps alieui ſtipiti familiæ ſe daturnm ſtatuit privilegium ipſi, & deſcendentibus, ſi præſtitutam ſervaverint conditionem, puta contra ſe arma unquam capiant. Porrò pactum non obſervavit Adam, adeoqne ſibi, & oobis privilegium originalis juſtitiæ perdidit, quod breviter indicatur Oſee 6. v. 7. *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, ibi prævaricati ſunt in me.*

Ex his habemus parvulos noom fuiſſe animâ, & eorpore in Adam: animâ, quatenùs eorum voluntas in Adæ voluntate fuit incluſa, & voluntas Adæ reputata eſt noſtra: eorpore, quatenus corpus aeeipitur, & propagatur per motionem generativam, atqne ſub hac conditione poſterorum voluntas fuit comprehenſa.

Parvuli in Ada moraliter.

Hinc habemns parvulos, quoad animam extitiſſe in Ada moraliter; qnia eadem moralis voluntatnm transfuſio peracta eſt, ac proinde infectio culpæ ex Adam ad nos fluxit: quoad corpus extitiſſe in virtute phyſica ſemiois geueratįvi, per quam ex corpore fit corpus.

Adæ peccatũ nobis voluntarium.

Igitur voluntarinm nobis eſt peceatom Adæ, enjus volnntas reputabatur noſtra: & eſt peccatum nobis intrinſecum non quidem actuale, & perſonale, ſed habituale conſiſtens in privatione gratiæ ſanctificantis, quæ nobis erat debita ex vi pacti inter Deum, & Adam.

Quomodo dicatur peccatum naturæ.

Habemns etiam, cnr hoc peccatnm dieatnr naturæ justa illud ad Epheſios 2. v. 3. *Eramus naturâ filii iræ*; quia hæc perſona non contrahit originale peceatnm, niſi accipiat corpus per naturalem generationem, & quia non faciebat onum eum Adam niſi ùt membrum, & pars humani generis.

Adã nobis demeruit gratiam.

Adam igitur per voluntatem noſtram moraliter reputatam, & realiter ſuam ſibi, & nobis demeruit gratiam juſtificantem. Hinc fit, ut dnm parvuli naſcuntur, ſint gratiâ deſtitoti, quæ privatio gratiæ, cùm ſit voluntaria, conſtituit peccatum, quod ut intrinſeeè contrahatur, nil requiritur aliud, niſi quòd per vim generativam corpus uniatur animæ; quia jam præcedebat ratio carendi gratia, quoties in ſe homo exiſteret. Demeritoriè ergo ad nos deſcendit originale peccatum, demeritoriè anima orbatur gratia ſanctificante, & demeritoriè inficitur.

352 DICES *primò*. Deus non habet in ſua poteſtate humanam volnntatem, ùt peccatricem, & peccantem: ergo non potuit includere voluntates noſtras in voluntate Adæ peccantis.

Secundò. Hoc pacto imputaretur Deo peccatum, & denominatio peccatoris; nam Deus ſic ordinaſſet, pactuſque eſſet cum Ada: ſi tu peccaveris, tecum poſteros omnes peccatnm conſtituet peccatores: ergo illa extenſio peccati Deo imputabitur.

Tertiò. Ad Rom. 9. v. 11. dicitur: *Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali*: ſi verò in Adam peccaſſent, aliquid mali egiſſent, antequam nati.

CONTRA *primum*. Dens animas non continet peccantes continentiâ cauſalitatis; ſed poteſtatis, quatenus ſuis poteſt legibus obligare homines ad aliquid agendum, vel omittendum; nec inde ipſe fit auctor peceati, ùt patet.

CONTRA *ſecundum*. Ordinatio divina eſt præſuppoſita ad denominationem peccati, & extenſionis illius. Pepigerat Deus transfundendum in poſteros privilegium ſupernaturalis hæreditatis ſub conditione, ne Ada comederet de ligno vetito, qnam legem transgreſſus illud ſibi privilegium, & nobis perdidit.

CONTRA *tertium*. Ea Apoſtoli ſententia afficit actuale peccatum, non autem originale. Pueri antequam vitalem lucem aſpiciant, in ſua conceptione originali inficiuntur noxâ intrinſecè per realem gratiæ privationem; & priuſquam concipiantur ſunt peccatores in jure, & debito contrahendæ maculæ; quoniam præſupponuntur eorum volnntates in Adam transfuſæ, in quo peccaverunt.

Pueri peccatores ante conceptionem in jure, & debito.

353 DICES. Sicuti omnes per unius Adæ inobedientiam conſtituti ſumus peccatores; ita per unius obedientiam Chriſti facti ſumus juſti in lavacro regenerationis; ſed in juſtificatione præter actionem attingentem corpus, intervenit altera attingens animam, dum gratiam producit: ergo etiam in primo præter actionem productivam corporis ex Adam, aſſignanda eſt altera ex eodem Ada propagativè inficiens animam: ergo fit per traducem.

CONTRA. Nihil hoc condueit ad intentum errorem, quem impugnamus: tantummodo probet aſſignari oportere aliquid, quod traducat culpam, dum corpus efformatur. Hic autem edocet D. Thomas *quæſt. 4. de malo art. 1. ad 9.* Deus in ſtatu innocentiæ, ſeu juſtitiæ originalis elevaverat virtutem generativam, quæ eſt in ſemine, ut inſtrumentaliter juſtitiam originalem transfunderet in poſteros; non aliter ac producendæ gratiæ ſanctificanti elevatur aqua in baptiſmate. Peccante Adamo caſſum ea vir-

Privatio rigoris in ſemine.

virtute ſemen gignit corpoream hominis compaginem, nec animæ inditur gratia. Dum infunditur ergo anima, gratiæ dono caret, qui defectus eſt voluntarius, & peccatum conſtituit. Porrò ſicut illa ſeminis virtus non formaliter ad genus morale pertinebat, ſed virtualiter; ita èt defectus hic attinet virtualiter ad genus moris. Neque eſt neceſſe, ut privatio virtutis ſit major privatione gratiæ; virtus enim inſtrumentalis non adæquat effectum; quod totum explanat *Angelicus* exemplo filii leproſi a Patre leproſo geniti &c.

ALIA ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

354 OBJICIES 7. Per diverſam cauſalitatem animam accipiunt, dum oriuntur homines, ac in ultimo judicio dum reſurgent. Per ſolam actionem divinam in reſurrectione accipient: ergo ab initio jam acceperant etiam ab hominibus. Argumentum deſumitur ex Pſal. 103. v. 29. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ.* Quorum eſt verborum ſenſus, quòd ſpiritus, ſeu animam, quam homines dant, reddere iidem nequeant: in reſurrectione reddet Deus: in nativitate dedit etiam homo, & eundem proinde ſpiritum dixit eorum, cùm moriuntur: Dei autem, cùm reſurgent.

RESP. *nega maj.* loquendo de effectiva cauſalitate. Textum ejus pſalmi ad literam de gratia, quâ interiùs renovamur, intelligit *Auguſtinus* lib. 10. de Gen. ad literam cap. 8. Verùm ſi ad animam trahi velit, ſic explices, ut eorum dixerit ſpiritum, cùm moriuntur, quia in eis erat, & ab eis exiit: Dixi autem cùm reſurgunt, quia ab ipſo mittitur, ab ipſo redditur. Dixi *de effectiva cauſalitate*; quia ſi loquamur de diſpoſitiva, eam in productione hominis habet homo: ſecus in reſurrectione.

355 OBJICIES 8. Anima non immittitur immediatè a Deo tempore conceptionis: ergo neceſſe eſt id eveniat per alterius actionem: ergo per generativam. *Antecedens habetur* Sap. 8. verſ. 19. *Sortitus ſum animam bonam. Et cùm eſſem magis bonus, veni ad corpus coinquinatum.* Videtur: anima a Deo non eſt immiſſa, ſed aliundè profecta. Non a Deo; iis enim ùt Creator immediatus non poteſt creare bonas, & meliores, quia ſit Perſonarum acceptator, quod vitium ſapit.

RESP. *Auguſtinus* ibi cap. 7. hanc inſit Scripturam nec errori, quem refellimus, nec veritati, quam defendimus ſuffragari, ſed eorum deliramento, qui animas commenti ſunt ante corpora extitiſſe, & ſuis promeritas operibus eſſe, ut corporibus donarentur. Figmento huic opportunè eradendo, diſcutiam theſim ſequentem, tum ut recta quarundam habeatur intelligentia Scripturarum, tum ut præcedens veritas plus inde capiat luminis. Interim commonefacio me philoſophica argumenta, quæ propagini animarum favent, conſultò omittere; quia duodecim promit D. Thom. *lib. 2. ſumma Gentilium cap.* 88., eaque ſtatim diluit; ſicuti cap. 87. philoſophicis rationibus probat non propagari per traducem. Videndus igitur omnino eſt; nam ad Theologum ſpectat noſtræ fidei rationem omni indigenti, & poſcenti reddere, præſertim verò Gentilibus, qui ſupernaturali notitia deſtituti Scripturis Sacris convinci nequeunt; ideo agendum apud eos eſt argumentis ex naturæ lumine petitis.

Duodecim argumenta D. Thomæ contrà Gētes.

CONTROVERSIA XIII.

ADVERSUS PHILONEM, ORIGENEM, PRISCILIANUM, ALIOSQUE.

AN ANIMÆ RATIONALES SIMUL FUERINT CREATÆ, ET EXTRA CORPUS PECCAVERINT.

356 O*Rigenes* hujus commenti magiſter fuit, animas creatas ante corpora peccaſſe, & proinde fuiſſe in corporibus, velut in carcerem conjectas. Statuit corporeas inde creaturas in pœnam animarum conditas eſſe. Hæc paſſim occurrunt in Origenianis operibus lib. Periarchon, ubi explicatur v. 11. Pſ. 65., v. 5. Pſ. 89., in Jerem. c. 24. v. 5., & alibi. Hoc ſenſiſſe *Origenem* fatentur *S. Epiphanius* in Panario hær. 64., qui recenſens ejuſdem hæreſes ſic ſcribit — Animam enim humanam præ„ exiſtere dicit, eſſe autem has Angelos, „ & virtutes ſupernas in peccatis conſtitu„ tas, & eâ gratiâ in ſupplicium, in hoc „ corpus concluſas — *S. Hieronymus* Epiſt. 65. ad Pamach. — Confitemini & vos „ in quibuſdam errare *Origenem* .... Ani„ marum de Cœlo ruinas impiè protuliſſe — Idem *Theophilus Alexandrinus*, quem Hieronymus *lib. 1. Apolog.* adversùs Ruffinum *Virum Apoſtolicæ ſapientiæ* appellat. Eundem errorem defendit *Priſcilianus* Abulæ Epiſcopus in Hiſpania, teſtibus Leone Papa *Epiſt.* 71. ad *Aſturicenſem* Epiſcopum, Auguſtino *de Hæreſibus hær.* 70., *& lib. 11. de Civit. Dei cap.* 23., Damaſceno *lib. 1. de Fide cap.* 12., *& lib. 4. cap.* 6., Nyſſeno *lib. de creatione hominis cap.* 329. Ad eandem ſententiam acceſſit *Vartanus* Armenorum pſeudomagiſter in confutatione cujuſdam Epiſtolæ a Romano Pontifice ad *Hattonem* Regem miſſæ, & ante omnes Philo *lib. de confuſione linguarum, & lib. de ſomniis.*

357 DICO. Cum omnibus Catholicis dicendum eſt, quòd *rationales animas non peccaſſe antequam corporibus inderentur.* Hanc veritatem tutatur Cyrillus *lib. 1. in Joannem cap.* 9. vigintiquatuor argumentis: nonnulla ab eo mutuati ſunt Patres Concilii Conſtantinopolitani II., & aliqua ego itidem reponam, iis omiſſis, quæ ad præcedentem Controverſiam adduxi, ut probarem, quo tempore gignuntur corpora, unà ſimul animas procreari.

ARGUMENTUM I. Apoſtolus *ad Rom.* 5. *v.* 14. ait: peccatum intravit in hunc Mundum per unum hominem, & per peccatum

mors, quæ regnavit: *Ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*. Stante *Origenis* doctrina, hoc eſſet falſum; non enim per hominem, ſed per animam mors intraſſet, neque per unum, ſed per multos peccatum intraſſet in mundum, neque omnes in uno, ſed animæ in ſe ipſis peccaſſent ſingulæ, nec verum eſſet mortem regnaſſe in iis, qui non peccaverunt actualiter, ſi quælibet anima peccaſſet, & in pœnam peccati foret incluſa corpori. Hæc eſt XVI. ratio *Cyrilli*.

358 ARGUMENTUM II. Repugnat animas cauſâ peccati ab ipſis commiſſi corporibus includi, & nullum priuſquam homines exiſterent peccatum extitiſſe; atqui ita eſt dicente Apoſtolo ad Rom. 9. v. 11. *Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali . . . . Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Pape! ſi ante condita corpora peccaſſent animæ, quomodo ſubſiſteret; *cùm nondum aliquid boni egiſſent, aut mali*? Quomodo Jacob dici poſſet abſolutè dilectus, ſi æquè ipſius anima, ac illa Eſau corpore adinſtar carceris fuiſſet in pœnam peccati damnatus?

Antequam ſint homines, non ſunt peccatores.

Ad rem facit illud de Cæco nato Jo: 19. v. 2. ubi interrogantibus Diſcipulis, *Rabbi, quis peccavit? hic, aut Parentes ejus, ut cæcus naſceretur? Reſpondit Jeſus: Neque hic peccavit, neque Parentes ejus: ſed ut manifeſtentur opera Dei*. Quomodo autem non peccaſſe aſſerit eos, qui cùm homines eſſent, abſque dubio peccatum aliquod contraxerant? Luce meridiana clarius eſt, Domini ſermonem referri ad tempus prævium nativitati eorundem, quo nec erant ipſi, nec peccare poterant. Hoc enim modo veritatis integritas in verbis Veritatis, ideſt Chriſti conſpicietur. Ratio eſt *Cyrilli* XVII.

359 ARGUMENTUM III. Deus cùm benedixit Abramo, pollicitus eidem eſt progeniem inſtar ſtellarum *Geneſ.* 15., *&* 16. Moyſes videns multitudinem populi Iſraelis, pro ejus propagatione oravit dicens, *Dominus Deus Patrum veſtrorum addant ad hunc numerum multa millia, & benedicat vobis ſicut locutus eſt*: Deuter. 1. v. 11. Anna Phanuelis prolixa oratione petiit a Domino Filium, & impetravit Ezechias: Vir pius vitæ prorogationem poſtulavit, & Deus adjecit tanquam orationis præmio annos quindecim. Jeremias ex privilegio evaſit è manibus Caldæorum, & de lacu Leonum diu victurus. Daniel quoque a feritate Leonum, & tres pueri a fornace ignis ardentis ſunt erepti. Hæc omnia tot Scripturarum teſtimoniis fulta corruerent, ſi tanquam rea corpori anima illigaretur. Sic enim Deus maledictionis ſemen potiùs Abrahamo ſpopondiſſet, & Moyſis oratio fuiſſet potiùs repellenda, & Anna perperam egiſſet filium expoſtulans; nam punitionem illius petiiſſet. Neque donum contuliſſet Deus Ezechiæ, ſed cruciatum, & calamitatem. Nec Jeremiam, nec Danielem, nec tres pueros honoraſſet, ſi eos in corporis carcere detinuiſſet diutiùs. Nec Lazarum dilexiſſet, cùm jam a ſuppliciis liberatum, iterum a morte excitando, ad ſupplicium revocaſſet. Quæ utique abſurda idem *Cyrillus* infert 9. 10. 11. 13. 21.

360 ARGUM. IV. Sap. 2. Ex invidia Diaboli mors introivit in Orbem terrarum. Si puniendis animabus corpora injunguntur, quare Diabolo culpæ datur, cùm morte ſupplicium animæ diſſolvitur? Cur aguntur Salvatori gratiæ, quòd inſtauranda ſint per reſurrectionem corpora? Prophetia *Danielis cap.* 12. indicans reſurrectionem corporum, triſte nuntium afferret, dum eſſent reducendæ iterùm ad carcerem animæ. Ejuſdem *Cyrilli* ratio 7. 8. 23.

361 ARGUM. V. Diluvio Deus impios merſit: juſtum autem Noe longiori vita donavit. Si animæ ante corpora deliquerunt, & corporibus in pœnam alligantur; citiùs juſti a corporis compedibus erunt liberandi: improbi verò diutiùs detineri. Lex, quæ delictis gravioribus mortem ſtatuit, & vitam conſervat, innocentibus iniqua foret. Deberet enim ſceleratos damnare vitâ, & innocentes morte donare. Præterea ſi *Origeniſtarum* poſitio ſubſiſteret, cur mundi artifex creationis opere abſoluto gauderet, & ſuper filios hominum exultaret, juxta illud Proverb. 8. v. 30. *Et delectabar per ſingulos dies*. Gauderet enim Deus de aliorum ſupplicio, qui eſt naturâ bonus, & rerum productor optimus. 6. 19. 20. ratio ejuſdem.

362 ARGUM. VI. Coram tribunali Divino opera quæcumque noſtra patebunt, ùt ait Paulus ad 2. Corinth. 5. verſ. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum, ſive malum*. Si ergo pro operibus, quæ cum corpore geſſimus, retributio fiet, nec ulla erit mentio eorum, quæ ante corpus benè, vel malè patravimus, quomodo ante corpus fuit anima, ſi ea ſolummodo quæruntur, quæ in corpore perpetravit? Quomodo idem Paulus dicit ad Rom. 12. *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem ſanctam Deo placentem*? Ad ſupplicium ſi corpora ſunt animabus tradita, quomodo in odorem ſuavitatis Deo offerimus id, per quod punimur? Porrò Fideles, qui in Baptiſmate a morte peccati redeunt ad vitam gratiæ, eſſent corpore ſtatim ſpoliandi. Anima a peccato libera, contra juſtitiam detineretur in carcere. Ratio *Cyrilli* 5., 14., 15.

In Judicio Dei nulla erit mentio de iis, quæ anima egerit extra corpus.

363 ARGUM. VII. Si corpus eſſet peccati ſupplicium, haud illud tantopere diligeret anima, ùt experientia conſtat: & Paulus 2. Corinth. 5. v. 4. ait, *eò quòd nolumus expoliari, ſed ſupervestiri*; quibus declaratur inclinatio animæ ad unionem corpori, quod veſtis potiùs, quàm carcer appellatur. Et certè anima Chriſti dici nequit, priùs peccaſſe, & velut in carcerem fuiſſe compulſa: ſcriptum eſt enim 1. Petri 2. v. 22. *Peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus*.

Inclinatio animæ cum corpore.

364 Ex Philoſophiæ principiis, & ex definitione Concilii Lateranenſis ſub LEONE X. ſeſſ. 8. anima rationalis eſt per ſe, & eſſentia-

tialiter forma humani corporis: huic definitioni repugnat animarum creatio ante corpora; etenim rectus ordo, quem Deus ſervavit in producendis rebus, cùm omnia fecerit ſuaviter, & efficaciter, & in numero, pondere, & menſura, poſtulat, ut pars informans partem informandam præſupponat. Porrò corpus eſt pars, quæ formam recipit utpote materialis, ac proinde priùs debuit produci ſaltem prioritate naturæ, ac proinde ad minus ſimul tempore, licèt in diverſo rationis ſigno. Hunc ordinem ſervaſſe Deum patet in productione primi hominis Gen. 2. v. 7. deſcriptâ: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*: ecce Deus materialem partem priùs condidit: deinde formalem. Anima ùt pars nequit naturaliter operari independenter ab organis corporeis, per quæ ſpecies recipit: ergo ſeorſim a corpore haud potuit connaturaliter produci, nec peccaminosè operari. Poſt mortem ſtat quidem anima utpote immortalis abſque corpore. Mors tamen ipſa, & incineratio eſt pœna peccati; & aliàs anima, quæ fuit in corpore, ſatis remanet ſpeciebus fœcundata in ordine ad intelligendum.

365 Animas non fuiſſe creatas ſimul ſecundùm quoſdam Rabbinos, probant dicta ad præcedentem controverſiam, ubi ſtabilivimus animas creari in quolibet conceptu: ſecus verum non eſſet illud Jeremiæ: *Antequam te formarem in utero, novi te*, & ſimilia ibi citata. Concludamus ergo cum Bracarenſi Concilio I. anno Chriſti 563. contra Priſcillianam hæreſim celebratum can. 6. — Si quis animas humanas dixit priùs in „ cœleſti habitatione peccaſſe, & pro hoc „ in corpora humana in terram dejectas „ ſicut *Priſcillianus* dixit, anathema ſit — Eundem errorem perculit anathemate LEO Papa epiſt. 93. ad Epiſcopum Aſturicenſem cap. 11.

SOLVUNTUR ARGUMENTA HÆRETICORUM.

366 OBJICIES 1. Si unio ad corpus data eſt animæ rationali in pœnam, neceſſe eſt fateri eas ante peccaviſſe. Atqui data eſt in pœnam, juxta illud Pſal. 118. v. 67. *Priuſquam humiliarer, ego deliqui*; ideſt antequam per corpus humiliaretur, peccavit: Pſal. 65. v. 11. *Induxiſti nos in laqueum*: ecce Deus adigit animam in corpus velut ad catenas. Niſi planè ſe ita res haberet, non peteret anima a corpore liberari, & tanquam carcere exſolvi: Pſal. 141. v. 8. *Educ de cuſtodia animam meam*: & Pſal. 114. v. 7. *Convertere anima mea in requiem tuam*, ideſt in cœlum, unde propter peccatum fuerat expulſa, & ideò *convertere* ideſt iterum te verte: ſic *Origenes*.

RESP. *neg. min.* Quam nullatenus evincunt auctoritates inductæ: non prima, cui duplex redditur literalis expoſitio: primam ſuggerit *D. Auguſtinus* Concione 17. in Pſalmum citatum — Ad illam humiliationem „ meliùs referri, quæ facta eſt in Adam;

Humiliatio in Adam.

„ in quo omnis creatura humana tanquam „ in radice vitiata, quoniam veritati ſubjecta eſſe noluit, ſubjecta eſt vanitati. „ Quod vaſis miſericordiæ profuit experiri, „ ut dejectâ ſuperbiâ, diligatur obedientia, „ & pereat non reditura miſeria — Secundam diſcimus ex Ambroſio *in Pſal.* 118. *Ser.* 9. humiliationem ſcilicet ærumnas David perpeſſum fuiſſe propter peccata perſonalia, quæ in corpore commiſerat; non enim Deus quemquam punit, niſi præceſſerit peccatum. Pſalmus 65. laqueo denotat Iſraelis captivitatem apud Ægyptios, & alia adverſa, quæ pertulit ob flagitia in corpore patrata; quod ipſum emicat ex litera. Namque enumeratis beneficiis, quæ in Iſraelitas contulerat Dominus, ac præſertim depulſam Pharaonis tyrannidem, quoniam tribulatio iis contigiſſet tanquam Deo gratis, ideò dicitur: *Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum*. Non aduſſiſti ſicut fœnum, ſed ſicut argentum; igne, non ut redigeres nos in cinerem, ſed ut abſtergeres ſordem: vide *Auguſtinum* ibidem. Tertia auctoritas materialiter intellecta pro cuſtodia, vel, ùt alii legunt, carcere, innuit ſpeluncam, in qua David 1. Reg. 24. Saulis perſequentis iram effugit; quod ipſum elucet ex titulo Pſalmi ejuſdem: *Intellectus David, cùm eſſet in ſpelunca*. Cæterùm formalis ſenſus literæ eſt totus terræ orbis, qui adinſtar carceris Juſtos obambit, ac premit, caro, quæ animam diſtinet a Deo perfruendo, anguſtiæ hujus vitæ, quæ ſpiritum affligunt: queis omnibus David, ſeu Eccleſia ſub ejus nomine eximi cupit, & ideo ſubjunxit: *Ut confiteatur nomini tuo*. Vide *Auguſtinum* de more hæc ibidem mirificè exponentem. Quarta denique non eſt ad rem. Deus pro requie intelligitur, quem in ſuam elegerat portionem, & abs quo per peccata perſonalia receſſerat; intelligitur æterna gloria, unde erat propter Adæ peccatum averſus.

Pro requie intelligitur Deus.

367 OBJICIES 2. Si anima corpori immigrat ex motu liberi arbitrii, & ex inclinatione ad malum, jam fatendum eſt eam, priuſquam corpus extaret, fuiſſe conditam. Atqui ita eſt, ſicut habetur Joan. 1. v. 9. *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: venientem motu proprio, ſic *Origeniſtæ* apud *D. Cyrillum*, allegato etiam textu Sapientiæ cap. 8. v. 19. *Sortitus ſum animam bonam. Et cum eſſem magis bonus, veni ad corpus coinquinatum*.

RESP. *nego min.* Primum Scripturæ teſtimonium retorquet *Cyrillus* lib. 1. in Joan. c. 9. — Si ante corpora hominum animæ „ fuerunt, & quadam inclinatione ad ma„ lum (ùt ipſi dicunt) loco ſupplicii cor„ poribus connectuntur: quomodo Joan. 1. „ venientes in hunc mundum illuminari di„ cuntur? Illuminatio enim majorem afferre „ gratiam videtur, & honoris certè, non „ ſupplicii eſt: non punitur autem, qui „ honoratur, nec cruciatibus vexatur, qui „ lumine divino participat... Falſum om„ nino eſſe illuminari animam in hunc mun„ dum venientem, ſiquidem mens, atque „ integer intellectus anteà fuit; ſi enim dum „ corpus venit, illuminatur, neceſſe eſt,

„ antequam veniat lumine carere — Venit eſt idem ac naſcitur. Deus lumen rationis indit hominibus, & ſupernaturalis auxilia cognitionis præparat. Secundus locus non de peccato animarum ante corpora, ſed munditiæ, & bonitatis dumtaxat meminit, quod *Auguſtinus* refert ad Perſonam Chriſti propter ſuam ſanctitatem corpus Deiparæ immaculatum ingreſſi, ſic lib. 10. de Gen. ad literam cap. 17. Omnino literaliter intelligitur de Salomonis ipſius adoleſcentia, cujus deſcribit dotes naturæ, ac mores, unde, ſedatis cupiditatibus, corpus ſuum ab omni peccato intemeratum ſervaverat; id enim ſignificat inquiens: *Veni in corpus incoinquinatum*: vel quod in idem redit, ſignificat Ipſum bona indole præditum, nec propterea ex ſe, abſque divina ope vix poſſe quemquam a vitiis temperare.

368 OBJICIES 3. Si prinſquam corpora fabricarentur, bonum aliquod a Domino recepimus, ſi abſque corporibus operati fuimus, neceſſe eſt animam extitiſſe ante illa. Hoc ita fuiſſe oſtendunt ſequentes Scripturæ: ergo: Pſal. 89. v. 1. *Domine, refugium factus es nobis, a generatione in generationem. Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis*: ergo ante concretionem corporum fuerunt animæ, queis opem Deus præſtitit: ad Epheſ. 1. v. 3. *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*: ubi benedictio, & electio ſtatuitur ante mundi conſtitutionem. Dicitur omni benedictione, quia intentionis, & executionis ordo comprehenditur. Et ſanè ly *benedixit* verificari nequit niſi in ordine executivo, *benedixit*, hoc eſt beneſecit. Rurſus eodem capite v. 12. *Ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante ſperavimus in Chriſto*. Speravimus eſſe completum per unionem animæ ad corpus. De facto *Hieronymus* hanc gloſſam adhibet: ly *ante* cogit nos ad intelligendum, quod ſperavimus, & benedicti fuimus, priuſquam eſſemus in copore. Laudatus Doctor illud ad Epheſ. 4. *Ego Paulus vinctus in Domino*: & cap. 6. *Pro legatione fungor in catena*, de corpore interpretatur, quod vinculum dici ſolet: quam ſententiam recantat pluries, nec damnat unquam. Igitur verò veriùs animæ olim conditæ, demum ad ſupplicium contractæ nequitiæ, corporeis hiſce ergaſtulis condemnantur. Demum hanc ſuadet ſententiam illud Iſaiæ 48. v. 16. *Ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus ejus*: ex tempore, ideſt in tempore, antequam fieret Mundus corporeus, ibi eram.

RESP. *nego min.* Scripturas in pravum ſenſum diſtortas longè aliter explicamus. Pſalmus 89. nullum *Origenis* commento calculum adjicit; dicitur enim Dominus *factus refugium a generatione in generationem*, quæ nuſquam certè eſt, niſi in animabus jam corpori unitis. Deinde poſt allata verba *Domine, refugium factus es nobis a generatione in generationem*, clauditur puncto periodus. Mox ſequentia *Priuſquam montes fierent*, indicant ab æterno Deum extitiſſe, non autem fuiſſe refugium ante conditum orbem corporeum: ita *Cyprianus*, & *Hieronymus*. Locus ille ad Epheſios procul a literali veritate diſtorquetur. Ibi enim poſt ſalutationem, quâ erga fideles ſuum declarat affectum, Deo grates agit, quòd eos ad fidem converſos, atque ad ſanctitatem, & ſalutem deſtinatos bonis quàmmaximis ditaverit, ſicuti ex contextu abundè liquet. Quare cùm dixit *in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus*, ſupra omnia appellat animæ, & corporis bona, quæ electis impertitur in hoc ſeculo Deus, & in futuro. Textus alter æquè ab *Origenis* deliramento abhorret. *Pauli* inibi locutio verſatur circa donum prædeſtinationis, quo electi erant Apoſtoli, ut eſſent in laudem gloriæ ejus, nempe ut divinæ manifeſtatio gloriæ auctior fieret ex converſione gentium: cui allodit Iſaias 55. v. 12. *Montes, & colles cantabunt coram vobis laudem*. Porrò quod dicitur *nos qui ante ſperavimus in Chriſto* ad literam explicatur de ipſis Apoſtolis, qui ante Epheſios crediderunt in eum: patet ſiquidem, quòd ponitur contrapoſitivè ad ipſos, cùm ſequatur, *nos qui ante ſperavimus in Chriſto, in quo, & vos* . . . quibus explicatur Epheſiorum ad fidem converſio. Hæc ſunt germana literæ ſenſa, & ibi conſules *Angelicum*. Prælibatum *Hieronymus* textum refert de die Judicii, ante quem Juſti in cæleſti patria in Chriſtum crediderunt. Quod additur ex *Hieronymo* calumnia eſt, quâ Ipſum afficit *Ruffinus*. Tutatur ſe impigrè S. Doctor prima in eundem apologia faſſus ea ſe omnino retuliſſe ex mente *Origenis*, dum omnia ex græco latina effeciſſet, ne quid latinos præteriret, neque ex græco fonte quidquam novi promendum haberent *Origeniſtæ*. Quòd autem *Origenis* commenta retulerit, non ideo approbaſſe dicendus eſt, cùm cæteroqui eadem reprobaverit. Quod dicitur de vinculis, & catena Pauli, habent literalem ſenſum; erat enim tunc Romæ captivus, & ex carcere Epiſtolam illam ad Epheſios dedit per *Tichicum* Diaconum.

Gloria Dei promulgata per Apoſtolos.

Super eo textu *Iſaiæ*, ſomniarunt Hebræorum nonnulli Prophetas omnes adſtitiſſe in Monte cum Moyſe, quando legem accepit, & unumquemque ſuas eodem tempore leges hauſiſſe ſuis inde temporibus evulgandas. Cùm verò ibi minimè fuerint in corpore, utpote nondum nati, invaluit apud *Rabbinos* fabula, ut dicerentur Prophetarum omnium animæ ad capeſſendas leges adfuiſſe unà cum Moyſe. Locus ille celeberrimus non de ipſo Propheta loquitur, ſed de Filio Dei, qui cùm ab æterno viveret cum Patre, humanam ſumpſit naturam, & in Mundum venit. Et optimè textus ille correſpondet alteri cap. 61., & Lucæ 4., ubi agitur de miſſione Filii per Spiritum Sanctum. Si autem opinari lubet Iſaiam de ſe ipſo loqui, nihil officit; nam ly *ubi eram* non ad realem præſentiam appellat, ſed propheticam cognitionem, quâ Prophetæ præſentes ſunt rebus, quas futuras enunciant, ùt habetur 4. *Reg.* 5. *verſ.* 26. de Eliſeo Giezi alloquente,

quente, & reprehendenta: *Nonne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo?* & tamen ibi non erat corpore, ſed cognitione. Quòd autem Iſaias hoc modo ſit explicandus, patet ex contextu, & intentione Prophetæ: nam ut oſtenderet ſe vera denunciare, inſit: *Non a principio in abſcondito locutus ſum*. Loqui in abſcondito eſt hebraica phraſis idem ſonans, ac falſa loqui; etenim arioli in abſcondito præſtigiantur, ideo additur cauſalia *ibi eram*, ideſt ſpiritu prophetico, ut certior conſtet veritas prophetiæ.

369 OBJICIES 4. Peregrinus dicitur, qui ex aliquo loco ad aliom demigrar, ubi non erat ante; ſed homines ſunt in corporibus peregrini, ùt habemus frequenter in Scripturis: Pſalm. 38. verſ. 13. *Advena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes Patres mei*; Pſalm. 118. verſ. 19. *Incola ego ſum in terra*; 2. Corinth. 5. verſ. 6. *Quandiù ſumus in corpore, peregrinamur a Domino*: ad Hebræos 11. verſ. 13. *Confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram*. Et herclè niſi dicatur anima priùs creata extra corpus deliquiſſe, Deus acceptator eſſet perſonarum, dum æquales animas inæqualibus infundit corporibus.

RESP. *neg. conſequentiam*. Homo peregrinatur ſuper terram; quia ipſius patria Cœlum eſt, finis beata æternitas in Deo pe- tiunda poſt confectum luctuoſæ hujus, ac pugnacis vitæ curſum. Hæc una omnium eſt Patrum propoſitio, cui propterea non immoror. Acceptatio perſonarum malè hinc Deo affingitur, quod vitium non ſtat ſine debito, cumque Deus nemini debeat, perperam diceretur perſonarum acceptator. *Quomodo dicatur homo in terra peregrinus.*

Num verò animæ ſint æquales, & totum in iis diſcrimen faciat diverſa corporum organizatio, an potiùs inæquales intra eandem ſpeciem, & non ſit alterâ melior, controvertunt Doctores. Pro inæqualitate videntur ſentire *Auguſtinus* l. 4. contra Julianum cap. 3. Academia Pariſienſis apud *Durandum* in 2. diſt. 32. quæſt. 5., & Gandavenſem quodlibeto 3. quæſt. 5. ait — In „ contrarium eſt articulus Epiſcopalis, qui „ dicit, quod opinio illa, quæ dicit, quod „ inconveniens eſt ponere aliquos intellectus „ nobiliores aliis error eſt; quia ſic anima „ Chriſti non eſſet nobilior animâ Judæ — Aſſentitur Magiſter ſentent. 2. diſt. 32., & ibidem *S. Bonaventura*, *D. Albertus*, aliique non pauci uno omnes freti teſtimonio Sapientiæ 8. *Sortitus ſum animam bonam*.... Videtur autem Deus corpori animam, ùt materiæ formam coaptare, ne in tanta corporum diverſitate nulla ſit diverſitas intrinſeca parti nobiliori. Conſule *D. Thomam* 1. p. q. 65. art. 2. 3. contra Gentes cap. 83, opuſc. 15. cap. 12. contra *Origenem*.

PARS SECUNDA.

DE STATU CORPORUM.

TAndem functi Controverſiarum examine fuimus, & hæreſeum diſcuſſione, circa mortuorum animas. Jam modò convellendæ etiam ſunt mendaciſſimæ opiniones, quæ materialem hominis partem corpus ſcilicet afficiunt. Inſectantur humana cadavera Acatholici, dum funebri pompa efferuntur, dum in ſepulchro jacent, dum ad Judicium evocantur. Sequentes Controverſiæ agent de Funere, de Reſurrectione, & de Finali Judicio. Quæ in his ſummo niſu ſcholaſtici ſpeculantur, ipſi viderint: dogmata Catholicæ Fidei ſarta tecta ſervare noſtrum eſt.

CONTROVERSIA I.

CONTRA CALVINUM, WICLEPHUM, GENEVENSES, WALDENSES, ET ALIOS &c.

AN RITUS SEPULTURÆ AB ECCLESIA ADHIBITUS SIT PIUS, ET LICITUS.

1 QUæ apud omnes ferè Gentes ſolemnia ſunt funebres cæremoniæ, lotio, unctio cadaverum, thuriſque, & cereorum uſus, loci deſignatio, tituli, & alia ſepulchrorum ornamenta ab Hæreticis damnantur tanquam inania, & irreligioſa. *Calvinum* ita deprædicantem in *præfat. Inſtit.* ſequuntur *Genevenſes*. Præterea *Wiclephus* apud *Waldenſem* tom. 13. de Sacramentalibus titul. 14. cap. 131. hæc contra Sanctorum funera evomuit lib. 2. de ſer. Domini in monte cap. 17. — Quid, rogo, valet ornare ſepulchra hominum mortuorum, & „ in iſta hypocriſi laborare? Nam nec „ animæ, nec corpora ſunt nunc in iſtis ſe„ pulchris, quæ incolunt collocata, & ta„ men ex fide patet, quod Chriſtus eſt „ eſſentialiter in qualibet creatura, & vir„ tualiter ſecundùm humanitatem per om„ nem partem Eccleſiæ militantis. Quare „ ergo non honoramus iſtud caput Eccleſiæ, „ & hypocriſim ſepulchrorum dimittimus? — Quamvis hæc directè feriant quoque cultum Sanctorum; indirectè tamen funebres honores Chriſtianorum laceſſunt. *Waldenſes* apud *Æneam Sylvium* de origine Boemorum cap. 35. redarguunt morem tumulandi in locis piis, & ſacris, quòd nihil prorſus animas juvet corpus ſive in profano, ſive ſacro in ceſpite putreſcens. *Vigilantius* apud *Hieronymum* lib. contra eundem improbè ſugillat ritus Chriſtianæ ſepulturæ: contra quos omnes. *VVicleph. apud VValdenſ.*

§. I.

§. I.

STABILITUR CATHOLICA VERITAS.

2 DICO: *Uſus ſepeliendi Fideles cum Eccleſiaſticis cæremoniis non eſt ſuperſtitioſus, ſed pius, & honeſtus*. PROB. 1. ex Scripturis veteris Teſtamenti. Quod Spiritus Sanctus commendat, & Viri Sanctiores laudabiliter conſueverunt, non ſapit pravam religionem, ſed honeſtatem. Uſus funebrium cæremoniarum eſt hujuſmodi: ergo. *Mmor babetur* Eccleſ. 38. v. 16. *Fili in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ſecundùm judicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius*: Tobias cap. 1., & 2. in ſepeliendis mortuis ſolicitus a Raphaele exornatur laudibus cap. 12. v. 12. *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos . . . ego obtuli orationem tuam Domino*. Plura ob hanc pietatem a Deo impetravit lucem oculorum, ſalutem uxoris a Dæmone vexatæ, Angelum filio datum comitem: 2. Reg. 2. v. 5. *Miſit ergo David nuncios ad viros Jabes Galaad: dixitque ad eos: Benedicti vos a Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum: & nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam, & veritatem: ſed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum iſtud*. Et cap. 3. v. 31., & 32. ipſemet David ſecutus eſt funus Abner cum Principibus Exercitus. *Dixit autem David ad Joab, & ad omnem Populum, qui erat cum eo: ſcindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner. Porrò Rex David ſequebatur feretrum. Cùmque ſepeliſſent Abner in Hebron, levavit Rex David vocem ſuam, & flevit ſuper tumulum Abner: flevit autem & omnis populus*: cap. 21. *ejuſdem libri*, Reſpha cilicio induta cuſtodiebat corpora ſeptem filiorum Saul crucifixa, quæ poſtmodum juravit David ſepeliri in terra Beniamin cum oſſibus Saul, & Jonathæ in Sepulchro Patris ejus Cis: 1. *Machab* 2. ſepelitur Mathatias cum fletu totius Iſrael, ſicut cap. 9. *Judas*: *Judith ultimo* ſepelitur cum viro ſuo, & defletur ſeptem diebus: *Deuteronomii* 34. Moyſis celebratur per Sepulchrum: *Joſue ultimo* ipſius, & Eleazari commendatur ſepultura.

Uſus cæremonialis ſepulturæ commendatur a Deo.

3 Quòd ſi legis naturæ proferenda ſint exempla Gen. 23. v. 2., & 3. Abraham vir ſanctiſſimus quadraginta ſiclis argenteis agrum emit, ut Saræ conjugi tumulum conſtrueret; *Venitque Abraham, ut plangeret, & fleret eam. Cùmque ſurrexiſſet ab officio funeris, locutus eſt ad filios Heth, dicens: Advena ſum & peregrinus apud vos: date mihi jus ſepulchri vobiſcum, ut ſepeliam mortuum meum*: & cap. 25. v. 9. de Abraham mortuo dicitur: *Sepelierunt eum Iſaac, & Iſmael filii ſui in ſpelunca duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron . . . . quem emerat a filiis Heth: ibi ſepultus eſt ipſe, & Sara uxor ejus*: cap. 35. de Rachele uxore Jacob habetur v. 19. *Mortua eſt ergo Rachel, & ſepulta eſt in via, quæ ducit Ephratam, hæc eſt Bethlehem. Erexitque Jacob titulum ſuper ſepulchrum ejus*: cap. 49. Jacob jubet ſepeliri in ſepulchro Patrum ſuorum, & cap. 50. conditur corpus ejus aromatibus a filio Joſeph, qui & deſcendit, & *cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique majores natu terræ Ægypti ſepelire eum*: immo, ipſe Joſeph rogat fratres, ne eum ſepeliant in Ægypto, ſed de loco transferant, qui *mortuus, conditus eſt aromatibus, repoſitus eſt in loculo in Ægypto*, donec a Moyſe ejus oſſa translata ſunt. Circa loci delectum notiſſimum eſt illud 3. *Reg.* 13. *v.* 31. ubi Propheta quidam Samariæ filiis ſuis præcepit: *Cùm mortuus fuero, ſepelite me in ſepulchro, in quo vir Dei ſepultus eſt: juxta oſſa ejus ponite oſſa mea*. Hæc, & alia id genus exempla comprobant cæremonias, perperam ab Acatholicis reprobatas, curam ſcilicet funeris, aromata, quibus cadavera condiuntur, fletum, comitatum, funebres apparatus, pecuniam tumulis extruendis impenſam, epitaphia, obeliſcos, diſcriminos ſepulchrorum ſitus: ergo.

Tituli ſuper ſepulchrum.

4 Illuſtratur argumentum. Ni ritus ſepulruræ eſſet opus pietatis, & peculiare Dei beneficium, certè privationem funeris, non minaretur Deus in pœnam; ſed hoc facit: ergo: Jeremias 16. v. 6. viam Domini derelinquentibus prædicit: *Et morientur grandes, & parvi in terra iſta: non ſepelientur neque plangentur, & non ſe incident, neque calvitium fiet pro eis. Et non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuo*: quod cap. 8. iterum prædixerat: Num. 14. v. 29. rebellibus comminatur: *In ſolitudine hac jacebunt cadavera veſtra*: 4. Reg. 9. Oſſa Regis Joram diſperduntur per agrum, & carnes Jezabelis comedunt canes juxta verbum Domini. Ubi advertendum, quòd in Scriptura omnium Regum Judæ ſepultura, uno excepto, recenſetur; e contra ex Regibus Iſrael paucorum, quia ad idololatriam declinaverunt: primum eſt pietatis ſignum, curam habere ſepulturæ; ſecundum pœnæ eâ privari: *Apoc.* 11. deſcribitur Antichriſtus perſequens Eliam, & Henoch, eoſque occidens; atque in medio plateæ Jeruſalem tribus diebus eos inſepultos in opprobrium, & confuſionem relinquens: ex quo colligitur, ſepulturam beneficium eſſe.

Carentia funeris infligitur in pœna.

5 PROBATUR 2. Quod Chriſtus non reprobat, ſed commendat, nequit eſſe ſuperſtitioſum; ſed ritum funeris Chriſtus non reprobat, ſed poſitivè commendat: ergo non eſt ſuperſtitioſus: *Matth.* 9. narratur funus filiæ Archiſinagogi in turba multa, & ponitur adductos tibicines: & *Luc.* 7. ponitur funus filii unici Viduæ Naim in comitatu plurimo, & fletu; ſed Chriſtus accedens, & videns non ſolùm non redarguit, ſed miraculo honorat, a mortuis utrumque excitando defunctum: ergo: *Marc.* 14., & *Jo.* 12. deſcribitur unctio Chriſti Domini per Magdalenam, & murmurantis Judæ repræhenſio: *Bonum opus operata eſt in me: prævenit ungere corpus meum in ſepulturam*. Si cura ſepulturæ non eſſet opus religionis, neutiquam a Domino ut bonum opus laudaretur. Apud omnes Evangeliſtas traditur funus Chriſti piorum hominum frequentiâ cele-

celebratum , ſindone mundâ involutum corpus , repoſitum in monumento novo , aromatibus conditum . Si hæc ſuperſtitionem olerent , ea Chriſtus reſpuiſſet a ſuo corpore adhuc Divinitati unitum , nec approbaſſet facto , quod non licet , vel non decet : maximè quòd Joannis 19. v. 40. dicitur ſepultum Chriſti corpus : *Sicut mos eſt Judæis ſepelire*. Quemadmodum ergo cæteras, utpote incongruas Judæorum cæremonias doctrinâ , & exemplo damnavit , hanc quoque profectò reprobaſſet . Immo Sacerdotum impietas vim confert argumento ; nam pretium, quo Judas eum vendidit , in opus pietatis expenderunt, ut ſuum tegerent crimen ; ideo ſcriptum eſt Matth. 27. verſ. 7. *Conſilio autem inito , emerunt ex illis agrum Figuli , in ſepulturam peregrinorum* .

Veneratio Reliquiarum.

6 Hinc obiter Acatholici diſcant venerari Sanctorum reliquias : Angeli ſiquidem deſcendunt in Chriſti ſepulchrum , eoque redivivo viſitant , ſacras veſtes venerabundi convolvunt , pios Peregrinos excipiunt, inſtruunt, & conſolantur ; revolvunt lapidem, ut Diſcipuli ingrediantur , hoſtes terrent , & contra Prophanatores cuſtodiunt : quo edocti exemplo jugiter undequaque ad Domini tumulum pietatis , & venerationis ergò Fideles confluxere .

Apoſtolorum uſu comprobantur ritus ſepulturæ.

7 PROB. 3. Non eſt ſuperſtitionis crimine ſuggiliandum id , quod in uſu fuit primis Apoſtolorum diſcipulis ; ſed hi funebris pompæ ſolemnia coluerunt : ergo . *Major eſt certa* . Nam blaſphemum eſt aſſerere Apoſtolos conſenſiſſe in opera ſuperſtitioſa , & Eccleſiam inter ipſa primordia a ſemitis Domini aberraſſe . *Minor habetur* Matth. 6. v. 29. ſiquidem audita morte S. Joannis Baptiſtæ, *diſcipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus , & poſuerunt illud in monumento* . Sepultus eſt Joannes Baptiſta Sebaſte in Urbe Paleſtinæ , dicta olim Samaria . Et tanta Fidelium veneratio fuit miraculorum ſtrepitu excitata , ut invidentes Pagani ſub *Juliano* an. 362. monumentum aggreſſi oſſa inde erepta diſſipaverint , atque ea rurſus collecta combuſſerint ; ſed divinitùs factum eſt , ut pii Monachi illuc devotionis causâ venerint -- ,, Qui cùm tantum nefas humanis quidem ,, manibus, ſed ferina mente fieri viderent , ,, mori gratiùs habentes , quàm hujuſcemodi ,, piaculo funeſtari ; inter eos , qui oſſa ad ,, exurendum legebant , mixti diligentiùs in ,, quantum res patiebatur , ac religioſiùs ,, congregantes , furtim , ſe vel ſtupentibus , vel inſanientibus ſubtraxere , & ad ,, religioſum Patrem Philippum (erat Philippus Abbas Monaſterii in Jeruſalem) ,, venerandas Reliquias pertulere : Ille ſupra ,, ſe ducens tantum theſaurum propriis ſervare vigiliis , ad Pontificem Maximum, tunc ,, Athanaſium hoſtiæ immaculatæ Reliquias ,, per Julianum Diaconum ſuum poſt etiam ,, Paleſtinæ Urbis Epiſcopum mittit . Quas ,, ille ſuſceptas, paucis arbitris , ſub cavato ,, ſacrarii pariete incluſas prophetico ſpiritu profuturas generationi poſteræ conſervavit . Quibus nunc dejectis , & proſtratis Idololatriæ veſtigiis , in ædibus ,, quondam prophanis (in Serapidis ſcilicet

Oſſa S. Jo. Baptiſtæ diſperſa, & combuſta.

,, Templo) aurea tecta conſurgerent -- Ita rem deſcribit *Ruffinus* in Hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 11. cap. 28. Act. 8 legimus funus S. Stephani Protomartyris -- Curaverunt Stephanum Viri timorati, & fecerunt planctum ,, magnum ſuper eum -- De ipſius ſepultura hæc in Epiſt. Luciani ex relatione Gamalielis habentur -- Lapidatus eſt a Judæis , & ,, Principibus Sacerdotum in Jeruſalem pro ,, Chriſti Fide extra portam , quæ eſt ad ,, Aquilonem , quæ ducit ad Cedar , ibi ,, die , ac nocte jacuit projectus , ut ſepulturæ non daretur , ſecundùm mandatum ,, impiorum Principum , ut a feris conſumeretur corpus ejus . Ex Domini autem ,, voluntatem non tetigit eum unum ex his, ,, non fera , non avis , non canis . Ego ,, Gamaliel compatiens Chriſti miniſtro , & ,, feſtinans habere mercedem a Domino, & ,, partem cum Sancto Viro Fidei, miſi per ,, noctem quantos poteram Religioſos Chriſtianos, & in Chriſto Jeſu fideliter credentes , habitantes in Jeruſalem in medio ,, Judæorum , & hortatus ſum eos , & neceſſariam ſubſtantiam miniſtravi , & perſuaſi illis ire occultè , ut portarent corpus ejus in meo vehiculo ad Villam ,, meam, hoc eſt in Caphargamalam (quod ,, interpretatur Villa Gamalielis) viginti ,, millia habens a Civitate -- Apud Baronium ad annum 34. n. 308. Hinc *S. Hieronymus* Epiſt. 25. ad Paulam explicat planctum magnum , quam factum narrat Lucas : quòd -- Stephano fecerint Jeroſolymæ ,, fratres planctum magnum : & utique ,, planctus magnus non in plangentium ,, exanimatione , ùt tu putas , ſed in pompa ,, funeris , & exequiarum frequentia intelligendus ſit -- Ex quibus concludit laudatus Baronius -- Cæterùm ipſorum Apoſtolorum exemplo adeò ſplendidè per Gamalielem curantium Stephani ſepulturam , ,, laudabilis in Eccleſia Dei in curandis ,, Defunctorum corporibus conſuetudo permanſit -- Act. 9. v. 37. ponitur funebris pompa Dorcadis , ſeu Tabithæ .

Funus Stephani.

§. II.

EADEM CONCLUSIO TRADITIONE ROBORATUR .

8 PROB. 4. ea traditione catholica ; ſed quia tanta eſt eruditionis ſeges , ut ad methodum redigi vix queat , quibuſdam ſub generibus aliqua inſinuo 1. Niſi funerum procuratio eſſet munus pietatis inter Sacros Ordines handquaquam cenſeretur ; ſed inter eos accenſetur a primitivis Patribus : ergo . *Probatur minor* . S. Ignatius Martyr , ſive alius ſub ejus nomine Epiſt. ad *Antiochenos* -- Saluto Sanctum Presbyterium , ſaluto ſacros Diaconos , ſaluto ,, Hipodiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios , Laborantes, Exorciſtas -- Nomine laborantium intelliguntur ii , qui fungebantur curâ ſepeliendi , ùt deſumitur ex Græco . *S. Epiphanius* in compendiaria vera doctrina , quæ eſt poſt hæreſim 80. enumeratis Sacris Ordi-

Ordinibus habet — Deindè poſt hos Exor-
„ ciſtæ, & Interpretes linguarum, conſe-
„ quenter laboratores, qui corpora dormien-
„ tium componunt — & in Epiſtola incerti
Ordo foſſariorum. cujuſdam doctoris ad *Ruſticum* Narbonenſem
Epiſcopum à *Baronio* citata ad annum 34.
n. 288. — Primus igitur in Clericis foſſario-
„ rum ordo eſt, quo in ſimilitudinem To-
„ biæ Sancti ſepelire mortuis admonemur —
S. Baſilius, & *S. Joannes Chryſoſtomus* foſſarios
diſtinguunt in ſuis Liturgiis à communi ple-
bis: *Conſtantinus Magnus* deſignavit Curatores
ſepulchrorum, teſte *Juſtiniano* Imperatore in
novella conſtitutione 49. de Impenſis, quas
Curatores pro ſepeliendis mortuis à Conſtantino instituti. fieri oportet in Defunctorum funeribus —
„ Princeps Conſtantinus rectè excogitatum
„ diſpoſuit, & poſtmodum Anaſtaſius pien-
„ tiſſimus Princeps confirmavit adjecto in-
„ ſuper & reddito. Id nos, ruinam mi-
„ nitans, reparare ſimul, & undique ad
„ ſtabilitatem redactum convenientibus aſtrin-
„ gere juramentis properamus, efficientes
„ eā re, ut immortale permaneat. Nam
„ cùm pientiſſimus Princeps Conſtantinus
„ nongentas quinquaginta officinas eo diver-
„ ſis Collegiis hujus Almæ Urbis ſacroſan-
„ ctæ majori Eccleſiæ cum immunitate de-
„ derit; Anaſtaſius quoque item pientiſſimus
„ Princeps non ſolùm officinis centumquin-
„ quaginta alias appoſuit, ſed etiam pro li-
„ beralitate ſua per duas pragmaticas for-
„ mas certum redditum conſtituerit — Idem-
que *Juſtinianus* in novella 43. de officinis
idem ſtatuit — Quoniam potentiæ noſtræ
„ ſubditi noſtri ſive vivi, ſive moriantur,
„ curæ ſunt, ne vel graves ipſi ſepulturæ,
„ vel defuncti cognatis damnoſæ exiſtant;
„ propterea & hæc, quæ eorum ſepultu-
„ rum concernunt, quo convenit modo,
„ diſpoſuimus. Et quia jam divæ memo-
„ riæ Conſtantinus amplæ hujus noſtræ Urbis
„ conditor, quàm etiam pientiſſimus Prin-
„ ceps Anaſtaſius Lecticariorum, ſeu Deca-
„ norum, ùt vocant, numerum ad certam
„ menſuram redegerunt, mille, & centum
„ tantummodo Decanis, totidemque offici-
„ nis definitis .... — Pergit oſtendere
quemadmodum ſubjiciantur Eccleſiæ, ſintque
à vectigalibus immunes. Perfuncti hoc pie-
tatis munere fuerunt celebriores, ſanctioreſ-
que viri, quorum exempla in eorundem le-
gendis occurrunt paſſim. Id unum comme-
morem: *Ugo Liconienſis* à Rege ad menſam
invitatus ire noluit, ut ſepeliendis mortuis
incumberet. Quis enarret piorum Fidelium
ſtudia in colligendis, humandiſque Marty-
rum cadaveribus?

9 SECUNDO. Nonniſi laudabile,
ſanctumque haberi poteſt, quod viri ſancti-
tate ſpectabiles laudant; ſed hi ſacram
funerum pompam doctrinâ, & exem-
plo laudant, ac commendant: ergo. *Minor
inductione clareſcit*. Tertullianus generaliter
loquens in Apologetico: *Si Arabiæ queran-
tur, ſciant Sabæi pluris, & carius ſuas merces
Chriſtianis ſepeliendis profligari, quàm Diis fu-
migandis*. Ecce quales expenſæ fiebant in
funere. *Prudentius* in Hymno pro Defunctis.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt,
Aſperſaque myrrha Sabæa
A *Corpus medicamine ſervat ....*
Nos tuta fovebimus oſſa
Violis, ac fronde frequenti,
Titulumque, & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

En qualis, quantuſque Defunctis honos?
Pontius Diaconus in act. paſſ. S. Cypriani
Martyris — Inde cum cereis à ſcolaribus
„ in areu cujuſdam Candidi procuratoris
„ magno triumpho ſepultus eſt — *Nyſſenus*
in orat. pro funere Meletii — Utrinque
„ quaſi omnes continentibus facibus tractu
„ continuo, perpetuoque fluentes porrigeban-
„ tur — ibique aſſerit ejuſdem corpus expo-
B ſitum, atque conditum — Sindones mundæ,
„ & panni ſerici, unguentorum, & aro-
„ matum largitas, liberalitas mulieris or-
„ natæ, & honeſtæ — *Sulpitius* de funere
S. Martini Epiſt. ad Socrum — Hoc igi-
„ tur beati Viri corpus uſque ad locum ſe-
„ pulchri hymnis canora cœleſtibus turba
„ proſequitur — De funere Matris ait
Auguſtinus lib. 9. c. 12. Confeſſ. — Pſalte-
„ rium arripuit Evodius, & cantare cœpit
„ Pſalmum, cui reſpondebamus omnis do-
„ mus — *S. Hieronymus* lugubrem pompam
in funere Paulæ deſcribit Epiſt. 27. —
„ Tranſlata Epiſcoporum manibus, & cer-
C „ vicem feretro ſubjicientibus, cùm alii
„ Pontifices cereos, lampadeſque, alii
„ choros pſallentium ducerent, in medio
„ ſpeluncæ Salvatoris eſt poſita — *Chryſoſto-
mus* Hom. 70. ad Populum Antiochenum —
„ Quid, *ait*, ardentes, quæſo, lampades
„ ſibi volunt? Nonne tanquam Athletas
„ eos comitamur? Quid autem hymni?
„ Nonne glorificamus Deum, & illi gratias
„ agimus, quia jam defunctum coronavit,
„ abſolvit à laboribus, & ab incertitudine
„ ſublatum penes ſe retinet? — Pſalmo-
dium refert pariter *Nazianzenus* orat. 2. in
Julianum cereos in funere Conſtantii,
D myrrham in fratris ſui Cæſarii ſepultura.
Uſus fletus Cereorum, Pſalmodiæ, Thuris. Planctum probant *Hieronymus* lib. 1. in Vi-
gilantium, *Ambroſius* fratrem ſuum Satyrum
flens, *Bernardus* fratrem itidem ſuum Ge-
rardum lugens. Cereos probat *Euſebius* in
funere Conſtantini Magni, *Athanaſius* apud
Damaſcenum lib. de Mortuorum Suffragiis.
Pſalmodiam laudat *S. Dionyſius* lib. de cœleſt.
Hierarch. cap. 7., Thuris uſum Concil.
Chalcedonenſe Act. 1., ubi avaritiæ redar-
guitur *Dioſcorus*, quòd in ſepultura Periſteriæ
thus non adhibuerit.

10 TERTIO. Canones Eccleſiæ tam
Canones diſponunt de ſepulturis. veteres, quàm novi innumera diſponunt
de ſepulturæ cæremoniis; quæ cùm in aper-
to ſint, ſatius eſt illa omittere, quàm re-
cenſere.

11 Iſthic adverte: nemini antiquitùs
dabatur in Eccleſia, præterquam Martyri-
Antiquitùs cadavera nec ſepeliebantur in Civitatibus, nec in Eccleſiis. bus, honos ſepulturæ: humabantur cæteri
Fideles in Cœmeteriis, ùt habetur in Con-
cil. Bracarenſe I. in Luſitania anno 563. —
„ Nam ſi firmiſſimum, *ſic Can.* 18, hoc pri-
„ vilegium uſque nunc manet Civitates, ut
„ nullo modo intra ambitus murorum cu-
„ juſlibet defuncti corpus humetur, quantò
„ magis hoc venerabilium Martyrum debet
„ reve-

„ reverentia obtinere? — Idem in Concilio Namnetenſi anno circiter 657. can. 6. ſanxit pro ſepultura nihil ſolvendum: neminem in Eccleſia ſepeliri fas eſſe, ſed in atrio, & porticu, aut extra Eccleſiam, in loco ſcilicet adjacente. Seculo IX. anno ſcilicet 852. ſepulturæ Fidelium in Eccleſiis raræ admodum erant; *Hincmarus* Archiepiſcopus Remenſis ſtatuit capitulum 12. — Ut „ nemo Presbyterorum quemquam in Eccleſia ſepeliat ſine conſultu Epiſcopi, nec „ pro ſepeliendis quidquam exenii exigat, „ vel extorqueat. — Anno 1303. In Concilio Nugariolenſi decreto 8. cautum eſt, ne Laici in Eccleſiis ſine licentia Prælati, & Rectoris ſepulturæ traderentur. Cæterùm anno 1581. jam invaluerat mos omnes Fideles condendi in Eccleſia, quod prohibuit Concil. Rothomagenſe cap. 8. — Non adeò „ promiſcue (*ut nunc fit*) mortui ſepeliantur „ in Eccleſiis . . . ſed hoc ſervetur ſacris „ ſpecialiter hominibus . . . Cæteris piè, „ religioſè in Cœmeteriis ad hoc dedicatis „ ſepulturæ tradantur —

Fidelium ſepultura in Cœmeteriis.

12 PROB. 5. Illud opus certè eſt a ſuperſtitione alienum, quod ſalutaribus exercetur rationibus. Catholica funeris pompa eſt hujuſmodi. *Minor declaratur*. Eccleſia in ſepelitione mortuorum proteſtatur reſurrectionem corporum, animæque immortalitatem. Nam fidei lumine edocta fore, ut corpora animabus iterùm uniri debeant, eorundam curam habet, & ideò can. 22. Concilii Toletani III. — In ſpe reſurrectionis „ Chriſtianorum corporibus famulatus divi- „ norum impenditur canticorum — II. Eccleſia in promovendis Defunctorum exequiis intendit Fideles excitare ad mortis, æternitatiſque conſiderationem, ut hinc diſcant terrena deſpicere, & amare cœleſtia. III. Comitata, cantibus, benedictionibus Defunctis ſuffragatur; unde quò plures ſunt precantes, eò majus precationis ſuffragium eſt; & tanta fuit fidelium pietas, ut olim exceſſu quodam ducti cadaveribus Eucharistiam præberent, ideoque ſexta generalis Synodus can. 83. ſtatuit — Nemo mortuorum corpo- „ ribus Euchariſtiam communicet: ſcriptum „ eſt enim; accipite, & comedite: mor- „ tuorum autem corpora non poſſunt acci- „ pere, nec comedere — Eadem prohibitio facta fuit can. 12. Concil. Antiſſiodorenſis ſub Papa *Deus dedit*.

Eccleſia in ritu ſepeliendi proteſtatur corporum reſurrectionem.

Alia motiva ſepeliendi.

13 Si ad naturæ lumen rem expendimus, haud deſunt rationabilia argumenta ſacros exercendi ritus circa defunctorum exuvias. Etenim corpus ſe habet inſtar ſubjecti, & domicilii, atque inſtrumenti ad excellentiſſimam formam. Recta ſanè dictat ratio plus curæ, & honoris præſtandum eſſe hominum, quàm animalium corporibus. Porrò ſi humana ſimulacra nobis in pretio ſunt, longè potiori jure ſunt habenda in honore hominis corpora. Inſitum a natura ipſis Barbaris fuit, ut cadavera condirent aromatibus, ne putreſcerent: ſepulchra titulis, epitaphiis, armis, trophæis, carminibus, aliiſque ornamentis inſignirent. Quoddam igitur venerationis genus erga mortuos retinebatur antiquitas ipſorum oſſa, & cineres curare: è converſo improbi adinſtar ſupplicii habebatur eos ſepulturâ arcere. Equidem penès Romanos diverſæ appellationes invaluerant a multiplici parentalium ritu. Libitinariis nomen ſingulis commune erat a Dea Libitina, cujus in æde inſtrumenta funebria aſſervabantur. Quoſdam dixere Pollinctores ab ungendo, alios a lavando Politores: Portatores alios, quorum multiplex erat claſſis; nam & Lecticularios a Lectica, Sandapilarios a Sandapila (quod eſt commune feretrum) Veſpelliones nuncuparunt a nocturno tempore, dum cadavera telluri traderent. Inter Paganos in hoc pietatis genere emicuit *Antoninus Pius*: is legem condidit, ut ex ærario publico fierent vulgarium funera. *Cimon* Athenienſis Reipublicæ vir princeps, referente Æmilio Probo in ejus vita, pauperes ſuis expenſis ſepeliri juſſit; *Piſiſtratus* comites ſecum ducebat, ut quos in via mortuos nanciſceretur, humi conderent, ùt legere eſt apud Euſtachium.

Ritus ſepulturæ apud Barbaros.

Nomina, quæ dabantur iis, qui de cadaveribus curâ habebant.

Gētiles Principes in Defunctos pii.

Qui plura velit exempla, conſulat *Lorinum* act. 5. de ſepultura *Ananiæ*, & *Saphiræ*, atque *Dorcadis*; *Pereirum* tom. 4. lib. 5. in Gen. ubi per varias diſputationes nonnullos accenſet nationum ritus. Sufficiat hic referre, quæ de Ægyptiis narrat *Porphirius* lib. 4. de abſtinentia §. 10. — Cùm con- „ diant, *inquit*, nobiles defunctos, alium „ privatim eximunt, & in area reponunt; „ dein inter alia, quæ in mortui gratiam „ faciunt, arcam ad ſolem attollentes eum „ invocant, uno ex Libitinariis hujuſmodi „ orationem habente pro Defuncto, quam „ *Euphantus* ex lingua Ægyptiaca tranſtulit: „ Domine ſol, diique omnes, qui vitam „ hominibus largimini, me accipite, & „ Diis contubernalem tradite. Ego enim „ Deos, quos mihi parentes commonſtra- „ runt, piè colui, quamdiu in hoc ſæculo „ vixi; & illos, qui corpus meum genue- „ runt, ſemper honoravi; neque aliorum ho- „ minum occidi quemquam, neque eos de- „ poſito fraudavi, nec aliud quidpiam inex- „ piabile malum admiſi, ſi verò dum vi- „ verem peccavi vel edendo, vel bibendo „ aliquid, quod fas non erat, non per me „ peccavi, ſed per iſta (*oſtendens arcam, in* „ *qua erat venter*). Atque hæc locutus in „ fluvium eam conjicit; reliquum autem „ corpus tanquàm purum condit —

Mos ſepeliendi Ægyptios.

§. III.

DISSOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

14 OBJICIES 1. Si cura ſepulturæ eſſet opus pietatis, Chriſtus inter miſericordiæ opera enumeraſſet; atqui non enumerat, cùm *Matth.* 25. alia recenſeat miſericordiæ opera: ergo non eſt opus miſericordiæ. *Minor patet*. Nam mentionem fecit de pane, potu, veſtitu, hoſpitalitate, viſitatione infirmorum, & captivorum, & omiſit funeris officium.

RESP. Chriſtus non omnes eodem loco virtutes laudat: ſufficit, quòd eas com-

 men-

Chriſtus approbavit ritus funeris.

mendat alicubi. Ibi non meminit ſpiritualis miſericordiæ, quæ illo verſiculo continetur: *Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora*, nec inde arguas ejuſcemodi opera eſſe inania, quandoquidem alibi de eiſdem loquitur. Cùm autem ritus ſepulturæ ſatis commendet locis ſuperiùs n. 5. citatis, non eſt, cur de iis quiſquam ambigat. Addo auctoritatem *D. Thomæ* cap. 19. Joan. explicantis corpus Chriſti linteis involutum fuiſſe -- In quo Evan„ geliſta admonuit in hujuſmodi officiis, quæ „ mortuis exhibentur, morem cujuſque gen„ tis eſſe ſervandum -- Cur autem *Matth.* 25. ſepulturam ſiluerit, ajunt aliqui, ut excluderet quorundam errorem opinantium animum non conſequi requiem, donec corpus inhumatum jaceret. Sed altius involvitur myſterium: ibi Chriſtus intendit ſpecialiter commendare charitatem erga pauperes, in quibus ipſe repræſentatur, & vivit, unde ex vi literæ non remuneratur ibi, niſi eos, qui corporalia miſericordiæ opera erga viventes fratres exercuerunt, nec damnat niſi peccantes contra charitatem per omiſſionem earundem; cùm tamen certum ſit quodlibet aliud peccatum hominem conſtituere damnationis reum: propoſuit ſe igitur ùt viventem in pauperibus, & ſic illos defectus patientem, ut ex illis bonos a malis ſecerneret, enumeratque ſolummodo, quæ ſunt evidentiùs neceſſaria.

Opera miſericordiæ.

15 DICES: Chriſtus docet nihil eſſe de cadaveribus curandum; ſed hoc non ſtaret, ſi alicubi ſentiret curam funeris ad pietatis opera pertinere: ergo. *Major* habetur Luc. 12. v. 4. *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius, quid faciant*: quorum verborum ſenſus eſt; negligenda eſſe Defunctorum corpora, quibus nec prodeſſe, nec nocere poteſt.

CONTRA futilem hanc gloſſam reponitur genuina expoſitio, Apoſtolis ſcilicet non eſſe metu mortis a veritatis confeſſione abſcedendum, nec deſerendum munus apoſtolicum. Chriſtus demonſtrat perſecutiones Apoſtolis perferendas, modumque edocet eas vincendi. Tria autem ſunt, quæ virum apoſtolicum a ſuo munere exequendo poſſunt abſtrahere, opprobria, mortis timor, & affectus carnalis: hæc omnia ibi Chriſtus ſuperanda propoſuit: primum exemplo ſui, qui vocatus eſt Belzebub: ſecundum ex tenuitate mali, nempe mortis ob Dei gloriam obeundæ, quæ ſi comparetur cum morte animæ, nihil eſt, ideoque ſubdit: *Sed timete eum, qui poteſt corpus, & animam perdere in gehennam*: tertium ex lege dilectionis, quæ jubet majus minori bonum præferri; quocirca ſubjungit: veni ponere gladium, non pacem: veni ſeparare hominem adversùs patrem ſuum: qui amat Patrem, & Matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Si adhuc lubet textum illum cadaveribus coaptare, nihil contra catholicam veritatem emerget. Contextus indicat ſepulturam nihil ad ſenſum conferre, quem corpus poſt mortem amiſit, ac propterea Chriſtus ait, qui corpora necant, nil poſſe ulteriùs. Hæc apud *S. Thomam* 2. 2. q. 32. art. 2. ad 1.

Quomodo ſepultura nihil confert corpori.

16 INSTABIS: Chriſtus poſitivè reprobat officium ſepulturæ: ergo allata interpretatio nulla eſt. *Antecedens* patet *Matth.* 8. ubi adoleſcenti ſe excuſanti à Chriſti ſequela, quòd Patri ſepeliendo avocaretur, ita reſpondit v. 22. *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*: quæ reſponſio eſt reprobativa.

RESP. *neg. ant.*, *& probationem*. Chriſtus non improbat Genitoris extincti ſepelitionem, ſed excuſationis levitatem; haud enim propter quodvis temporale deſerenda eſt Chriſti ſequela; omnia quinimmo prætermittenda juxta illud Pſal. 44. v. 11. *Obliviſcere populum tuum, & domum patris tui*; eò vel maximè quòd ſuperflua erat tanta ſollicitudo, cùm alii fungendæ ejus vicei non deeſſent; itaque dixit: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Præterea Chriſtus noverat periculum, ne ea prorſus importuna occaſio ſequacem ſibi abſtraheret; ſæpe etenim accidit, ut qui negotium aggreditur, alio ſubſequente implicetur, & de his dicitur Iſaiæ 5. v. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*! Porrò ſi filii, ne abſorbeantur triſtitiâ, à funerando patre ſunt amovendi, quantò potiùs viri ſpirituales, ne in divino obſequio tepeſcant? Deinde velim attentiùs animadvertas: vivos, & mortuos unico vocabulo mortuos appellavit, ut intelligas vitiis, & infidelitate mortuos eſſe, nec oportere cum infidelibus fideles communicare. Unica ergo reſponſione quatuor præclara documenta perhibuit: primum quòd vocatus ad perfectionis ſtatum non debet præpoſtero affectu patrem carnalem recognoſcere; quia unum habemus in cœlis patrem. Secundum quia inter fideles, & infideles ratio ſanguinis non eſt attendenda, niſi propter eorundem converſionem. Tertium quòd omnis vivens extra Chriſtum, qui vera vita eſt, mortui adinſtar eſt cenſendus. Quartum quòd infidelium mortuorum memoria neutiquam ſit apud Sanctos facienda. Vide *S. Thomam* ibidem.

Propter temporalia non eſt deſerenda Chriſti ſequela.

Peccatores mortui dicuntur.

Quatuor Chriſti documenta.

17 REPLICABIS: Si Chriſtus approbaſſet funebria, ac parentalia approbaſſet, minimè *Joannes*, cæterique timuiſſent Diſcipuli ejuſdem corpus ſepelire die feſto; opera ſiquidem miſericordiæ vetita haud ſunt nefaſtis diebus; ſed ipſum nonniſi faſto die ſepelire voluerunt. Joan. 19. v. 42. *Ibi ergo propter Paraſceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, poſuerunt Jeſum*; & hoc factum propter diem feſtum docet ibi *S. Thomas*.

CONTRA: Immo ex eo textu colligitur oppoſitum. Non erat apud Judæos nefas ſepelire feſto die, quod adnotavit *Baronius* ad annum 34. Ea verba mentem indicant piorum hominum fuiſſe, ut Chriſti corpus cultu majori in nobiliorem locum transferrent. At quia ob ſolemnia Paraſceves multitudo populi accurrebat, metus erat, ne à Judæis deprehenderentur, & Chriſti pignus malè haberetur; ideò repoſitum in monumento fuit inibi proximo.

Apud Judæos licebat ſepelire die feſto.

18 OBJICIES 2. Nequeunt Gentilium ritus a ſuperſtitione excuſari; ſed ritus funeris Chriſtiani eſt gentilis: ergo. *Minor declaratur*. Fletus, funebres habitus, obeliſchi, & alia id genus erant in uſu Romanis, Athenienſibus, Lacedemonibus, Ægyptiis,

tiis, quod habetur penes *Celium Rhodiginum* hac erronea opinione ductis, quòd inſepulto corpore, quàquà aberraret anima.

RESP. *nego min.* Familiare eſt Hæreticis ſuperſtitioni adſcribere quidquid ab Orthodoxis exercetur, quod Gentibus, vel Judæis in uſu fuerit, quaſi verò ita rationis lumine deſtitutis, ut nihil rectitudini conſentaneum fecerint, cùm tamen, ex quo ſignatum ſit ſuper nos lumen vultus Domini, plura valdè rationabilia peregerint. Et ſanè argumentum ſi valeret, cùm Gentiles, & Judæi colerent parentes, fœdera ſervarent, pauperibus ferrent opem, & ſexcenta alia, nos dum hæc eadem facimus, inſimulandi eſſemus tanquam Gentilium æmulatores; immo ne ipſi quidem Hæretici a ſuperſtitione excuſarentur, dum plura uſurpent Gentilibus communia. Multa igitur apud Idololatras ex ſpecie, optima ſunt, quæ apud Catholicos ſupernaturali ratione elevantur, ut ad vitam proſint æternam. Neque proinde opinemur inſepultis corporibus aberrare animas, quas immortales credimus, & reſurrectionis fide corpora propter Deum honoramus. Formolæ verò locutionis, quæ ad cadavera decantantur perinde aeſi aliquis iiſdem inſit ſenſus, non ſunt erroneæ ſicuti plurimæ, quæ in Scripturis habentur ad irrationales creaturas quaſi aliquem ſenſum præſeferant: ſcimus equidem cadavera non ſentire, ſed ad ea ſermonem dirigimus cum ordine ad animas, queis unitæ fuerunt, & uniendæ ſunt iterum extremo die.

Plura ex Gentilibus imitari poſſunt.

§. IV.

19 OBJICIES 3. Illud in ſuperſtitionem vergit, quod ut tale Concilia reprobaverunt Cereorum uſum in ducendis inferiis tanquam ſuperſtitioſum reprobaverunt Concilia: ergo. *Probatur min.* Antiquiſſimi, & celeberrimi Concilii Illiberitani canone 34. habetur — Cereos per diem „ placuit in Cœmeteriis non incendi; in„ quietandi enim Sanctorum ſpiritus non „ ſunt —

RESP. Hic canon magni ab Acatholicis fit ſive in hac, ſive in materia de cultu Sanctorum, & cum immani plauſu extollitur. Novimus ſanè difficultatem aliquam ineſſe propter eam cauſalem, *inquietandi enim Sanctorum ſpiritus non ſunt*. Doctorum explicatio utcunque ſit varia, nullatenus Hæreticis patrocinatur. In Hiſpaniis quoque tempore ſive antea, ſive poſt laudatum Concilium ceram in funeribus adhibitam eſſe, & in mortuis ſepeliendis, & in ſacrificiis peragendis, & in cultu Sanctorum Concilia, Patres ſynchronici apertè demonſtrant. Unum repono invictiſſimum argumentum, quod *Vigilantius* natione Gallus Narbonenſis, Barcinonenſis Eccleſiæ presbyter inſurgens contra cereorum uſum in cultum Sanctorum, quem Idololatriam vocabat, omnem movit lapidem, ut aliquid inde opponeret: & cùm plura hinc indè collegerit, locum hunc Concilii intactum reliquit, cùm cæteroqui illius ævo Conciliis proximos foret. Si Patres ii cereos

Vigilantium contra Cereos.

tanquam ſuperſtitioſos interdixiſſent, abſque dubio eum canonem tuendæ opinioni ſuæ depromſiſſent. Noverunt igitur, ubi de cereis loquitur, Concilium aliquid aliud intendere ab Hæreticis abſonum. Atque ita ſentiunt Doctores univerſi; ſed labor eſt in divinando, quænam mens Concilii fuerit.

Duplex interpretatio verborum illorum *Spiritus Sanctorum* perhibetur, & ſub qualibet diverſimodæ innectuntur gloſſæ. Primùm ly *Spiritus Sanctorum* Fideles vivi intelliguntur, juxta illud Pſalm. 47., ubi credentium cœtus dicitur *Eccleſia Sanctorum*: ad Epheſ. 4. v. 11. *Dedit quoſdam quidem Apoſtolos . . . ad conſummationem Sanctorum*, hoc eſt Fidelium: ad Philipp. 1. v. 1. *Omnibus Sanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis*: 1. Petri 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta*: Juda in ſua Canonica. *Supercertari ſemel traditæ Sanctis fidei*. Juxta hanc opinionem Illiberitanum Concilium cereos incendi prohibuit occaſione alicujus inconvenientis inter Fideles, qui ad monumenta vigilabant; quod ipſum ſuadetur ex ſequenti canone 25. — Placuit prohiberi, ne fœminæ in Cœmeteriis pervigilent, „ eo quòd ſæpè ſub obtentu orationis ſce„ lera latenter committant — Quemadmodum ergo propter ſcandala ſacræ ad monumenta vigiliæ abrogatæ ſunt: haud aliter propter inconvenientia prohibetur cereorum uſus. Quale tamen foret hujuſmodi inconveniens, res eſt indaginis ſubobſcuræ. Quidam autumant Miniſtros Altaris, Sacerdotes, Epiſcopos, Chorepiſcopos perturbari conſueviſſe in ſacrificiis, pſalmodiis, concionibus ex magna ingredientium, & regredientium frequentia ad lumina capeſſenda. Hæc explicatio parùm quadrat; ſiquidem Cœmeteria dum extra Eccleſiam habebantur, turbæ in Eccleſia non fuiſſent. Ulteriùs nullus ex adſtantibus ab Eccleſia egrediebatur, niſi ad *Ita Miſſa eſt* ſecundùm veterem conſuetudinem; poterat tamen ille ex proximo tumultus officere Celebrantium quieti, præſertim fumus, & lucis immodicæ reverberatio.

Spiritus Sanctorum ſunt Fideles.

Prohibitio fœminis nocte orandi in Cœmeteriis.

ALTERA expoſitio eſt: eò confluentes ad orandum impediebantur ex Chriſtianorum multitudine, ſive ex nimia cereorum cura, ideoque dicitur, *non enim ſunt inquietandi Sanctorum ſpiritus*, ideſt Fideles. Per ea tempora ad Martyrum cryptas turmatim convolabant Chriſticolæ miraculorum ſtrepitu acciti. Sic canonem exponit *Garſias Loayſa* Conciliorum Hiſpanienſium collector.

TERTIA expoſitio cauſatur jurgia inter ipſos Fideles dum ſuum quiſque cereum proximius niteretur ad ſepulchra Martyrum accendere, unde adinvicem fortaſſe pellebant ſeſe, & inde ſcandalum erat. Veruntamen interpretationes hæ mihi non multùm arrident; quandoquidem magnam populorum frequentiam adſtruunt, & publicam orandi libertatem, quæ iis profectò Gentilium tempeſtatibus etiam in Hiſpania ſævientium non videtur poſſe confingi; præſertim quòd aliis eo ex Concilio canones emanarunt ad ſuperſtitiones præcavendas. Celebratum

eſt etiam probabilius anno 300., vel 301. quo Chriſtiana res paganorum jactabatur, & plerique ſuperſtitioſi ritus vigebant.

QUARTA expoſitio docet canonem illum ab Illiberitanis Patribus editum eſſe, ut *Neophitos* confirmarent ex infidelitate recèns converſos. Iti ſiquidem in fide debiles, & ſuperſtitioſis aſſueti cæremoniis illa in ſepulchris luminaria conſpicientes, hoc rebantur fieri ex eodem Gentilium ritu. Cui ut errori proſpicerent, ii Patres illud decretum condiderunt Apoſtolorum prudentiam imitati in Jeroſolymitano Concilio act. 15., ubi Judæorum infirmitati circa legalia conſultum eſt.

Aliter alii eadem verba explanant. Nomine ſpirituum ſanctorum ſubintelligunt Fideles Defunctos, qui, ùt diximus, Sancti nuncupantur. Quamobrem generali ſanctione Concilium prohibuit cereorum uſum ſuperſtitioſè ab aliquibus uſurpatum. Aſt quænam ſuperſtitio ea fuerit, diſſident Interpretes. Quibuſdam ea ſuperſtitio videtur interdicta utpote lucernis ſimilia, quæ tumulis Gentilium includebantur opinantium cadavera in tenebris recondita luminibus juvari, illuſtrarique, & hoc erat ſpiritus inquietari; ſicut ab Apoſtolo ad Epheſios 4. v. 7. dicitur Spiritus Sanctus peccatis hominum contriſtari: & *D. Ambroſius* lib. 2. Epiſt. 8. dixit, non eſſe mœſtificandam lacrymis animam Sororis defunctæ, quia inordinatus dolor Sanctis diſplicet.

Spiritus Sanctorum veniunt Defuncti.

Alii ſuperſtitionem ponunt in uſu magiæ, quo tempore vigebat error ex Gentilitate, & ea ſimoniaca labe manans; fama enim ferebat magicâ vi Defunctorum animas ſuſcitari; quamobrem Saul 1. Reg. 28. Pythoniſſam ante quæſivit, quæ Samuelis animam evocaret: *Plinius* lib. 30. cap. 2. fert Appionem exciviſſe manes Homeri, ut diceret, quâ patriâ, quibus parentibus eſſet progenitus: *Cicero* orat. in Vatinium, ipſum redarguit auſum inferorum umbras cière: *Horatius* Satyra 8. lib. 1. veneficæ Canidiæ præſtigia meminit: *Suetonius* in vita Neronis cap. 34 narrat, qualiter ſpectro, ac terriculamento interfectæ Matris vexatus, furiiſque actus per Magos tentaſſet animam ejus evocatam vorare; alia perhibentur innumera præſertim apud Hiſpanos, queis Necromantiæ ars in pretio erat ob clarum Auctoris nomen, Mercurii ſcilicet Triſmegiſti, teſte *Prudentio* lib. 1. contra Symmacum. Perniciosior tamen erat labes ſimoniaca ex *Simone Mago* profecta, qui ſe præditum divina virtute jactitabat ſuſcitandi Defunctorum animas etiam Prophetarum, ac Sanctorum, contra quam Sancti inſurrexere Patres in Controverſia V. tertiæ Partis Tractatus II. a nobis citati, ubi de apparitione Samuelis, nervosè probavi non poſſe magica arte Sanctorum animas evocari. Porrò ad eas incantationes utebantur etiam lucernis, & luminibus, ùt refert Plinius *lib.* 28. *cap.* 8., & *lib.* 30. *cap.* 2. Igitur Patres Illiberitani, ut penitus abraderent peſſimam conſuetudinem, qua èt fideles aliquatenus capti erant occaſione vigiliarum, quæ cum cereis ad monumenta fierent, omnino eos ſuſtulere, ea cauſali appoſita, *ſpiritus inquietandi non ſunt*, ideſt excitandi, evocandi juxta illud Samuelis ad Saulem: *Quare inquietaſti me?*

Nero exagitatus a ſpecie Matris.

Cerei prohibentur propter abuſum artis magicæ.

Expoſitionem hanc Vaſquez non probat 3. *p. diſp.* 112. *cap.* 7. *n.* 5. ex eo quòd prohibentur cerei per diem; nox autem erat præſtigiis aptior. Id quidem per ſe verum eſt, ſed fideles non ſpiritum, ſed umbram nocturnam apparere dictitabant, quos ut fallerent Magi, in medio ſole diſpoſitis facibus umbras advocabant.

Deinde ait magicis artibus animas non poſſe inquietari, etiamſi in phantaſmate ope Dæmonis appareant; unde plerique Patrum negant veram Samuelis animam apparuiſſe; ſed hæc nihil probant. In comperto erat Illiberitanis Patribus animas Defunctorum non acciri incantationibus, & inter Divina miracula reponendam Samuelis apparitionem. Veruntamen noverant pleroſque Fidelium capi a Præſtigiatoribus, qui Dæmonis aſtutiâ adducebant evanidas mortuorum figuras, & ideo ut occaſionem tollerent erroris, cereos prohibuerunt. Quare illa cauſalis, *non ſunt enim inquietandi ſpiritus*, non ſupponit realitatem, ſed apparentiam; *non ſunt inquietandi*, ideſt tentari non debet, ut evocentur.

Decepti Fideles a præſtigiatoribus.

Alia ſatis celebris expoſitio docet, Concilium cereos amoviſſe a Cœmeteriis, ne Gentiles per ea lumina admonerentur, ubinam eſſent Martyrum ſepulchra; quibus proruendis inhiabant. Tertullianus *in Apolog. c.* 37. — „ Nec mortuis parcunt Chriſtianis, quin „ illos de requie ſepulturæ, de aſylo quo„dam mortis jam alios, jam nec tota „ avellant, diſſecent, diſtrahant — Ambroſius *Epiſt. XI.* reſpondens Symmaco habet — „ Ubi tunc erat iſta ſententia, cùm direp„tis Chriſtianorum omnium facultatibus „ ipſos vitales anhelitus ſpiritus inviderent, „ & nullis uſquam negata Defunctis inhi„berent ſupremæ commercia ſepulturæ. „ Quos Gentiles præcipitaverunt, maria „ reddiderunt — Optatus Milevitanus *lib.* 6. — „ Quid referam etiam illam impietatem de „ veſtra conjunctione venientem, quia ad hoc „ Baſilicas invadere voluiſtis, ut vobis ſolis „ Cœmeteria vindicetis: non permittentes „ ſepeliri corpora catholica, ut terreretis vi„vos, malè tractatis & mortuos, negan„tes funeribus locum. Si inter viventes „ fuerat certamen, odia veſtra, vel mora „ aliena compeſcat. Jam tacet, cùm quo „ paulo ante litigabas. Quid inſultas fu„neri? Quid imputes ſepulchræ? Quid cum „ mortuis litigas? Perdidiſti malitiæ fru„ctum — Ne igitur ſacra loca facilè innoteſcerent, cerei ſunt ablati. Animas vocari Reliquias, & corpora ex Scripturis habemus, & *Rupertus* probat ad cap. 6. Apocalypſis.

Cerei vetiti ſunt, ne ſacra loca innoteſcerent Gentilibus.

Alii quoque eâ ſententiâ ducuntur, ut putent interdicta fuiſſe lumina; quia nonnulli rebantur luminariis juvari etiam Martyrum animas, ſicuti Defunctorum, qui in Purgatorio detinentur; ſed hoc a veritate alienum eſt. Nam nocturnas vigilias viris permiſit Concilium in laudato canone 25., ubi prohibentur fœminæ. Abſque cereis autem

autem celebrari non poterant vigiliæ nocturnæ, cùm in cryptis, & ſubterraneis locis Sancti Martyres ſepelirentur. Hoc clarè eruitur ex deſcriptione, quam facit *S. Prudentius* de Cœmeterio S. Cyriacæ in agro Verano Hymno XI. in paſſione *Hyppoliti* Martyris.

Haud Procul extrema culta ad Pomeria vallo
Merſa latebroſis crypta latet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet;
Primas namque fores ſummo tenus intrat hiatu,
Illuſtratque dies limina veſtibuli.
Inde ubi progreſſu facili nigraſcere viſa eſt
Nox obſcura loci per ſpecus ambiguum,
Occurrunt caſis immenſa foramina tectis,
Quæ jaciunt claros antra ſuper radios.
Quamlibet ancipites texunt hinc inde receſſus
Arcta ſub umbroſis atria porticibus.
Attamen exciſi ſubter cava viſcera montis
Crebra terebrata fornice lux penetrat
Sic datur abſentis per ſubterranea Solis
Cernere fulgorem, luminibuſque frui.

S. Hieronymus de uſu peragendi vigilias in cryptis loquitur ſuper Ezechielem cap. 40. — „ Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus „ ſtudiis erudirer, ſolebam cum cæteris „ ejuſdem ætatis, & propoſiti diebus Dominicis ſepulchra Apoſtolorum, & Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſæ „ ex utraque parte ingredientium, per parietes habeant corpora ſepultorum, & ita „ obſcura ſunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur, *deſcendant ad* „ *Infernum viventes*; & rarò deſuper lumen „ admiſſum horrorem temperet tenebrarum, „ ut non tam feneſtram, quam foramen dimiſſi luminis putes: rurſumque pedetentim acceditur, ut cæca nocte circumdatis „ illud *Virgilianum* proponitur: *Horror ubique* „ *animos ſimul ipſa ſilentia terrent* — Ex quo patet, quòd cerei neceſſarii erant ad nocturnas vigilias.

Uſus peragendi vigilias in cryptis.

§. V.

20 OBJICIES 4. Opus plenum vitiis eſt omnino ſuperſtitioſum; ſed cura funeris, prout adhibetur a Papiſtis, res eſt vitiis plena: ergo. *Minor explicatur*. Violenter extorquere pretium ſepulturæ, exigere cereos, rapere veſtes mortuorum, avaritiam ſapit, & venale ſtudium, & de aliena morte gaudium, & gratulationem. Atqui Papiſtarum conſuetudo eſt, ut pretium extorqueant ſepulturæ, & de eo lites moveant, rapiant cereos, quos ne accendunt quidem, ornatus quandoque detrahant, cadavera turpiſſimè expoliantes, quæ omnia a primitivæ Eccleſiæ ſanis moribus abhorrent can. *Quæſta eſt nobis*: can. *Poſtquam*: can. *Præcipiendum* 13. q. 2. ergo ritus præſentis Eccleſiæ eſt ſuperſtitioſus.

RESP. Defecerunt Hæretici ſcrutantes ſcrutinio, & dum Romanæ cenſores Eccleſiæ fiunt, ſeipſos damnant. Sanè quod ex natura ſua, & ex circumſtantiis ſibi propriis eſt plenum vitiis, utique malum eſt. Quod tamen vitiatur ex perſonarum abuſu, non eſt malum. Phariſæos bis in Sabbato ex hypocriſi jejunat; ergone jejunium eſt ſuperſtitioſum? Rutam, & mentam decimant Scribæ, ut ab hominibus videantur; num igitur decimarum ſolutio, aut mortificatio vana eſt? Dat mutuum cum uſura Hebræus; an propterea mutuum dare res improba eſt? Si, quòd nonnulli peccent in uſu rerum per ſe bonarum, malum eſt, quæſo, ne bibant *Lutherani*, quia plures ex ipſis inebriantur. *Calviniſtæ* ne nubant; nam plures frangunt fidem: utrique ne vendant, nec emant; quia ſæpè fraudes committunt. Canones igitur allati non improbant funeris curam, immo laudant expreſsè, & præcipiunt exemplo Abrahæ, qui Saram curavit ſepelire, & ex illo Eccleſ. 7. v. 37. *Mortuo non prohibeas gratiam*, ſciens quoniam omnes morimur; ſed redarguunt pretium ſepulturæ, ne venalis videatur Eccleſia; & quia turpe eſt vendere terram, in quam redigendi ſumus. Ex quo Acatholici laudent Romanam Eccleſiam, quæ benè novit diſtinguere pietatis officia a peccatis, illa promovere, hæc emendare, illa præcipere, hæc punire. Et quia eadem Eccleſia in ea perſeverat integritate, qua ab initio condita fuit, ideo etiam recentioribus Conciliis vetat quicquam exigi pro ſepultura non obſtante quacumque conſuetudine: can. *Non ſatis extra*: *de ſimonia* ex Concilio Turonenſi approbante ALEXANDRO III. — Pro ſe„ pultura quoque nulla cujuſquam pretii „ exactio attentetur, nec ſub obtentu cu„ juſcumque conſuetudinis reatum ſuum quis „ tueatur; quia diuturnitas temporis, non „ diminuit peccata, ſed auget — Et ex cap. *Cùm in Eccleſia* ex Concilio Lateranenſi III. interdicitur, ne quid pro ſepulturis, aut mortuorum exequiis erogetur in pretium, non obſtante quacumque conſuetudine — Pu„ tant autem plures ex hoc licere, quia „ legem mortis de longa conſuetudine in„ valuiſſe arbitrantur: non attendentes, quod „ tantò graviora ſunt crimina, quantò diu„ tiùs infelicem animam tenuerunt alliga„ tam — idem cap. *Abolenda* extr. de ſepulturis ex INNOCENTIO III., Concilium Mediolanenſe IV. ſub S. Carolo Borromæo in inſtructionibus, item Concilium Nannetenſe Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus. Permittitur quidem aliquid gratis dari, ſi ex conſuetudine, vel ſi aliquod ſit ſtatutum ab Epiſcopo tanquam portio quædam decimarum; & tunc ſi non ſolvatur, poteſt exigi, ex tamen moderatione, qua decimæ neglectæ exigi ſolent: ſic habemus can. 66. Concilii Lateranenſis, ex Synodo Rothomagenſi, Remenſi, Turonenſi, Mediolanenſi prima.

Aliqua ſunt mala ex ſe, aliqua ex vitio particulari.

Reprobatur ab Eccleſia abuſus in ſepeliendis mortuis.

21 OBJICIES 5. Illud opus eſt nefarium, quod ex affectu carnis procedit, & innititur præſumptioni, corpora ſcilicet juvari ex ſepultura in loco ſacro, & quod involuit

per-

perſonarum acceptationem. Funus ex ritu Papiſtarum eſt hujuſmodi: ergo. *Prob. minor* per partes. Sepulturam mortuorum ex affectu carnis oriri docet canon. *Non æſtimemus* qu. 2. 13. Inniti præſumptioni, quòd loco ſacro corpora juventur, patet ex diligentia ab iis adhibita, ut loca ſeligant ad tumulum ſanctiora. Attamen antiquitus vetabantur ſepeliri in Eccleſia, ùt patet cap. *Præcipiendum*, & non juvari declaratur can. *Quibus* cădem causâ, & quæſtione. Involvi perſonarum acceptationem conſtat ex cap. *Nullus* ibidem, ubi excipiuntur perſonæ modicæ a ſepultura in loco ſacro.

Inordinatus affectus carnis reprobatur.

RESP. Argumentum hoc undequaque ſcatet dolis, mendaciiſque, & ſacros canones peſſimè diſtorquet. Non omnis affectus carnis, ſed tantummodo inordinatus reprobatur, qualis certè non ille eſt, quem canon *Non æſtimemus* adſtruit, & commendat; quia humanitatis officium eſt id, quod ipſi ex naturali rectitudine Infideles exercent. Quare multò magis concludit ab illis eſſe faciendum, qui mortuorum reſurrectionem credunt æternùm in cœlis regnaturi. Concedimus nullas olim in Eccleſiis fuiſſe ſepulturas, tum quia lege decem tabularum vetitum erat apud Gentiles ſepeliri intra mœnia Civitatis, tum quia Eccleſiæ paucæ erant, & perangustæ, quæ ſepulchra vix caperent, tum quia Paganiſmus invadans impediebat, ne plurimæ fierent ſecundùm Chriſtianam pietatem. Redditâ poſtmodum Eccleſiæ pace, & Cœmeteria propè Eccleſias, & intra ſepulturæ fabricari cœperunt non ex eo, quòd crederent terræ qualitate juvari cadavera. Hoc enim ſtultum eſt, ſemperque cum *Auguſtino* lib. de Cura pro Mort. Eccleſia tenuit, quòd terra vilis non obſit, nec proſit pretioſa; ſed quia Fideles, dum prope Sanctorum tumulos orant, eorum poſtulant adjutorium pro Defunctis, & tradit *S. Maximus* Ser. in Natali Sanctorum — Ideo hoc

Quare antiquitus in Eccleſiis non erant ſepulturæ.

Quid juvat ſepeliri in Eccleſiis.

„ à majoribus proviſum eſt, ut Sanctorum „ oſſibus noſtra corpora ſociemus, ut dum „ illis Chriſtus illuminat, à nobis tenebra- „ rum caligo diffugiat: cum Sanctis ergo „ Martyribus quieſcentes evadimus inferri „ tenebras eorum propriis meritis: attamen „ conſcii ſanctitate — Canone verò *Quibus*, dicitur nihil prodeſſe ſepeliri in Eccleſia illis, qui moriuntur in peccato — Quibus „ peccata dimiſſa non ſunt, à ſacris locis poſt „ mortem juvari non poſſunt, quia quos „ peccata graviora deprimunt, ſi in ſacris „ locis ſe ſepelire faciunt, teſtat, ut ſuæ „ præſumptione judicentur, quia eos ſacra „ loca non liberant, ſed culpa temeritatis „ accuſat — Cæterùm aliis prodeſſe explicat ſequens canon — Cùm gravia peccata non „ deprimunt, hoc prodeſt mortuis, ſi in „ Eccleſia ſepeliantur, quòd eorum proximi „ quoties ad eadem ſacra loca veniunt, „ ſuorumque ſepulchra aſpiciunt, recordan- „ tur, & pro eis Domino preces fundunt — Quod additur de acceptatione perſonarum ex canone *Nullus*, quid evincit? Ibi non excluditur ulla Fidelium perſonarum qualitas, ſed infidelium, ideò enumeratis inſignioribus perſonis additur, *vel Fideles Laici*, contra Paganos.

In Eccleſia ſepeliri non prodeſt peccatoribus.

22 OBJICIES 6. Vanum eſt, quod diffidentiæ, & ſuperbiæ eſt ſignum. Hujuſmodi eſt fletus ſuper mortuos, ùt habetur can. *Ubicumque* quæſt. 2. 13. — Lugere au- „ tem, & deplorare, & lamentari, qui ex „ hac vita decedunt ex puſillanimitate con- „ tingit, & nonniſi ſuperbiam, & vanita- „ tem ſapiunt obeliſci ſepulchrorum —

RESP. Fletum ex ſe non eſſe malum, nec ſignum diffidentiæ probant Scripturæ, quas adduximus, & exemplum Chriſti Domini, quem aliquando fleviſſe legimus. Fit ergo malus ex inordinato affectu lugentis, & hunc vetat citatus Canon. Quælibet virtus duo inter extrema verſatur; nec propterea deſinit eſſe virtus, ex quo aliqui in alterutrum extremum cadant. Bonus eſt uſus obeliſcorum: malus efficitur ex abuſu hominum. Ab Eccleſia ad bonum finem ordinantur. Homines excellentes digni ſunt, ut in hominum memoria vivant. Obeliſci ſunt quoddam virtutis præmium, & ingentium virorum, quos imitemur, facta ingentia commemorant. Duo potiſſimùm intenduntur: primum excitare memoriam fragilis vitæ noſtræ, quæ èt magnatibus eſt communis, ut diſcamus inde cor retrahere abs terrenis hiſce vanitatibus: ſecundum mentem ad meliorem vitam promovere, quâ pii in altero ſeculo fruuntur.

Quid intenditur per obeliſcos.

23 OBJICIES 7. Opus doloſum eſt nequam; pompa funeris in Eccleſia recenti eſt doloſa: ergo. *Explicatur minor*. Pompa hodiernæ conſuetudinis poſita eſt in multiplici anniverſario, & cereorum faſtu immani, quæ eò tendit, ut Eccleſiaſtici diteſcant. Cæterùm ad nihil proſunt ceræ intortilia, nec corpora, nec animas ſolantur: anniverſaria incaſsùm iterantur, cùm unum ſatis, ſuperque ſit. *Auguſtinus* lib. de Cura pro Mortuis docet, ſepulturam, & funeris pompam ſolatia eſſe Vivorum, non Mortuorum præſidia.

RESP. *nego min.* Sicut argumenta priora, ita èt hoc tangit vitia, quæ lex prohibet. Anniverſaria multiplicantur, quia nos latet certus Defunctorum ſtatus. Si enim innoteſceret eos jam Deo potiri, pro eodem Defuncto ceſſarent ſuffragia. Renovantur inſuper non pro eo dumtaxat, qui legatum inſtituit, ſed pro omnibus de familia ſubinde deceſſuris; queis niſi profuerint, tranſit fructus in theſaurum Eccleſiæ, ut per indulgentias cæteris proſit. Cerei autem deſerviunt ſigno proteſtationis fidei, in qua vixerunt Fideles, & argumento æternæ lucis, quâ gaviſuros ſperamus. Conjuncti etiam precationibus ſuffragium præſtant, ut benè advertit *D. Athanaſius* apud *Damaſcenum* lib. 1. de Mortuorum Suffragiis — Si quis diem „ obierit, licèt in aere deponatur inhuma- „ tus, ne omiſeritis oleum, & ceram, invo- „ cato Chriſto Deo, ad ſepulchrum accede- „ re. Accepta enim Deo ſunt, plurimam- „ que ſecum referunt retributionem; oleum, „ & cera holocauſtum eſt; incruentæ verò „ hoſtiæ oblatio propitiatio — Idem *Chryſoſtomo* Hom. 70.. Si abuſus inoleverunt, ſemper ſunt ab Eccleſia reprehenſi. Adea laudatum *Chryſoſtomum* Hom. in Ioannem 84.

Oleum, & cera antiquitus in funere.

Hinc

Hinc lethaliter peccant, qui quemquam inducunt ad votum, vel juramentum, vel A promiſſionem, ut ſua in Eccleſia ſepeliatur, vel electam non mutet ſepulturam. Prohibetur ſub præcepto obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ: electio non tenet, & quiſque ſepeliendus in ea eſt Eccleſia, quæ jus habet: cadavera, ſi petantur, reſtituenda ſunt, & omnia, quæ inde provenerunt emolumenta intra decem dies ſub pœna interdicti cap. *Animarum* in 6., cap. *Cupimus*, lib. 5. Clement., & alibi ponitur excommunicatio Papæ reſervata contra Religioſos, & Moniales ad hujuſmodi promiſſiones inducentes. Ad id, quod dicitur ex *Auguſtino* ibi ſolummodo ſepulturam per ſe B dicitur non eſſe præſidium mortuorum; ſed vivorum ſolatium. Cæterùm inibi Defuncti ſolamen habent, quatenus eorum animæ faciliùs ſuffragiis adjuvantur.

Peccant, qui inducunt ad eligendam ſepulturam in ſua Eccleſia.

24 DICES: *Ambroſius* lib. 2. de Abramo cap. 9. ſuper illud Geneſis 23. — Sur„ rexiſſet Abraham ab Officio funeris, *dicit*, „ docemur, ut non diutiùs inhæreamus „ mortuis, ſed quantam ſatis eſt officii deſe„ ramus — ergo anniverſaria a *S. Doctore* reprobantur.

CONTRA. *Ambroſius* non rejicit frequentiam orationis, ſed fletum, & dolorem; nam de oratione idem in *Valentianum* habet — Beati ambo, ſi quid meæ orationes C „ valebunt. Nulla dies vos ſilentio præteri„ bit, nulla inhonoratos vos mea tranſibit „ oratio, nulla nox non donatos aliqua pre„ cum mearum contextione tranſcurret; om„ nibus vos oblationibus frequentabo.

CONTROVERSIA II.

AN SIT FUTURA MORTUORUM RESURRECTIO.

25 CUm diximus pium eſſe, & laudabile corporibus Defunctorum parentalia ſolvere, rectus ordo poſtulat, ut examinetur, an ita in ſepulchris D cadavera putreſcant, ut nunquam ſint vitam receptura, quod ipſum eſt *reſurgere*. Miſſis itaque variis acceptionibus hujuſce vocis RESURRECTIO, quæ nihil faciunt ad rem, nos eam accipimus, prout ſumitur ab *Auguſtino* lib. 8. de Trinitate cap. 5. — Quid „ eſt autem aliud reſurgere niſi reviviſcere, „ ideſt ex morte ad vitam redire — Hinc reſurrectio, prout ab Eccleſia uſurpatur, deſcribitur: *quòd ſit mutatio ſubſtantialis, qua res ſubſtantialiter corrupta, eadem numero reparatur*. E

Definitio reſurrectionis.

Dicitur *mutatio*, ut a creatione diſtinguatur: ſi enim animam iterùm ex nihilo Deus produceret, non eſſet in rigore reſurrectio: debet eſſe ſubjectum, quod a forma cadaverica, vel pulvere tranſeat ad priorem viventis formam. Dicitur *ſubſtantialis*, ut diſtinguatur ab aliis mutationibus, ubi eadem reproducuntur accidentia. Dicitur *qua res ſubſtantialiter corrupta*, ut diſtinguatur ab alteratione, per quam res aliqualiter immutantur, ſed non diſſolvuntur. Dicitur *eadem numero reparatur*: niſi enim eadem, ſed alia numero, vel ſpecie producatur, erit multiplicatio, non reſurrectio. Explicatis terminis quærimus, *an aliquando ſit futura hominum reſurrectio*.

26 Circa hunc articulum in vias diverſas plerique aberrarunt; alii circa ſubſtantiam, alii circa modum: in præſentiarum quærimus de ſubſtantia acturi in ſequentibus de modo. Circa ſubſtantiam plerique Philoſophorum reſurrectionis dogma rejiciunt ad fabulas, quemadmodum refert *Tertullianus* lib. de reſurrectione carnis, licèt aliquam admiſerint mutationem, quatenus animæ de corpore in corpus demigrent. *Porphirius* reſurrectionem carnis negavit ea ductus ratione, quòd corpus humanum præ ſua gravitate nequeat cœlos ſcandere, & contemplationem ſpiritus impediat; idem myſterium deridebant ex teſtamento veteri Saducæi, & Samaritani *Matth.* 22., *Act.* 23., & apud *Epiphanium* hær. 9, & 13. Ex novo *Hymenæus*, & *Philetus* 2. Timoth. 2., *Simon Magus* apud Epiphan. hær. 2. *Carpocrates* admittebat animarum, non corporum reſurrectionem, teſte *Irenæo* lib. 1. cap. 24. In eadem hæreſi fuit *Apelles* apud Tertullianum de præſcriptionibus adverſùs hæreſes. *Marcion* tenuit ſolas animas, non corpora ſalvari; ſic *Irenæus* lib. 1. cap. 29., & *Epiphanius* hær. 42. Manichæi ſolas animas reſurrecturas dicunt, teſtibus Auguſtino, Epiphanio, & Theodoreto: *Hieras* pariter Manichæis adhæſit, ùt Epiphanius adnotavit hær. 59. *Albigenſes* item inficiantur corporis reſurrectionem apud S. Antoninum p. 4. ſummæ tit. 11. cap. 1. §. 5. *Cochlæus* de dictis, & factis Lutheri idem tribuit *Almerico*. Primo ſæculo *Baſilides* genere Alexandrinus inter alia commenta hoc etiam apertè docuit, ſoli animæ repromiſſam eſſe ſalutem; quem ſecutus eſt filius nomine *Iſidorus* paternæ impietatis heres, & propugnator, ùt teſtatur *Clemens Alexandrinus* lib. 3. Stromatum. Neque ex Neotericis deſunt, qui eandem propagnent hæreſim: *David Georgius* apud Coclæum de actis Lutheri, Anabaptiſtæ ex Genebrardo apud Reſcium. In Lituania *Lovas* quidam ex Judæo Chriſtianus, ex Chriſtiano Zuinglianus, & demum Ateiſta, cujus cadaver terra evomuit hiatu immani nunquam ſatis expleto. Apud *Prateolum* Miniſter quidam dixit nihil melius excogitari poſſe pro abolendis Romano Pontifice, Miſsâ, & Purgatorio, quàm dicere animam cum corpore perire. Idem a *Sleidano* lib. 5. Hiſt. tribuitur Luthero, qui peſſimum hoc dogma adſtruxit, ut fides de Purgatorio, & de invocatione Sanctorum prorſus everteretur: & Anonymus *Calviniſta* in theſibus ann. 1568. hanc quoque inſevit tremendam blaſphemiam, quidquid de animarum immortalitate Antichriſtus (ideſt Papa) ad ſuæ pinguedinem culinæ excogitavit, pro vano habendam. Porrò cùm dicitur ſolùm anima ſalvari, ùt a *Baſilide*, & aliis, in eo ſenſu venit propoſitio, quòd anima a peccatis reſurgit, a ſtatu mortalitatis ad gloriam, ſeu ùt alii opinantur, quòd homo ſciat animam ſuam fore immortalem, & viventem perpetuò in cœlis,

cælis, nobiſque vitam Chriſtum ſua morte reſtituiſſe per hoc, quod nos mori minimè cognoſcamus: ita *Libertin.* apud Bullingerum contra Anabaptiſtas lib. 2. cap. 14.

§. I.

STABILITUR CATHOLICA VERITAS.

27 DICO cum univerſis Catholicis *futuram eſſe mortuorum reſurrectionem.* PROB. 1. ea veteri Teſtamento Exod. 3. v. 15. Deus dicitur: *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob*; ſed non eſt Deus mortuorum, ſed viventium: ergo Abraham, Iſaac, & Jacob vel actu vivunt, vel aliquando debent ad vitam redire; ſed non actu vivunt; quia ex Scripturis mortuos habemus: ergo aliquando ad vitam redibunt.

Deus non eſt mortuorum, ſed viventiũ.

Argumentum eſt Chriſti Domini Matth. 22. v. 31. reſpondentis Saducæis reſurrectionem improbantibus: *De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis, quod dictum eſt a Deo dicente vobis: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.*

28 DICES. Nulla eſt hæc illatio; ſtat enim Deum eſſe viventium, etiamſi non reviviſcant, ut hoc enim ſit verum, corpora ſufficit, ut vivant ſecundùm animam, quæ eſt immortalis.

CONTRA. *Maldonatus* ad hunc locum ſentit, Chriſtum non adduxiſſe argumentum neceſſarium, ſed tantùm probabile, ut magis Saducæorum confunderet ignorantiam, qui quid reſponderent, neſciebant. Sed hoc non eſt è dignitate Chriſti, quòd qui totam edoceret Eccleſiam, minùs efficaci argumento ſit uſus circa primarium Fidei articulum. Tanto magiſtro concedenda eſt ſumma veritas, & illatio infallibilis in ſuis ratiociniis, qualicumque modo arguat ſive abſolutè, ſive ad hominem, ſive ea aliorum principiis, & tunc maximè, ubi aliquam ſtabilire Fidei ſententiam velit. Si enim percunctanti mulieri, quæ ſeptem viros habuerat, reſolutoriè reſpondens *quòd in reſurrectione non nubent*, certam veritatem docuit: ſanè certiori modo uſus eſt, ubi articulum probare voluit, dum minimè interrogatus, ſed ſponte ſua rationem ſubdidit. Et ſanè non minùs certo principio aliqua concluſio probari debet, quàm ſolvi objectio contra ipſam. Deinde eſto, quòd Saducæi neſciviſſent argumento tantùm probabili reſpondere ob aliud principium, quod ii admittebant circa mortalitatem animæ, tamen facilè reſpondiſſent Hebræi, qui animæ immortalitatem aſſerebant, & quidem libenti animo hoc feciſſent nacti hinc occaſionem irridendi Chriſtum, quem pluries eo die tentaverunt, ut caperent in ſermone. Irridendi, inquam, perinde ac ſi fuiſſet inſufficienti diſcurſu argumentatus. Quare melius eſt cum *Auguſtino*, noſtram fateri ignorantiam, quàm certitudinem, & veritatem in verbis Chriſti negare.

Cùm igitur hanc Chriſtus rationem attulerit, rectumque ejus Scripturæ ſenſum traderet, circa quam ibidem ignorantiæ redarguit Saducæos, certè legitima fuit illatio. Hinc communiter ajunt argumentum efficaciſſimum fuiſſe ad hominem: Saducæi ex animæ immortalitate concedebant inferri corporum reſurrectionem. Porrò ex illo textu Chriſtus probat evidenter immortalitatem animæ. Si enim non eſt mortuorum Deus, ſed viventium, neceſſe eſt, ut Abraham, Iſaac, & Jacob viverent, quando illud ſcripſit Moyſes; ſed non corpore, cùm referat mortuos, & ſepultos: ergo animâ.

Efficacia argumẽti Chriſti contra Saducæos.

Et quòd Chriſtus abſolutè arguat reſurrectionem, ſequenti diſcurſu oſtendit *S. Thomas* 3. p. in ſupplemento quæſt. 75. ad 2. art. 1. — „ Dicendum, quòd anima Abraham non eſt, „ propriè loquendo, ipſe Abraham, ſed eſt „ pars ejus, & ſic de aliis. Unde vita „ animæ Abrahæ non ſufficeret ad hoc, „ quòd Abraham ſit vivens, vel quia Deus „ Abraham ſit Deus viventis, ſed exigitur „ vita totius conjuncti, ſcilicet animæ, & „ corporis, quæ quidem vita, quamvis non „ eſſet actu, quando verba proponebantur, „ erat tamen in ordine utriuſque partis ad „ reſurrectionem; unde Dominus per illa „ verba ſubtiliſſimè, & efficaciter reſurre- „ ctionem probat —

29 INSTABIS. Subſiſtit propoſitio quoad totum relatè ad tempus, quo vivebat Abraham, & reddit hunc ſenſum: Ego ſum Deus, quem Abraham, dum erat in Mundo, adoravit: ergo non colligitur reſurrectio, nec abſolutè, nec ad hominem contra Saducæos.

RESP. cum *Chryſoſtomo*, *Euthimio*, aliiſque Patribus, ly *ſum* non eſſe in ſenſu præterito, ſed præſenti accipienda, ut verificetur eſſe Deus Abraham, quando verba ſunt prolata; & tunc aliqua parte vivere patet, tum quia Chriſtus inſipienter omnino, & inefficaciter aſſumpſiſſet locum illum ad probandam reſurrectionem; tum quia ly *ſum Deus Abraham* eſt ejuſdem ſignificationis, ac ly *non eſt Deus mortuorum*; ſed ly *eſt* ſtat pro præſenti: ergo etiam ly *ſum* pro præſenti. Ulteriùs quæ in eodem textu *Exodi* ad præteritum, vel futurum pertinent, verbis præteriti, vel futuri temporis exprimuntur, & ſic dicitur *Clamor Filiorum Iſrael venit ad me: mittam te: ero tecum*, & hujuſmodi. Demùm ly *ſum Deus Abraham* ponitur tanquam aliquod prædicatum excellens, & valdè expreſſivum Divinæ dignitatis, immo ùt conſtitutivum Divinæ Eſſentiæ; ſiquidem poſtquam Moyſes petiit, *ſi dixerint mihi, quod eſt nomen ejus, quid dicam eis?* Deus ait, *Ego ſum, qui ſum*, & iterùm: *Hæc dices filiis Iſrael: Dominus Deus Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob miſit me ad vos, hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.* Ecce qualiter eſſe Deum Abraham pertinet ad conſtitutivum, & per conſequens ly *ſum* ſtat de præſenti ita, ut verificetur, nunc, & in æternum vivere Abraham; aliàs dictum illud, *hoc eſt nomen mihi in æternum* falſum contineret, & ſolùm verum eſſet fuiſſe Deum Abraham, non autem eſſe nunc. Igitur vera eſt illatio, quòd anima Abraham

Qualiter eſt Deus Abraham.

ham vivat, & inde ſequitur alia illatio, quòd ſcilicet dari debeat reſurrectio, quia naturaliter anima inclinatur ad corpus, nec eſt perfectè beata, niſi ſit unita corpori.

Saducæi non admittunt libros Prophetarum.

30 Scitatur *S. Hieronymus*, cur hunc obſcuriorem locum Chriſtus aſſumpſerit, cùm alia clariora paſſim in Scripturis ſint obvia; & ſubdit, quòd Saducæi non recipiunt libros Prophetarum, ſed libros tantùm Moyſis. Et hinc confirmatur eo contineri loco præſentem veritatem, quia a Spiritu Sancto ſit dictatus ſub prævisione, ut hi tandem errores convincerentur. Quòd ſi ulteriùs percuncteris, cur dicatur viventium Deus, & non mortuorum, reſpondeo; quia Deus mortem non induxit, nec in ea, ſed de viventibus gloriatur, nec mortui laudant Deum, ſed qui vivunt, benedicunt ei. Eſt nihiloſecius mortuorum Deus, ſi ſpiritu vivant, dicente Apoſtolo ad Rom. 14. v. 8. *Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.*

31 SECUNDUS locus habetur Eſechielis 37. v. 5., ubi Prophetæ oculis campum ſubjecit Deus ſiccis refertum oſſibus: *Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his: Ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & vivetis . . . , & ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt: ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valdè.*

Vaticinium de reſurrectione.

Præclarum hoc vaticinium fuit reſurrectionis futuræ; nam v. 12. dicitur: *Vaticinare . . . . Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris populus meus: & inducam vos in terram Iſrael. Et ſcietis, quia ego Dominus, cùm aperuero ſepulchra veſtra, & eduxero de tumulis veſtris populo meus.* Explicat vaticinium in bonis, & electis, qui adducentur in terram Iſrael, ſcilicet in cœleſtem gloriam.

32 DICES. Locus iſte eſt metaphoricus. Voluit per hanc figuram innuere Iſraelitas liberandos ſervitute, quà tunc premebatur, & promiſit iiſdem datum iri ſpiritum ſuum, a quo receſſerant Hebræi.

CONTRA. *Tertullianus* lib. de Reſur. cap. 29. rejicit hanc gloſſam, & conſtanter ſuſtinet textum loqui de reali mortuorum reſurrectione. Sed licèt admittatur, utpote ſufficienter contenta in v. 11. *& dixit ad me: Fili hominis, oſſa hæc univerſa, Domus Iſrael eſt: ipſi dicunt: aruerunt oſſa noſtra, & periit ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus*, adhuc tamen non officit.

Duplex literalis ſenſus Scripturæ convenire poteſt.

Nam duplex literalis ſenſus uni loco convenire poteſt, ùt probavimus de Purgatorio Parte I. Controv. II. n. 42., & cæteroqui hæc ſecunda expoſitio primam non excludit, ſed confirmat, ùt in hunc locum optimè diſcurrit *S. Hieronymus* — Numquam poneretur ſimilitudo reſurrectionis ad reſtitutionem Iſraelitici populi ſignificandam, niſi ſtaret ipſa reſurrectio, & futura crederetur, quia nemo de rebus non extantibus incerta confirmat — Et argumentum ſumit Scriptura a majori. Si creditis me facturum aliquando, ut oſſa arida ad vitam redeant; quantò magis credere oportet, quòd vos a miſeriis veſtris liberabo, & reducam ad promiſſam terram?

Spes reſurrectionis in Job.

33 TERTIUS locus habetur Job 19. v. 25., & 26. *Scio enim, quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* De reſurrectione ſua loquitur, dum poſt mortem reſurget ad præmium ſuæ patientiæ recipiendum, qua ſpe in tribulationibus ſolabatur ſeſe: *repoſita hæc eſt ſpes mea in ſinu meo.*

34 DICES. *Job* intendit ſe elevandum a ſterquilinio, in quo marceret; ſperabat enim fore, ut miſerante Deo, priſtinum ſtatum reciperet.

CONTRA. Expoſitio hujuſmodi arbitraria omnino eſt, nec a Patribus admiſſa, utpotequæ pugnet contra textum. *Primò* quia hìc paulò fuſiùs repetit, quod cap. 14. v. 14. dixerat: *Putaſne mortuus homo rurſum vivat? Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea.* Ecce hìc loquitur de reditu a morte ad vitam, quam ſpem aluerat toto vitæ ſuæ curſu. *Secundò* (quod optimè advertit *D. Thomas*) ſuæ cauſam ſententiæ aſſignat, quia Redemptor ſuus vivit; ſpiritu enim prophetico prævidens reſurrectionem Chriſti, ſuam quoque prædixit. *Tertiò* aſſignat tempus ſcilicet in noviſſimo die. Hoc profectò cooptari nequit liberationi a ſterquilinio, quæ non contigit in noviſſimis diebus *Job*, cùm poſtea habuerit filios, & filias, & diu ſuperſtes fuerit florida valetudine.

Dies noviſſimus dies ultimus Mundi.

Appellat igitur ſupra diem ultimum conflagrationis mundi. *Quartò* ait, *& videbo Deum*; quem certè videre haud poterat in hac vita, cùm ſcriptum ſit: *Non videbit me homo, & vivet.* *Quintò* additur, *quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius*: proteſtatur, ſe non alium ab eo fore, qui tunc erat. Eſſet autem incongrua locutio, ſi de ſua liberatione loqueretur; nemo enim ambigat, quin ipſe idem foret, quæ dubitatio accidere poteſt in reſurrectione; & cùm adjecit *Oculi mei conſpecturi ſunt*, agit de Deo homine facto. *S. Thomas* attendens ad ea verba *& non alius*, ait — Et ut idem numero, non ſolùm ſpecie reparandus homo credatur ad videndum Deum —

35 QUARTUS locus habetur Iſaiæ 26. v. 19. *Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate qui habitatis in pulvere*: ubi Septuaginta legunt *ſurgent mortui, & reſurgent, qui in monumentis ſunt*; ad quod *Auguſtinus* lib. 20. de Civit. Dei cap. 21. ait — Totum illud ſuperiùs ad reſurrectionem pertinet Beatorum, & quidem de Sanctis ſermonem eſſe indicat cauſalis illa, quia ros lucis, ros tuus — ſcilicet abundantia Divinæ bonitatis, quæ Sanctorum labores refrigerat præmio beatitudinis.

Reſurrectio promittitur in refrigerium laborum.

Eandem veritatem habet Iſaias 66. v. 14. *Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt, & cognoſcetur manus Domini ſervis ejus, & indignabitur inimicis ſuis.* Deſcribit deinde finale Judicium, & adventum Domini ad retribuendum unicuique ſecundùm opera ſua: ubi

pariter *Auguſtinus* ibidem ait — Ut reſurre„ ctionem quidem carnis, ſed tantum bo„ norum ſe nunc commemorare monſtraret, „ adjunxit: & cognoſcetur manus Domini „ colentibus eum — Ideo bonorum reſurrectionem meminit, ut pios, & juſtos in hoc ærumnoſo ſeculo conſoletur.

36 QUINTUS locus extat Danielis 12. v. 2. *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, alii in opprobrium.* Ille terminus *Multi* ſtat pro omnibus ſecundùm uſitatam Scripturæ phraſim.

37 ULTIMUS locus ex veteri Teſtamento, iſque celeberrimus habetur 2. Machab. 7., ubi ſpe reſurrectionis corroborantur Sancti Martyres ad tolerandos cruciatus: Occiſo primo ex Machabæis, ſecundus in ultimo conſtitutus ſpiritu ait v. 9. *Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis: ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit.* Quartus in tormentis dicebat v. 14. *Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare a Deo, iterùm ab ipſo reſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit*; & Mater filios alloquens verſ. 23. *Sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & ſpiritum vobis iterùm cum miſericordia reddet & vitam.*

Fortitudo Machabæorũ ex ſpe reſurrectionis.

38 Præter Scripturæ loca *Epiphanius* in Ancorato multas ex veteri teſtamento figuras reſurrectionis colligit — Ubi enim non „ dixit Divina Scriptura de reſurrectione? „ Primum ſanguis Abel prædicat; poſt „ mortem enim adhuc loquitur. Dicit „ Scriptura. Enoch tranſpoſitus eſt, & non „ inveniebatur, & non vidit mortem. Com„ placuit Noe Deo, arcam conſtruxit ex „ præcepto Dei, regenerationem ſibi ipſi „ operans, ac efficiens per propriam do„ mum. Abraham ſenex acquirit filium, „ mortificato jam corpore, & ex mortuis „ Deus ſpem largitus eſt, maxime cùm ute„ rus Saræ emortuus eſſet, & quod inve„ teratum erat, & fermè ad delationem „ pervenerat, juxta conſuetum mulierum mo„ rem, ipſe videlicet reſiccatus fons, rur„ ſus vim accipit ad ſeminis dejectionem, „ & anicula juvencula fert partum, & Iſaac „ a morte vivens Patri traditus eſt. Deus „ enim, qui ex reſurrectione mortuorum „ Patri filium tradidit viventem, ſpem præ„ dicabat — Alia ſubdit, quæ ibi videri poſſunt.

Figuræ reſurrectionis.

39 PROB. 2. rationibus ex novo Teſtamento depromptis. Nequit eſſe falſum, quod Chriſtus prædixit; ſed prædixit futuram corporum reſurrectionem: ergo. *Minor habetur* Joan. 5. v. 28. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò malè egerunt, in reſurrectionem Judicii.* Sententia hæc in dubium verti non poteſt. *Venit hora*, ſcilicet ſtatuta eſt hora, & hoc enunciatur in præſenti, ad exprimendam prædictionis certitudinem. *In qua omnes*, ut univerſalem ſignificet diſtinctam a reſurrectione nonnullorum, qui ad vitam in hoc ſeculo remigrarunt. *Qui in monumentis ſunt*, ut intelligatur corporalis reſurrectio. *Qui bona fecerunt*, explicat finem, ſcilicet ut adæquato præmio donentur bona opera, & mala puniantur. Sciendum eſt autem iſthic plura a Chriſto argumenta congeri, ut ſuam probet Divinitatem, & æqualitatem cum Patre. Et quia dixerit ſibi datam poteſtatem ad judicandum, turbæ demirabantur, eaqnepropter ut ſuam confirmaret aſſertionem, aliud difficiliùs adjecit de univerſali reſurrectione inquiens: *Nolite mirari: venit hora &c.*

40 DICES. Chriſtus intendit myſticam animarum reſurrectionem. Videtur enim repetere, quod prævio diſcurſu præmiſerat v. 24. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſiit a morte in vitam. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent.* Hic autem præclarus ſermo eſt de reſurrectione ſpirituali a morte infidelitatis ad vitam fidei, quæ eſt per auditum, & hæc reſurrectio tunc cœpit, dum Chriſtus Evangelium doceret: ſic exponit *Auguſtinus*.

RESP. *nego maj.* Varia ibi dogmata Chriſtus perhibet, & varia privilegia a Patre ſe accepiſſe demonſtrat: unde in priori parte agit de reſurrectione animarum: in ſecunda corporum, ut benè advertit *Auguſtinus*. Nec rem eandem eſſe repetitam cognoſces ex collatione illius loci cum altero. In priori dicebat: *Venit hora, & nunc eſt*, quod non dicit in ſecundo. In priori non ponit *omnes*, ſicut in ſecundo. In primo non ait, *qui in monumentis ſunt*, quod in ſecundo ponitur.. In primo loco ſub conditionali dicitur, *qui audierit*: in ſecundo abſolutè, & aſſertivè, *audient*. In priori cum audire conjungitur & credere, quod determinat ad audire per fidem: in ſecundo ſimpliciter dicitur audire, quod determinat ad obedire, juxta illud Pſal. 67. v. 34. *Dabit voci ſuæ vocem virtutis*: ſic *D. Thomas* ibi.

Deinde etiam *negatur minor*, quòd ſcilicet in loco antecedenti de ſola myſtica reſurrectione ſermo habeatur; loquitur etiam ſatis expreſsè de corporali. Quare ſciendum eſt, cùm Chriſtum reprehenderent Judæi, quòd in Sabbato ægrotum paraliticum ſanaverat, diem feſtum non obſervans, ipſe reſpondit ſe imitari Patrem ſuum, qui ſemper operabatur: illi verò exſcandeſcentes, quòd ſe ipſe Deum faceret, convicit, inquiens, ſe poſſe quidquid facit Pater, & ſpondet ſe multò etiam admirabiliora facturum v. 20. *& majora his demonſtrabit ei opera, ut vos miremini*, Deinde oſtendit in Patre virtutem ſuſcitandi mortuos, eamque ſibi quoque inditam: v. 21. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat: ſic, & Filius.* Addit poſteà doctrinam reſurrectionis futuræ exemplis Juſtorum, qui vitæ æternæ compotes non fient ſine tranſitu de morte ad vitam; atque ut ad ſenſum probet hanc poteſtatem, ait nunc eſſe horam, quatenus illam exercuit in reſurrectione Lazari, Filii Viduæ, & Filiæ Archiſynagogi: & ſeq. cap. ſcilicet 6. v. 40.

v. 40. *Hac eſt autem voluntas Patris mei , qui miſit me : ut omnis , qui videt Filium , & credit in eum , habeat vitam æternam ; & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die .* Vitam æternam finaliter pollicetur Juſtis , ſed completam , ideſt animæ , & corporis , atque mortuorum facturum reſurrectionem aſſeverat . Ulteriùs cap. 11. v. 23. habetur clarè catholica veritas , ubi Martha ad Chriſtum dicentem *reſurget Frater tuus* , reſpondit : *Scio , quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die* . A

Argumētum Apoſtoli de reſurrectione .

41 Secunda probatio itidem petitur ex novo Teſtamento in priori ad Corinth. c. 15. ubi per totum agitur de reſurrectione quoad ſubſtantiam , & quoad modum , & quinque argumentis eam probat Apoſtolus Corinthiis ſuaſurus , ut in ea perſeverarent , quam ſuſceperant , fide . B Plerique enim pendebant animis : unde ſic arguit v. 12. *Si autem Chriſtus prædicatur , quod reſurrexit a mortuis , quomodo quidam dicunt in vobis, quod mortuorum reſurrectio non eſt ?* Hic poſita fide de Chriſti reſurrectione , quàm illis ſecundùm Scripturas prædicaſſe fatetur , quamque confirmat ex apparitionibus pluſquam quingentis fratribus Petro , Jacobo , atque ſibi , poſſibilitatem reſurrectionis aliorum evidenti infert ſequela . Sed èt probatur futura reſurrectio ratione finis . Ideo

Ubi eſt caput, ibi & membra .

reſurrexit Chriſtus , ut èt nos reſurgeremus, C quia ubi eſt caput , ibi debent eſſe èt membra , *Ut ubi ego ſum , illic ſit èt Miniſter meus* . Omnia enim , quæ Chriſtus fecit , pro nobis operatus eſt : hinc dicit 2. Cor 4. v. 14. *Scientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum , èt nos cum Jeſu ſuſcitabit , & conſtituet vobiſcum . Omnia enim propter vos* : & ad Rom. 6. v. 5. ex quo Chriſtus mortuus ſit , & reſurrexerit , oſtendit Paulus , nos quoque conſepultos cum eo per Baptiſmum in mortem , ut èt cum eo reſurgamus in novitate non ſolùm ſpiritualis , ſed etiam corporalis vitæ : *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus : ſimul èt reſurrectionis erimus* . D

42 Secundò probat : ſi mortui non reſurgunt , nec Chriſtus reſurrexit, & ſi hoc verum eſt, *inanis eſt ergo prædicatio veſtra , & fides veſtra* . Et hoc ex duplici capite , ex parte teſtificationis , quatenus ùt falſi teſtes Apoſtoli annunciaſſent mortuorum reſurrectionem , ſicut eam Paulus annunciavit 1. Theſſalonic. 4 v. 12. , & 13. *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus , ut non contriſtemini , ſicut & cæteri , qui ſpem non habent . Si enim credimus , quòd Jeſus mortuus eſt , & reſurrexit : ita èt Deus eos , qui dormierunt per Jeſum , adducet cum eo* , & proſequitur explicando quomodo fiet : E admittere autem falſitatem in verbo Dei magnum eſt ſacrilegium : unde dicebat *Auguſtinus* Epiſt.8.— „ Majori ſcelere laudari in Deo falſitatem , „ quàm vituperari veritatem — Cujus rei rationem aſſignat *S. Thomas* in hunc locum ; quia intellectus noſter nunquam tantum laudare Deum poteſt , quin deficiat a perfectione ejus , & ideo ſi non totaliter capere poteſt aliquam ejus perfectionem , ad ejus excellentiam pertinet ; ſi verò Deo aliquid tribuat, quod non habet, aut non facit, fieri videtur intellectus noſter major Deo , & quòd intelligat aliquid majus eo , quod ſibi falsò attribuit contra illud 1. Jo. 3. v. 20. *Deus major eſt corde noſtro* . Eſſet inanis etiam fides noſtra ; quia non eſſet fides vera , nec emundans a peccatis, & ideo dixit v. 17. *Adhuc enim eſtis in peccatis veſtris* . Aliud caput , quo redditur inanis fides noſtra , ſi mortui non reſurgent , eſt ; quia finis redemptionis eſt conglorificatio cum Chriſto : *Si compatimur , ut et conglorificemur* ; non enim conglorificaremur , ſi ſolâ animâ , & non corpore reſurgeremus , cùm Chriſtus corpore reſurrexit , & glorificatus fuerit .

43 Tertiò probat v. 18. *Ergo , èt qui dormierunt in Chriſto , perierunt* : ſi enim non reſurgent , utique totaliter Electorum corpora , quæ tot mala ſuſtinuerunt , perierunt , & in nihilum omnino redacta ſunt ; ſubditque verſ. 19. *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus , miſerabiliores ſumus omnibus hominibus* : ideſt ſtultiſſimi ſumus inter homines , qui tot jejunia , flagellationes , & mortificationes in corporibus noſtris ſuſtinemus abſque ulla ſpe majoris boni in altero ſeculo : & ex duplici capite nervoſa eſt illatio ex mente *D. Pauli* . *Primò* quia ſecundùm communem conceptum , & ſecundùm connaturalitatem rerum , negatâ corporum reſurrectione , negatur èt animæ immortalitas , cùm anima ſit forma naturalis corporis , & naturaliter unitur corpori , & ſeparata eſt imperfecta , immo ſeparatur a corpore contra naturam , & per accidens : eſt autem impoſſibile , quòd illud , quod eſt per ſe , & connaturale finiatur , & quaſi in nihilum abeat , quod verò contra naturam , & per accidens perpetuò duret : quod utique verificaretur , ſi anima ſemper duraret ſine corpore , ſic *D. Thomas* ibi . *Secundò* dato quòd corpore extincto , anima perſeveret , & beatificetur , adhuc ſtulti eſſemus ; quia anima non eſſet ſatiata , cùm naturale deſiderium , quod habet homo de ſalute ſui ipſius , expleri non poſſet ; Anima autem non eſt totus homo , ſed pars , & fruſtraretur actuale deſiderium ſalutis corporis : tum etiam quia poſſemus gloriam animæ acquirere abſque aſſiduâ corporis mortificatione , & Apoſtolici Viri forent defraudati malè tractantes ſuum corpus in hac vita , quod aliàs in æternum omni conſolatione privandum eſſet . Certè videtur hoc eſſe contra æquitatem Divinæ Providentiæ ſpoliare omni jure boni convenientis inſtrumentum animæ neceſſarium adeò , & utile .

Anima eſt forma corporis .

44 Probat quartò v. 20. *Nunc autem Chriſtus ſurrexit a mortuis primitiæ dormientium : Quoniam quidem per hominem mors , & per hominem reſurrectio mortuorum : & ſicut in Adam omnes moriuntur , ita & in Chriſto omnes vivificabuntur* . Ubi efformat argumentum duplex . Chriſtus reſurgens dicitur primitiæ mortuorum ad analogiam primitiæ fructuum ; ſed hæ dicuntur per relationem ad fructus poſtmodum colligendus : ergo Chriſtus dicitur primitiæ mortuorum relatè ad alios ſuſcitandos . Ulteriùs dicitur , *primitiæ dormientium* ; quia dormitio ordinatur ad vigiliam ; & ideo de Lazaro mox reſuſcitando inquit Chri-

ſtos *Lazarus dormit*. Alterum Apoſtoli argumentum eſt: ſicut natura corrupta eſt ſecundùm animam, & corpus, unde ſecuta eſt animæ, & corporis mors; ita debuit reparari ab alio homine quoad utrumque. Prioris corruptionis auctor fuit Adam: reparationis Chriſtus; ſed hic mortem deſtruait per reſurrectionem: ergo ne minoris efficaciæ ſit in reparando, quàm Adam fuerit in corrumpendo, debet in utroque reſurrectionem facere. Quod eſt argumentum ejuſdem Apoſtoli ad Rom. 5. v. 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum*: & v. 20. *Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia. Ut ſicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam*. Exponit deinde in prælibata Epiſtola ad Corinthios v. 26. ordinem in reſurrectione ita ſervandum, ut Chriſtus ſit primus, deinde alii, poſtquam omnes devicerit hoſtes, nempe Eccleſiæ perſecutores: *Noviſſimè autem inimica deſtruetur mors*; quia omnes reſurgent, & vivent, nunquam morituri, & ideo dicitur Oſeæ 13. v. 14. *Ero mors tua ò mors*: & Iſaiæ c. 25. v. 8. *Præcipitabit mortem in ſempiternum*.

Debuit mors animæ, & corporis a Chriſto reparari.

45 Probat quintò Apoſtolus mortuorum reſurrectionem v. 29. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?* Quæ verba utpote ſubobſcura, diverſimodè exponuntur; omnes tamen interpretationes eò recidunt, ut reſurrectionem ex mente Apoſtoli ſuadeant. Prima innititur conſuetudini Hebræorum, qui, dum mortuos ſepelirent, utebantur luſtrali latice ad tollendam legalem immonditiam: *Num.* 19. quod lavacrum: *Eccleſiaſtes* 34. v. 30. dicitur baptizari a mortuo: qua conſuetudine poſita, ſic videtur *Paulus* arguere; ſi corpora non reſurgunt, cur tantam curam adhibetis ea ſepeliendi, etiamſi debeatis poſtea emundari? Ubi etiam ſupponit coram funeris ab ipſis factam ſpe reſorrectionis.

Hebræi ſepulto cadaveribus lavacro purgãtur.

Secunda expoſitio alterum allegat primitivæ Eccleſiæ morem, ut qui antequam baptizarentur, profiterentur expreſsè reſurrectionem mortoorum, Symbolum recitando, antequam corpus ſalutari aquâ ablueretur: & ſic videtur arguere: ſi mortuorum reſurrectio non datur, fruſtra in recipiendo Baptiſmo, verbo, & opere fit profeſſio articuli de reſurrectione: ita loquitur *Chryſoſtomus* Homil. 14. in priori ad Corinth., *Theophilactus*, *Œcumenius*.

Conſuetudo Eccleſiæ profitendi mortuorum reſurrectionem ante ſuſceptionem Baptiſmi.

Tertia expoſitio deſumitur ex conſuetudine, quæ aliquando viguit, hoc eſt illorum, qui prope mortem baptizabantur, quo tempore homo jacens in lecto jam moriturus pro mortuo reputatur: & ſenſus *Pauli* eſt, qui ſic in extremis baptiſmate abluuntur, demonſtrant, quòd mortuus reſurget, ideoque indiget peccatorum remiſſione: ſic *Epiphanius* hæreſ. 18.. Sed interpretatio non videtur ad rem; nam Apoſtolus diſtinguit illum, qui baptizatur, ab alio, pro quo baptizatur; quâ etiam expoſitione admiſsâ, non ſequitur illatio de reſurrectione corporis; nam ſubſiſtit indigentia remiſſionis peccatorum, ſtante ſola animæ immortalitate.

Idem inconveniens habetur in quarta expoſitione, quæ dicit baptizari pro mortuis eſſe baptizari pro abluendis, & delendis peccatis, quæ ſunt opera mortua. Certè ibi *Paulus* mortuorum nomine intendit homines, qui reſurgunt, & illatio nulla eſſet; nam poſſet illico reſponderi, etiam ablatâ reſurrectione, a peccatis abſtergi valdè proficuum fore, quandoquidem ad conſcientiæ puritatem, & animæ gloriam conduceret.

Quinta expoſitio pravâ quorundam conſuetudine fulcitur. Hi ſuſcipiebant baptiſma pro iis, qui morte abrepti baptizari nequiviſſent ſperantes id profuturum ad corporum reſurrectionem: ita *Tertullianus* lib. de reſurrectione carnis cap. 48 Aſt neque hæc expoſitio arridet, tum quia *Paulus* illum videretur errorem probare, ex quo tanti rem momenti inferat, nihilque addat, quo eundem errorem improbet; tum quia hæreſim hujuſcemodi ſupponit ætate *Pauli* viguiſſe, quæ nonniſi poſt ejus obitum emerſit ſpontè ex hoc loco deſumpta errandi occaſione, ſicut advertunt *Chryſoſtomus*, & *Theophilactus*; tum quia minimè ipſi baptizarentur ſpe reſurrectionis, cùm *Marcionitæ*, quibus tribuitur error, reſurrectionem negarent.

Sexta expoſitio pro ly *baptizari pro mortuis* intelligit participationem Baptiſmatis Chriſti in vero noſtro Baptiſmate, ut ſenſus ſit: ſicut dum in aqua mergimur, dicimur conſepeliri, & emori cum Chriſto: ita cùm emergimus, ſignum eſt cum eo nos eſſe reſurrecturos: hæc *Theodoretus*. Ultima tandem atque vera expoſitio eſt, baptizari pro mortuis idem eſſe ac opera pœnalia exercere pro Defunctis; nam in Scriptura baptiſmum ſæpè idem ſonat, quod pœnitentia; unde Chriſtus Luc. 12. v. 50. *Baptiſmo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor uſque dum perficiatur?* Marc. 10. v. 38. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo: aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Hinc Concilium Tridentinum pœnitentiam vocat laborioſum Baptiſma, & juxta veram hanc expoſitionem ſenſus eſt, Defunctorum animas noſtris ſuffragiis adjuvari; inde ſequitur eas ſubeſſe divinæ providentiæ; quo poſito, infert Apoſtolus corporum reſurrectionem, quam nemo negat, qui modò credat animæ immortalitatem.

Baptizari pro mortuis eſt pœnalia pro ipſis exercere.

46 Alia Scripturæ loca ſunt in promptu: Act. 23. v. 6. *Viri Fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæorum, de ſpe, & reſurrectione mortuorum ego judicor*: cap. 24. v. 15. *Spem habens in Deum, quam & hi ipſi expectant, reſurrectionem futuram Juſtorum, & Iniquorum*: & v. 21. *Quoniam de reſurrectione mortuorum ego judicor hodie a vobis*: cap. 17. v. 32. cùm de reſurrectione diſputaret: *Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: audiemus te de hoc iterùm*: v. 18. Novorum Dæmoniorum annunciator dictus eſt Apoſtolus, *quia Jeſum, & reſurrectionem annunciabat eis*. Idem habetur Apoc. 20., & alibi.

§. II.

§. I I.

Natura magiſtra veritatis.

47 PROB. 3. anctoritate Patrum ſimul, & ratione. Statutâ naturæ noſtræ elevatione ad finem ſupernaturalem Deus quidquid admirabile condidit in ordine naturali, ea intentione conſtituit, ut myſteriis revelatis inſtrueret, & natura in ſuis perfectionibus ſuo modo ſuperioris veritatis fieret magiſtra; atqui totus naturalis ordo ſuppeditat magiſterium humanæ reſurrectionis: ergo reſurrectio non eſt contra, ſed juxta naturam. *Explicatur*. Videmus granum in terram projectum corrumpi, & iterum vivificari, & multiplicari, quo ductus exemplo Paulus a Cor 15. v. 37. intulit, *& quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum, & puta tritici, aut alicujus cæterorum: Deus autem dat illi corpus, ſicut vult: & unicuique ſeminum proprium corpus*: & v. 42. *ſic & reſurrectio mortuorum*. Terra hyemalibus brumis decocta, & veint mortua quot annis rediviva herbas gignit, & flores; dies in noctem moritur, & rurſus cum Sole renaſcitur; anni tempeſtates intereunt, & revertuntur. Ubi egregiè *Tertullianus* de reſurrectione carnis c. 12. ſic effatur — Nihil deperit, niſi in ſalu-

Ordo naturæ indicat reſurrectionem.

„ tem. Totus igitur hic ordo revolubilis
„ rerum teſtatio eſt reſurrectionis mortuo-
„ rum. Operibus eam præſcripſit Deus,
„ antequam literis: viribus prædicavit,
„ antequam vocibus; præmiſit ſibi naturam
„ magiſtram, ſubmiſſuros & prophetiam,
„ quo faciliùs credas prophetiæ, diſcipulus
„ naturæ . . . Nec dubites Deum carnis
„ etiam reſuſcitatorem, quem omnium no-
„ vis reſtitutorem: & utique ſi omnia ho-
„ mini reſurgunt, cui procurata ſunt, porrò
„ non homini, niſi & carni, quale eſt, ut ipſa
„ depereat in totum, propter quam, & cui
„ mihi deperit? —

Juſtitia præmia, & pœnas tribuit.

48 Secunda ratio ex Patribus eſt. Æquitas Divinæ Juſtitiæ poſtulat, ut præmia bonis, ſupplicia malis retribuat; ſed corpora deſerviunt animæ tanquam organa, & inſtrumenta intrinſeca, immo ùt compartes ad benè, vel malè agendum: ergo rectitudo juſtitiæ petit, ut tandem corpora ſint conſortis æternæ felicitatis. Vigiliæ, jejonia, virginitas, martyrium, & ſimilia ſunt ſacrificia Deo grata; ſed de bonis corporis adolentur, ait *Tertullianus* poſt Apoſtolum ad Rom. 12. v. 1. dicentem *obſecro . . ., ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum*. *Tertullianus* laudato loco cap. 47., & ſeq. — Quomodo vivam, ſi peritura ſunt? . . . . Quomodo placabilem, ſi dam-
„ nata ſunt? Age jam, quod ad Theſſa-
„ lonicenſes, ut ipſius Solis radio putem
„ ſcriptum, ita claret; qualiter accipient
„ lucifugæ iſti Scripturarum. Ipſe autem
„ Deus pacis ſanctificet vos totos? Non
„ ſufficit, ſed ſequitur. Et integrum cor-
„ pus veſtrum, & anima, & ſpiritus ſine
„ querela conſerventur in præſentia Domi-
„ ni, habes omnem ſubſtantiam hominis ſa-
„ luti deſtinatam, nec alio tempore, quàm
„ in adventu Domini, qui clavis eſt reſur-
„ rectionis — Item Apoſtolus ad Rom. 6.

v. 19. *Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibite membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*. Si ergo membra, & ſubjectum, & organa ſunt malitiæ, & bonitatis, debent quoque eſſe idonea ad beatitudinem, vel ad punitionem. Quam concluſionem infert Apoſtolus 2. Theſſalonic. 1. verſ. 6., & 7. *Si tamen juſtum eſt apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant: & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in revelatione Domini Jeſu*. Hoc diſcurſu utitur *S. Ambroſius* orat. de fide reſurrectionis — Ratio evidens, quia cùm om-
„ nis vitæ noſtræ uſus in corporis, animæ-
„ que conſortio ſit; reſurrectio autem, aut
„ boni actus præmium habeat, aut pœnam
„ improbi, neceſſe ſit corpus reſurgere,
„ cujus actus expenditur. Quomodo enim
„ in judicium vocabitur anima ſine corpo-
„ re, cùm de ſuu, & corporis contuber-
„ nio ratio præſtanda ſit? —

49 Tertium ratiocinium habemus apud *Tertullianum* cap. 34. de carnis reſurrectione — In primis cùm ad hoc veniſſe ſe di-
„ cit, ut quod periit, ſalvum faciat. Quid
„ dicas periiſſe? Hominem ſine dubio. To-
„ tum ne, an ex parte? Utique totum . . .
„ Totus itaque ſalvus fiet, qui periit to-
„ tus, delinquendo totus: niſi ſi, & ovis
„ illa ſine corpore amittitur, & ſine corpo-
„ re revocatur. Nam ſi caro quoque ejus
„ cum anima (quod pecus totum eſt) hu-
„ meris boni Paſtoris advehitur, ex utraque
„ utique ſubſtantia reſtituendi hominis exem-
„ plum eſt: aut quàm indignum Deo dimi-
„ dium hominem redigere in ſalutem? —

Indignū Deo ſolam partem hominis ſalvare.

Papè! Sit ne minùs efficax Chriſtus in reparando homine, quàm fuerit Sathan in perdendo; ſed iſte per peccatum totum perdidit hominem: ergo èt ille totum huminem debuit reparare. At ſi dumtaxat anima glorificaretur abſque carne, totus homo non fieret ſalvus. Quod argumentum habemus in verbis Apoſtoli: *Ubi abundavit delictum, ibi ſuperabundavit gratia*.

Caro honorata eſt àVerbo per aſſūptionem, per Sacramenta, per habitationem Dei.

50 Quartus diſcurſus eſt: Caro honorata eſt a Verbo per immediatam aſſumptionem, refecta fuit corpore, & ſanguine Chriſti; in Viris ſanctis facta eſt templum Domini, & Chriſti membrum, radix immortalitatis per inhabitantem Spiritum Sanctum: ergo pernéceſſe eſt, ut reſurrectionis dote donetur, ne tot gratiis præditum corpus ingiorium maneat in perpetuum. Hoc argumentum habemus ex *Irenæo* lib. 5. cap. 2. —
„ Quemadmodum lignum vitis depoſitum in
„ terra ſuo fructificat tempore, & granum
„ tritici decidens in terram, & diſſolutum
„ multiplex ſurgit per ſpiritum Dei, qui con-
„ tinet omnia, quæ deinceps per ſapientiam
„ in uſum hominibus veniunt, & perci-
„ pientia Verbum Dei Euchariſtia fiant,
„ quod eſt corpus, & ſanguis Chriſti: ſic
„ & noſtra corpora ex ea nutrita, & re-
„ poſita in terram, & reſoluta in ea, re-
„ ſurgent in ſuo tempore Verbo Dei reſurre-
ctio-

„ ctionem eis donante in gloriam Dei Pa-„ tris —

51 Ultima ratio ea Patribus habetur in eo, quòd Beatitudo ſupernaturalis eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus; ſed niſi Sanctorum corpora reſurgerent glorificanda, eorum beatitudo non eſſet perfecta, quia omnis pars a ſua comparte, ſeu a toto ſeparata defectum habet. Porrò rationalis anima, quamvis per ſe ſubſiſtat, nihilominus eſt vera hominis pars, & quandiu remanet a corpore ſejuncta, complementum perfectionis non aſſequitur: ſic *Tertullianus* citato loco. Qui plura Patrum teſtimonia deſiderat, adeat Theſaurum Controverſiarum *Jodocii Coccii* tom. 2. lib. 10. art. 4., ubi per ſecula Græcorum, & Latinorum auctoritates deſcribit. Itaque mortuorum reſurrectio inter præcipuos Fidei articulos in Apoſtolorum Symbolo ponitur. Ubi advertendum ex Concilio Tridentino hoc myſterium nobis expreſsè proponi ſub carnis reſurrectione, quæ eſt una tantùm hominis pars, ut abſque nlla ambiguitate error *Himenæi*, & *Phileti* confodiatur, qui corporalem inficiabantur reſurrectionem; ſpiritualem verò admittebant, quâ ſcilicet homo a peccatis reſurgit. Et reverà illud propriè reſurgere dicitur, quod aliquando periit, & deſiit eſſe, non autem quod ſemper eſt, & vivit; ſola autem caro ex partibus hominis amittit eſſe, & in pulverem redigitur, anima verò, quæ immortalis eſt, ſemper vivit.

Beatitudo eſt ſtatus omniū bonorum.

52 Notandum ulteriùs, quòd Scripturæ, & Patres ferè ſemper de Juſtis loquuntur, & probationum momenta ex Sanctorum conditione deducunt. Ratio eſt: Sanctitas poſita eſt in terrenorum abdicatione, quæ ſenſibilia ſunt, & corpori delectabilia; difficiliùs autem homo ab eis recedit, a quibus vehementer attrahitur. Inſuper ad ſanctitatem per multas tribulationes pervenitur. Hinc fit, ut faciliùs, & quaſi ſenſibiliùs homo corroboretur ad eas exantlandas, ſciens corpus ipſum, ne dum animam, gloriæ conſors futurum, & terrenæ privationem voluptatis æterna carnis, & ſpiritus felicitate remunerandum. Ex hujuſce veritatis articulo monet S. Cyprianus *lib. de mortal.*, mortem non eſſe valdè formidandam, quæ corporis compaginem ſolvit reparandam in meliùs, ſed illud curandum eſſe, ut in corpore abſque peccato vivamus, cùm nonniſi corpora, quæ concupiſcentias ſuas crucifixerunt, reviviſcent coronanda. Quæ verò deſervierint iniquitati, reſurgent igne cremanda inextinguibili: in hæc fermè verba eloquitur *Ambroſius* lib. de bono mortis cap. 5., & 6. Notat inſuper *Cyprianus* ibi haud eſſe nimium flendos parentes, quorum corpora terræ demandantur, dum piè credimus in charitate defunctos, ſcientes repoſita eſſe in ſepulchris cadavera in pignus beatæ reſurrectionis; & hoc etiam propter infideles, qui nos irrident, dum quos apud Deum vivere dicimus, profuſis lacrymis lugemus. *Tertullianus* autem omnium hujus ſeculi ærumnarum levamen reſurrectionis fiduciam dicit.

Mors non eſt timenda ob ſpem reſurrectionis.

Non ſunt nimium flendi parentes defuncti.

§. III.

HÆRETICORUM OBJECTA REFELLUNTUR.

53 OBJICIES 1. Mortuorum reſurrectio eſt reditus hominis ad priſtinam vitam; ſed reditus ad priſtinam vitam repugnat Scripturæ: ergo non datur reſurrectio. *Oſtenditur minor* Job cap. 7. v. 9., & 10. *Sicut conſumitur nubes, & pertranſiit: ſic qui deſcenderit ad Inferos, non aſcendet. Nec revertetur ultrà in domum ſuam, neque cognoſcet eum ampliùs locus ejus*: ergo anima non ampliùs redit ad corpus, quod eſt domus ſua.

RESP. *nego min.* Ad cujus probationem dico Sanctum *Job* reſurrectionem non diffiteri, ſed qualitatem ejus, videlicet ad vitam præſentem ſub eodem ſtatu, & conditione, quâ nunc eſt, & quorundam intendit Philoſophorum commenta excludere opinantium homines ad priſtinum ſtatum remeare ad eadem opera, & officia, redeunte cœleſtium corporum circulatione, abs qua hæc ſublunaria dependent; ſed de hoc infra. Addit Propheta, *neque cognoſcet eum ampliùs locus ejus*, ideſt naturalis, ut denotet alium haberi locum vel in Inferno, ſi in peccato morietur, vel in Paradiſo, ſi cum charitate obierit. Vide *D. Thomam* iſthic lect. 2., qui ſuggeret ad rem plurima.

Non reſurgemus ad vitam ſub eodem ſtatu, & conditione.

54 DICES. Ita *Job* negat reditum ad vitam, ut ſub nullo ſtatu habendus ſit; nam idem repetens *cap.* 10. *v.* 20., & 21. clariùs ſe explicat: *Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine: terram miſeriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*: ubi propalam indicat non reverſurum ad vitam, ſed perpetuò in loco Inferni permanſurum.

RESP. *negando ſubſumptum*, cujus probatio dupliciter exponitur. *Primò* intelligitur conditio alterius vitæ, quam ſibi metuebat neſcius, an odio, vel amore dignus eſſet, quamvis eum non remorderet conſcientia ſua, & audiens ex oppoſito ſe ab amicis tanquam peccatorem vituperari expoſcebat Sanctus Propheta aliquod tribulationis ſolamen, ut miſeriam ſuam defleret, nihil in hoc ſeculo ſperans, ad quod a morte non datur reditus, neque in altero, dum in Inferno, quem formidabat, mala ſint, & quidem æviterna. Secunda expoſitio conſiderat Prophetam ſub conditione diſputantis contra amicos, & ſupponentis id, quod iidem falsò crederent, videlicet nullam eſſe aliam poſt hanc vitam, ac per conſequens in hac ſola manere præmium pro bonis, & pœnam pro malis. Quo poſito, flagitabat pro reliquo vitæ tempore a ſterquilinio ſublevari, adjiciens rationem, quòd in hac vita nulla conſolatio reliqua foret per reditum ex morte, nec in altera, quæ nulla ſit, ideoque ſtatum mortis deſcribit *Terram tenebroſam*, locum ſepulturæ propter opacitatem: *opertam mortis caligine*; quia defuncti Solis lumine

Poſt mortem non eſt reditus ad conſolationes hujus ſeculi.

ſuae

ſunt caſſi : *terram miſeriæ*, nempe qoavis delectatione deſtitutam, *& tenebrarum*, quod nulla ioibi ſit veritatis coguitio : *ubi nullus ordo*, ob defectam debitæ diſpoſitionis, quæ eſt in humana ſocietate : *ſed ſempiternus horror*, quantum ad vivos, qui ſemper horrent mortis conditiooem. Inteodit aotem hac ſermocinatione inveſtigare ſuæ calaoitatis cauſam, atque oſteudere eam non eſſe a quoquam impio, in cujos manu terra ſit, neque a cœlo, quod calumoiosè opprimat, neque culpas ioquirat, neque peccata caſtiget, neque condelectetur in pœnis hominum, ut inde cogat amicos confiteri aliam vitam, in qua bonos præmium, & malos ſupplicium manet, cùm poſitis his, quæ in hac vita aceidont, dubia ſit cauſa tribulationis Juſtorum, qui in bac vita affliguntur. Vide *Angelicum* ibidem.

55 OBJICIES 2. Noo eſt admittenda corporum reſurrectio, quibus in ſepulchro per totam æternitatem perſiſtendum ſit; atqui ita eſt : ergo. *Minor habetur* Pſal. 48 v. 12. *Et ſepulchra eorum, domus illorum in æternum* : Eccleſiaſtes 12. v. 5. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ* : Jeremiæ Thren. 3. v. 6. *In tenebroſis collocavit me quaſi mortuos ſempiternos*. Video' ſepulchra fore domos perpetuas corporum.

RESP. *nego min.* Eas Scripturæ locutiones *Dualius* interpretatur de perpetuitate non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ſcilicet uſque ad finem Mundi. Sæpè nomen æternum, & ſempiternum in veteri Teſtamento ſonat longiſſimum tempus. Cadavera certè in ſepulchris marceſcent uſque ad conſummatiooem ſeculi, quando omnes a mortuis reſurgent. Attamen bæc ſolutio neqoit ſingulis textibus coaptari. Utut ſæpiùs *æternum* in veteri Teſtamento importet magnam temporis longitudinem, æternitas nihilominus ex hebraico loqoendi uſu indicat ſemper æternitatem ſimpliciter dictam. Cùm autem in eo Eccleſiaſtis poaatur æteruitas, non eſt limitanda ad ſpatium præſentis ſeculi. Quamobrem hanc expoſitiooem ſolummodo patitur textus primus, quem cæteroqui *Auguſtinus* expouit de ſtatu damoationis perpetuæ, ad quem ſe devoverat opulenti, dum opus effundunt in conſtruendis ſibi ex ſuperbia ſepulchris, & manſoleis. Hæc conſtrucotes ſibi ædificant domum æternitatis peccaudo : quibus addit *Hieronymus* ibidem v. 18. — Hæc illis erit perpetua habita„ tio, quia non reſurgent, ut habeant vi„ tam æternam, ſed ut damnentur in pœ„ na — Eundem ſenſum reddas Eccleſiaſti. Textus verò ille Threnorum non eſt ad rem : *Jeremias* inibi ſuas anguſtias deflet, & io eo verſiculo ſe profitetur omni deſtitutum ſolatio adinſtar mortui, atque ideo ſubjungit, *circumædificavit adversùm me, ut non egrediar : aggravavit compedem meum*.

Terminus æternum ſæpe longum tempus ſignificat, non autem æternitas.

56 OBJICIES 3. Semel admiſſa corporum reſurrectiooe, corpus, & auima ſimul conſequerentur beatitudiοem, quod eſt falſum, aſſereute Apoſtolo 1. Corinth. 15. v. 50. *Caro, & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt* : ergo.

RESP. Ex hac Scriptura ſumpſit *Origenes* occaſionem ducendi Deſunctos oon humano, ſed aereo corpore reſurrecturos, ùt infrà. Nus cum *Tertulliano* cap. 50. reſpoudemus : non negat *S. Paulus* abſolutè carnalibus hominibus reſurrectionem, ſed Regnum Dei — „ Non enim reſurrectio, *ait*, carni, & „ ſanguini directè negatur, ſed Dei regnum, „ quod obvenit reſurrectiooi (eſt autem, „ & in judicium reſurrectio) immo & „ confirmatur carnis reſurrectio generalis, „ cùm ſpecialis excipitur : dum enim in quem „ ſtatum non reſurgat, edicitur, io quem „ reſurgat, ſubauditur. Atque ita dum pro „ meritis diſtinctionem reſurrectionis, opus „ ſubſtantiæ, non genus patitur; apparet „ hinc quoque carnem, & ſanguinem no„ mine culpæ, oon ſubſtantiæ arceri a Dei „ regno; nomine tamen formæ reſurgere „ in Judicium, quia oon reſurgant in re„ gnum —

Origenes vult reſurrectionē in corpore aereo.

Secundò reſpondetur : nomine carnis, & ſanguinis non venit ipſa ſubſtantia carnis, ſed opera carnalia : unde eſt ſenſus, quòd debemus exuere opera carnalia, & imaginem terreni hominis, ùt loquitur *Paulus*, & per opera ſpiritualia induere imaginem cœleſtis : & de carne, & ſanguine ſecundùm hanc conſiderationem, prout ſcilicet importat ſubſtantiam carnis exercentis opera virtutis, dicit laudatus *Tertullianus* c. 51. — „ ſecuræ eſtote caro, & ſanguis, uſurpaſtis „ & cœlum, & regnum Dei in Chriſto, „ aut ſi negent vos in Chriſto, negent in „ cœlu Chriſtum, qui vobis cœlum nega„ verunt —

Caro, & ſanguis ſunt opera carnalia.

Aliam expoſitiooem ſufficit *S. Irenæus* lib. 5. adverſùs Hæreſes cap. 9. — Caro, „ & ſanguis non poſſidebunt beatitudinem, „ ſi abſque ſpiritu Dei conſiderentur : igi„ tur caro ſine ſpiritu Dei mortua eſt, non „ habens vitam regnum Dei poſſidere non „ poteſt —

57 OBJICIES 4. Beati Deo ſimiles erunt juxta illud 1. Joann. 3. v. 2. *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus*; ſed corporum reſurrectioni repugnat hujuſmodi ſimilitudo; nam anima ſeorſim a corpore ſimilior eſt Deo, & Angelis, utpote ſecreta ab omni materia : ergo. Immo corpus detorpet niturem humanarum actionum : Sap. 9. v. 15. *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*.

RESP. *nego min.* Ultimum rei eſt ſumma rei ipſius perfectio; quia per id ſuum attingit finem. Summa perfectio animæ eſt conjunctio cum ſuo corpore, cujus eſt eſſentialiter pars relatè ad totum, & tunc magis divinæ aſſimilatur naturæ, quia habet id, quod ad ſuam naturam, & integritatem deſideratur. Textus *Joannis* corporalem reſurrectionem probat; loquitur enim de Chriſto venturo ad Judicium, cùm Electi erunt ſimiles conformitate corporis ſecundùm dotes, & ſimilitudine etiam animæ ſecundùm gratiam, & gloriam : dicitur verò Matth. 22. v. 30. *Sed erunt ſicut Angeli Dei*, nempe a paſſionibus immunes, & a ſenſibilibus elevati; quare tunc corpus a quovis ſublunari defectu ſpoliatum, & cœleſtibus exor-

Animæ perfectior conjuncta corpori.

natum

natum dotibos non erit impedimento animæ ad operandom, ſed adjutorio, & complemento perſectionis.

58 OBJICIES 5. Ideo eſſet futura reſurrectio, quia ex Scripturis colligitur plena bonorum remnneratio, dicente Apoſtolo ad Rom. 8. verſ. 17. *ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur*; ſed plena bonorum retributio ſtat in ſola anima: ergo. *Minor prob.* Sola anima eſt ratio totius meriti, & tota ratio booitatis, & malitiæ conſiſtit in interiori. Porrò opus externom nullam habet malitiam, vel bonitatem, cùm ſit merom inſtrumentum.

RESP. *nego min.* Meritum, & demeritum eſt in actionibus poſitum, quæ ſunt totius. Sola anima non eſt totum, ſed corpus ſimul cum anima: cumque juſta præmii, & punitionis retributio debeatur Operanti, ſeqoitur, ut totus homo coronaudos ſit. Radia quidem primaria meriti, & demeriti eſt in anima, ſed dependeoter a corpore: quidqoid ſit, an opus eaternum habeat propriam bonitatem, vel malitiam, ſufficit, ut pleriqne actus virtutis, aut vitii nequeant abſque corpore exerceri: quo ſeoſu eſſatur Apoſtolus ad Rom. 6. v. 12. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*. Regnat in corpore peccatum, cùm prava mentis adhæſione exeqnimur corpore opera a lege Dei diſſona, membra noſtra ſunt arma juſtitiæ, & injoſtitiæ, ùt ibidem proſequitur, *ſed neque exibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato*. Porrò Ezech. 32. v. 27. dicitne: *Deſcenderunt ad Infernum cum armis ſuis*, corpore ſcilicet, & anima. Nego autem corpus ſe haberi adinſtar puri inſtrumenti; eſt enim vera pars totius, quamvis minùs principalis. Si purum eſſet inſtrumentum, tunc nulla eſſet ratio præmii, vel pœnæ.

Radix meriti, & demeriti eſt anima.

59 DICES. Ideo inſtrumentum ſeparatum non eſt capax præmii, quia non eſt capax virtutis, & vitii defectu libertatis, a qua virtus, & vitiom dimanant; ſed neque membris corporeis ineſt ratio libertatis: ergo neqne ineſſe poteſt ratio virtutis, & jus meriti.

CONTRA. Inſtrumentum ſejunctum neque gaudet libertate, neque complet animam, ſicut materia ſuam formam. Corpus verò intrinſecè complet, & perficit animam liberè agentem, & ſicuti ſine corpore, ita ſine anima nemo poteſt operari liberè agens, præſcindendo nunc a ſcholaſticis formalitatibos, an in membris corporeis ſint habitus virtutum, & vitiorum. Catholico ſufficiat credere ſine ipſis virtutes exerceri non poſſe, & in ipſis elici poſſe actus ad virtutem, aut è contra regulandos, & ipſa membra inordinatis frui delectationibus, & verè ſentire afflictiones ex amore virtutis aſſumptas.

Corpus complet, & perficit animam.

60 INSTABIS. Non tam corpus aſſociatur animæ in peccatis venialibus, quàm in mortalibus. Sed quoad punitionem venialium non eſt particeps pœnæ, ùt patet in Purgatorio: ergo neque in Inferno: ergo neque in Paradiſo conſors erit præmii, ſicut nunc de facto non eſt corpus S. Petri.

RESP. *nego min.* Corpus licèt ſit expers ſupplicii in Purgatorio, tamen ſuo modo ſejunctum ab anima punitur per corroſionem vermium, per reverſiooem in terram, & per omoimodam oblivionem uſque ad conſommationem ſeculi.. Aliunde lex Divina jubet corpus ab anima ſeparari, & totam naturam prupter originale peccatum mori, & ob alias rationes neceſſaria eſt mors, & ſeparatio, donec toto terrarum conſumpto orbe publicum inſtituatur Judicium de iis, quæ in anima, & corpore geſta ſont. Præterquamquod peccata venialia non ſunt ſimpliciter peccata, neqoe in pœnam eis correſpondet ſimpliciter punitio, ſed quædam porgatio, & potiùs beneficium. Peccata verò mortalia ſuot ſimpliciter talia, & pœna eis correſpondens eſt etiam talis in eſſe punitionis: unde hæc debetur ex neceſſitate toti ſuppoſito, quod eſt operans ſimpliciter. Illa autem non eſt neceſſe, ut ſimpliciter toti debeatur, ſed ſecundùm quid, partibus videlicet ſeparatis. Peccatom veniale declinat a fine, non eſt contra finem; quia non tollit a Deo rationem ultimi finis. Unde benè ſtat, quòd ad tempus impediant animam a conſequendo fine, ſed non a finali conſecutione. Secus accidit in mortalibus, quæ ſunt contra finem. Quod breviter explicatur.

Quæ pœna datur corpori propter venialia.

Ex peccatis venialibus alia ſunt ex parvitate materiæ, alia ex indeliberatione, alia ex genere. Quæ ſont ex indeliberatione, non videntur eſſe ex toto homioe, quia non ex pleno conſenſo. Quæ ſunt ex parvitate materiæ, minimom ſubtrahunt Deo. Quæ ex genere non præponont Deo creaturam ratione finis ultimi: ſecus in peccato mortali homo totus Deo ſubtrahitur; cum quia tota deliberatione declinat ab ultimo fine; illumque in ſe ipſo conſtituit. Noo eſt igitur abſurdum totum hominem pro venialibus non puniri, ſecus pro mortalibus; quod proportionaliter applicari debet reatui pœnæ temporalis remanenti poſt dimiſſam culpam mortalem, qui comparativè eſt reatus ſecundùm quid.

61 OBJICIES 6. Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 4. duplicem hominem diſtinguit exteriorem, qui corrumpitur, interiorem, qui renovatur; ſed homo vetus, & exterior eſt caro: novus, & interior eſt aoima: ergo caro in perpetuum corrumpetur, & anima renovabitur.

RESPONDET *Tertullianus* cap. 45. Ab Apoſtolo per veterem hominem priſtina intelligitur converſatio, non carnis ſubſtantia — Neque enim carnem præcipit, de„ ponamus, ſed quæ & alibi carnalia „ oſtendit, opera, non corpora accenſans, „ de quibus & hic ſubjicit: deponentes „ mendacium, loquimini veritatem &c. Igi„ tur, qui carnem veterem hominem exi„ ſtimant, cur non mortem ſibi prope„ rant, vetere homine depoſito, præceptis „ Apoſtoli occurrant? Nos enim, qui to„ tam fidem in carne adminiſtrandam cre„ didimus, immo & per carnem, cujus erit „ os ad proferendum optimum quemque ſer„ monem, & lingua ad non blaſpheman„ dum, & cor ad non indignandum, &

Quid intelligatur per veterem hominem.

„ ma-

,, manus ad operandum , & largiendum ;
,, tam vetuſtatem hominis , quàm novita-
,, tem ad moralem , non ad ſubſtantialem
,, differentiam pertinere defendimus . At-
,, que ita pariter agnoſcimus hominem ,
,, qui ſecundùm priſtinam converſationem
,, vetus fuerit , eumdem & corrumpi , ita
,, dictum ſecundùm concupiſcentiam ſedu-
,, ctionis , quemadmodum & veterem ſecun-
,, dùm priſtinam converſationem , non ſe-
,, cundùm carnem per interitum perpetuum .
,, Cæterùm carne tam ſalvum , quam eun-
,, dem , utpote vitioſam diſciplinam non
,, corpulentiam cautum —

Quando autem Apoſtolus ait exterio-
rem hominem corrumpi , interiorem verò
renovari de die in diem , non intelligit —
,, Illorum corruptelam carnis , ùt expli-
cat *Tertullianus cap.* 40. — quam ex die
,, mortis in perpetuum defectura patia-
,, tur : ſed quam in iſtius vitæ ſpatio
,, ante mortem , & uſque ad mortem ve-
,, xationibus , & preſſuris , tormentis , at-
,, que ſuppliciis, nominis cauſâ, experietur .
,, Nam èt homo interior hìc utique reno-
,, vari habebit per ſuggeſtum ſpiritus profi-
,, ciens fide , & diſciplina de die , ac no-
,, ctè . Non illic , ideſt , non poſt reſur-
,, rectionem : ubi non utique de die, ac no-
,, ctè renovari debemus , ſed ſemel ad ſum-
,, mum — Alia argumenta ſupereſſent , ſed
in ſequentibus Controverſiis fiet ſatis .

CONTROVERSIA III.

AN OMNES , ET SINGULI SINT RESUR-RECTURI .

62 Controverſia hæc quatuor complecti-
tur perſonarum genera , in quibos
verſari difficultas poteſt , fœmi-
nas videlicet , impios , morientes in utero
matris, & eos, qui ſub finem Mundi vivent .
Quoad fœminas error fuit ab Auguſtino *lib.*
22. *de Civitate Dei cap.* 17. relatus, quem no-
ſter Guido *lib. de Hæreſibus* 20. tribuit Arme-
nis , fœmineum ſexum a reſurrectione repel-
lentibus . Circa Impios item error exitit
apud Incognitum in Pſal. 1. , quòd a mor-
tuis non reſurgent . De Juſtis , qui die Ju-
dicii viveut , aliqui docent non eſſe moritu-
ros . In hanc inclinat S. Joannes Chryſoſto-
mus *Homil.* 22. *in* 1. *ad Corinth.* 15. , *Hom.* 6.
in 1. *ad Theſſalonicenſ.* 4. , Theodoretus ,
Œcumenius *in locis ſupracitatis Apoſtoli*: Ori-
genes *lib.* 5. *contra Celſum*: Hieronym. *Epiſt.*
152. *ad Minerium* , ubi duas referens opinio-
nes hanc probabilem dicit , Genadius *cap.* 7.
& 8. *de Eccleſiaſticis Dogmatibus*, Tertullianus
de reſurrectione carnis cap. 41. *&* 42. De In-
fantibus eſt quædam ſpecialis ratio dubitan-
di ex eo quòd ſpeciale damnationis genus
ais competit .

§. I.

61 DICO : *Omnes , & ſingulos homines eſſe
reſurrecturos* . Hæc conclnſio ſub
ſua univerſalitate eſt de fide , non
autem ſecundùm aliquas partes , prout infra
explicabimus . Et PROB. I. Quicumque
mortui ſunt in Adamo vel in re , vel in
debito , a mortuis debent reſurgere ; ſed
omnes, & ſinguli de humano genere in Ada-
mo mortui ſunt in re , vel in debito : ergo
omnes reſurgere debent . *Minor habetur* apud
Apoſtolum : 1. Corinth. c. 15. v. 20. *Chri-
ſtus reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium ;
quoniam quidem per hominem mors , & per ho-
minem reſurrectio mortuorum . Et ſicut in Adam
omnes moriuntur , ita & in Chriſto omnes vivi-
ficabuntur* . Illi ergo omnes vivificandi ſunt
Chriſti virtute , qui in Adamo peccatore
ſunt corrupti , & mortificati , ſeu morte
damnati .

Qui mortui ſunt in Adam, reſurgere debent .

64 SECUNDO : ſingula humanæ natu-
ræ individua , vel pertinent ad claſſem bo-
norum , vel ad claſſem malorum ; ſed
utriſque eſt reſurgendum , dicente Apoſtolu
Act. 24. v. 15. *Quam & hi ipſi expectant, re-
ſurrectionem futuram juſtorum , & iniquorum* :
ergo ſingula debent naturæ humanæ indivi-
dua reſurgere .

Tam boni , quã mali reſurgere debent .

65 TERTIO : omnes , & ſinguli de
humana ſpecie ſunt morituri ; ſed omnes ,
qui moriuntur , debent reſurgere : ergo .
Major probatur Pſal. 88. v. 49. *Quis eſt homo,
qui vivet, & non videbit mortem ?* hoc eſt nul-
lus . Ad Rom. 5 v. 12. *In omnes homines
mors pertranſiit* . Ad Hebr. 9. v. 27. *Statutum
eſt hominibus ſemel mori , poſt hoc autem Judi-
cium* , & alibi ſæpè . *Minor habetur* Jo. 5.
v. 28. *Venit hora , in qua omnes , qui in mo-
numentis ſunt , audient vocem Filii Dei* : Apoc.
20. v. 13. *Et dedit mare mortuos , qui in eo
erant : & mors , & Infernus dederunt mortuos
ſuos , qui in ipſis erant* . Cùmque fallere non
poſſit , qui dicit omnibus, & ſingulis *Pulvis
es , & in pulverem reverteris* , Gen. 3. v. 19.
neceſſe eſt , quòd aliquando in ſingulis ſe-
quatur ſeparatio animæ a corpore ; atqui
ſtante hac veritate neceſſaria eſt reſurrectio
in ſingulis ; nam ùt docet *D. Thomas* — Ra-
,, tio , quæ ſumitur ex natura ſpeciei , de-
,, bet reperiri in omnibus , quæ ſunt ejuſ-
,, dem ſpeciei ; talis autem eſt reſurrectio .
,, Hæc eſt enim ejus ratio , quòd anima in
,, perfectione ultima ſpeciei humanæ eſſe non
,, poteſt a corpore ſeparata : unde nulla ani-
,, ma in perpetuum remanebit a corpore ſe-
,, parata ; & ideò neceſſe eſt , ſicut unum ,
,, ita & omnes reſurgere — Supplem. q. 75.
art. 2. Hinc *Auguſtinus* in Enchiridion c. 84.
ait — Reſurrecturam carnem omnium ,
,, quicumque nati ſunt, hominum, atque na-
,, ſcentur , & mortui ſunt , atque morien-
,, tur , nullo modo dubitare debet Chriſtia-
,, nus — Non eſt opus Patrum teſtimonia
multiplicare ; quia conclnſio ſub hac univer-
ſalitate ab omnibus conceditur , ùt in ſolu-
tione argumentorum clariùs patebit .

Deus fallere non poteſt .

§ II.

SOLVO PRIMAM OBJECTIONEM, ET OSTENDO IMPIOS ESSE RESURRECTUROS.

66 OBJICIES 1. Impii non reſurgent; ſed hi ſunt individua naturæ humanæ: ergo non omnia naturæ humanæ individua reſurgent. *Major probatur* Pſalm. 1. v. 5. *Non reſurgent impii in judicio*; ſed reſurrectio non eſt facienda niſi pro die Judicii: ergo. Deinde Apoſtolus de mortuorum reſurrectione loquens ait: *Eos, qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo*; ſed impii non dormiunt per Jeſum: ergo non reſurgent. Ratio eſt; quia reſurrectio eſt maximum beneficium, cùm ſit reparatio vitæ; ſed maximum beneficium non eſt impiis, & æternaliter damnatis concedendum: ergo.

De fide impii reſurgent.

RESP. *nego maj.* Cujus oppoſitum, loquendo de adultis, eſt manifeſta hæreſis; ſcriptum eſt enim Danielis 12. v 2. *Multi ex his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium*. Ubi multi ſtat pro omnibus ex Scripturarum phraſi, ſic enim dicitur Matth. 26. v. 28. de Chriſti ſanguine, *qui pro multis effundetur*: & ad Rom. 5. verſ. 15. *Unius delicto mortui ſunt multi*. Nec eſt ratio quoſquam excipiendi ſive de bonis, ſive de malis, cùm reſurrectio ad hoc ordinetur, ut reſurgentes de ſuis præmium actibus, vel pœnam recipiant. Ne fortè quis dixerit ly *Multi* conjungendum eſſe cum ly *evigilare*, quod ſignificat ſolutionem ſenſus; & quia pueris ad Lymbum damnatis, licèt reſurrecturis, non ſolvetur ſenſus ad pœnam, vel ad gloriam, ideò Propheta diſertè indicat adultos. Nam Joannis 5. deſcriptâ mortuorum reſurrectione, ut locum falſæ intelligentiæ adimat, ſubdit v. 29. *Et procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in reſurrectionem judicii*. Vides? æquè boni, ac mali ad corporalem vitam, ſed non omnes ad æternam felicitatem reſurgunt; ideo 2. Machab. 7. v. 9. ſtrenui illi Martyres Tyranno objectabant: *Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis: ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit* .... Potiùs eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare a Deo iterùm ab ipſo reſuſcitandos. *Tibi enim reſurrectio ad vitam non erit*: ille enim Judæa ſceleſtus non erat beatitudinem aſſecutus die univerſæ reſurrectionis, ſed æternum, & qualibet morte pejus ſupplicium. Præterquamquod mortuorum reſurrectio ad finale ordinatur judicium, in quo ratio eſt de bono, & de malo æquè reddenda; quare boni, malique appareant corporaliter neceſſe eſt, quod docet Paulus 2. Corinth. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*.

In finali judicio reddenda eſt ratio de bono, & malo.

67 Hanc veritatem nobis inculcant Sancti Patres: *S. Hippolytus* orat. de conſummatione mundi habet — Tunc enim ſonabit tuba, & excitabit dormientes è profundiſſimis terræ tam juſtos, quàm peccatores — *S. Ephrem* in Parænesi 39. — Nunc juſti lætantur, at vos peccatores gehennæ ignis traditi eſtis. Nunc juſti, inſtar lucis reſplendent in regno cœlorum: vos verò peccatores in tenebras miſſi eſtis exteriores — *Cyrillus Alexandr.* lib. 2. in Joan. cap. 145. — Proceſſuros autem .... peccatores quidem in ſupplicia ſempiterna, juſtos verò contrà in vitam æternam — *Ambroſius* in priori ad Corinth. cap. 15. — Tam credentes, quàm diffidentes reſurgant licèt ad pœnam. Increduli tamen vivificari videntur, quia corpora ſua recipient jam non morituri, ſed paſſuri pœnam in eis ſine fine — Conſimiliter loquuntur cæteri Patres: quare Eccleſia in *Athanaſii* Symbolo docet — Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem, & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum — Et in Concilio Generali Lateranenſi ſub INNOCENTIO III. habetur cap. *Firmiter* de Fide Catholica — Et redditurus ſingulis ſecundùm opera ſua tam reprobis, quàm electis. Qui omnes cum ſuis propriis corporibus reſurgent, quæ nunc geſtant — In Concilio Toletano VI. cap. 1. legitur — Quem etiam venturum in fine expectamus ſæculorum; cùm reſurrectione omnium æquiſſimo judicio reddi-turum juſtis præmia, & impiis pœnas.

Illa verò ſententia Pſalmiſtæ: *Non reſurgent impii in Judicio*, non cadit ſupra ſubſtantiam reſurrectionis, ſed ſupra modum, quatenus non reſurgent in reſurrectionem vitæ, quæ dicitur ſimpliciter reſurrectio, ſed ad mortem ſempiternam. Hinc *Sanctus Proſper* Aquitanus lib. de promiſſionibus, & prædictionibus Dei dimidium temporis cap. 18. ait — Si quem verò movet, quòd impii in judicio non reſurgent, intelligat, non ad judicium, ſed ad pœnam reſurgere, juxta illam Domini ſententiam: *qui non credit, jam judicatus eſt* — Non reſurgunt in Judicio quaſi ad examen, ut convincantur; ſua enim opera ipſos conveniunt, & damnant. Quanquam verò Joann. 3. v. 18 dicatur: *Qui credit in eum, non judicatur*, non intelligitur de judicio diſcuſſionis, ſed damnationis, & de credentibus fide formatâ verbis, & factis, non autem de illis, de quibus ad Titum 1. verſ. 16. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*; & ubi dicit *Qui autem non credit, jam judicatus eſt*, intelligitur de judicio condemnationis, quia facit opera, quæ inducunt condemnationem.

Impii non reſurgent ad gloriam, ſed ad pœnam.

SECUNDO. Dicitur, non reſurgent impii in Judicio ad judicandum, ſed ut judicentur, & audiant ſententiam reprobationis. Hinc *Caſſiodorus* in Pſal. 1. — Omnes reſurgere fides Catholica confitetur, ſicut dicit Apoſtolus, omnes reſurgemus, ſed non omnes immutabimur: reſurgat enim juſtus, ut judicetur, impius, ut ſine judicio

Impii non reſurgẽt ad judicandum.

„ judicio punitur — Sine judicio videlicet activo; nam quilibet Juſtus quoquam modo etiam judicabit, ùt dicitur Matth. 12. v. 42. *Regina auſtri ſurget in Judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam*. Ex quo ſequitur fore, ut Impii in Judicio non ſubſiſtant, hoc caput non erigant, pro ſe enim reſpondere ipſi nequibunt: eos Dominus a ſe repellet, Juſtos autem adducet in vitam æternam, quod innuit Apoſtolus, inquiens *dormientes per Jeſum adducet cum eo*. Vide infra Controv. VIII.

Quando autem dicebatur reſurrectio maximum bonum futura, conceditur, loquendo in ordine naturali, quatenus redditur priſtina vita: ſicut etiam eſt maximi inſtar boni, prout ad Divinam Providentiam ſpectat. Cæterùm quatenus deſervit reprobis tanquam fundamentum æternæ calamitatis, in graviſſimum vergit eorundem malum. Illis etiam iterata unio ad corpus neceſſaria eſt, ac debita, cùm ipſorum delictis pœna debeatur æterna.

§. III.

SOLVITUR SECUNDA OBJECTIO, ET OSTENDITUR ABORTIVOS ESSE RESURRECTUROS.

68 OBJICIES 2. Illi ſunt a morte excitandi, qui conſepulti fuerunt cum Chriſto, dicente Apoſtolo ad Rom. 6. v. 5. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini morti ejus, ſimul & reſurrectionis erimus*, vel ſaltem illi ſunt excitandi, qui cum Chriſto conſepeliri potuerunt; ſed dantur plures, qui nec ſunt conſepulti, nec conſepeliri potuerunt, ſicut abortivi in utero Matris: ergo non omnes reſurgemus.

Abortivi reſurgere debent.

RESP. *Auguſtinus* l. 22. de Civit. Dei cap. 13. aliqualiter anceps de Abortivorum reſurrectione fuit — Abortivos fœtus, qui cùm „ jam vixiſſent in utero, ubi ſunt mortui, „ reſurrecturos, ùt affirmare, ita negare „ non audeo — Similiter *Juſtinus* Martyr quæſt. 13. ad Gentes — Decens eſt crede- „ re Infantium reſurrectionem — Tenendum nihilominus pro certo eſt abortivos, quibus inerat anima rationalis, fore reſurrecturos. Quod efficaciter, probat laudatus *Auguſtinus* loco citato, ubi in hanc partem inclinans — Quamvis non video, „ *inquit*, quomodo ad eos non pertineat „ reſurrectio mortuorum, ſi non eximuntur „ de numero mortuorum. Aut enim non „ omnes mortui reſurgent, & erunt aliquæ „ humanæ animæ ſine corporibus in æter- „ num, quæ corpora humana, quamvis in- „ tra viſcera materna geſtarunt: aut ſi „ omnes animæ humanæ recipiant reſurgen- „ tia ſua corpora, quæ habuerunt ubicum- „ que viventia, & morientia reliquerunt, „ non invenio, quemadmodum dicam ad re- „ ſurrectionem non pertinere mortuorum, „ quoſcumque mortuos etiam in uteris ma- „ trum — Aſſertio fundatur in doctrina D. Pauli 1. ad Corinth. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita èt in Chriſto omnes vivificabuntur*. Cùm ergo certum ſit Abortivos eſſe mortuos in Adam, certum quoque eſt ad vitam revocandos: unde Apoc. 20. v. 24. dicitur: *Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu Throni*: & ideò ante Chriſti Tribunal Abortivi debent ſiſtere, ut aliquando èt ipſi Chriſtum adorent, cùm ſcriptum ſit Iſajæ 45. v. 24. *Mihi curvabitur omne genu*; ut divina manifeſtetur æquitas, quæ iſtos æterna privat beatitudine, alios verò pueros cum baptiſmo mortuos felicitat, ut omnibus, & ſingulis innoteſcat effectus originalis peccati. Ut autem ſtent ante Tribunal Chriſti, debent eſſe cum ſuis corporibus, ſicut cæteri omnes.

69 DICES. Perſeverante cauſa perſeverat effectus; ſed mors eſt effectus originalis peccati, quod in abortivis perſeverat, ſicut èt in pluribus aliis: ergo non auferetur, adeoque non reſurgent.

Mors eſt pœna originalis peccati.

RESP. Ipſa mors eſt pœna peccati originalis; detineri autem ſub morte in perpetuum, non eſt ſtatutum in pœnam peccati: quamobrem omnis moriens ſive cum originali labe, ſive non, debitum ſolvit moriendi ratione peccati originalis contractum; dictum eſt enim Adamo: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*; *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*: & ab Apoſtolo dicitur *Per unum hominem mors intravit in mundum*. Hæ phraſes indicant ipſam mortem eſſe pœnam peccati, ſecus detentionem ſub morte in perpetuum. Quare ſicut poſt remiſſionem originalis culpæ, nihilominus ſequitur mors, quæ ſolùm dependet ab originali peccato in fieri, non autem in facto eſſe: ita ſtante eadem originali culpa, & ſoluto mortis debito ſtat reſurrectionem eſſe futuram; quia mors in facto eſſe, ſeu perſeverantia ſub eſſe mortis non dependet ab ipſo peccato, nec ab ejus permanentia; ac proinde quivis in Ada peccavit ſive infans, ſive adultus debet ad vitam regredi.

Reſurrectio noſtra quomodo conformatur reſurrectioni Chriſti.

Ad rationem ex *D. Paulo*, adverte corporalem hominum reſurrectionem duobus poſſe modis Chriſto redivivo conformari, primò in integritate naturæ ſpecificæ per unionem corporis: ſecundò in perfectione integritatis ſpecificæ, ita ut ſicuti Chriſtus in corpore reſurrexit glorioſo, ita & homines, juxta illud ad Philipp. 3. v. 21. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*. Utraque hæc reſurrectio ex gratia Chriſti eſt, ſed diverſimodè. Prima ex gratia Chriſti, qua factum eſt, ut naturam humanam aſſumeret, juxta quam ei conformamur in ſpecie; ſecunda ex gratia Chriſti, qua factum eſt, ut mundaret nos a peccato per lavacrum regenerationis. Dum ergo Apoſtolus inſit: *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini morti ejus, ſimul & reſurrectionis erimus*, intendit reſurrectionem ſecundo modo acceptam, quam adipiſcitur nemo, qui medio baptiſmo perſeveranter Chriſto non unitur tanquam ramus plantæ; & ideo immediatè præfatus eſt v. 4. *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita &*

nos in novitate vitæ ambulemus. *In novitate vitæ* per bona opera: *ambulemus* importat perſeverantiam pro toto vitæ curſu, quam phraſis Apoſtolica ambulationem vocat, ſeu peregrinationem: *Quandiù ſumus in corpore, peregrinamur a Domino* 2. Corinth. 5. v. 6. Vide infra Controv. VIII.

§. IV.

SOLVO TERTIAM OBJECTIONEM, ET OSTENDO MULIERES ETIAM ESSE RESURRECTURAS.

70 OBJICIES 3. Mulier pertinet ad individua humanæ naturæ; ſed mulier non reſurget: ergo non ſingula naturæ humanæ individua reſurgent. *Minor probatur* I. Ad Epheſ. 4. verſ. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Sic præfatur Apoſtolus occurſum conſummationis Eccleſiæ, & ait fore, ut nemo, niſi vir occurrat. II. ad Rom. 8. v. 29. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri Imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis Fratribus*. Sed mulier non præſefert imaginem Filii Dei, nec Frater eſt Chriſti. III. Matth. 22. v. 30. *Erunt ſicut Angeli Dei in Cœlo*. Inter Angelos non accenſentur fœminæ: ergo. IV. 1. ad Corinth. 15. v. 24. *Cùm evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem*. In reſurrectione nulla eſt futura ſubjectio inter reſuſcitatos; ſed mulier naturali ordine viro ſubditur: ergo. V. 1. ad Corinth. 13. v. 10. *Evacuabitur quod ex parte eſt*, ita ut nullum vitium, ſeu defectus naturæ erit in reſurrectione; ſed mulier eſt defectus naturæ: eſt enim animal imperfectum, ùt dicitur lib. de Animalibus. VI. Mulier ordinata eſt ad conſervationem ſpeciei, ſicut motus cœli ad rerum ſublunarium productionem; ſed tunc ceſſabit neceſſitas conſervandæ ſpeciei: ergo nulla erit mulier, ſicuti nullus cœlorum motus. VII. In futuro ſeculo omnis indecentia ceſſabit; atqui mulier eſt origo indecentiæ: ergo mulier non reſurget.

Fœminæ reſurgent in ſuo ſexu.

RESP. *nego min*, cujus oppoſitum eſt manifeſta eorum hæreſis, qui commenti ſunt fœminas non eſſe reſurrecturas, ſed tranſmutandas in virilem ſexum. Commentum hoc refert Auguſtinus *lib. 22. de Civit. Dei c. 17.*, ſuppreſſo auctoris nomine, quem S. Hieronymus *Epiſt. ad Pamachium* notat Origenem fuiſſe. Noſter *Guido* de hæreſibus vigeſimo loco culpatur Armenos.

Probatur pluribus aſſertio.

71 Sed contrà eſt. I. Quos morti damnavit peccatum Adæ, a mortuis reparabit virtus Chriſti; ſed mulierum corpora morti damnavit Adæ peccatum: ergo hæc reparabit per reſurrectionem Chriſtus. II. Illa naturæ humanæ individua reſurgant oportet, quæ apparere debent ante Chriſti Tribunal, ut de his, quæ in proprio corpore ſive bonum, ſive malum gerunt, rationem reddant. Mulier refert propria corporis fœminei, non autem virilis; in hoc enim non egit bonum, neque malum, ſed in illo: ergo. III. Reſurrectio pertinet ad præmium, vel pœnam bonorum, vel malorum operum: *Si enim patimur, & conglorificabimur: quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*. Mulieres ſanctæ paſſæ in corpore fœmineo, & pravæ in eodem delectatæ ſunt: ergo ipſis cum eodem eſt corpore reſurgendum. Injuſtum utique foret corpori innocenti de novo condito animam mulieris pravæ induci ſub Infernis cruciandum; & è contrà corpus attritum macerationibus pro Domino æterna beatitudine privari, eâque potiri extraneum virile corpus, quod nihil eſt paſſum. IV. Deus in reſurrectione reſtaurabit totum, quod fecit in natura humana, dum primò eam condidit; ſed teſte Scripturâ, Deus fecit maſculum, & fœminam: ergo utrumque reparabit. Immo adverte cum *Auguſtino* dignitatem fœminæ, quam ex coſta viri ædificavit Deus in ſignificationem maximi myſterii, videlicet Eccleſiæ ex latere Chriſti emanaturæ. Cùm ergo Eccleſia ſit reparanda, eſſe haud debet mulier reparationis exſors, utpotequæ ſit illius figura, ſicuti reparandus eſt vir Chriſtum repræſentans. V. Omnibus reſurgendum cum Chriſto eſt, qui cum eo per Baptiſmum in ſimilitudinem mortis ejus fuere conſepulti. Atqui fœmina per Baptiſmum conſepulta cum Chriſto eſt, dicente Apoſtolo ad Galatas 3. v. 27. *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*: ergo. Si enim fœmina eſt cum Chriſto in Eccleſia Militanti, ſicut eſt maſculus; cur non itidem cum Chriſto ſit in Eccleſia Triumphante? VI. *Matth.* 22. Sciſcitantibus Sadducæis, cujus futura eſſet in reſurrectione mulier illa, quæ ſeptem viros habuerat, non reſpondit Dominus, non futuras eſſe in reſurrectione mulieres: niſi enim eſſent futuræ, ipſis terminis remanebat eluſa interrogatio; ſed affirmavit eas fore, haud tamen ſub ſtatu nuptiarum, quatenus dixit, *non nubent*, quod ad fœminas pertinet, *neque uxores ducent*, quod ſpectat ad viros, ùt dicitur *Luc.* 17. v. 27. Erunt ergo in reſurrectione mares, & fœminæ, quam doctrinam ſuggerit *Auguſtinus* lib. 22. de Civit. Dei cap. 17. — Qui ergo „ utrumque ſexum inſtituit, utrumque reſtituit; denique & ipſe Jeſus interrogatus a Sadducæis, cujus ſeptem fratrum erit uxor, „ quam ſinguli habuerunt .... Erratis, „ inquit, neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei: & cùm locus eſſet, ut diceret; de quo me interrogatis, vir erit „ ipſa, non mulier: non hoc dixit, ſed „ dixit: in reſurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent; ſed ſunt ſicut „ Angeli Dei in cœlo ... Nuptias ergo „ Dominus in reſurrectione negavit eſſe, „ non fœminas, & ibi negavit, ubi talis „ quæſtio vertebatur, ut eam negato ſexu „ muliebri, celeriori facilitate diſſolveret, „ ſi eum ibi prænoſceret non futurum — VII. Pſal. 44. deſcribitur Beatiſſima Virgo ad dexteram ſedens veri Salomonis in Regno Patris: *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaura-*

deaurato, circumdata varietate, hoc eſt anima, & corpore: Apoc. 12. v. 1. *Signum magnum apparuit in Cœlo; Mulier amicta Sole*, videlicet Virgo Mater: Eſter 2. v. 17. *Adamavit eam Rex pluſquam omnes mulieres .... & poſuit diadema Regni in capite ejus*: 2. Reg. 6. v. 12. *Abiit David*, ideſt Chriſtus, , *& adduxit arcam Dei*, ideſt Mariam, *de domo Obededom*, ſcilicet in aſſumptione, *in Civitatem David*, hoc eſt in Cœlum Empireum *cum gaudio*. Sic *Albertus Magnus* in Bibliotheca Mariana lib 2. Reg., & *D. Bonaventura* in Speculo B. V. c. 10. — „ De hoc namque (*an B. V. ſit glorificata cum corpore*) Auguſtinus ſic ait, vera ratione confitendum cenſeo, Mariam in Chriſto, & apud Chriſtum eſſe: in Chriſto, quia in ipſo vivimus, movemur, & ſumus, apud Chriſtum ad gloriam æternitatis aſſumptam; undè digne credimus lætari Mariam lætitia inenarrabili „ anima, & corpore -- Si corpore, & anima ſedet in cœlis Domina gentium, & primogenita creaturæ, ſedebunt èt aliæ mulieres, cùm ſcriptum ſit, *adducentur Virgines poſt eam*: & abſque dubio non eſſet Virgo mater, ſi virili corpore foret in cœlis coronata. Non mentitur, qui dixit Matth. 12. v. 42. *Regina auſtri ſurget in Judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam*, quæ reſurget, in æternum permanebit. Tres ſunt rerum ordines in univerſo: ſubſtantiæ puræ Spirituales, ùt Angeli: puræ Corporeæ, ut Cœli, & elementa: miſtæ ex ſpiritu, & corpore, ùt ſpecies humana. Tertius iſte ordo perſeveraturus eſt in ſempiternum. Porrò ad humanæ ſpeciei perfectionem ſpectat diſparitas ſexus, quâ diverſi conſtituuntur gradus. Sicut enim ex integritate ſua certum expoſcit temperamentum, ita èt certam ſexuum diſpoſitionem; ac proinde in reſurrectione, & poſt illam reparari exigit, & in utroque ſexu conſervari.

Diverſitas ſexus ſpectat ad perfectionem ſpeciei.

72 His poſitis, ad PRIMUM ex Apoſtolo ad Epheſios dicimus, viri nomine importari etiam fœminam, cujus frequens eſt uſus in Scriptura, ſic Pſal. 1. v. 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum*: Pſ. 111. v. 1. *Beatus vir, qui timet Dominum*: Pſal. 13. v. 1. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*: & alibi ſæpè; utique beata eſt mulier, cui Dominus non imputavit peccatum, quæ non abjit in conſilio impiorum, quæ timet Dominum. Secundò reſpondetur: in adductis Pſalmorum textibus dirigit Dominus ſermonem ad virum tamquam ad eum, in quo continetur mulier. Idem dicas de *Paulo*; quia ait *Cyprianus* lib. de habitu, & diſciplina Virginum — Mulier eſt viri „ portio ab eo ſumpta, atque formata — Quo ſenſu maſculis, & fœminis Chriſtus commendavit caſtitatem dicens: *Sint lumbi veſtri præcincti*. Ut autem advertit *S. Gregorius* Homil. 13. in illud Evangelicum — „ Quia viris luxuria in lumbis ſit, in fœminis in umbilico, teſtatur Dominus, „ qui de Diabolo ad Beatum Job inquitur „ dicens, virtus ejus in lumbis ejus, & fortitudo illius in umbilico ventris ejus. A „ principali igitur ſexu lumborum nomine „ luxuria deſignatur, cùm Dominus dicit,

Viri nomine venit & fœmina.

A „ ſint lumbi veſtri præcincti -- Quare ſi ad reſurrectionem trahi velit locus ille *Pauli*, uterque ſexus intelligitur incluſus. Sanè in alio etiam ſenſu accipitur pro perfectione virtutis, ſanctitatis, animi intrepidi in Chriſto ſequendo: & hæc eſt vulgaris Patrum expoſitio.

Ad SECUNDUM ex eodem ad Rom. dico: conformitas, de qua ibi agit *Paulus*, eſt effectus prædeſtinationis, & fundans jus æternæ hæreditatis. Porrò iſta habentur per gratiam adoptionis, *quâ clamamus Abba Pater*, non autem per identitatem ſexus. Quos ergo præſcivit conformes fieri imaginis Filii ejus, præordinavit, ut B portent imaginem cœleſtis Adam, ideſt vitam innocentiæ ſequantur. Et primogenitura Chriſti in multis Fratribus non ſubſiſtit in fraternitate carnali, & materiali, ſed ſpirituali, & adoptionis, in qua maſculus, & fœmina unum ſunt. Quamobrem Chriſtus matrem ſuam, ſorores, fratreſque ſuos appellavit quotquot facientes voluntatem Patris. Poteſt adhuc dici Primogenitus ratione ſimilitudinis aſſumptæ naturæ, ſicut habetur ad Hebræos 2. v. 12. *Debuit per omnia Fratribus aſſimilari*; ſed in ſimilitudine naturæ aſſumptæ uterque ſexus convenit, ac hinc æqualis arguitur utriuſque reſurrectio.

Quomodo Chriſtus dicatur primogenitus.

C Ad TERTIUM. Hominum ſimilitudo cum Angelis non erit in carne, ſed in felicitate immortali. Optimè *Tertullianus* de carnis reſurrectione cap. 62. — Non dixit, erunt „ Angeli, ne homines negaret, ſed tanquam Angeli, ut homines conſervaret, „ non abſtulit ſubſtantiam, cui ſimilitudinem attribuit — Et *Hieronymus* in Epitaphio Paulæ — Non ſubſtantiam nobis Angelorum, ſed converſationem, & beatitudinem nobis repromittit .... Similitudo promittitur, non natura mutatur -- Et veritatem ex verbis Chriſti Domini ſic confirmat -- Ubi dicitur non nubent, neque D nubentur, ſexuum diverſitas demonſtratur; nemo enim de lapide, & ligno „ dicit non nubent, neque nubentur, quæ „ naturam nubendi non habent, ſed de his, „ qui poſſunt nubere, & gratiâ Dei, & „ virtute non nubant — Et in Epiſtola ad Pamachium contra errores Joannis Jeroſolym. — Angelorum nobis ſimilitudo promittitur, ideſt beatitudo illa, in qua ſine carne, „ & ſexu ſunt Angeli, nobis in carne, & „ ſanguine donabitur ... Similitudo autem „ ad Angelos, non hominum in Angelos „ demutatio, ſed profectus immortalitatis, „ & gloriæ eſt —

Angeli, & homines erūt felicitate æquales.

E Ad QUARTUM dic in reſurrectione attendi quantitatem, & qualitatem meritorum, in qua nulla eſt unius ad alterum ſubjectio; unde ceſſabit ratio, ut mulier ſubjiciatur viro, ſicuti nunc ſubjicitur propter rectitudinem domeſtici gubernii, quod tunc nullum erit, & propter naturalem debilitatem animi, & corporis, quæ tunc perficietur.

In reſurrectione nulla dabitur ſubjectio.

Ad QUINTUM ille *Pauli* textus nil facit ad rem; namque ibi ſermo eſt de evacuatione ſtatus viatoris ſanè imperfecti, ſi conferatur cum beatorum conditione. Defectum muliebris ſexus nemo vertat vitio, ſed potiùs ejuſ-

ejuſdem perfectioni; quandoquidem tendat ad ſpeciei integritatem. Dicitur animal imperfectum, non abſolutè quaſi monſtrum, ſed comparativè, utpote imperfectior, & debilior virili. Embrio maſculinus, juxta veterum Medicorum opinionem trigeſimo octavo die animatur: fœmininus ſeptuageſimo octavo; nam humor perfrigidus obeſt, ne citiùs organizatio efformetur. Porrò hæc major imbecillitas utpote naturæ conſentanea non evacuanda eſt, ſed conſervanda.

Fœmina eſt ad integritatem ſpeciei.

Ad SEXTUM *nego majorem*. Ordinatur enim fœmina ad integritatem naturæ exigentis diverſam diſpoſitionem quaſi ſpecificam, quæ varietas pertinet ad pulchritudinem Univerſi. Dupliciter ſe habet unio corporis ad animam, primò ut materia ad formam: finis hujus non eſt operatio, ſed compoſitum. Secundò ut inſtrumentum ad agens; hujus finis eſt operatio. In reſurrectione ceſſabit finis reſpectu ad agens, non autem ad eſſe. Nec valet paritas de cœlorum motu, qui ſolùm ordinatur ad conſervationem Orbis ſublunaris, quo ceſſante, ille etiam deſinet.

Ordinatur fœmina ad integritatem naturæ.

Ad SEPTIMUM. Ridicula eſt ea ſuſpicio indecentiæ in cœlis, ubi cuncta erunt perfecta ſecundùm corpus, & ſpiritum. Etenim in ſtatu innocentiæ ſi nuditas non erat ad verecundiam, multò minùs in ſtatu gloriæ, ubi Dei virtus abundabit, omnemque inordinatum appetitum excindet. Quòd ſi loquamur de damnatis, nulla ibi quoque erit verecundia, quia ceſſante cœlorum motu, corpora non erunt ſubjecta alterationibus, maximè quia pœnarum vis omnem carnis extinguit ardorem.

Poſt reſurrectionem non erit verecundia.

Si autem apud *Baſilium* Pſal. 114., *Hieronymum* ad Eph., *Athanaſium* ſerm. 3. adversùs Arianos invenias ſexuum diverſitatem eſſe tollendam, fœminas mutandas in viros, intellige non de mutatione naturæ, ſed virtutis, & priſtinæ infirmitatis. Unde egregiè *Auguſtinus* laudato loco de Civit. — Erunt mem-
„ bra fœminea non accommodata uſui vete-
„ ri, ſed decori novo, quo non alliciatur
„ aſpicientis concupiſcentia, quæ nulla
„ erit, ſed Dei laudetur ſapientia, atque
„ clementia, qui & quod non erat, fecit,
„ & liberavit a corruptione, quod fecit —
Immo idem *Hieronymus* in Epitaphio Paulæ benè arguit, quòd ſi tollitur ſexus, tollitur membrorum conſtructio, & ſi membra tolluntur, ubi erit corporum reſurrectio? Quare inter Eccleſiaſtica dogmata hoc in ſeptuageſimo loco habetur — In reſurrectio-
„ ne ex mortuis ſexus forma non mutabitur,
„ ſed vir mortuus reſurget in forma viri,
„ & fœmina in forma fœminæ — Homines
mixti ſexus reſurgent in ſexu prævalente, & ubi ſexus non prævalet, reſurgent in ſexu virili, quippequi præſtantior ſit.

Si tollatur diverſitas ſexus non erit reſurrectio.

§. V.

CÆTERA ARGUMENTA ENODANTUR.

OSTENDITUR EOS, QUI VIVENTES ERUNT SUB FINEM MUNDI, MORITUROS ESSE, ET RESURRECTUROS.

73 OBJICIES 4. Qui ſupervivent ſub diem Judicii, non morientur; ſed qui non morientur, non reſurgent: ergo non omnes reſurgent. *Probatur maj.* 1. ad Corinth. 15. v. 51. *Ecce Myſterium vobis dico: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur:* ubi ex Græco legitur, *non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur.* Senſus eſt, non omnes morituros, ſed omnes immutandos, quia recipient corpora immortalia; idque ex contextu clarius fit; nam ſequens verſiculus ſic habet: *Mortui reſurgent incorrupti, & immutabimur.* Quaſi dicat: nos non erimus mortui, ſed tamen mutationem habebimus.

SECUNDO 1. ad Theſſal. 4. v. 14. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de Cœlo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus.* Hic *S. Paulus* innuere videtur tunc aliquos fore viventes, qui cum reſurgentibus obviam Chriſto Domino procedent: ergo.

TERTIO Scriptura docet Chriſtum judicaturum eſſe vivos, & mortuos Act. 10. v. 42. *Ipſe eſt, qui conſtitutus eſt a Deo Judex vivorum, & mortuorum:* ad Rom. 14. v. 1. *In hoc Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: ut & mortuorum, & vivorum dominetur.* Sed non poteſt aliter verificari, niſi quia tempore ad Judicium prævio alii ſint vivi, alii defuncti: ergo.

QUARTO 2. ad Corinth. 5. verſ. 4. *Eò quòd nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri.* Hinc elucet inſitum homini a natura deſiderium non moriendi; ſed naturale deſiderium ſpeciei debet ſaltem in aliquibus individuis expleri, ne ſit fruſtraneum: ergo ſaltem tunc aliqui remanebunt a morte intacti.

QUINTO ad Rom. 5. v. 20. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* Id declarat potentiorem gratiam Chriſti, quàm Adæ peccatum; ſed non eſſet potentior, niſi in aliquibus ſemper integritatem vitæ conſervaret, quos Adæ peccatum morti obnoxios fecit. Itaque ſicut Beatam Virginem ab originali præſervavit: ita & aliquos a morte ſervabit. Neque congruentius videtur aliud tempus, quàm illud Judicio proximum; cùm non appareat cauſa, cur mori debeant, qui protinus ſint ad vitam revocandi, nec appareat cauſa naturalis, quæ ſubitaneam mortem in tot homines inducat. Si dicas omnes violento igne necandos, id

ægrè

ægrè fidem capit, præſertim quòd multi tunc erunt Juſti, & Deo amici.

74 RESP. Quæſtionem ſanè permoleſtam tangit objectio, num quiſque mori debeat, ſtatimque redivivus immortalitatem recipere, an verò ſub diem Judicii viventes tranſituri ſint ad immortalitatem. Aliqui neminem a morte obeunda excludunt, & contrariam opinionem tanquam hæreticam, alii ùt temerariam taxant.

Conveniens eſt aſſerere omnes viventes ſub fine mundi morituros.

Nobis imitanda eſt *D. Thomæ* moderatio, qui propter contraria quorundam Patrum teſtimonia, probabiliorem dumtaxat, rationem, communioremque notat opinionem aſſerentium neminem fore mortis immunem, quamvis efficaciſſima pro ea afferat argumenta. Eſt etiam imitanda *D. Auguſtini* virtus, (B) qui de hac quæſtione interrogatus ad *Dulcitium* quæſt. 3. reſpondit: *Vellem hinc potius audire Doctores*, rogatque *Dulcitium*, ut ſi de ea aliquid abſolutum, & definitum rationabili diſputatione audierit, aut legerit, aut excogitaverit, mittere ei dignetur; adjiciens: *Ego enim, quod confitendum eſt charitati ſuæ, plus amo diſcere, quàm docere*: *S. Hieronymus* tractat egregiè hanc theſim Epiſt. 152. ad Minerium enucleando textus in objectione allatos, cujus negamus *majorem* propter efficacia argumenta ab *Auguſtino* lib. 20. de Civit. Dei, & *Hieronymo* inibi adducta, quorum

Nullus excipiendus a generali lege, niſi per certum privilegium.

(C) 75 PRIMUM. Nullus eſt a generali Scripturæ lege excipiendus, niſi per eamdem Scripturam de certo privilegio conſtet; ſed in Scriptura eſt lex generalis de morte: ergo ab ea nullus eſt excipiendus, niſi de certo privilegio conſtet. Sed certò non conſtat de privilegio reſpectu illorum, qui ſupervivent prope mundi conflagrationem; quia prælibatæ Scripturæ in oppoſitum objectæ non ſunt claræ, aliumque optimum ſenſum habent: ergo. *Explicatur*. Pro illis, qui judicari debent ſtatuta eſt mors; dicitur enim ad Hebræos 9. v. 27. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem Judicium*; (D) quæ verba indicant homines judicandos priùs mori oportere; ſed qui ſub fine Mundi vivent, certò certiùs ſunt judicandi, ſicut Scriptura docet: ergo priùs debent mortem oppetere.

Originale peccatum ſingulos infecit ad mortem.

76 SECUNDUM. Quotquot originali peccato ſunt infecti, debet inevitabiliter mori; ſed originale peccatum ſingulos infecit, qui tunc vivent: ergo. *Minor* eſt de fide; *major* eſt aperta doctrina *D. Pauli* ad Rom. 5. v. 12. *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Corroboratur. (E) Stante certitudine privilegii exemptionis B. V. a culpa originali, ſtat in eadem ſubjectio ad mortem: ergo a fortiori ſtabit ſubjectio realis ad mortem in iis, qui realiter tale peccatum contraxerunt.

Membra debent conformari capiti.

77 TERTIUM. Nullum eſt privilegium aliquibus Eccleſiæ membris etiam per accidens concedendum, quod non fuerit in capite Chriſto; atqui caput Chriſtus priuſquam reſurgeret, & immutaretur, mortuus eſt: ergo nulli ex membris Eccleſiæ immutatio dabitur, niſi præcedente morte. *Explicatur*. (A) Immutatio, quæ in Juſtis eſt facienda, debet eſſe per conformitatem ad immutationem, quam habet Sanctiſſimum Corpus Chriſti capitis, ſic ad Philipp. 3. v. 20. *Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*; ſed Chriſti corpus non recepit immutationem claritatis, niſi poſt mortem: ergo.

Corpus non vivificatur, niſi poſt mortem.

78 QUARTUM: Corpus, quo ad judicium venient homines, debet eſſe ſeminatum: ſed corpus ſeminatum non vivificatur, niſi per mortem: ergo non venient ad judicium, niſi præcedente morte: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur corpus animale, ſurget ſpirituale*. (B) Hæc autem reſurrectio in ſpiritale, quonam fiet modo docet Apoſtolus 1. Corinth. 15. v. 36. *Inſipiens, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi priùs moriatur*; & notanda eſt illa locutio *niſi priùs moriatur*, quæ exprimit eſſentialem conditionem. Quæ firmiùs ſtabilitur per ſimilitudinem grani, quod non vivificatur, niſi priùs fuerit corruptum. Cùm ergo, qui tunc erunt, in ſpiritali corpore comparere debeant, neceſſe eſt, ut antea moriantur.

Juſti triumphât de morte.

79 QUINTUM. Juſti omnes adepti corporis immortalitatem gloriabuntur cum (C) Chriſto contra mortis victoriam, juxtà illud Pauli 1. ad Corinth. 15. v. 54. *Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria. Ubi eſt mors victoria tua?* Sanè hæc gloria ſupponit hominem jam vita functum. Mors victoriam non obtinet, niſi viventes occidat: ergo non poteſt intelligi victoria Chriſti ſupra victoriam mortis, niſi mortui ſupponantur, qui revocentur ad vitam. Si ergo Juſti non gloriabuntur, niſi poſtquam induerint incorruptionem, certè ad hanc gloriam præit reſurrectio.

80 SEXTUM habetur ex *D. Thomæ* (D) quæſt. 78. Supplem. art. 1. in corpore — „ Magis concordat ordini naturæ, in quo „ invenimus, quòd id quod corruptum, & „ vitiatum eſt, in ſuam novitatem non re„ ducitur, niſi corruptione mediante: ſicut „ acetum non fit vinum, niſi aceto corrup„ to, & in humorem vitis tranſeunte: un„ de cùm natura humana in defectum ne„ ceſſitatis moriendi devenerit, non erit „ reditus ad immortalitatem, niſi mediante „ morte —

81 SEPTIMUM ibidem ſubditur — „ Convenit etiam ordini naturæ propter „ aliam rationem, quia, ùt in 8. *Phyſic.* di„ citur, ut vita quædam naturâ exiſtenti- (E) „ bus eſt motus cœli: ſicut etiam motus „ cordis totius corporis vita quædam eſt; „ unde ſicut ceſſante motu cordis, omnia „ membra mortificantur; ita ceſſante motu „ cœli, non poteſt aliquid vivum remanere „ illâ vitâ, quæ ex influentia illius motus „ conſervabatur. Talis autem vita eſt, „ quâ nunc degimus; unde oportet, quòd „ ex hac vita deſcendant, qui poſt mortem „ cœli quieſcentem victuri ſunt — Quare lect. 8. In priori ad Corinth. 15. dicit: *Eccleſia magis acceptat primam, ſcilicet, quod*

omnes

„ *omnes moriemur, ſive reſurgemus* — Iiidem *S. Hieronymus* Epiſt. ad Minerinm haber — „ Cui ſententiæ magis acquieſcit Eccleſia, ut omnes communi morte moriamur, & non omnes mutemur in gloriam — *Gennadius* Maſſilienſis de Eccleſiaſt. dogmatibus cap. 6. ait — Omnium hominum erit reſurrectio, ſi omniom mors: ergo omnes moriuntur . . . . hanc rationem maxima Patrum turba tradente ſuſcepimos — *Primaſios* ad cap. 10. Epiſt. ad Hebræos — In plenitudine Fidei credamus reſurrectionem generalem futuram, quaſi diceret, quòd non debemus hæſitare, quòd quorundam ſit reſurrectio, quorundam verò non, ſed vera fide debemus credere, omnes homines reſurrecturos, ſed quoſdam ad gloriam, quoſdam verò ad pœnam —

Reſurrectio eſt ex morte.

82 Jam ad argumenta. Primom locum ex Apoſtolo oppoſitum tripliciter legere eſt. In noſtra Vulgata *omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*; & ſecundùm hanc literam ſtat noſtra concluſio, omnibus moriendum eſſe, cùm reſurrectio non ſit, niſi ex morte; dicitur autem *non omnes immutabimur*, ad denotandum Juſtis dumtaxat receptum in glorioſas corporis dotes. Apud quoſdam Græcorum codices adeſt alia lectio: *Omnes dormiemus, ſed non omnes immutabimur*: & ſic legebatur ætate *D. Auguſtini*, ſicot item meminit ad *Dulcitium* quæſt. 3., quæ literæ noſtræ calculum ſententiæ apponit; qooniam ibi dormire ſonat mori, ac proinde *ſi omnes dormiemus*, omnes moriemur; *ſed non omnes immutabimur*; quia non omnes erunt Beati. Apud alios codices ſcribitur, prout in argumento, *non omnes quidem dormiemus, ſed omnes immutabimur*, qui locus eſt ſubobſcurus: ab *Origene* explicator de morte ſpirituali; nam pro certo haber omnes corporaliter interituros. Senſus verò eſt, non omnes fore, ut in peccato lethali decedant, omnes tamen immutentur ad ſtatum incorroptionis. Alii interpretantur dormitionem pro corporali morte, quòd particola *non* excludat non mortem abſolutam in aliquibus, ſed diuturnam detentionem ſub morte, ex qua ilicet excitabumur; ſed non verè dicuntur dormire, ſeu quieſcere, qui capto vix ſomno excitantor, & expergeſiunt. Alii expoount: *Non omnes quidem*, pro *non omnes tantùm*, ut ſenſus ſit: non tantùm omnes moriemur, ſed omnes etiam reſurgemus. Melior ſolutio eſt, ſtante litera Græci textus, cui præſerenda ſemper eſt noſtra Vulgata. Ante adventum Domini non omnes quidem dormiemus, cùm reapſe tunc aliqui vivent; omnes tamen moriemur, ita enim importat additio illa, *ſed omnes immutabimur*. Cùm enim nequeat intelligi de immutatione per aſſumptionem ſtatus gloriæ non omnibus tribuendæ, intelligenda eſt de immutatione per mortem. Quoquo igitor modo textum illum interpretari luber, nobis nihil negotii faceſſit. Illud quod addebatur *mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur*, vim non haber; quia planus ſenſus eſt, omnes reſurgent ad ſtatum incorruptionis, ſed ſoli Juſti immutabuntur per receptionem gloriæ. Ad ſecundum ex eodem Apoſtolo ad Theſſalonicenſes reſpondet Auguſtinus *lib. 20. de Civit. Dei c. 20.* — Quæri ſolet, utrum illi, quos hic viventes inventurus eſt Chriſtus, quorum Perſonam in ſe, atque illos, qui tunc ſecum vivebant, transfigurabat Apoſtolus, nunquam omnino morituri ſint; an ipſo temporis puncto, quo cum reſurgentibus rapientur in nubibus obviam Chriſto in aera, ad immortalitatem per mortem mirâ celeritate tranſibunt: neque enim dicendum eſt fieri non poſſe, ut dum per aera in ſublime portantur, in illo ſpatio & moriantur, & reviviſcant. Quod enim ait, & ita ſemper cum Domino erimos, non ſic accipiendum eſt, tanquam in aere nos ſemper dixerit cum Domino eſſe manſuros: quia nec ipſe utique ibi manebit, quia veniens tranſiturus eſt. Venienti quippe ibitur obviam non manenti: ſed ita cum Domino erimus, ideſt, ſic erimus ſemper habentes corpora ſempiterna, ubicumque cum illo fuerimus. Ad hunc autem ſenſum, quo exiſtimemus etiam illos, qoos hìc vivos inventurus eſt Dominus in ipſo parvo ſpatio, & paſſuros mortem, & accepturos immortalitatem, ipſe Apoſtolus nos videtur urgere, ubi dicit: in Chriſto omnes vivificabuntur; cùm alio loco de ipſa loquens reſurrectione corporum dicat: to quod ſeminas, non vivificatur, niſi priùs moriatur — Hactenus ex *Auguſtino*.

Quòd autem Apoſtolus eos velit morituros, qui tunc occurrent in adventum Domini, conſtat ad Philipp. 3., ubi pariter ſicut hic loquens de aliis in Perſona ſua ait v. 11. *Si quomodo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis*, & hoc dixit ex eo, quòd habeat juſtitiam, quæ eſt ex fide v. 10. *Ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionum illius, configuratus morti ejus*; quibus docet Juſtus non eſſe immutandos ad imitationem Chriſti, niſi per imitationem paſſionis, mortis, & reſurrectionis ejuſdem: quare illa verba, *Nos qui vivimus, qui relinquimur, qui reſidui ſumus* appellant ſopra eis, qui prope ad illa tempora vivent, comparativè ad illos, qui antea mortui ſunt, & dicit, quod obviam ſimul ibunt Chriſto in aera; ſolvit enim ibi qoorundam credentium dubium, priùs obviam ituros Domino illos, qui proximiùs ad judicium morientur, ſubſecuturos poſteà, qui anteà mortoi erant.

Chriſtus Judex vivorum, & mortuorū.

Ad tertium: Chriſtus judicabit vivos, & mortoos, ita ut pro vivis veniant animæ immortales, pro mortuis corpora mortalia. Apud alios vivi dicantur vitâ gratiæ præditi: mortui eâ deſtituti. *D. Thomas* in ea quæſtione 78. ad 1. reſponder — „ Dicendum, quòd diſtinctio illa mortuorum, & vivorom non eſt referenda ad ipſum Judicii tempus, neque ad totum tempos præteritum: quia omnes judicandi aliquo tempore fuerunt vivi, & aliquo tempore mortui; ſed ad illud tempus determinatum, quod immediatè Judicium præcedet, quando ſcilicet Judicii ſigna incipient apparere —

Ulteriùs dicitur Chriſtus vivorum Judex, & mortoorum, utpote Judex eorum,

qui

qui ſunt mortui, & morientur, & eorum, qui vivunt, & ſunt victuri.

Peccatū originale totam naturam infecit.

AD QUARTUM: Datur quidem naturale deſiderium in natura ad eſſe, & ad conſervationem; ſed quia ratio peccati originalis totam infecit naturam ſpeciei in ſuis individuis: ideò neceſſe eſt, ut ſingula ſubjiciantur morti, quæ per peccatum intravit. Secundò reſpondet *D. Thomas* ibidem ad ſecundum — Perfectum deſiderium Sanctorum „ non poteſt eſſe vanum; ſed nihil prohi„ bet deſiderium conditionatum eorum va„ num eſſe, & tale deſiderium eſt, quo „ nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri, ſci„ licet ſi poſſibile ſit; & hoc deſiderium „ à quibuſdam velleitas dicitur —

Efficacia Christi major, quā Adæ peccatum.

AD QUINTUM: Abundantia gratiæ Chriſti, & efficax virtus contra peccatum Adæ non conſiſtit in eo, quòd aliquos debeat morti eximere; hoc enim adverſatur ordini juſtitiæ, quæ mortem ſtatuit in pœnam peccati inficientis naturam omnem; ſed in eo conſiſtit, quòd Chriſtus non ſolùm ſatisfecit pro peccato originali, ſed pro omnibus etiam actualibus, & contulit plurima alia gratiæ dona, & magna intenſione. Elucet quoque in eo, quòd culpa morti ſubjecit ad tempus: virtus Chriſti reparat ad vitam ſemper duraturam: peccatum abſtulit immortalitatem: Chriſtus longè excellentiorem donavit in cœlis. Utique peccatum Adæ extenſivè, & in re, quotquot ad ſtatum generationis humanæ perveniunt, infecit; ſed etiam Chriſtus, quotquot attingunt ſtatum ſpiritualis generationis, perficit: verumtamen illud plures vitiavit, quia conditio, cui eſt applicata infectionis vis, eſt cauſa naturalis neceſſaria, & ad unum determinata, quæ plures perducit ad ſtatum generationis, quamvis etiam ſæpe deficiat. Secus in Chriſto inſtitutore Baptiſmi, tanquam inſtrumenti perductivi ad generationem ſpiritualem, cujus applicatio partim pendet à cauſis naturalibus quandoque deficientibus, partim à liberis ſæpè negligentibus; nec fuit à Chriſto talis applicatio alliganda conditioni naturali, & omnino neceſſariæ, quippequi non ſit caput naturale, ſed myſticum, & liberum. Vide *Bedam* in hunc locum.

Cauſæ inducentes mortē in fine mundi.

AD SEXTUM de cauſis inducentibus mortem facilis eſt ſolutio: tum quia ex ſubtractione divini concurſus ſtatim queunt omnes deficere: tum quia paulatim ex aeris intemperie, quæ tunc erit, & ob alia terribilia in Scripturis prænunciata humanum corpus ad ſubitaneam mortem diſponetur, unde dicitur Luc. 21. v. 26. *Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi*: tum quia *Apoc.* 8., *&* 9. habemus ſeptem Angelos deſtinatos, qui tunc ſono tubæ interficient homines: non morientur tamen omnes ſimul, ſed paulatim, vel ſecundùm neceſſitatem purgandi Juſtos, & puniendi Malos, vel ſecundùm majorem, vel minorem aeris tabem.

83 DICES: Via compendioſior eſt magis eligenda ſapienti; ſed compendioſior via eſt, quæ transfert homines de vita ad immortalitatem, quàm quòd priùs vel ob aeris infectionem, vel ob aliud principium moriantur: ergo cùm Deus ſit ſummè ſapiens, hanc viam eliget reſpectu illorum, qui vivi invenientur ſub fine Mundi.

Via cōpendioſior non ſemper eligenda.

RESP. Sapientes ad finem conſequendum viam aſſumunt magis accommodatam, ſive compendioſior ſit, ſive non: cumque mors via ſit accommodatior ad fines à Domino præintentos, illa eſt eligenda. Deinde Chriſto æquè eſt compendioſa via per mortem, & reſurrectionem ad immortalitatem perducere, quàm per tranſitum à corruptibili vita ad incorruptibilem, & aliàs magis in primâ elucet divina potentia, & divinæ juſtitiæ æqualitas, cùm omnes peccati originali reos debitæ mortis pœnæ ſubjicit; pariter oſtendens ſuam virtutem in omnibus, quos vitæ redonabit.

84 OBJICIES 5. Non omnes ſunt mortui, vel tunc morituri, ùt patet de Enoch, & Elia, qui ſine morte tranſlati ſunt, & de illis, de quibus dicitur Matth. 27. v. 52. *Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis*: ergo non omnes reſurgent.

Enoch, & Elias occidentur.

RESP. Sufficit, ùt ſinguli aliquando moriantur, & aliquando reſurgant, ut vera fiat univerſalis reſurrectio. Enoch, & Elias ſunt morituri, & reſurrecturi, nam ab Antichriſto occidentur: illi verò, qui in reſurrectione Chriſti è monumentis exierunt, jam mortui erant. An verò reſurrexerint non ampliùs morituri, ſed ad vitam immortalem, affirmat *S. Thomas* in hunc locum ſic diſcurrens — Ideo ſurrexerunt, ut teſtes „ eſſent Dominicæ reſurrectionis. Quidam „ autem dixerunt, quòd iterùm mortui „ ſunt, & in cinerem converſi ſicut Laza„ rus, & cæteri, quos Dominus reſuſcita„ vit. Sed iſtorum dictis nullo modo eſt „ fides accommodanda, quoniam majus illis „ eſſet tormentum, qui ſurrexerunt, ſi ite„ rùm mortui eſſent, quàm ſi non reſurge„ rent. Incunctanter ergo credere debemus, „ quia qui reſurgente Domino à mortuis re„ ſurrexerunt: aſcendente eo ad cœlos, & „ ipſi pariter aſcenderunt — Præterea è dignitate Chriſti videtur, ut corpore, & anima glorioſus ſocios habeat aliquos itidem corpore, & ſpiritu exultantes: unde ubi dicitur *captivam duxit captivitatem*, intelligitur non ſolùm de animabus, ſed etiam de aliquibus corporibus. Nec urget quòd *S. Lucas* aſcenſionis myſterium deſcribens de hoc nihil dicat; quia totus erat in exponenda aſcenſionis veritate, nec omnia expreſsè deſcripſit; miſſum etiam fecit animarum, & Angelorum comitatum. Altera congruentia eſſe poteſt, quòd non debet eſſe inferioris conditionis Paradiſus, quàm infernus; & aliunde copioſior eſt virtus redemptionis; ſed in inferno ſunt aliqui animâ, & corpore, ùt Dathan, & Abiron: ergo etiam in Paradiſo.

Qui ſurrexerūt poſt Chriſti mortem, non iterùm mortui ſunt.

In inferno aliqui ſunt anima, & corpore.

85 Nec obeſt quod ad Hebræos 11. v. 39. dicatur: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine no-*

bis conſummarentur; nam *Paulus* ibi ſolùm vuit, Patres veteris teſtamenti non eſſe conſecutos beatitudinem in ſtatu legis veteris, ſed in ſtatu gratiæ per Chriſti paſſionem, & reſurrectionem conſummato. Pariter ubi Apoc. 6. v. 11. habetur: *Dictum eſt illis ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum*; non eſt ſenſus, quòd nullus in cœlum ingredi debeat ante diem Judicii, ſed quòd ad oſtendendam Dei vindictam in Eccleſiæ, & Martyrum perſecutores præſtolandus eſt dies Judicii.

In Judicio fiet vindicta de Eccleſiæ perſecutoribus.

Tertia congruentia eſt, quia unio ad corpus connaturalis eſt animæ glorioſæ; atqui corpora, quæ ſurrexerunt, erant ſanctarum animarum: ergo.

86 Neque opponas, quòd reſurrexerunt, ut teſtimonium perhiberent de Chriſti reſurrectione, ac proinde brevi tempore Sancti illi victuri, ſicut quia Moyſes apparuit cum Elia, ut transfigurationis eſſet teſtis, non fuit ipſius anima corpori unita mortali; eò vel maximè quòd mortale corpus aptius videtur ad teſtificandam Chriſti reſurrectionem per actiones materiales, quarum corpus glorioſum eſt incapax. Hoc ſi dicas, contra eſt; quia Chriſtus corpus habuit glorioſum, attamen ſenſibili commeſtionis ſigno ſuæ reſurrectionis veritatem comprobavit, & aliunde neceſſarium erat corpus glorioſum, ut ad libitum poſſent ſe quòquò transferre, & hoc, aliiſque mirabilibus declarare perfectionem eorum corporum, quæ jam reſurrexerant ad æternam vitam. Exemplum Moyſis non obſtat; quia tunc Chriſtus nondum erat mortuus, nec permanſurus erat in illa claritate, quam in transfiguratione aſſumpſerat, ideò & per modum tranſitus debuit Moyſes corpus aſſumere; aliter eſſet indecens admittere aliquem hominem ad immortalem vitam reſurrexiſſe ante Chriſtum, qui eſt primitiæ dormientium, & primogenitus ex mortuis non dignitate ſolùm, ſed etiam tempore. Secus accidit in aliis, qui ſurrexere in teſtimonium reſurrectionis Chriſti, cùm amplius Chriſtus non moritur. Ubi adverte: *Evangeliſta* per anticipationem loquitur, quando reſurrectionem hanc poſuit ſub capite de paſſione Domini, ad quod indicandum ait, quòd poſt reſurrectionem Chriſti exierunt de monumentis. Huic ſententia adſtipulatur Origenes *lib. 1. ad Rom. cap. 1.*: Epiphan. *hæreſ. 75.*: Clemens Alexandrinus *lib. 6. Stromatum*: Ambroſius *enarrat. in Pſal.*: Sophronius *ſer. de Aſſumpt.*: Euſebius *lib. de demonſtratione Evangelica cap. 12.*: Nyſſenus *lib. de cognitione Dei cap. de reſurrectione Chriſti*: Ruffinus *in expoſitione Symboli*: Beda *in 27. Matth.*: Anſelmus *ibidem*: S. Juſtinus *quæſt. 85.*: Athanaſius *homil. de ſemente*.

Chriſtus priùs inter omnes ſurrexit non moriturus.

CONTROVERSIA IV.

AN FUTURA SIT MORTUORUM RESURRECTIO IN EADEM IDENTITATE NUMERICA.

87 ERrorem ſileo quorumdam Philoſophorum, qui reſurrectionem negabant in eodem corpore, ſed futuram in alio aſſerebant, quandoque in eodem ſpecie, ſcilicet reſpectu eorum, qui corpore benè ſunt uſi, quandoque in alio ſpecie diverſo, puta cujuſquam animalis, cui ſe moribus conformem effecerat. *Eutichius* Patriarcha Conſtantinopolitanus tenuit homines non eſſe reſurrecturos in hac eadem palpabili, & carnea corporis compage, ſed in alia ſubtili, & aerea. Sed palinodiam cecinit compulſus vi argumentorum *D. Gregorii Magni* ad id ipſum Conſtantinopolim miſſi, unde morti proximus propriam palpans manum dixit: *Confiteor, quòd nos omnes in hac carne reſurgemus*. Et *Conſtantinus* Imperator librum de reſurrectionis fide, quam Eutichius ediderat, comburi juſſit. Negabant pariter hanc reſurrectionem *Origenes* lib. 4. de reſurrectione in Expoſit. primi Pſalmi, & in Stromatibus, & *Joannes* Jeroſolymitanus apud *D. Hieronymum* epiſt. 61. ad Pamachium, ubi acutè notat, qualiter novies repetat nos reſurrecturos in corpore, & nunquam carnem meminit, quia ſub hoc artificio, & æquivocatione errorem ſuum defendebant. Hic poſt *S. Cyrillum* Jeroſolymitanum rexit Eccleſiam, à *D. Hieronymo* Origenianæ ſectæ acerrimus defenſor vocatus. Cæterùm conatus ipſe eſt hanc labem à ſe depellere, inquiens ſe *Origenis* ingenium, non fidem ſecutum. Aſſerebant ergo ſupradicti reſurrecturos homines non in hac carne, & oſſibus, & nervis, ſed in quodam æthereo, & inviſibili corpore: quem errorem evertunt *S. Hieronymus* laudato loco, & *Auguſtinus* in Enchirid. cap. 84.

Eutichius Conſtantinopolitanus in hac materia erravit.

88 DICO *igitur futuram mortuorum reſurrectionem in eadem carnis numerica identitate*. PROBATUR 1. ſic univerſaliter. Ex fidei principiis datur vera, & realis mortuorum reſurrectio; at niſi reſurgat numero eadem caro, fictitia eſt, & nulla mortuorum reſurrectio: ergo. *Minor oſtenditur*. Reſurrectio nihil aliud eſt, quàm illius, qui cecidit, erectio; ſicut mors aliud eſt nihil, quàm illius, qui vivebat, extinctio: *S. Gregorius Magnus* lib. 14. Moral. cap. 28. ait — Nam „ quomodo eſt vera reſurrectio, ſi vera „ eſſe non poterit caro? Aperta ergo ratio „ ſuggerit, quia ſi vera caro non fuerit, „ procuídubio reſurrectio vera non erit; „ nec enim rectè reſurrectio dici poteſt, „ ubi non reſurgit, quod cecidit — *S. Joannes Damaſcenus* lib. 4. cap. 28. — Eſt enim „ reſurrectio ſecunda ejus, quod interiit „ ſtatio —

89 PROB. 2. Stat eadem carnis numerica identitas, quoties ſtat homo idem numero cum ſubſtantialibus iiſdem qualitatibus animæ, & corporis; ſed hoc totum contingit

gir in reſurrectione, ùt patet ex capite 19. Job: *Scio enim, quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum: quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*. Quid clarius? Palpationem, & viſibilitatem carnis apertè demonſtrat. Undè *Gregorius* in hunc locum cap. 28., & 29. — Sed ſi in „ aereo corpore ſurrexero, jam ego non ero, „ qui reſurgo . . . ſi enim poſt reſurrectio„nem corpus palpabile non erit, ſed invi„ſibilis corporis ſubtilitas caro vocabitur, „ quamvis ſubſtantia carnis non ſit, profectò „ alius eſt, qui moritur, & alius, qui „ reſurgit —

Idem qui moritur, reſurgit.

90 PROB. 3. Stat carnis identitas numerica, ſi illa eadem caro, quæ in ſepulchris condita fuit, & per corruptionem tranſit in pulverem (illa enim caro, quam tumulamus, ante mortem animabatur) ſit reſurrectura; ſed ita eſt: ergo. *Minor patet* Ezechielis 37. v. 4. *Oſſa arida audite verbum Dei*, & illa ſpiritum recepiſſe ibidem dicuntur, quæ antea oſſa in ſepulchris arida jacebant. Sicuti virga Aaron priùs arida in ejus manu vireſcit, quod exemplum habemus ex *D. Gregorio* cap. 29. lib. cit., & ex *D. Auguſtino* ſerm. 56., ſeu ſerm. 156. de tempore ſubditur — Vides, quia mors, „ quod ſuſceperit hoc refundit . . . revoca„bitur ergo in contubernium animæ, & „ corporis unitas, & nullis unquam ſæculis „ diſſocianda germanitas — Idem habemus Joan. 5. v. 28. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent &c.* Qui in monumentis ſunt, ut intelligamus eadem ad vitam redire cadavera, quæ fuerant ſepulta. *Hieronymus* Epiſt. 61. — Procedunt autem de monu„mentis, ideſt, qui monumentis illati „ fuerant, venient mortui, & reſurgent de „ ſepulchris ſuis —

Qui in monumentis poſiti ſunt, reſurgent.

91 PROB. 4. Danda eſt reſurrectio in identitate numerica carnis, ſi nulla debet hujus noſtri corporis vera pars deperire; ſed nihil deperire debet; *Lucæ* enim 52. poſtquam Dominus adhortatus eſt juſtos, ut ne timeant eos, qui corpus occidunt, cùm animam nequeant in gehennam perdere, addit v. 7. *Sed & capilli capitis veſtri numerati ſunt*; quibus indicare voluit, quod nihil perderent de corpore occiſo utpote reſurrecturo. *Hieronymus* loco citato — Si „ capilli? puto faciliùs dentes; fruſtra au„tem numerati, ſi aliquando perituri: ſi „ capilli, & caput, ſi caput, & collum, „ cæterique artus — *Auguſtinus* lib. 22. de Civit. Dei cap. 23. — Nec ideò tamen ſi „ aliqua martyribus amputata, & ablata „ ſunt membra, ſine ipſis membris erunt „ in reſurrectione mortuorum, quibus di„ctum eſt, capillis capitis veſtris non pe„ribit —

92 PROB. 5. Dempta carnis identitate numerica in reſurrectione, non poſſent dici noſtri Parentes reſurrecturi; ſed ſunt, & in veritate dicuntur reſurrecturi: ergo. *Minor explicatur*. Dicente Martha ad Chriſtum: *Si fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*; cui Dominus: *Reſurget frater tuus*, illa autem: *Scio, quod reſurrecturus eſt in noviſſimo die*. Ecce qualiter, qui verſus frater fuit vivus, idem reſurrecturus dicitur à mortuis, quod non eſſet, niſi reſurgeret in eadem identitate carnis numerica, ſed in alia numero diverſa. Præterea; totum hominem, quem Chriſtus ſuo ſanguine reparavit, in reſurrectione vitæ reſtituet, unde dicitur Joan. 6. v. 39. *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die*. Hieronymus ubi ſupra — To„tum videlicet hominem, quem totum na„ſcendo ſuſceperat. Tunc ovis, quæ pe„rierat, & in inferioribus aberrabat, hu„meris Salvatoris tota portabitur, & quæ „ peccatis languida fuit, clementia Judicis „ ſuſtentabitur — Porro ſi caro eadem, eadem oſſa, ac membra omnia non reſtituuntur, nec reſurget totus ille homo, qui Chriſti ſanguine fuit ſaginatus.

Ille homo, qui fuit redemptus, reſurget.

93 PROB. 6. Reſurrectio in eo corpore fiet, in quo apparebit homo ante Chriſti tribunal, & in quo ſuſtinebit Impius pœnam in æternum, & Juſtus gloriam; atqui in eo numero corpore, quod hic gerimus, debent hæc fieri: ergo. *Minor probatur*. Quilibet redditurus eſt rationem de contubernio proprii corporis, prout geſſit ſive bonum, ſive malum, debet conglorificari id, quod ſimul patitur: debet puniri id, quod in deliciis fuit, & tantum ſuſtinere tormentum, quantum exaltavit ſe; ſed hæc peracta ſunt in hoc individuo corpore: in hoc geſtum eſt bonum, & malum: hoc fuit in deliciis: hoc pro Chriſto fuit afflictum: ergo in hoc debet homo reſurgere, in hoc puniri, in hoc mercede donari; & ideò Propheta: *Et caro mea requieſcet in ſpe. Caro mea*, inquit, non alterius. Et Judith. 16. v. 20., & 21. dicitur: *Inſurgenti ſuper genus meum; Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die Judicii viſitabit illos; dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant uſque in ſempiternum*. Carnes eorum dicit non eſt eorum caro, ſi numero differt, ſi aerea, ſi phantaſtica eſt: ergo.

Corpus, quod operatum eſt, reſurgere debet.

94 PROB. 7. Reſurrectio Juſtorum debet fieri per conformitatem ad reſurrectionem Chriſti juxta illud ad Philipp. 3. v. 21. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*; ſed Chriſtus reſurrexit in eodem numero corpore, quo in cruce paſſus eſt, & ad hanc oſtendendam veritatem apparens Diſcipulis putantibus id eſſe phantaſma, dixit: *Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum, palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*. Luc. 24. v. 39., & D. Thomæ dubitanti: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*: Joan. 20. v. 27. Hoc argumento utitur *Hieronymus* in ſæpe citata epiſtola 61.: *Auguſtinus* pluribus in locis: *Gregorius* lib. 14. Moralium cap. 28. ubi refellens tacitam objectionem, quòd ſcilicet corpus illud erat Divinitati conjun-

Reſurgere debemus, quemadmodo reſurrexit Chriſtus.

Eee 2 ctum

ctum, ad rem addit. Ideò corpora cum Chriſto reſuſcitaſſe teſtatur *Evangeliſta*, ut credamus idem fieri in puris hominibus. Hinc dicebat Apoſtolus ad Rom. 8. v. 11. *Quòd ſi ſpiritus ejus: qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis, qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit, & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum in vobis. Mortalia corpora veſtra*, dicit, quo nihil expreſſiùs ad ſignificandam in eadem identitate numerica reſurrectionem. Dicamus igitur cum prælaudato *Hieronymo* — Fidem Ec„ cleſiæ apertiſſimè confitebor. Reſurre„ ctionis veritas catholica ſine carne, & „ oſſibus, ſine ſanguine, & membris in„ telligi non poteſt — Concludamus tandem cum *D. Thoma* 3. Supplem. quæſt. 79. art. 2. — Dicendum, quòd neceſſitas po„ nendi reſurrectionem eſt ex hoc, ut ho„ mo finem ultimum, propter quem factus „ eſt, conſequatur, quod in hac vita fieri „ non poteſt, nec in vita animæ ſeparatæ, „ ùt ſupra dictum eſt: aliàs eſſet homo „ vanè conſtitutus, ſi ad finem, ad quem „ factus eſt, venire non poteſt. Et quia „ oportet, quòd illud idem numero ad „ finem perveniat, quòd propter quem „ finem eſt factum, ne in vanum eſſe fa„ ctum videatur, oportet, quòd idem ho„ mo numero reſurgat, & hoc quidem fit, „ dum eadem anima numero eidem cor„ pori numero conjungitur; aliàs enim non „ eſſet reſurrectio propriè, niſi idem ho„ mo repararetur; unde ponere, quòd idem „ numero non ſit, quod reſurgit, eſt hæ„ reticum, derogans veritati Scripturæ, „ quæ reſurrectionem prædicat — Hanc veritatem teſtatur Symbolum *Athanaſii*, quatenus aſſerit homines reſurrecturos in propriis corporibus. Hanc ſtatuit Concilium Lateranenſe ſub INNOCENTIO III., cùm expreſſerit in formula fidei reſurrecturos homines in corporibus, quæ nunc geſtant: ferè innumeros Patres circa hanc veritatem affert Theſaurus Controverſiarum *Jodoci Cocii* lib. 10. de noviſſimis.

HÆRETICORUM, ET PHILOSOPHORUM ARGUMENTA SOLVUNTUR.

95 OBJICIES 1. Corpus animale, & ſpiritale, corpus terrenum, & cæleſte non ſunt idem numero; ſed nunc eſt corpus animale, & terrenum, tunc erit ſpirituale, & cæleſte, dicente Apoſtolo 1. ad Corinth. 15. v. 44 *Seminatur corpus animale, ſurget ſpiritale*: ergo non reſurget homo in numerica corporis identitate.

RESP. Ex hoc argumento quidem occaſionem ſumpſerunt aſſerendi, corpora noſtra in ſpiritum tranſmutanda: alii ſubtilia, & ventis ſimilia; quia aer ſpiritus dicitur: alii fore cæleſtia; quia *Paulus* ibi meminit cæleſtium corporum. Sed magnus error omnes arripuit minimè attendentes connexionem textus, qui totus eſt in exprimenda reſurrectione propriè tali: hoc autem eſſet tantùm æquivocè, niſi foret in eodem numero corpore. Neceſſe eſt ergo,

Reſurget idē corpus, ſed nobilius.

ut hoc numero corpus reviviſcat, licèt ſub alio ſtatu nobiliori, ſicuti corpus infirmum eſt idem cum ſano, quamvis ſanum melius ſit, quàm infirmum. Hinc ibidem Apoſtolus v. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. Hoc*, inquit, *induere*; ſi autem eſſet aliud diverſum, quod aſſumeretur, non eſſet hoc, quod indueret incorruptionem. Quemadmodum eadem eſt numero anima, quæ in expoliatione veteris hominis: nempe vitiorum novum induit hominem, ſcilicet gratiam, & ſanctitatem; haud aliter idem eſt corpus, quod depoſita corruptibilitate induit incorruptibilem formam. Nec aliter eſſe poteſt ſecundùm debitum naturæ; quia omnis actus eſt proportionatus ſuæ potentiæ: cùm ergo anima uniatur corpori, velut forma ſuæ materiæ, & actus potentiæ, debet corpus illi proportionari; ſed anima eſt eadem ſecundùm ſpeciem: ergo debetur materia eadem ſecundùm ſpeciem, quæ eſt corpus hoc palpabile ex carne, & oſſibus: & cum idem numero homo reſurgere debeat, oportet, ut partes ejus eſſentiales ſint eædem numero; non poſſunt autem eſſe numero eædem, niſi hæc caro, hæc oſſa, hi nervi omnino ſint. Ex quo ſequitur, ut corpus cæleſte nequeat animæ uniri, cùm ei ſit omnino improportionatum; ſicuti corpus humanum ex principiis Philoſophiæ migrare nequit in cæleſte corpus utpote intranſmutabile, & multò minùs in ſpiritum ob eandem rationem, & etiam quia non tranſeunt invicem, niſi quæ in materia communicant; ſpiritus autem immaterialis non communicat in materia cum corpore, quare adverſa ſententia pugnat cum Philoſophiæ principiis.

Corpus cæleſte nequit uniri animæ.

Ob eandem proportionis rationem fit, ut ſicut anima in reſurrectione amittat defectibilitatem, ſeu mutabilitatem in operando, & in ſtatu, ita corpus deperdat defectus corruptionis. Si enim anima immutabiliter perſeverabit in ſtatu beatitudinis perpetuæ, vel pœnæ, neceſſe eſt etiam, ut corpus incorruptionem ſuſcipiat, & in beatis fiat glorioſum, cùm & anima glorioſa ſit; & hoc intelligit *Paulus* illis verbis in objectione poſitis. Idem eſt omnium Patrum ſenſus, qui a *D. Hieronymo* Epiſt. 61. citat. alio Apoſtoli textu 2. *ad Corinth.* 5. v. 4. confirmatur — Nam & qui ſumus „ in hoc Tabernaculo ingemiſcimus grava„ ti, eò quòd nolumus expoliari, ſed ſu„ perveſtiri, ut abſorbeatur, quod mortale „ eſt, a vita — cui *S. Doctor* — Certè „ nemo ſuperinduitur, niſi qui ante veſti„ tus eſt, ſic & Dominus noſter in mon„ te transfiguratus eſt in gloria, non ut „ manus, ac pedes, cæteraque membra „ perderet, & ſubitò in rotunditate ſolis, „ vel ſphæræ volveretur; ſed eadem membra „ ſolis fulgore rutilantia Apoſtolorum oculos „ perſtringerent — Ex quo verificatur, quod dicit *Auguſtinus* in Enchirid. cap. 91. — „ Sed ideò, ait Apoſtolus, ſeminatur corpus „ animale, reſurget corpus ſpiritale; quo„ niam tanta erit tunc concordia carnis, „ & ſpi-

„ & ſpiritus, vivificante ſpiritu ſine ſuſten-
„ taculi alicujus indigentia ſubditam car-
„ nem, ut nihil nobis repugnet ex nobis,
„ ſed ſicut foris neminem, ita nec intus
„ nos ipſos patiamur inimicos —

96 DICES: Idem contingere *Paulus* aſſerit in reſurrectione, quod in grani ſeminatione. Granum germinans non eſt idem numero, quod ſeminatur: ergo neque corpus reſurgens erit idem, quod fuit ſepultum: ea verba Apoſtoli 1. ad Corinth. 15. v. 37., & 38. *Et quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum: Deus autem dat illi corpus, ſicut vult, & unicuique ſeminum proprium corpus.*

RESP. Similitudo Apoſtoli ſtat in eo, pro quo fuit aſſumpta; fuit autem aſſumpta ad depellendam inſipientis dubitationem, cui videbatur fieri non poſſe, ut idem corpus corruptum remearet ad vitam. Satisfacit autem *Apoſtolus* dicens reſurrecturum corpus dotibus ornatum, ſicut nudum granum ſeminatur, & foliis ornatum reviteſcit; cum eo tamen diſcrimine, quod non reparatur granum idem numero, ſed ſpecie; audi *Gregorium Magnum* lib. 14. Moral. cap. 29. —

Reſurget corpus dotibus donatum.

„ Hoc inſinuat, quod videmus: quia gra-
„ num cum culmo, & foliis naſcitur, quod
„ ſine culmo, & foliis ſeminatur. Ille ita-
„ que in argumento gloriæ reſurrectionis
„ non dixit grano ſeminis deeſſe, quod
„ erat, ſed adeſſe quod non erat — Quibus adde *D. Thomam* q. 79. ſupplement. art. 1. ad 1. — Dicendum, quod ſimilitudo non
„ currit per omnia, ſed quantum ad ali-
„ quid: in ſeminatione enim grani, gra-
„ num ſeminatum, & natum non eſt idem
„ numero; ſed nec eodem modo ſe habet,
„ cùm primò ſeminatum fuerit abſque folli-
„ culis, cum quibus tamen naſcitur: cor-
„ pus autem reſurgens erit idem numero,
„ ſed alio modo ſe habens, quia fuit mor-
„ tale, & ſurget immortalitate —

97 INSTABIS: Tale ſe habet diſcrimen inter corpus mortuum, & illud, quod reſurgit, quale inter ſolem, & ſtellas, inter volucres, & pecudes: atqui ſol, & ſtellæ, volucres, & pecudes non ſunt ejuſdem naturæ: ergo neque corpora reſurgentium. *Major habetur* ea laudato Apoſtolo v. 39., 40., & 41. *Non omnis caro, eadem caro: ſed alia quidem hominum, alia verò pecudum, alia volucrum, alia piſcium. Et corpora terreſtria, & corpora cæleſtia: ſed alia quidem gloria cæleſtium, alia terreſtrium. Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim differt à ſtella in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.*

In Beatis diverſitas gloriæ quoad qualitatem.

CONTRA: Intendit Apoſtolus reſurgentium diſcrimen quoad qualitatem; ad quod duplex ſimilitudo apprimè conducit prima ſeminum, quibus datum eſt proprium corpus juxta exigentiam tritici tritico, ordei ordeo: ſecunda animalium, & corporum, in quibus datur proportionatum corpus, quod cujuſque natura exigit. Homini humana caro, bovi bovina, cœleſti corpori gloria cœleſtis, terreno terrena: ita in reſurrectione qualitas corporis diſpar erit juxta exigentiam meritorum in ſingulis reſurgentibus. Igitur ex ſimilitudine Chriſtus deducit diſparia merita, & præmia: ita ipſe excedet cæteros Beatos in gloria, ſicuti Sol cuncta luminaria. Deipara tanquam Luna ſtellas, & Sancti adinvicem ſeſe excedent ſicuti ſtellæ inter ſe. Hæc eſt ipſa litera, ex qua *Hieronymus* redarguebat *Jovinianum* omnes Beatos æquiparantem. Retenta carnis identitate quoad naturam, & ſubſtantiam ponit Apoſtolus diverſam gloriæ qualitatem: notat *D. Gregorius* in Scriptura ſacra aliter carnem dicit juxta naturam, aliter juxta culpam, ſeu corruptionem. Juxta naturam eſt illud: *Nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: Et Verbum caro factum eſt.* Juxta culpam, ſcriptum eſt illud: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt:* in illa verò cœleſti Patria non erit caro juxta culpam, nempe ſecundùm deſideria carnalia, ſed erit caro ſecundùm naturam. Quia tamen in hoc ſeculo Juſti diverſimodè elongati ſunt à culpa, & in bonis operibus profecere, ideo in eadem licèt carnis identitate diverſi erunt in gloria. Sic Chriſtus in numerica ſuæ carnis identitate eſt glorioſus, quamvis claritatis gloriâ longè omnes antevertat.

98 Contra hoc dicebat *Eutychius*, Chriſtus poſtquam confirmaſſet Diſcipulorum corda, id omne, quod in eo palpari potuit, in ſubtilitatem aliquam fuiſſe redactum.

Cui optimè reſpondit *Gregorius* lib. 14. Mor. cap. 29. ſcriptum eſt — Chriſtus re-
„ ſurgens a mortuis, jam non moritur,
„ mors illi ultra non dominabitur: ſi quid
„ ergo in ejus corpore poſt reſurrectionem
„ potuit immutari, contrà veridicam *Pauli*
„ ſententiam poſt reſurrectionem Dominus
„ rediit in mortem. Quod quis dicere
„ vel ſtultus præſumat?

99 OBJICIES 1. Diverſis numero actionibus diverſi numero effectus reſpondent; ſed productio prima, & productio ſecunda ſunt diverſæ numero actiones: ergo debentur eis diverſi numero effectus: ergo non poteſt corpus idem numero reſurgere.

SECUNDO. Illud ſolùm idem numero reſurget, quod ad numericam humani compoſiti unitatem neceſſarium eſt; ſed huic unitas numerica corporis nihil confert; tota enim ratio unitatis numericæ habetur a forma, quæ illam tribuit materiæ: ergo tota unitas compoſiti habetur abſque eodem corpore.

TERTIO. Licèt quotidie per nutritionem partes ſubſtantiæ deperdantur, & novæ adveniant, quia remanet ſemper eadem numero forma, idem ſemper eſt numero homo: ergo ut idem numero homo reſurgat, non requiritur identitas numerica corporis.

QUARTO. Infantes unius diei reſurgent in ætate juvenili, quod fieri nequit, niſi multò major materia ſuperaddatur; ſed reſurgent iidem numero, quia habebunt eandem animam: ergo identitas numerica corporis non requiritur.

QUINTO. Antropophagi, qui veſcuntur humanis carnibus, idem numero reſurgent;

gent ; ſed ſi requiritur identitas numerica carnis, hoc nequit eſſe ; aliter in duobus deberet eadem caro reſurgere : ergo .

RESP. propter hæc argumenta *Durandus* 4. Sent. diſt. 44. quæſt. 1. tenet eundem hominem reſurrecturum propter ſolam rationalis animæ identitatem abſque eàdem identitate corporis .

Hæc, & alia ex Pythagoricis, aliiſque Philoſophis ſumpta Sancti Patres ſolvunt, mira facilitate unico divinæ virtutis principio, quæ ſicut ex nihilo omnia fecit, ita ex corrupto poteſt reficere . Aliis ommiſſis, *Hieronymum* audiamus Epiſt. 61. — Poteſt „ utique eàdem potentià, quà de nihilo „ cuncta fabricatus eſt, reddere, quæ fuerunt : quia multò minùs eſt reſtituere, „ quod fuerit, quàm facere, quod non fuit — Cùm autem vera, ac realis reſurrectio promiſſa a Deo fuerit, abſque dubio ita erit, niſi mendacem fingimus Deum . Sanè reſurrectio vera non ſubſiſtit, ſi eadem, quæ periit, caro non reviviſcit; nec ſtaret verbum Dei pollicentis præmium carni, quæ crucifixa eſt cum concupiſcentiis, & pœnam ei, quæ in peccatis volutata eſt . Hinc *Juſtinus* Martyr aſſerit propter Hæreticorum nugas non infirmari reſurrectionis veritatem Dei teſtimonio, & Chriſti exemplo roboratam . Unde egregiè S. Ambroſius *Piſcatoribus credimus, non dialecticis* .

Qui ex nihilo omnia fecit, ex corrupto poteſt reficere.

Jam ut Gentilium quoque Philoſophorum doctrinis reſpondeam, ſcias veram reſurrectionem eſſe oportere ad exigentiam formæ; exigentia formæ eſt ad corpus ſibi correſpondens, & proportionatum, in quo explicetur totum id, quod ipſamet forma implicitè continet . Forma verò, quæ eſt anima rationalis, continet omnes viventis, ſenſitivi, & rationalis gradus non modò ſecundùm quod conſtituunt eſſe, verùm etiam prout conſtituunt operari, adeoque corpus ſibi correſpondens ad hæc omnia debet coaptari, & in eo elucere explicitè, quidquid in forma implicitè continetur ; id autem eſſe non poteſt, niſi corpus ſortiatur membra ſibi convenientia : *In 3. de Animalibus* dicitur, corpus ſe habere ad animam, ſicut artificiatum ad artem, quatenus ſicut in arte originaliter continetur, quidquid in artefacto eſt; ita in anima originaliter continetur, quidquid eſt in corpore . Quamobrem ſicut artefactum non correſpondet arti, ſi quidquid ars continet, non habeat ; ita corpus non eſt correſpondens, ſi quidquam deſit, quod continet anima . Hoc ipſo autem, quod corpus eſt tale, eſt perfectum hominis corpus, & tunc eſt perfectum, quando ei de veritate naturæ humanæ nihil abſit . Veritas naturæ eſt in ordine ad eſſe, quia illa res eſt vera, quæ ita eſt, ut cogitari poſſit ſecundùm ſuum actum ; hoc enim eſt eſſe ; quare illud metallum eſt verum aurum, quod habet actum ſeu eſſe, ſeu auri formam . Porrò circa ea, quæ ad naturæ humanæ veritatem pertinent, triplex Philoſophorum eſt opinio . Prima tenet ad veritatem naturæ ſolùm pertinere partes primævas, quæ in generatione habentur, & quæ ex ſe multiplicantur, undè quod additur per alimentum, nullo modo ad veritatem naturæ pertinet . Altera opinio diſtinguit pertinentia ad naturam principaliter, & ſecundario : principaliter pertinet umidum radicale, & partes primævæ, ſecundariò quod advenit per alimentum . Tertia docet tam umidum radicale, & primævas partes, quàm nutrimentale decoctum, ſeu quod advenit vi nutritiva, pertinere ad veritatem naturæ, quatenus conveniunt ad conſtituendum unum totum . Verùm totum conſideratur dupliciter, vel totalitate ſpeciei, ſeu formali, vel totalitate materiæ, ſeu materiali . Totalitas ſpeciei attenditur ſecundùm quantitatem ſignificantem ſitum, & ordinem partium : totalitas materiæ eſt penes ipſam quantitatem partium in ſe, & particularium ſubſtantiæ ſecundùm ſe . Partes iſtæ materialiter acceptæ deperduntur, & acquiruntur ; aliæ ſiquidem per calorem naturalem reſolvuntur, aliæ per nutritionem adveniunt ; ſed non deperduntur, neque adveniunt formaliter, quia fluxus, & refluxus ſubſtituitur ad eadem officia, & ad eundem ordinem : ſicut locus nunquam mutatur, diverſæ licèt ſuperficies varientur ſub eadem diſtantia Poli . Hinc fit, ut non obſtante hac variatione, idem numero corpus permaneat, & in hoc ſenſu accipitur in præſenti Controverſia .

Exigentia formæ eſt ad proprium corpus.

Totū dupliciter conſideratur.

Stante variatione materiali ſtat identitas corporis.

His poſitis, negatur reſurgere non poſſe idem numero corpus ; ſed de neceſſitate admitti debet ; nam reſurrectio non eſt niſi reditus animæ ad idem corpus ; quia eſt iterata ſurrectio illius, quod cadit ; cadit autem corpus, non anima, quæ poſt mortem adhuc vivit : aliter non eſſet reſurrectio, ſed novi corporis aſſumptio . Ad primum igitur negatur univerſaliter *major* . Sicut enim ſtat ſpecifica actionum diverſitas abſque ſpecifica diverſitate effectus producti, ſicuti patet in Adamo creato, & aliis hominibus productis ; ita poteſt ſubſiſtere diverſa numero actio abſque diverſitate numerica effectus producti . Rationem aſſignat *D. Thomas* Supplem. quæſt. 79. art. 2. ad 2. ; quia actio non eſt de intrinſeca ratione hujus humanitatis, ac per conſequens, variatà actione, non variatur terminus . Nequit tamen virtus creaturæ eundem effectum alio tempore reproducere ; quia quibuſdam circumſtantiis loci, temporis, & ſimilium coarctatur . Cùm autem Philoſophia doceat Deum eſſe ſupra iſtas conditiones, ſequitur virtute divina idem poſſe reproduci .

Variata actione, non variatur terminus.

Ad SECUNDUM . Diverſimodè philoſophantur circa materiam : alii materiæ aſſignant proprium actum, adeoque etiam propriam individuationem : alii eam ſpoliant actu proprio, & individuatione, ſed admittunt individuationem promanare ab ipſa ùt ſignata quantitate, & completivè a forma . Sed quidquid ſit de utraque opinione : materia eſt de intrinſeca, & eſſentiali conſtitutione compoſiti, ac proinde ſi ſit numero diverſa, nequit eſſe idem numero compoſitum . Hinc Pythagorica tranſmigratio non eſt vera reſurrectio, quia non eſt reditus ad idem corpus : non ſalvatur ergo identitas, & veritas reſurrectionis per ſolam formam . Immo ex eo, quòd anima det totam unitatem

Opinio duplex circa materiam.

tem materiæ, tanquam puræ potentiæ, ùt intendit objectio, neceſſe eſt, ut eandem reaſſumat: aliter duplicare poſſet individuationem, cùm una ſit numero.

Idem homo, ſive juvenis, ſive ſenex.

Ad TERTIUM. Non obſtante hoc fluxu per nutritionem ſtet ſemper idem numero homo tum in juvenili, tum in ſenili ætate, quia primigenæ partes nunquam totæ deperduntur, & quæ per alimentum adveniunt, uni termino copulantur, & ſub iiſdem officiis, & ordine. Prima opinio negans humidum nutrimentale ad humanæ naturæ veritatem pertinere, negat etiam partes per nutritionem advenientes reſurgere, ſed eas dumtaxat primigenas, & ad debitam quantitatem multiplicatas: alii verò dicunt reſurgere quotquot ſunt neceſſariæ ad veritatem humanæ naturæ in ſtatu perfecto.

In reſurrectione corpus perfectū erit.

Ad QUARTUM: In reſurrectione corpus cujuslibet perfectum erit, quia proportionatum exigentiæ animæ, & etiam quia Deus, qui eam abſque defectu condidit, abſque defectu reparabit: deficit autem à perfectione ſua corpus pueri, quia ad debitam quantitatem non pervenit: deficit ſenex, quia declinavit. Multiplicabit ergo Deus materiam, & quantitatem in puero, quantum ſufficit ad veritatem humani corporis perfecti, ſicuti detraher à gigante ad convenientem menſuram. Nec inde puer erit diverſus numero; non enim differt numero puer à ſe ipſo, cùm adoleſcit, ſed ſibi addit perfectionem. Puer igitur reſurget cum eo, quod habuit, quando eſt mortuus, & cum additamento convenientis quantitatis. Hinc etiam ſequitur, quòd cæci, claudi, aliique ſimiles cum his defectibus non ſuſcitabuntur. Audiamus *Tertullianum* lib. de reſurrectione carnis cap. 57. — Si enim caro de diſſolutione reparabitur, multò magis de vexatione revocabitur: minoribus majora præſcribunt. Cujuſcumque membri detruncatio, vel obtuſio non ne mors membri eſt? Si univerſalis mors reſurrectione reſcinditur, quid portionalis? Si demutamur in gloriam, quanto magis in incolumitatem? vitiatio corporum accidens res eſt, integritas propria eſt. In hac naſcimur. Etiam ſi in utero viximus, jam hominis eſt paſſio. Prius eſt genus, quàm caſus. Quomodo vita confertur à Deo, ita & refertur. Quales eam accepimus, tales & recipimus: naturæ non injuriæ reddimur. Quod naſcimur, non quod lædimur, reviviſcimus — quod clariùs, & eleganter explicat *Auguſtinus* lib. 22. de Civit. Dei cap. 19. hac ſimilitudine — Si enim ſtatuam poteſt artifex homo, quam propter aliquam cauſam deformem fecerat, conflare, & pulcherrimam reddere, ita ut nihil inde ſubſtantiæ, ſed ſola deformitas pereat, ac ſi quid in illa figura priore indecenter extabat, nec parilitati partium congruebat, non de toto, unde fecerat, amputare, atque ſeparare, ſed ita conſpergere univerſa, atque miſcere, ut nec fœditatem faciat, nec minuat quantitatem: quid de omnipotenti Artifice ſentiendum eſt?.... Omnis corporis pulchritudo eſt partium congruentia cum quadam coloris ſuavitate. Ubi autem non eſt partium congruentia, aut ideò quod offendit, quia parvum eſt, aut ideò quia nimium. Proindè nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, ubi & quæ parva ſunt, corrigentur, & quod minus eſt, quàm decet. Unde Creator novit, inde ſupplebitur, & quod plus eſt, quàm decet, materiæ ſervatâ integritate, detrahetur. Coloris porro ſuavitas quanta erit, ubi Juſti fulgebunt, ſicut ſol in regno Patris ſui? —

Pulchritudo eſt partium congruentia.

Ad QUINTUM argumentum, quo ſummopere movebantur Philoſophi, ut conſtanter inficias irent quemquam mortuum poſſe ad vitam revocari, quemadmodum ferunt Juſtinus Martyr *in quæſt. Græcorum*, Cyrillus Jeroſolymitanus *Catacheſ.* 18., Nyſſenus *lib. de hominis opificio cap.* 26., reſpondet Athanagoras *lib.* 1. *de reſurrect. circa medium*. Carnes comeſas non tranſire in ſubſtantiam aliti, quo poſito, ruit difficultas; ſed hoc non videtur verum; licet enim à tali commeſtione natura abhorreat, legimus tamen 4. *Reg.* 6. in obſidione Samariæ Matrem comedentem filium ſupervixiſſe, & Romani anno 16. Honorii Imperatoris ſub obſidione Alarici fame preſſi cadaverum carnes comedebant, de quibus *Hieronymus* ad Principiam Virginem ſcribit — Ad nefandos cibos erupit eſurientium rabies, & ſua invicem membra laniatunt, dum Mater non parcit lactanti infantiæ; & ſuo recepit utero, quem paulo ante effuderat — Nec ſupra naturam videtur, quòd per naturalem calorem humana caro concoquatur, & in ſubſtantiam aliti convertatur; ſicut alii convertuntur cibi, à quibus natura abhorret. Opinio, quæ ponit humidum nutrimentale non pertinere ad veritatem naturæ humanæ, facilè ſe expedit, quia caro comeſa, cùm non fiat propria Antropophagi, reſurget in homine comeſo. In aliis autem opinionibus reſpondet *Auguſtinus* 22. de Civit. Dei cap. 20. — Reddetur ergo caro illa homini, in quo eſſe caro humana primitùs cœpit: ab illo quippe altero tanquam mutuò ſumpta deputanda eſt; quæ ſicut æs alienum, ei redhibenda eſt, unde ſumpta eſt. Sua verò illi, quem fames exinanierat, ab eo, qui poteſt etiam exhalata revocare, reddetur. Quamvis & ſi omnibus periſſet modis, nec ulla ejus materies in ullius naturæ latebris remanſiſſet, unde vellet, eam repararet Omnipotens —

Quid de Antropophagis dicendum.

100 DICES: Antropophagus humana carne nutritur, generatur, lactatur à matre Antropophagâ: in iſto non datur, niſi de alieno: ergo nec iſti, nec alii poterunt reſurgere in identitate.

RESP. I. caſum non eſſe poſſibilem, attentâ ordinariâ Dei providentiâ; quia homines aliis rebus veſcuntur, herbis ſcilicet, volucribus, animalibus, ex quibus carnem ſuam ſibi efformant, aliter res concipi nequit; nam Antropophagi in argumento deſcripti breviſſimo temporis ſpatio deſtruerentur; exteri ſiquidem ad eos non accederent, & rarò poſſent exteros capere, unde

ad

ad invicem citò ſe deſtruerent, ſi ſua ipſorum morte, aut cæde viverent. *Secundò* devoratis hominibus, particulæ inſunt ſuperfluæ; comedunt enim ſolas pinguiores, unde illæ partes factæ propriæ Antropophagi huic reſtituerentur, & quantitatis additione reliquum aliunde ſuppiendum eſſet. *Tertiò* ſi caſus fiat ita metaphyſicus, ut nihil ſuperfluum adſit, divina providentia dividet, & dabit de illa carne uni, quod magis acceſſit ad perfectionem, ſeu veritatem naturæ humanæ, & alteri de ea, quæ in ipſo magis acceſſit. Cæterùm monet *Auguſtinus* haud deferendam eſſe veritatem reſurrectionis ob aliqua captu noſtro majora; Deus enim plus facere poteſt, quàm nos intelligere. Unde *in Enchirid. cap.* 88. — Non perit Deo, *inquit*, terrena materies, de qua mortalium creatur caro; ſed in quemlibet pulverem, cineremve ſolvatur in quoslibet alitus, auraſque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quorumcumque animalium, etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illa primitùs, ut homo fieret, creſceret, viveret, animavit —

Reſurrectio ſpectat ad Providentiã.

101 OBJICIES 3. Non poteſt redire idem numero, ſi aliquod principiorum eſſentialium abeat in nihilum; nam quod in nihilum vadit, non redit idem numero, ut ait D. Thomas 3. *p. quæſt.* 77. *art.* 5. At corporeitas, quæ eſt unum ex principiis eſſentialibus, reſolvitur in nihilum: ergo. *Secundò* ubi ſunt diverſa conſtituentia, ibi non eſt idem numero conſtitutum; ſed in reſurrectione ſunt diverſa conſtituentia; nam corpus ex illis partibus fiet elementaribus, in quas corpus eſt reſolutum; eſt autem reſolutum in partes diverſas à corpore, quod priùs fuit, cùm facta reſolutio ſit uſque ad prima elementa: unde partes, in quas reſolutum eſt corpus, conveniunt ſolùm cum corpore in materia in ea communione, quam habent aliæ quæque partes cujuſcunque rei. *Tertiò* quod non eſt continuum nedum in ſucceſſivis, ſed etiam in permanentibus eſſe nequit idem numero; unde ſanitas poſt infirmitatem reparata non eſt eadem numero cum priori; ſed eſſe hominis interrumpitur morte: ergo non poteſt eſſe idem in reſurrectione. *Quartò* corpus ad animam ſe habet, ſicut artefactum ad artem; ſed ſi artefactum reficiatur ex eadem materia, non eſt idem numero: ergo neque corpus, ſi ex iiſdem cineribus iterùm fiat. *Quintò* non eſt idem numero corpus, ſi in eo, ex quo fit, nulla ſit inclinatio ad hanc animam; ſed inclinatio nulla eſt; cùm in iis pulveribus, ex quibus hujuſmodi corpora conflantur, inclinatio non detur; ſunt enim elementa homogenea, vel ex carnibus aliorum animalium reſoluta: ergo.

RESP. breviter; philoſophica namque argumenta jam alibi diluimus. Ad primum *nego maj.* Divina poteſt omnipotentia reparare ex nihilo idem numero, quod alibi docet *D. Thomas*; unde laudato loco 3. partis intelligendus eſt, quòd non redit idem numero attendendo ad ordinariam divinæ potentiæ miraculorum methodum, non autem per ordinem ad modum agendi extraordinarium. Quòd loquatur in primo ſenſu, elucet; quia ibidem agit de quotidiano Euchariſtiæ miraculo: deinde *nego min.* Corporeitas ſubſtantialis, quæ ab anima rationali habetur, remanet: corporeitas accidentalis, quatenus importat conſtitutionem carnis, oſſium, & membrorum, reſolvitur in materiam interminatis dimenſionibus veſtitam (dimenſiones interminatæ dicuntur illæ, quæ non terminant materiam ad magnitudinem, figuram, aut lineationem formæ alicujus ſpeciei, & quæ præcedunt in materia formam omnis ſpeciei) ſic explicat Abulenſis *parte VI. in Matth. cap.* 12. *quæſt.* 237., ubi plura videas. Cæterùm etſi in materiam nudam reſolveretur, nihil abſurdi eſſet, cùm eadem queant oſſa, & membra reparari ſub eadem forma, quin eadem accidentalis reparetur corporeitas.

Duplex modus agendi miraculoſus.

Ad SECUNDUM negatur in primis *maj.* ſcilicet corpus in reſurrectione ex partibus conſtrui elementaribus, in quas reſolvitur, data reſolutione uſque ad materiam primam, ſed ex illis conflabitur accidentibus, quæ in hac ſententia in inſtanti mortis evaneſcunt, quocumque vadant, quia illa conſtituebant hoc corpus. Deindè *nego min.*; non enim fit reſolutio uſque ad prima elementa, dicente D. Thoma *ſupplem. quæſt.* 79 *art.* 1. *ad* 3. — Quòd illud, quod intelligitur in materia ante formam, remanet in materia poſt corruptionem, quia remoto poſteriori, adhuc poteſt remanere prius: oportet autem, ut Commentator dicit *in* 1. *Phyſicorum*, *& in lib. de ſubſtantia Orbis* in materia generabilium, & corruptibilium, ante formam ſubſtantialem intelligere dimenſiones non terminatas, ſecundùm quas attendatur diviſio materiæ, ut diverſas formas in diverſis partibus recipere poſſit. Unde & poſt ſeparationis ſubſtantialis formæ à materia adhuc dimenſiones illæ manent eædem, & ſic materia ſub illis dimenſionibus exiſtens quamcumque formam accipiat, habet majorem identitatem ad illud, quod ex ea generatum fuerat, quàm pars alia materiæ ſub quacumque forma exiſtens; & ſic eadem materia ad corpus humanum reparandum reducitur, quæ priùs materia ejus fuit —

Corpus non fit ex partibus elementaribus.

In corruptione non fit reſolutio uſque ad materiam primam.

Ad TERTIUM: primò *neg. major*; nam in permanentibus poteſt idem corruptum, & diſcontinuatum virtute divina reparari, licèt non virtute creaturæ. Secus in ſucceſſivis, quæ dependent à tempore, atque ab aliis irreparabilibus: ita D. Thomas *quodlib.* 4. *quæſt.* 3. *art.* 2., *&* 4. *contra Gentes cap.* 81. *ad* 1. Deindè *nego min.* Nam eſſe totius compoſiti, ſeu ejus exiſtentia in homine habetur per animam rationalem, quæ ſubſiſtens per ſe, & à corpore ſejuncta operatur. Quare quoad ſubſtantiam, corpore diſſoluto, remanet eſſe totius, ſed concretivè non communicatur. Itaque poſitâ corporis reunione concretivè iterùm communicatur.

In permanentibus poteſt idem reparari.

Ad QUARTUM D. Auguſt. ſupracitatus

in

in reſponſione ad quartum ait : qui ſtatuam deformem inſtaurat, non tollit ejuſdem unitatem ; ſic reparatio corporis ad eſſe incorruptum. Si ergo teneat paritas in ſola reformatione artefacti quoad pulchritudinem, exemplum confirmat noſtram veritatem. Deinde in ſtatua eſt materia *ex qua*, v. g. lignum, & eſt forma artificiati. Quantum ad primum, ſi reficiatur ex eodem ligno, eſt eadem ; & hoc exemplo demonſtratur identitas materiæ corporis in reſurrectione. Quantum ad ſecundum, ſi dicas formam artificiati diſſolutam non poſſe eandem reparari, utpote quòd ſit accidens tranſiens, deſtructo artificiato, non benè aſſumitur paritas, quia permanens eſt hominis forma.

Forma hominis eſt permanens.

Ad QUINTUM. In pulveribus illis non remanet naturalis inclinatio ad animam, quia cùm debeat cuivis naturali inclinationi correſpondere agens naturale, ne natura deficiat in neceſſariis, poſſet naturale agens reducere ad eſſe priſtinum eos pulveres, quod eſt falſum. Remanet tamen alia præordinatio ex divina Providentia, quæ eos reparare ſtatuit, & juxta hunc ordinem dicuntur in illis remanere vitia juxtà illud Job 20. v. 11. *Oſſa ejus implebuntur vitiis adoleſcentiæ ejus*; quia reparabuntur, ut puniantur in æternum. In anima remanet inclinatio ad corpus, ac propterea *D. Hieronymus* ait motum animæ in Deum retardari propter appetitum corporis.

In pulveribus non datur inclinatio ad animam.

102 OBJICIES 4. Si idem corpus numero reſurgat, neceſſe eſt omnia, quæ ſunt in corpore, reſurgere ; hoc fieri nequit in pluribus, quæ ad corpus ipſum pertinent : ergo. *Minor probatur*. *Primò*. Capilli, & ungues pertinent ad corpus ; ſed iſti non reſurgent, quia formantur ex ſuperfluitatibus, nec perficiuntur per animam rationalem, cùm neque ſenſitiva informentur ; non enim iſtis ſentimus.

SECUNDO. Nam humores maximè tendunt ad corporis conſtitutionem ; ſed iſti non poſſunt reſurgere, cùm ſint in ſubſidium deperditi, nec actu ſint caro, & tunc nihil deperdi poteſt : ergo.

TERTIO. Statura maximè pertinet ad humani corporis qualitatem ; ſed hæc non poteſt eadem redire, cùm ſequatur totalitatem materiæ, quæ in reſurrectione tota non redit : ergo.

QUARTO. Situs partium conſtituit identitatem corporis organici ; ſed iſte non poteſt idem reparari ; quandoquidem poſita ſit in quodam ordine, & relatione, quæ non poteſt eadem redire, niſi redeat actio productiva, quæ fuit ratio fundandi : ergo.

QUINTO. Potiſſimè ad corporis unitatem pertinent potentiæ ; ſed hæ non poſſunt convenienter reſurgere, cùm non ſint habituræ ſuos actus, puta nutrire, generare, & ſimilia : ergo non reſurget idem numero.

RESP. omnia illa in corporibus ſaltem Beatorum reſurgent, quæ pertinent ad veritatem naturæ humanæ, ad perfectionem ſive primariam, ſive ſecundariam, & pulchritudinem, ſic exigente beatitudinis ſtatu, & conformitate ad Chriſti reſurrectionem. Hinc ad primum : utique capilli, & ungues in illa proportione, quæ ſufficiat ad debitam exigentiam perfectionis requiſitæ, reſurgent : unde vidimus per Sanctos Patres, tanquam a minori ad majus probari reſurrectionem in identitate membrorum ex textu Lucæ 21. verſ. 18. *Capillus de capite veſtro non peribit* ; & in communi æſtimatione decens coma corpus ornat : è contra raditur quandoque cervix in opprobrium. Capilli præterea, & ungues ſpectant ſecundam perfectionem ; nam & conſervant, & cuſtodiunt, & defendunt alias partes : ſic folia fructibus, gladio vagina deſervit. Satis autem perficiuntur per animam rationalem, abs qua primum recipiunt viventes gradum, nempe vegetationem. Cæteræ ſuperfluitates nullum ex iſtis bonis ſortitæ non reſurgent ; nec enim pertinent ad unitatem individuationis.

In Beatis omnia reſurgent, quæ ſpectant ad perfectionem.

Ad SECUNDUM : certè humores pertinent ad veritatem naturæ humanæ, etiam ùt valdè neceſſarii, & ùt præcipuè ſecundi ordinis partes. Humores tamen conſiſtentes, qui determinatas habent formas, reſurgent. Secus qui ſunt in via corruptionis, ùt ſudor : vel generationis, ùt lac, non reſurgent ; quia non ſunt de perfectione hujus individui.

Humores conſiſtentes reſurgent.

Ad TERTIUM : utique ſtatura valde ſpectat ad humanæ conditionem naturæ, & ad decorem ; immo neceſſaria eſt tanquam terminus quantitatis, & magnitudinis. Num verò ſint omnes reſurrecturi ſtaturâ eâdem, *S. Thomas* in partem negativam propendet, aſſerens in natura ſpeciei determinatam quantitatem, a qua deviare ſive per exceſſum nequeat, ſive per deffectum ; negat tamen ipſam conſiſtere in indiviſibili, ſed quandam habere latitudinem, intra quam diverſimodè quodlibet individuum participat quantitatem in aliquo gradu, quam, niſi impediatur, ad ſuam perfectionem ducit, ac proinde, cùm inæqualia ſint individua, inæqualis eſt gradus perfectionis, & ſtaturæ ; in ea tamen ſtatura reſurgent, ad quam perveniſſet natura in termino augmenti, niſi per exceſſum, vel defectum erraſſet ; unde Deus ſupplebit vel ſubtrahendo in Gigantibus, vel addendo Pigmæis. *Auguſtinus* lib. 22. de Civit. Dei cap. 20. — In reſurrectione carnis in æternum eas menſuras „ habeat corporum magnitudo, quas habe„ bat perficiendæ, ſive perfectæ cujuſcum„ que indita corpori ratio juventutis, in „ membrorum quoque omnium modulis con„ gruo decore ſervato —

Statura ſpectat ad conditionem hominis.

Non omnes reſurgent in eadem ſtatura.

Ad QUARTUM : quantum fieri poteſt, partes retinebunt eundem ſitum, quem ante mortem habuerunt ; ſiquidem variatio ſitus aliquam in toto diverſitatem inducit, & ejuſdem retentio arguit majorem conformitatem ad corpus Chriſti. Congruum quoque eſt in ordine ad præmium, vel pœnam, ut compenſetur labor, quem aliquæ partes præcipuè toleraverunt pro Chriſto. Patres ajunt in hiſce partibus futura quædam ſpecialia ornamenta, & delectationes. Neque hæc localis diſpoſitio conſiſtit in aliqua pura relatione, quæ dependeat a ratione fundandi tranſeunte, ſed eſt quædam modificatio, & connexio partium eterroge-

In reſurrectione idem ſitus partiū.

nearum ad conſtructionem tutius.

Potentiæ manebunt in reſuſcitatis.

Ad QUINTUM: utique potentiæ omnes in ſua identitate reſurgent. Intellectuales ſuas elevabunt operationes: & corporeæ, quæ habent actum perfectum, operabuntur conformes ad ſuum ſtatum. Quæ verò actum perfectum non habent, utpote deſtinatæ ad conſervationem ſpeciei, & individui, ceſſabunt ab agendo, ceſſante fine: permanebunt tamen ad integritatem naturæ.

103 DICES cum *Chiliaſtis* I. Adam ante peccatum habuit vitam immortalem; ſed Adam ante peccatum uſum habuit omnium potentiarum: ergo permanebunt potentiæ quoad uſum etiam in reſurrectione. II. Chriſtus poſt reſurrectionem uſus eſt cibo, & potu *Luc.* ultimo, *& Act.* 10. Sed noſtra reſurrectio erit conformis reſurrectioni Chriſti: ergo in noſtra reſurrectione erit ciborum uſus. III. Chriſtus promiſit bibiturum ſe vinum vitis cum Apoſtolis in Paradiſo Matth. 26. v. 29. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.* IV. Iſajæ 25. v. 6. promittitur Beatis convivium pinguium medullatorum, ſicut cap. 65. v. 13. dicitur *Ecce ſervi mei comedent.* Idem alibi. V. Quoties una potentia in ſuis actibus duos reſpicit fines, uno ceſſante, remanere poteſt exercitium propter alium finem: ergo ceſſante fine nutritionis, remanebit uſus ciborum propter delectationem; quia eſt finis alius in conceſſione.

CONTRA. Alibi refutavimus *Millenariorum* hæreſim, ſcilicet *prima parte hujus tract. Controv. IV.* Nunc præpete calamo rem expedio. In altero ſeculo ceſſabit opus vitæ activæ ad ſpeciei, & individui conſervationem tendens, utpote ſubſidium corruptibilis vitæ, quæ tunc deſinet, corpore induente incorruptionem. Proinde ait Chriſtus: *in reſurrectione non nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei*; nam delectationes altiſſimæ haſce exhaurient brutis communes; quemadmodum Angeli perfruuntur optima felicitate ſine cibo, potuque. Nec laborandum eſt in eo, quòd de Adamo objicitur. Non erat ille in ſtatu naturæ perfectæ, cùm eſſet ſub initio multiplicationis. Inerat Adæ aliqua perſonalis perfectio, nec tamen abſoluta, ſed dependens a conditione peccati, vel non peccati; Chriſtus autem dabit Electis abſolutam immortalitatem. Tunc enim completo propagandorum numero, aſſequetur natura totalem perfectionem. Porrò ipſe poſt ſuam reſurrectionem cibos ſumpſit, ut reſurrectionis veritatem teſtaretur; unde ciborum uſus deſiit in aſcenſione ad Cœlum, nec cibus convertebatur in ſubſtantiam aliti, ſed in præjacentem materiam. Scripturæ autem per futura convivia indicant excellentiam, & copiam rerum delectabilium ſuperioris ordinis; nos enim Deus per hæc infima trahit ad excelſa cognoſcenda, & appetenda; nec aliter Scriptura ſapientiæ dona, ſeu intellectus per eaſdem exhibet ſimilitudines. Proverb. 9. v. 2. dicitur: *miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam*, & v. 5. *venite, comedite panem meum.*

In reſurrectione ceſſabunt ſubſidia vitæ corruptibilis.

Convivia explicant abundantiam delectationum cæleſtium.

Ideo autem Iſajæ proponuntur *pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ*; quia ſunt altioris ordinis, & Chriſtus ait: *bibam illud novum*, nempe melius, quàm vinum terreſtre. Illud tamen Chriſti aliter etiam intelligas ad literam de cibo, & potu, quem poſt reſurrectionem ſumpſit cum Diſcipulis; & dicit in Regno ſuo, quoniam cœperat jam ſtatus immortalitatis; novum dicit, quia novo modo, ſeu innovatum, quia ſanctificatum, & conſummatum per merita paſſionis. Denique falsò dicitur in actionibus conſervationis ſpeciei, & individui delectatio eſſe finis etiam ſecundarius: purum eſt delectamentum, quod allicit naturam, ut laborem in his actionibus ſubeat neceſſarium, ne conſervationis ſtudium pereat. Quòd ſi eſſet finis ſecundarius comedere propter delectationem, non foret peccatum, quod tamen eſt contra Eccleſiæ doctrinam.

104 OBJICIES 5. Si aliunde ſit unitas numerica hominis, non eſt admittenda identitas corporis numerica: hac enim viâ faciliùs evitantur inconvenientia; ſed ſtat: ergo. *Prob. minor* I. Matth. 3. v. 9. dicitur: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*: ergo ex lapide, & ſub lapidis corpore poteſt ſtare identitas numerica filiorum Abrahæ. II. Eva reſurget eadem numero; ſed non reſurget in identitate corporis, quia illud ex Adæ coſta, quæ reſtituenda eſt, facta fuit: ergo. III. Secundùm Philoſophos diſtinctio phyſica numerica deſumitur a tali accidentium complexu, quæ ſimul ſumpta ita uni competunt, ut alteri convenire nequeant. Sed hic accidentium complexus non reſurget, aliter erunt illæ monſtruoſitates, quæ ſunt in hoc ſeculo: ergo.

RESP. primo *negando maj.* Nam etiam ſi aliunde identitas numerica ſubſiſteret, non inde admittenda eſſet reſurrectio abſque hoc numero corpore, ſic exigente divina æquitate, quæ reddit unicuique ſuum; adeoque cùm corpus hoc particeps fuerit laboris, debet eſſe èt conſolationis: & inconvenientia, quæ ſolent adduci, ſunt facillimæ ſolutionis. Deinde *nego min.*, quam non evincit inducta auctoritas, quæ literaliter accepta non appellat ſupra filios eoſdem numero, quos genuit Abraham, ſed ſuper homines, qui pertinent ad populum Abrahæ: nec ſignificat dare eis tundere corpus lapidis, ſed quòd ex potentia lapidis poteſt homines educere. Non enim Deo eſt difficilius formare hominem ex ſaxo, quàm ex limo terræ. Locus verò ille in ſenſu formali præintento principaliter ſignificat Deum poſſe ex duriſſimis peccatoribus, cujuſmodi Gentiles erant, & Judæi, juſtos, & ſanctos efficere, ſibique Eccleſiam præparare. Hæc verba protulit Joannes Baptiſta, dum pœnitentiam prædicans Sadducæis, Phariſæiſque dura pectora verberabat.

Quomodo Deus ex lapidibus ſuſcitare poteſt filios Abrahæ.

Ad SECUNDUM: Coſta, unde Evam Deus condidit, ad ipſam pertinet, non verò ad Adamum, cui collata fuerat ad conſervationem ſpeciei, non autem ad perfectionem individui: ſicut in aliis virtus conſervativa ſpeciei non attinet ad veritatem individualem.

Coſta, ex qua formata eſt Eva, ad ipſā pertinet.

Ad

Ad **TERTIUM** jam dixi homines cum omnibus iis reſurrecturos accidentibus, quæ ad humanæ veritatem naturæ ſpectant; & in Electis, quæ ad pulchritudinem conducunt. Reviviſcent enim ad ſimilitudinem Chriſti pulcherrimi, ſpecioſique præ filiis hominum; perfectione corporali proportionaliter ad ſpiritualem gloriæ ſtatum; qui non admittit minimum defectum culpæ, aut pœnæ: ergo etiam in corpore vitium omne excluder: nihil coinquinatum introibit neque ſpiritualiter, neque corporaliter, & quoad utrumque debet illud verificari: *Mundavit ſibi Eccleſiam abſque macula, & ruga*: reſurgent corpora loco proportionata, quem ſunt connaturaliter habitura; ſed locus eſt perfectiſſimum corpus cœleſte, videlicet Empireum, in quo nullus eſt defectus. Reſurgent tanquam concives Angelorum. Angeli in ſua ſubſtantia nullum habent vitium: ergo neque homines. Reſurget corpus correſpondens animæ juxta primævam conditionem; ſed anima connaturaliter exigit corpus cujuſcunque naturalis vitii expers: ergo. Reſurgent ùt opera ſpecialis divinæ virtutis, quæ creatam naturam inſtaurabit; ſed opera Dei ſunt perfecta: ergo.

Beati reſurgent in corpore perfecto.

An autem idem contingere debeat in damnatis, pars affirmativa *Angelico Doctori* tribuitur ea duplici ratione, quam hic ultimo loco tetigimus: *Auguſtinus* verò in Enchiridion cap. 92. habet — Quicumque verò ab illa perditionis maſſa, quæ facta „ eſt per hominem primum, non liberan„ tur per unum mediatorem Dei, & ho„ minum, reſurgent quidem etiam ipſi „ unuſquiſque cum ſua carne, ſed ut cùm „ Diabolo, & Angelis ejus puniantur: „ utrum ſanè ipſi cum vitiis, & deformi„ tatibus ſuorum corporum reſurgent, qui„ cumque in eis vitioſa, & deformia mem„ bra geſtarunt, inquirendo laborare quid „ opus eſt? neque enim fatigare nos debet „ incerta eorum habitudo, vel pulchritu„ do, quorum erit certa, & ſempiterna „ damnatio: nec moveat, quomodo in eis „ erit corpus incorruptibile, ſi dolere po„ terit: aut quomodo corruptibile, ſi mori „ non poterit. Non eſt enim vera vita, „ niſi ubi feliciter vivitur, nec vera incor„ ruptio, niſi ubi ſalus nullo dolore cor„ rumpitur; ubi autem infelix mori non „ ſinitur, ùt ita dicam, mors ipſa non „ moritur, & ubi dolor perpetuus non in„ terimit, ſed affligit, ipſa corruptio non „ finitur — Alia plura circa hoc ſubdit.

Quid dicendum de damnatis.

CONTROVERSIA V.

AN MORTUORUM RESURRECTIO SIT FUTURA VIRTUTE NATURALI.

105 **D.** Auguſtinus *lib. 12. de Civit. Dei cap. 13.* quoſdam enunciat Philoſophos noſtræ Religionis irriſores, qui docebant eoſdem numero homines virtute naturali redituros poſt multas cœlorum circulationes, ita ut idem ille *Plato*, qui in Athenienſi Licæo olim ſedit, iterùm ſit reverſurus, ibique iterùm magiſtri functurus munere. Quam opinionem pariter Angelicus Doctor refert *in cap. 7. Job, & lib. 4. contra Gentes cap. 82.* Ut Poetæ, ita èt veteres Philoſophi plurima ea ſacris codicibus accepta ſuis fabulis inſeruerunt, & inde illi fabulas, iſti commentitio induxere theoremata, quibus catholicam fidem ſunt aggreſſi. Plinius *lib. 2. Hiſtoriarum cap. 7., & lib. 7. cap. 55.* tribuit *Democrito*, quod ratus eſt eadem corpora poſſe reviviſcere, iterumque victura eſſe: & quamvis Philoſophi non intellexerint fortaſſe de ea perfecta reſurrectione, de qua fidem habent Catholici, neceſſaria nihilominus eſt reſolutio in ſuo rigore, ut undequaque divinorum Myſteriorum veritas ſtabiliatur.

106 DICO: *Mortuorum reſurrectio nequit eſſe futura naturali virtute*. PROB. 1. Opus, quod Chriſto ſpecialiter attribuitur, comprehendi nequit intra vires naturæ. Sed mortuorum reſurrectio eſt opus ſpecialiter Chriſto attributum: ergo non continetur intra vires naturæ. *Major eſt certa*, tota enim Chriſti virtus directa eſt ad reparationem ſupernaturalis ordinis; non enim venit, ut naturalia repararet, ſed ut peccatum, ejuſque effectus tolleret; quare ſicut peccatum nequit extingui per aliquod naturale: ita nec effectus peccati queunt reparari per ea, quæ ſunt ordinis naturalis. Sicuti vulnera intellectus, & voluntatis ſecundùm ea, quæ ad naturam ſpectant, nequeunt naturali pharmaco ſanari; ita corporis mala ex peccato profecta; ùt mors, & alia nullo naturali remedio curari perfectè queunt. Majus autem malum ex peccato Adæ obortum in corpore eſt mors, quæ non eſt reparabilis naturæ viribus. *Minor autem habetur* 1. Corinth. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.*

Opus ſpeciale Dei non competit naturæ.

107 PROB. 2. Effectus, qui peculiariter Deo adſcribitur, nequit per cauſas naturales obtineri; ſed mortuorum reſurrectio ſingulariter Deo tribuitur: ergo non continetur intra naturalis ſpheram virtutis. *Minor habetur* ad Rom. 8. v. 11. *Quod ſi ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis habitat in vobis, qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis; vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum*: ecce quomodo Deo tribuitur reſurrectio; & Chriſtus Dominus, ut ſe eſſe Deum Judæis oſtenderet, argumentum deſumpſit ex poteſtate, & virtute ſuſcitandi mortuos Joan. 5. v. 21. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat ſic & Filius, quos vult vivificat*. Si autem reſurrectio naturæ viribus haberi poſſet, non eſſet conveniens argumentum ad oſtendendam veritatem.

Deo tribuitur reſurrectio.

108 PROB. 3. Effectus miraculoſi non ſunt intra naturalis virtutis confinia comprehenſi. Eſt enim de eſſentia miraculi, quòd naturam excedat; ſed quæque mortui reſurrectio omnium ætatum, ac nationum calculo creditus eſt effectus miraculoſus: ergo non continetur inter limites naturæ: ergo multò minùs univerſalis mortuorum omnium reſurrectio. *Minor inductione patet*. In lege

 ſcripta,

ſcripta magni inſtar miraculi habitæ ſunt reſurrectionis ab Elia, & Eliſeo peractæ: in lege gratiæ illuſtriora miracula Chriſti ſuoi Lazari, filii Viduæ, & filiæ Archiſynagogi à mortuis reſuſcitatiu; unde ſtupebant turbæ, credebant in eum, & laudabant Duminum. Hinc Matth. 11. v. 5. ioter upera quæque miraculoſa mortuorum ad vitam reditus cenſetur: *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt*. Et cap. 10. v. 8. inter privilegia ad perpetranda miracula Apoſtolis conceſſa virtus ſuſcitandi murtuos numeratur: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate*, quâ utentes poteſtate ubique prædicaverunt Evangelium in ſigois, & prudigiis. Ipſe Antichriſtus, ut ſibi ſectatores attrahat, miraculurum confingens virtutem mortuos vitæ reddere tentabit.

109 PROB. 4. Futura mortuorum reſurrectio nobis expectatur in ſtatu incorruptioois: *Reſurgent incorrupti, ſeminatur animale, ſurget ſpiritale*. Sed incorruptiu nequit naturæ tribui; haud enim in ipſa eſt major virtus ea, quam habet ad primò producendum hominem; quæ ſolùm poteſt corruptibilem generare. Quare ſicuti reſurrectio ad præmium, & pœnam dirigitur pro bonis, vel malis uperibus: ita fieri nequit, niſi ab eo, qui bona debet, ac mala upera judicare. Quam doctrinam perhibent unanimes Sancti Patres: *Dionyſius* cap. 6. de Divinis numinibus — „Nos toios animas dico, & ſocia corpora ad perfectam vitam, & immortalem transferre pollicetur, quod veteribus quidem præter naturam fortaſſe videatur: mihi verò, tibique, & veritati divina res, & ſupra naturam nuſtram dixerim viſibilem, noo ſupra omnipotentem — Lactantius *lib. 7. divinarum Inſtitut. cap.* 23. — „Nemu quærat à oobis, quemadmodum fieri puſſit, nec enim divinorum operum reddi poteſt ratio; ſed ſi à principiu Deus hominem, neſciu quu inenarrabili modo, inſtituit, credamus, ab eodem reſtitui veterem puſſe, qui nuvum fecit — Chryſoſtomus *Hom. 8. in priorem ad Theſſalon.* — „Eſt itaque reſurrectiu divinæ virtutis opus, cùm telluri mandabit Deus, ut depoſitum reddat.... quemadmodum aliquandu evocavit Lazarum: Lazare, veni foras — Ambroſius *de Fide reſurrectionis* — „Reſurrectio omnibus erit, ſed ideo difficile creditur, quia non noſtrum meritum, ſed Dei munus eſt — Auguſtinus *lib. 13. de Trinit. cap.* 11. — „Fides tutum huminem immortalem futurum, qui utique conſtat ex anima, & corpore..... non argumentatione humana, ſed divina auctoritate promittit — Gregorius Magnus *Hom. 20. in Ezechielem* plaribus oſteodens reſurrectiunem, addit — „Divinæ virtutis myſteria, quæ comprehendi non poſſunt, non intellecta diſcutienda ſunt, ſed fide veneranda; quia quidquid ratione hominis comprehendi poteſt, mirum jam eſſe non poteſt, ſed ſuia eſt in miraculis ratio, potentia facientis — Irenæus *lib. 5. cap.* 2. — „Sic & noſtra curpora ex ea nutrita, & repoſita in terram, & reſoluta in ea, reſurgent in ſuo tempore, verbu Dei reſurrectiunem eis dunante in gloriam Dei Patris — Similia paſſim cæteri Patres.

Natura producit hominem corruptibilem.

110 PROB. 5. Effectus viribus naturæ productibiles debent intra potentiam naturalium agentium contineri; ſed reſurrectio etiam dumtaxat quoad ſubſtantiam accepta, nempe prout eſt ejuſdem numeru huminis reſurrectio, præſciodendo à ſtatu dunurum ſupernaturalium, nun continetur intra potentiam agentium naturalium: ergo oun eſt oaturaliter poſſibilis. *Minor* prubatur axiomate Philuſophi ea libro Phyſicurum *à privatione ad habitum non datur naturaliter regreſſus*. Quòdſi in rebus aliis verum eſt; à fortiuri admittendum eſt in hominis reparatione, utpotequi cumpoſitum ſit valdè eterrogeneum, & à pluribus cauſis dependens. Ratiu eſt: Ut reparetur homu idem numeru, reparari debet eadem numero materia ſub eadem organizatiune, & temperamentu, atque ſubjiei eidem numero agenti ſaltem pruximu, eodemque modu diſpoſito, quu primùm fuit productus; ſi enim unam ex his varietur, nun eſt idem numeru. Atqui in potentia naturæ non habetur hæc rerum cumbinatiu: ergu. *Explicatur minor*. Materia dividitur naturali reſolutione, diſpergitur, cummiſcetur, nec eadem remanet. Tranſit ad diverſa mixta, & quandoque contraria; eaqueproptet tota nequit in unum redire, tametſi aliquæ partes uniri queant, cùm deſint agentia pluribus, & diverſis mixtis duminantia. Temperamentum dependet ab influxu corporum cœleſtium, quæ ſunt in perpetuu fluxu, uumeru diverſo. Non eſt in poteſtate cujuſquam creaturæ ad libitum ſibi cœlos, cœleſtiumque motus, ac influxus ſubjicere: ergo idem temperamentum reſtitui nequit. Agentia ſemper variantur, quorum etſi aliqua durent aliquandiu: tamen ſunt pruximè diſpoſita diverſimodè; quia ſunt ſub continua mutatione: non eſt ergo poſſibilis naturaliter reſurrectiu. Hinc eſt, ut eam prædicantes Apoſtoli non ſolùm coram ignaris, & rudibus, ſed etiam coram Mundi ſapientibus, & prudentibus tanquam mira, & prodigiis ſimillima docentes irriſi fuerint; quia incumperto erat apud omnes reſurrectionem nun contineri in principiis naturalibus. Quinimmo Chriſtum eam docentem Diſcipuli demirabantur. Hæc tanta difficultas oſtendit rem eſſe divinæ Putentiæ eminenter continentis omnes, & ſingulos effectus, quæ in modo agendi ab nulla pendet extrinſeca circumſtantia; cùmque non imminuatur producens quemcumque effectum, ſequitur, ut idem numeru puſſit reparare; quòdſi NIHILUM in prima productione haud potuit virtutem ejus limitare, neque poterit in ſecunda, & multò minùs id poterit potentia materiæ. Utramque partem hujus doctrinæ comprehendit Chriſtus Joan. 15. v. 24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Ipſe fecit, quia Deus: nemu alius fecit, neque facere poteſt, quia creatura. An verò per virtutem divinam poſſit creatura concurrere inſtrumentaliter, infrà videbimus.

A privatione ad habitum non datur regreſſus.

PRIN-

PRINCIPALIORA RESOLVUNTUR ARGUMENTA.

111 OBJICIES 1. Quidquid agitur in iſtis ſublunaribus, continetur iu virtute cauſarum naturalium; atqui ejuſdem hominis reparatiu enumeratur inter actiones horum ſublunarium: ergo continetur in virtute naturalium agentium. *Minor* habetur Eccleſiaſtes 1. v. 9. *Quid eſt quod fuit? Ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt? Ipſum quod faciendum eſt:* ergo illi humines, qui fuerunt per actiones naturalium agentium, ſunt iterùm futuri.

Deo nihil eſt præteritum, aut futurum.

RESP. Scriptura res explicat prout ſunt in divina prædeſtinatione; Deo uutem nihil præteritum, nihil futurum, ſed omnia ſimul; unde nihil ſub ſole novum, ut ex hoc diſcant homines nihil Deu incugnitum, aut caſuale evenire. Cæterùm quantum ad res, pruut ſunt in propria menſura, ſemper novæ ſunt novitate numerica, ùtùt non fiant nova novitate generis, & ſpeciei. Fuerunt generationes ante nos, erunt èt poſt. Fuere homines, & erunt; monſtra fuere, & alia erunt nuva, ſed in eſſe monſtri ſemper eadem. Itidem novæ animalium pruductiones, nova arbuſtorum germina, ſed ſub iiſdem generibus, & ſpeciebus oriuntur, & occiduut.

Quælibet productio ſub iiſdem generibus.

112 DICES: Scriptura loquitur de recurſu ejuſdem rei numericæ; quod ſic uſtenditur. Anima rationalis ſemper eſt eadem numero; ſed inter illa, quæ redeunt, ponitur anima rationalis: ergo iſti rurſus fiunt in identitàte numerica. *Declaratur minor*. Prælibatu loco Eccleſiaſtes v. 6. dicitur: *Luſtrans univerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur*. Spiritus hie ſumitur pru anima; per inductionem enim probat ſuum intentum, & per rerum inferiorum, & ſuperiorum exempla, inter quas eſt ſpiritus hominis, in circulos ſuos revertens, nempe ad ſuum corpus redit; reverſio ſiquidem circularis eſt regreſſus ad idem, à quo cœpit motus.

Origenes cœlos animatos volebat.

RESP. Locus Eccleſiaſtes anſam errori præbuit, qui *Origini* attribuitur, cœleſtia ſcilicet corpura prædita eſſe animâ intellectivâ, & merito apta, ac demerito. Etenim cùm dicat Scriptura immediatè ante: *Oritur ſol, & occidit, & in locum ſuum revertitur*: numine ſpiritus eredidit importari Solis auimam. Quem ut errorem fulciret, Scripturas illas congeſſit, quæ cœleſtibus videutur corputibus loquelam tribuere, auditum, & intellectum Pſal. 135. v. 5. *Qui fecit cælos in intellectu*: Pſal. 18. v. 2. *Cæli enarrant gloriam Dei*: Deuterou. 32. v. 1. *Audite cæli, quæ loquor*: Iſaiæ 45. v. 12. *Manus meæ tetenderunt, & omni militiæ eorum ego præcepi*: Baruch 3. v. 34. *Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt: adſumus*: quibus adſtipulatur illud Eccleſiæ: *Per quem majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, cœli, cœlorumque virtutes*; ubi nomine virturum cœlorum accipit eorum animas; ſi enim cœli ſolùm ab Angelis extrinſecè muverentur, ſat erat dixiſſe *laudant Angeli*, & ſi pru virtutibus veniunt naturales cœlurum vires, non erat, cur Eccleſia cœlos inter Angelorum Choros enumeraret. Verùm enim verò hæreſim hanc proſcripſit Eccleſia in Concilio Conſtantinopolitano II. Si enim cœlis anima rationalis Indita eſſet, dicerentur facti ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, ſicut homo dicitur. Id autem falſum omnino eſt, immo, ùt bene commonet Nyſſenus *lib. de Creatione hominis cap.* 3. Scriptura in homine creando quoddam adſuiſſe quaſi couſilium deſcribit *faciamus hominem*, ad exprimendam ejus ſupra cæteras creaturas dignitatem, & excellentiam. Quod ipſum animadvertunt cæteri Patres. Sanè haud eſſet homu creaturis ibi numeratis præſtantior, ſi cœlis inſita foret anima rationalis: neque ſubſiſteret veritas in eo, quòd univerſa ſub pedibus hominis corpora ſubjecerit Deus, & inſuper vetans Deut. 4. v. 19. cœlos adurari apertè profatur ſe illos creaſſe in miniſterium hominis: *Ne forte elevatis oculis ad cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt*. Nota: in miniſterium huminis creata dicuutur, non miſſa in miniſterinm ſicut tutelares Angeli, utpote ad hoc facta, ut homini deſerviant, omuemque propterea bonitatem habent in urdine ad illum. *Sapient.* 14. appellantur ſtulti, qui militiam Cœli adoravere; quod non eſſet, ſi ratiunali anima gauderent idonei ad meritum; uliqui etenim cœli eſſent in æternum ſancti, ſicut ex eadem ratione Angelos colimus.

Cœli creati ſunt, ut deſerviant hominibus.

Loca in argumento addacta nihil evincunt; nam rebus etiam inanimatis ex modo loqnendi Scripturæ illa prædicata tribuuntur, ùt optimè demonſtrat *Hieronymus* in præcitatum Iſaiæ textum — Illud quod ſcriptum eſt: ego omnibus ſtellis præcepi; „ occaſionem quibuſdam tribuit, quòd aſtra „ rationalia ſint, & animam, ſenſumque „ habeant, neque enim, ajunt, præciperet, niſi intelligentibus: non recordantes, quòd in *Jona* ſcriptum ſit: Præcepit „ Dominus ſpiritui comburenti. Et rurſum: „ præcepit vermi matutino. Et quod in „ Evangelio Salvator ventos, & mare increpaverit, in quibus ſenſum, atque ra„ tionem non eſſe perſpicuum eſt — His igitur utitur, & ſimilibus verbis Scriptura, ut denutet divinam poteſtatem ſupra creaturas ſuas perfectè muneribus ſangentes, ad quæ fuerunt ab initio conditæ. Illud Pſalmi *Cœli enarrant gloriam Dei S. Thomas* in ſenſu proprio explicat de Apoſtolis, qui terris omnibus nomen Domini enunciarunt. Et utique Pſalmus ille ad literam eſt de Chriſti Incarnatione, ſed materialiter acceptus, nihil concludit nobis adverſum; nam Cœli gloriam Dei enarrant eâ ratione, qua perfectum upus laudat artificem. Alium textum Pſalmi ſcilicet — Qui fecit Cœlos in „ intellectu — elucidat *Auguſtinus* in ſenſu myſtico — Fecit Deus Cœlos in intellectu „ ſpiritales Sanctos ſuos, quibus non tan-

„ tum

„ tum credere, verùm etiam intelligere „ divina donavit — Materialiter etiam accipit *Theodoretus*, quia in creaturis inanimatis excellentiores ſunt cœli, & in eorum ordinatis motibus lucet ſpecialiùs Divina Sapientia, eaquepropter in intellectu dicuntor — Cœlum tantummodo conſpectum Dei „ ſapientiam prædicat, quandoquidem multa „ eſt magnitudo, & pulchritudo, & diu„ turna perſeverantia — Dicuntur inſuper ſtellæ vocatæ reſpondiſſe: *adſumus*, ad exprimendam ſubjectionem Deo exhibet, & Eccleſia aſſerit Deo laudari ab Cœlis; quia, ùt ſupra diximus, quæque opera ſuum laudant auctorem. Hoc itaque ommiſſo errore, ad inſtantiam reſpondetur: nomen ſpiritus ventum ſignificat, qui undique flat, & ſubintrat diſcurrens hinc inde; & Spiritus Sanctus intendit oſtendere cuncta eſſe in fluxu, & inconſtantia, poſtque inductionem in ſublunaribus, cœleſtibus, & aeris, aliiſque ordinibus, ut inde colligat omnia vana eſſe, hominem tractaturus in divinum amorem, & contemptum fluxarum hujuſmodi rerum. Vide in hoc Tract. Parte I. Controv. X.

Nomine ſpiritus venit ventus.

113 INSTABIS. Admitti debet iſte recurſus hominum, ut ſalvetur, quod dicitur Pſ. 11. v. 9. *In circuitu impii ambulant: ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.* Sed non ſalvaretur, niſi hominum vita ſupponatur reverſura; hæc enim via eſt multiplicationis: ergo: ſic apud *Auguſtinum*.

CONTRA: *nego min.* Adducta expoſitio vim infert literæ manifeſtam. Ibi enim dicitur Deus homines multiplicare, non iidem recurrere; & quoniam præcedenti verſiculo aſſeruit Pſalmiſta generatione multiplicari bonos, *Tu Domine ſervabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum*, idem inſinuat ſequenti de Impiis. Sicut ergo boni ſemper novi ſunt, & numero diſtincti; hoc quoque de malis verificatur. Qualis autem ſit ejus propoſitionis ſenſus, multiplex eſt expoſitio. Vel Pſalmiſta ad literam de Judæis prophetavit qui ſunt per totum orbem diſperſi Deo rebelles, & ſemper in circuitu bona temporalia quæſitantes. Vel quòd *Impii in circuitu ambulant*; quia in conſiliis ſuis ſunt inconſtanter. Vel quòd *in circuitu ambulant*; quia doloſè, & fraudolenter negotia peragunt. Vel quia inſaniunt, & vertiginem patiuntur juxta v. 14. Pſalm. 82. *Deus meus pone eos ùt rotam*: dum juſtos exaltari conſpiciunt, affliguntur, ſicuti illi, qui in orbem volvuntur. Vel juxta græcam editionem exponit ambulare pro exaltare, & ſenſus eſt, quòd quando Impii exaltantur, tunc omnia replentur iniquitatibus, ſeu exaltantur alios depreſſuri. Vel *in circuitu Impii ambulant*; quia in ſuis actibus ſe ipſos quærunt; unde exeunt flumina, illuc revertuntur à bono proprio ad proprium bonum, nihil gratis, nihil ex honeſta amicitia, ſed omnia ex propria utilitate operantes. Septima demùm expoſitio, cui omnes prædictæ ſubordinantur, & omnino ad contextum collimat: *Impii in circuitu ambulant*; quia impunè, & audacter circumveniunt juſtos, circumquaque voltitant, ut humiles, & pios deprimant, Patris ſui Diaboli ſequentes veſtigia, qui circuit quærens, quem devoret; unde ex Hebræa interpretatione habetur: *In circuitu impii ambulant ſicut Renoceros devorare filios hominum*; ex Caldæa: *Circumeuntes impii ambulant, tanquam ſanguiſuca, quæ ſugit ſanguinem filiorum hominum.* Subditur: *Secundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum*; ideſt ſpectat ad abyſſum divinorum Judiciorum, quod vivent, multiplicentur, triumphent, à quibus ſe liberatum iri ſperat per adjutorium Dei Propheta: *Tu Domine ſervabis nos, & cuſtodies nos in generatione hac in æternum.*

114 OBJICIES 2. Opus naturale de neceſſitate intra virtutem cauſarum naturalium continetur; ſed mortuorum reſurrectio eſt opus naturale: ergo. *Minor declaratur*: Ex operibus naturalibus cognoſci non poteſt, niſi opus naturale; ſed ex operibus naturalibus cognoſcitur reſurrectio; ex opere ſiquidem vulgari ſeminationis tritici eam probat Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 15., & poſt ipſum pluribus aliis exemplis Sancti Patres, quos in probationibus primæ Controverſiæ dedimus: ergo.

RESP. Ad ſolutionem hujus argumenti recolenda eſt diſtinctio apud Scholas de duplici operis ſupernaturalis genere contrapoſito ad opus naturale. Aliud igitur eſt ſupernaturale quoad ſubſtantiam, ùt SS. Trinitatis Myſterium, incarnationis, Eucharistiæ: aliud quoad modum; ùt creatio hominis, illuminatio cæci, reſtitutio auditus. Et è contra aliud eſt naturale opus quoad ſubſtantiam, & modum; illud videlicet, quod in ſe eſt res naturalis, & naturali modo factibilis: aliud quoad ſubſtantiam, ſed non quoad modum, videlicet quod in ſe eſt naturale, ſed in naturali virtute non continetur, nec viribus naturæ poteſt haberi, ùt cæci illuminatio. Reſurrectio mortuorum eſt opus naturale quoad ſubſtantiam, quia eſſe hominis eſt naturale, ejuſdemque rationis ſive primò creetur, ſive à mortuis excitetur, ùt in Lazaro patet. Non eſt tamen naturale quoad modum, quocirca intra ordinem naturæ nulla eſt virtus reparativa ex mortuis, quod adductæ rationes ſatis evincunt. Quare, ut Patrum probationes ſubſiſtant, ſat eſt, ut ſit opus naturale quoad ſubſtantiam, & quod opus aliunde factum fuerit viribus naturæ. Unio animæ ad corpus eſt quid naturale, quæ aliunde naturæ viribus habetur. Sanè opus naturale quoad ſubſtantiam, & ſupernaturale quoad modum ex naturalibus probari poteſt, & quidem evidenter poſſibile: ad quod explicandum ſequentes ſubdo propoſitiones. *Prima* evidenter demonſtratur Deum poſſe ex nihilo creare, quæ veritas eſt eſſentialiter connexa cum demonſtratione veri Dei: non enim poteſt eſſe verus Deus, niſi ſit creativus, cùm ſit ens ſummè perfectum. *Secunda* evidenter demonſtratur, Deum plura poſſe, & diverſis modis, quàm poſſit natura propter infinitam virtutem, & omnimodam independentiam, & perfectiſſimum dominium. *Tertia* reſurrectio, & cæci illuminatio ſunt quid minùs creatione, onde *Gregorius* Hom. 20. in Ezechielem — Certè „ enim,

Opus ſupernaturale in duplici differentia.

„ enim, quia tu ex terre ſactus es, terra „ verò ex nihilo, tu es ereatus ea nihilo. „ Ne ergo de carnis tuæ reſurrectiuna deſpe- „ res, perpende prudenter; quia minus eſt „ Deo reparare, quod erat, quàm ſeciſſe, „ quod non erat — Poteſt itaque demonſtrari poſſibilis divina virtuta reſurrectio, quod utique etiam ſubſiſteret, ſi reſurrectio eſſet opus æquale creationi, cùm in effectibus creandis non attenuetur virtus divina. Nec indè ſequitur reſurrectionem non eſſe articulum Fidei, tum quia exiſtentia Dei de fide eſt, quanquam naturaliter demonſtratur: tum quia non tam poſſibilitas reſurrectionis, quàm ſuturitio cedit ſub fide. Hæc autem ex ſolis revelatis demonſtrari poteſt, cùm a divina pendeat libertate, & voluntate: tum demùm, quia ſub fide cadit reſurrectio veſtita conditionibus cum ſupernaturali ordine connexie.

Poſſibilitas reſurrectionis demonſtrari poteſt.

115 OBJICIES 3., & eſt inſtantia vehemens contra dicta. Quod eſt debitum naturæ, debet per vires naturæ obtineri; ſecus eſſet debitum indebito modo conſtitutum; atqui ſutura reſurrectio eſt debita naturæ: ergo. *Minor probatur* ex D. Thoma 4. *contra Gentes cap.* 79. — Ad oſtendendam etiam reſurrectionem carnis „ ſuturam evidens ratio ſuffragatur, ſuppoſitis his, quæ in ſuperioribus ſunt oſtenſa. Oſtenſum eſt enim in Secundo animas hominum Immortales eſſe: remanent „ igitur poſt corpora à corporibus abſolutè. „ Manifeſtum eſt etiam ea his, quæ in „ Secundo dicta ſunt, quòd anima corpori „ naturaliter unitur; eſt enim ſecundùm „ ſuam eſſentiam corporia ſorma; eſt igitur „ contra naturam animæ abſque corpore eſſe: „ nihil autem, quod eſt contra naturam, poteſt „ eſſe perpetuum: non igitur perpetuò erit „ anima abſque corpore. Cùm igitur perpetuò maneat, oportet eam corpori iterato „ conjungi, quod eſt reſurgere; immortalitas „ igitur animarum exigere videtur reſurrectionem corporum ſuturam.

„ Adhuc oſtenſum eſt ſupra in Tertio, „ naturale hominis deſiderium ad ſelicitatem „ tendera; felicitas autem ultime eſt ſelieis „ perſectio; cuicumque Igitur deaſt aliquid „ ad perſectionem, nondùm habet ſelicitatem perſectam; quia nondùm ejus deſiderium totaliter quietatur. Omne enim „ imperfectum perſectionem conſequi naturaliter cupit; anima autem a corpore „ reparara eſt aliquo modo imperſecta, ſicut „ omnis pars extra ſuum totum exiſtens. „ Anima enim naturaliter eſt pars humanæ „ naturæ. Non igitur homo poteſt ultimam „ ſelicitatem conſequi, niſi anima iterato „ corpori cunjungatur; præſertim cùm oſtenſum ſit, quòd homo in hac vita non poteſt ad ſelicitatem ultimam pervenire.

„ Item ſicut in tertio Libro oſtenſum „ eſt, ea providentia divina peccantibus „ pœna debetur, & benè agentibus præmium.. In hac autem vita homines ea „ anima, & corpore compoſiti peccant, „ vel rectè agunt: debetur igitur hominibus & ſecundùm animam, & ſecundùm „ corpus præmium, vel pœna. Manifeſtum eſt autem, quòd in hac vita præmium ultimæ ſelicitatis conſequi non poſſunt ex his, quæ in Tertio ſunt oſtenſa. „ Multoties etiam peccata in hac vita non „ puniuntur, quinimmo ùt dieit *Job c.* 21. „ *v.* 7. Hic impii vivunt, conſortati ſunt, „ ſublimatique divitiis; naceſſarium igitur „ eſt ponere iteratam animæ ad corpus conjunctionem, ut homo in corpore, & „ anima præmiari, & puniri poſſit — Huic *D. Thomæ* ratiocinio ſuffragatur auctoritas quorundam Patrum. Chryſoſtomus *hom.* 65. *in Joan.* — Ego aliud dieam ab humanis rationibus, alii malitiam, alii virtutem ſectantur, ſed malitiæ ſectatorum multi ſelieiter in ultimam pervenerunt ſenectutem, virtutis autem contra: quomodo „ ergo pro meritis unuſquiſque accipiet? — Videlicet ſi ſutura negetur reſurrectio? *Tertullianus* de reſurrectione carnis cap. 14. — „ Hæc erit tote cauſa, immo neceſſitas „ reſurrectionis, congruentiſſima ſcilicet Deo „ deſtinatio Judicis — *Theodoretus* lib. 5. decret. cap. de Judic., *Cyrillus Jeroſolymitan.* Catach. 18., *Damaſcenus* lib. 4. cap. 28., *Niſſenus* Orat. 3. de reſurrectione.

RESP. *diſtinguenda maj.*: quod eſt debitum debito proximo, *concedo maj.*, debitu remoto, *nego maj.* Sed reſurrectio eſt debita naturæ, *diſt. min.*: debito remoto, *concedo*: proximo, *nego*. Debitum proximum voco, cùm agens proximum ſatis diſpoſuit materiam ſormæ recipiendæ, & tunc ei nequit denegari agens connaturale, qui formam introducat. Debitum appello remotum, quando naturæ ſecundùm ſe ineſt exigentia ad aliquem effectum, ſed deeſt principium proximè applicans, vel diſponens. Reſurrectio igitur eſt debita remotè; quia natura, & recta ejus conſtitutio, & ſapiens divinæ providentiæ regula illam exigit. Veruntamen quia aliunde in natura virtus eſt limitata, nullum habetur principium proximè diſponens materiam; unde neceſſe eſt non poſſe parari viribus naturæ. *D. Thomas* acutiſſimè argumentatur illis rationibus ſuturam arguens reſurrectionem juxta debitum naturæ benè ordinatæ. Ex alio capite negat adæquata principia exequendæ reſurrectionis, cogens Adverſarios admittere ordinem quemquam ſupernaturalem rerum, in quo catholica Fides ſtatuit divina myſteria, & ſic recto ordine manuducit ad cognitionem veritatis. Haudquaquam refellendis immorer objectionibus *Scoti* contra *D. Thomam*; id enim optimè præſtitit *Ferrarienſis* in Commentariis Thomiſticis contra Gentiles, & *Capreolus* ſupra quartum ſententiarum. Ulteriùs ſolerti indagine rationum *D. Thomæ* evaneſcunt objecta omnia.

Quid eſt debitum proximum, quid remotum.

CÆTERA ADVERSARIORUM ARGUMENTA INFRINGUNTUR.

116 OBJICIES 4 quod fit ſecundarum cauſarum miniſterio, eſſe debet opus omnino naturale; ſed mortuorum reſurrectio ita fit: ergo eſt opus naturale. *Minor habetur* 1. ad Theſſalon. 4. v. 15. *Ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de Cœlo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.* Ecce tubæ ſonitus, Angelorum miniſterium concurrunt ad reſurrectionem; ſed tam vox, quàm miniſterium Angelorum ſunt cauſæ ſecundæ, & quidem naturali virtute concurrentes.

Quando tubæ ſonus, & Angelorum miniſterium ad reſurrectionẽ concurrant.

RESP. Objectio hæc quamvis perfrigida, viam aperit ad explicandum, quonam modo tubæ ſonus, & Angelorum ſubſidia ad mortuorum reſurrectionem concurrant. In qua explicatione modernis omiſſis adinventionibus, illud aſſumam, quod Patribus magis acceptum videtur. Et pro radicali fundamento teneas non eſſe multiplices voces, ex eo quòd dicatur *in voce Archangeli, & tuba Dei*, quaſi verò una vox ſit a Deo futura, altera ab Angelo, ſed una tantummodo erit Dei tanquam cauſæ principalis, Angeli tanquam cauſæ miniſterialis. Dicitur autem Dei; quia virtute divina fiet: dicitur Angeli, quia opere Angelico exercebitur. Non enim immediatè ore, & Chriſti linguâ efformabitur, ſed ejuſdem imperio; ac propterea inquit Scriptura: *Et ipſe Dominus in juſſu, & voce Archangeli.* Nec rerum ordo id expoſtulat, ſed oppoſitum, cùm Præconis, non Judicis munus ſit convocare ad judicium, præſertim quòd divina providentia ſolet actiones naturæ per cauſas naturales, quoad fieri poteſt, exercere, cùm in hoc connaturalitas agendi ſalvetur. Non erit pariter vox duplicata, altera ſcilicet Angeli, altera tubæ, ſed una, quæ Angelo tribuitur ùt tubam pulſanti, & tubæ ùt inflatæ. Et ratio eſt; quia non ſunt multiplicanda entia abſque neceſſitate, & maximè ubi ſimul multiplicantur miracula; ſed una vox ſufficit, & eſt omnino efficax ad mortuos excitandos: ergo non eſt alia multiplicanda.

117 DICES. Illa duo in Scriptura diſtinguuntur, adeoque aliquid diſtinctum correſpondere debet, cùm omnia verba aliquid in Scripturis ſignificent; eò vel maximè quòd, quando homines ſunt congregandi, inſonat tuba, deinde Præconis vox ſubſequitur.

RESP. Duo illa utique diſtingui, & aliquid diſtinctum correſpondere cuilibet verbo, hoc ipſo, quòd uni tribuitur principalis concurſus, alteri inſtrumentalis; aliter ex vi inſtantiæ oportebit quatuor multiplicare voces; quia de quatuor in Scriptura fit mentio, vox ſcilicet tubæ, vox Dei, vox Chriſti, vox Archangeli, quod tamen auctor inſtantiæ non admittit, nec videtur conveniens ſimultanea quatuor vocum emiſſio. Nec paritas evincit: in humanis ſiquidem poſt ſonum tubæ ſequitur vox Præconis; quia & res fiunt per morulas ſucceſſivas; & Præco nequit per ſonum tubæ verba intelligibilia efformare: ſecus accidit in præſenti, cùm omnia fiant inſtantaneè, ideoque dicitur *in momento, in ictu oculi*; & cæteroquì Angelicus Miniſter optimè poteſt articulatim per tubam loqui. His præſuppoſitis, aggredior explicare cætera.

118 I. igitur dicimus vocem illam fore materialem, ſenſibilem, corpoream; nam ſignum debet eſſe correſpondens ſignato; ſed illa vox erit ſignum adventus Domini ſenſibilis: ergo. Deinde figura, & figuratum, quantum fieri poteſt, ſervare debent æqualitatem. Quæ accidebant, & præſcripta fuerunt in lege veteri in figuram novæ legis conſummatæ per Judicium univerſale deſtinabantur; inter alia verò ad hoc ordinata mandavit Deus *Num.* 10. duas tubas fieri, & tubis clangebant ad concilium, ad feſta, ad pugnam, & ad commotionem caſtrorum, quæ omnia in Judicio occurrunt: erit ibi concilium, quia fiet Sanctorum congregatio ad videndas omnium cauſas: erit pugna contra Malos, dicente Scriptura: *Pugnabit orbis terrarum contra inſenſatos*: & Zachar. 14. v. 14. dicitur: *Sed & Judas pugnabit adverſùs Jeruſalem*: erit commotio caſtrorum, quia Juſti ad Sanctorum vitam transferrentur Zachar. 2. v. 11. *Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in illa die*: erit magna ſolemnitas, cùm feſtum æternitatis incipiet: & hæc omnia fient inter homines corporeos: ergo ſicut vox tubæ ſignantis erat ſenſibilis, ita erit & figurata. Præterea reſurrectio Lazari, ſicut èt aliorum fuit ſpecialiter facta a Chriſto, ùt præambula figura univerſalis reſurrectionis; ſed in omnibus Chriſtus voce ſenſibili uſus eſt Joan. 11. v. 43. *Lazare veni foras*: Luc. 7. v. 14. *Adoleſcens tibi dico ſurge*: Marci 5. v. 41. *Puella tibi dico ſurge*: ergo etiam in univerſali Judicio erit ſenſibilis: inſuper in Scriptura primus, & ſecundus Domini adventus æqualiter pronuntiatur; ſed vox primum præcedens adventum fuit ſenſu percepta: *Ego vox clamantis in deſerto, parate viam Domini*: ergo. Demùm vox illa debet eſſe effectui, ad quem ordinatur, proportionata; ſed effectus erit materialis, excitatio videlicet mortuorum: ergo vox erit materialis; ſicut materialis fuit vox, qua Chriſtus in ſua paſſione proſtravit inimicos. Tandem inſtrumentum aſſumi debet accomodatum fini præintento; ſed vox illa aſſumitur ùt inſtrumentum ad exprimendam Chriſti voluntatem, & Judicis imperium: ad hæc autem maximè eſt accomodata ſenſibilis vox. Addo èt hoc: verba Scripturæ ſemper intelligenda ſunt in ſenſu literali, ubi nullum requiritur abſurdum; ſed hic nullum requiritur abſurdum, ùt videbimus, & alios verba Scripturæ materialem vocem ſignificant: ergo. *Min. patet* Joan. 5. v. 28. *Qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei*: Matth. 24. v. 31. *Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna*: 1. Corinth. 15. v. 52. *In noviſſima tuba: Canet enim tuba*: 1. ad Theſſal. 4. v. 15. *In voce Archangeli, & in tuba Dei*: hoc quoque pro-

Vox tubæ in Judicio erit materialis.

probat *D. Gregorius* 17. Moral. cap. 21. ex illo Job: *Quis poterit magnitudinem tonitruum illius intueri*: & ex illo Sophoniæ 1. v. 17. *Dies tubæ, & clangoris*: & *S. Hieronymus* Epiſt. 61. ad Pamachium — Audient auri- „ bus, & procedent pedibus — procedent pedibus utique materialibus: ergo pariter audient vocem materialem: videatur *D. Thomas* locis ſupracitatis Scripturæ, ex quo pleraque ſumpſimus.

119 DICES: Vox iſta ex *D. Gregorio* nihil aliud eſt, quàm mundo demonſtrare Filium Dei ùt Judicem; ſed hoc non eſt niſi aliquod mentale Chriſti imperium: ergo non eſt vox ſenſibilis, ſed ſpiritualis.

Vox tubæ nõ erit Christi Imperium.

Hac ducti auctoritate quidam autumant vocem mentale Chriſti imperium eſſe, tubam ipſum Chriſtum, quatenus corporaliter ſe facit præſentem univerſo orbi. Verùm ſi hæc ad metaphoram trahuntur, cur non èt Angeli? Certè in prælibato Apoſtoli textu omnia diſtinguuntur: *Ipſe Dominus in juſſu*: ecce imperium; *& in voce Archangeli*: en vox, & Archangelus; *& in tuba Dei deſcendet de cœlo*; ſi in tuba deſcendet, ideſt cum ſonitu, ipſe Chriſtus non eſt tuba. Deinde Scriptura innuit effectum vocis illius, ideſt à mortuis excitationem; inſuper priùs dabitur ſonus tubæ, quàm adventus Chriſti: Matth. 24. v. 30. *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus*: ergo priùs fuerunt excitati; prius congregabuntur homines; deinde Chriſtus apparebit ibidem v. 31. *Mittet Angelos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos a quatuor ventis*: & Paulus dicit: *Mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi*, & ſimul ibimus in aera obviam Chriſto; antequam ergo fiant Chriſto præſentes, reſurrexiſſe intelliguntur: ergo Chriſti præſentiæ non erit tubæ. Nec me auctoritas *Gregorii* movet; quia cùm dicit, eam vocem nihil aliud fore, quàm Chriſti præſentiam, appellat ſupra formale, quod erit in illa voce, nempe Chriſti imperium. Vulgariter vocem Præconis edictum aliquod promulgantem, edictum vocamus; nam interroganti, quid eſt eſſe ſonus tubæ, communiter reſpondetur, edictum Regis.

120 INSTABIS: Tuba debet accipi metaphoricè; quia Angeli non canunt tuba materiali: ergo etiam vox accipienda eſt metaphoricè.

Tuba efformabitur ex aere.

RESP. *negando anteced.* cujus probatio futilis eſt. Angeli in nativitate Domini, tantum ediderunt corporeis Paſtorum auribus acceptum, & in reſurrectione Chriſti materialem excitaverunt terræmotum: cur non igitur ex aere ſibi materialem tubam efformant, cùm & aereis corporibus induti ſuo fungentur miniſterio?

121 REPLICABIS. Auditio, quæ correſpondet voci, non eſt materialis; quia mortui non audiunt vocem materialem: ergo nec tubæ, nec vox materialiter ſunt accipiendæ.

Vocem Dei audire eſt illi obedire.

RESP. primò *negando conſeq.* Verba abſolutionis ſacramentalis ſunt materialia; effectus tamen eſt ſpiritualis videlicet conſcientiæ emundatio. Verbis enim materialibus Chriſti virtus profertur: ergo cùm per illam vocem deferenda ſit virtus Chriſti a mortuis excitativa, non eſt neceſſe, ut auditio ſit materialis: ſufficit ſpiritualis, quod eſt obedire, ſicuti cætera inſenſibilia dicuntur Deo auſcultare: Matth. 8. v. 27. *Quis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei*: Job 38. v. 11. *Uſque huc venies, & non procedes amplius*: Pſal. 148. v. 8. *Ignis grando nix glacies, quæ faciunt verbum ejus*. Dico *ſecundò* vocem illam fore complexam ex illis verbis, quæ communiter apud Sanctos Patres perhibentur, licèt ſub diverſis formulis: *Surgite mortui, venite ad Judicium*. Quamvis totam non ſint audituri ſententiam, aliquam tamen audient partem; quia reſurrectio erit inſtantanea: vox autem illa erit ſucceſſiva, ac pars aliqua durabit poſt momentum reſurrectionis. Quòdſi dicas eam vocem eſſe cauſam phyſicam reſurrectionis, quatenus eam ſignificat adinſtar verborum ſacramentalium; ſed vim continet in prima parte *ſurgite mortui*, adeoque illam debent audire; & inſuper verba ſacramentalia non faciunt effectum, niſi integra propoſitione completa. RESPONDEO, probandum eſſe ab Adverſariis vim effectivam ejus vocis, quam ponit Scriptura, alligatam eſſe legibus Sacramentorum, quæ ſeptem tantummodo nobis ab Eccleſia proponuntur. Deindè dico intranſitivè mortuos audituros primam partem propoſitionis, quod experimentali exemplo explicatur. Accidit non rarò, ut ſemiſopiti audiant voces, per quas excitantur, & eas percipiunt; ſed improportio in cadaveribus ad vim divinæ virtutis longè minor eſt, quàm in quolibet dormiente ad validiſſimam quamque humanam vocem: ergo poterit intranſitivè excitare, ut audiant, & audiendo excitentur, & audientes expergiſcant.

Aliter mortui audiunt vocem Dei.

122 SUBSUMES. Vox ſenſibilis, quantumvis ſonora non erit audibilis per totum Orbem: ergo debet eſſe ſpiritualis.

CONTRA. Quoſdam hæc inſtantia compulit admittere multiplices Angelos quàquà edentes ſonum tubæ, totidem ſcilicet, quot ſunt Provinciarum Cuſtodes. Aſt non videtur hoc Scripturæ conſonum, quæ ſemper in ſingulari ponit tubam: 1. Corinth. 15. v. 52. *In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba*: quæ verba præclarè indicant unitatem tubæ: 1. ad Theſſal. 4. v. 15. *In voce Archangeli, in tuba Dei*: Matth. 24. v. 31. *Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus*. Ubi animadvertendus eſt loquendi modus; non enim dixit cum tubis, nec vocibus magnis, aut cum tuba ſua; tunc enim ſinguli Angelorum viderentur tubam habituri; *ſed cum tuba*, ideſt ſub uno Archangelo tuba canente: quo itidem modo plures proceres in exercitu ſub una tuba, unoque vexillo properant ad exequenda Regis mandata. Deinde in Apocalypſi ſeptem enunciantur Angeli cum tubis; at non iis unà ſimul utuntur, ſed diverſis temporibus, & ad diverſos effectus. Septimus tantùm reſervatur pro Judicii die Apoc. c. 11. verſ. 15. *Et ſeptimus Angelus tuba cecinit: & factæ ſunt voces magnæ in Cœlo dicentes: factum eſt Regnum*

Unâ tantùm tubâ excitabuntur mortui.

gnum

guum hujus Mundi, Domini noſtri & Chriſti ejus, & regnabit in ſecula ſeculorum: amen: & fruſtrà multiplicarentur, dum unas ſafficit ad enunciandum Chriſti imperium mortuis omnibus. Nam virtus divina, quæ vim ſuggeret, æquè eſt efficax in una tuba, ac in pluribus. Unam tantùm futuram docent *S. Jo. Chryſoſtomus* hom. 5. in primam ad Theſſal., *Œcumenius* in primam ad Corinth. 15., aliique Patres.

Vox, & articulatio erit naturalis.

123 Secundò inquirimus, an ea vox futura ſit naturaliter; atque ajo ipſam vocem, & articulationem fore naturalem, miniſterio Angelorum, qui abſque dubio veras, & magnas voces colliſione aeris valent efformare. Quoties autem Deus cauſæ cujuſquam ſecundæ miniſterium aſſumit, vult, ut ipſa agat, quantum naturaliter poteſt, maximè ubi fuerint naturales cauſæ: deinde ſupplet ipſe, quod deficit. Et quia vox angelica vi naturali nequit ad omnes mortuos pertingere, eoſque ad vitam revocare, ideò ſupernaturali virtute ad hos, alioſque effectus elevabitur; & hinc explicatur concurſus Angelorum, & tubæ quoad vocem, & ſonum. Jam modo explicem oportet miniſterium, & eorumdem concurſus circa modum congregandi mortuorum cadavera, cùm dicat Scriptura: *Et congregabunt Electos*.

Angeli congregabunt cineres.

124 In reſurrectione quoad ſubſtantiam tria ſunt. Sufficientia cinerum congregatorum pro quolibet corpore, organizatio eorumdem, vivificatio per unionem ad animam. Dumtaxat ad primum concurrunt Angeli tanquam adminiſtri: hi congregabunt cineres Defunctorum diſperſos in ea ſufficienti quantitate ad formandam organizationem identicè numericam cujuslibet hominis. Huic doctrinæ calculum adponunt Sancti Patres communiter, utpote Scripturis conformi: dicitur enim Matth. 24. v. 31. *Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus à quatuor ventis*. Angelorum miſſio tendit ad congregandos Electos, cùm nequeat intelligi de congregatione quoad vitæ officium, extendi debet ad illud, quod poteſt naturalis virtus Angelorum; ſed hæc solùm poteſt id, quod ſpectat ad motum localem, ſicuti eſt congregatio cinerum. Hos igitur congregabunt Angeli; & quod ſæpè diximus, evitanda eſt, quantum fieri poteſt, miraculorum pluralitas. Solet enim Deus per opera creaturarum perficere quidquid earundem virtus poteſt eniti. D. Auguſtinus *lib. 3. de Trinit. c. 4.* aſſerit corpora inferiora dirigi, moveri per ſuperiora, & hæc per Angelos; unde in corporalibus omnia fiunt per miniſterium Angelorum, quòdſi locum habet in mortuorum reſurrectione, nihil aliud aptius apparet, quàm cinerum congregatio.

Pluralitas miraculorum evitanda.

125 Ubi autem ſint proprii ſingulorum cineres, noſcunt ſcientia naturali, quà penitùs orbem terræ omnem penetrant; cognoſcunt enim quamque transmutationem unius in aliud, & perſpicuè callent ſcientiam earum partium, quæ ad integritatem unius pertinent, & non alterius. Quod faciliùs intelligitur, ſi hæc collectio ſit facienda ab Angelo cuſtode cujuslibet, vel ſaltem a Tutelaribus Provinciarum. Cætera v. g. quid ſit faciendum, quando materia ex æquo fuit ſub duobus: quantum ſit addendum iis, qui in minori ætate mortem oppetiere: quid detrahendam iis, quibus excrevit quantitas, a divina voluntate normam accipient; ſicuti in iis omnibus, quæ neutiquam attingit naturalis eorundem virtus.

A quo Angelo ſit facienda cinerum collectio.

126 Num autem Angeli boni ſint cineres collecturi malorum hominum, an verò Dæmones mali res in obſcuro eſt. Probabilius id etiam præſtandum videtur per bonos Angelos; tum quia miniſtri collecturi cineres ſecundùm Scripturam procedent ſub una Archangeli tuba, ſub qua nequeunt pergere Angeli boni ſimul, & mali: quod patet ea verbis Matth. mox allatis *Mittet Angelos ſuos cum tuba*: & prima ad Theſſal. *In voce Archangeli, & tuba Dei*: ubi Chryſoſtomus *hom. 8. habet* — Archangelum ergo „ arbitror eſſe eum, qui præeſt, & hoc „ clamat iis, qui miſſi ſunt, facite, ut „ ſint omnes parati — Tum quia Patres mittendos arbitrantur cuſtodes Angelos, aut ſaltem Provinciales. Tum etiam quia collectio cinerum eſt præambula præparatio ad maximum miraculum, in qua diſponenda opus eſt divinorum ſecretorum revelatione circa additionem, diminutionem, diſtributionem materiæ. Ægrè autem capit fides, a Deo Dæmonibus tantum honoris impertiendum. Quare ſicut reſurrectio eſt opus ſpeciale Dei, ita ſuos adhibebit Miniſtros, teſte Scriptura: *Mittet Angelos ſuos*.

Probabilius eſt, quòd Angeli boni colligent malorũ hominum cineres.

127 QUÆRES demùm, an omnium cineres cogendi ſint in unum determinatum locum, ubi ad vitam ſimul a Domino revocentur?

Quidam fore opinantur, ut Angeli ſingulorum hominum cinerea deportent ad vallem Joſaphat, inibi a Domino vitæ reſtituendos. Verùm magis conſentanea Scripturis eſt opinio, haud colligendos eſſe omnes ad locum unum determinatum; ſed per totam Mundum factum iri collectionem, reſurrectionemque. Quod oſtenditur illo Ezech. 37. v. 12. *Aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris Populus meus*. Ecce qualiter facienda eſt reſurrectio in ſepulchris; atqui mortuorum tumuli per totum orbem ſunt diſperſi: ergo. Huic conſonat illud Joan. 5. v. 28. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent*. In monumentis audient vocem; adeoque ibi excitabantur.

Non in Valle Joſaphat ſiet reſurrectio.

128 OSTENDITUR II. Matth. 24. habetur: *Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt Electos à quatuor ventis à ſummis cælorum, uſque ad exitum eorum*; textus iſte omnimodam indicat univerſalitatem; quia enim in ubique terrarum jacent ſepulchra, alii in ſummis montium, alii in profundis vallium: ideo ad omnia loca exprimenda adhibetur phraſis, *à quatuor ventis, à ſummis cælorum, uſque ad exitum eorum*.

129 OSTENDITUR III. Multiplicanda non ſunt abſque neceſſitate miracula: at, ſi cineres omnes dicamus congregandos in unum, non evitatur miraculorum pluralitas; admittenda

mittenda enim erit penetratio tumultuaria corporum; nam quamvis fingatur ampliſſimus ille ſitus, non capiet tamen omnium reſurgentium corpora cum dimenſionibus ſuis; proindeque totus erit Mundus pro reſurrectione aſſignandus, & quidem campo illi *Ezechielis* ſimillimo, quem aridis cumulatum oſſibus pangunt Sacræ Literæ.

In Campo Ezechielis figuratur totus Mundus.

130 DICES: Joelis 3. v. 2. habetur: *Congregabo omnes gentes, & educam eas in vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis.* Vallis Joſaphat eſt locus deſignatus: igitur in deſignatum locum Angeli collectos cineres aſportabunt, ibique in oſſa, & nervos diſtinguentur, & animabuntur.

RESP. Negant non pauci verbum illud *vallis Joſaphat* cognomentum eſſe loci cujuſquam determinati, ſed appellationem eſſe a futuro Judicio derivatam, ſenſumque identicum eſſe *vallis Joſaphat, & vallis Judicii*. Joſaphat Judicium Domini ſignificat. Litera Chaldæa habet *In vallem diviſionis Judicii*. Aliis cum *Anſelmo* in Elucidario pro Vallis Joſaphat videtur ſuperficies terræ, vallis utique comparata cœlorum ſummitati: veruntamen eſto vallis aliqua determinata: non inquit Propheta inibi revocandos ad vitam Defunctos, ſed judicandos: cujus rectum infrà exponam ſenſum.

Vallis Joſaphat Vallis Judicii.

131 INSTABIS. Reſurrectio erit ad imitationem Chriſti redivivi; ſed Chriſtus revixit circa hanc vallem, ubi pariter B. Virgo fuit è tumulo excitata: ergo èt alii.

CONTRA: Chriſtus, & ejus Mater ibi haud procul ſepulti ſunt; ideo ibidem reſurrexerunt: ergo ibi fiet reſurrectio, ubi fuerit cujuſque ſepultura. Itidem corpora illorum, qui cum Chriſto reſurrexere, è ſepulchris ſuis exiſſe deſcribuntur.

132 INSTABIS iterùm. Multorum cineres ſunt diſperſi in extremis terræ finibus, certè in unum determinatum locum colligi debent; non eſt autem aptior locus, quàm vallis Joſaphat, in qua debent judicari, & ſi iſti, cur non omnes, cùm tandem debeant illuc convolare?

RESP. Regulariter loquendo pulveres non ſunt adeo æqualiter diſperſi, ut in uno quoquam loco non ſit major eorum quantitas, & tunc in eo loco fiet reſurrectio aliis cineribus adductis. Quòdſi ſupponatur tanta æqualitas diſperſionis, tunc aſſignandus erit aliquis locus, & convenienter fortaſſe illa Vallis; ſed non eſt inde deducenda generalis illatio. Suis autem pedibus mira agilitate illuc ad Judicium properabunt. Aberrant, qui opinantur ibi homines reſurrecturos, ubi mortui ſunt: ita ut in aere ſint excitandi, qui in patibulo periere, cùm non omnes ibi mortui, ibi fuerint ſepulti.

Suis pedibus ad Judicium pergunt.

133 Quòd autem Judicium ſit habendum in Valle Joſaphat, ſatis certum videtur; dummodo pro ea Valle intelligantur loca etiam finitima, & montium circumvallatio: & hoc duplici ratione. Primùm ubi literalis, & hiſtoricus Scripturæ ſenſus retineri poteſt abſque abſurdo, retinendus eſt; atqui ſenſus literalis, & hiſtoricus

Probabile eſt, quòd Judicium fiet in Valle Joſaphat.

A laudati textus *Joelis* ſtat pro Valle determinata Joſaphat: ergo cùm non appareat ullum inconveniens, ita ſentiendum: eò vel maximè quòd ibidem verſ. 16. *Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam*, quod eſſe non poteſt, ſi extra vallem Joſaphat, ejuſque viciniarum Judicium ſit futurum. Congruit quoque illud Act. 1. v. 11. *Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in Cœlum, ſic veniet*. Altera ratio deducitur ex Pſal. 73. v. 12. *In medio terræ operatus eſt ſalutem*, nempe in circuitu Jeruſalem; unde ſic arguo. Eſt rationi conforme, ut opus redemptionis compleatur quoad præmii, & pœnæ diſtributionem, B ubi conſummatum eſt quoad oblationem pretii, & Chriſti exaltationem; atqui hoc factum eſt in hac Valle, ejuſque viciniis; nam ibi paſſionem ſuam incœpit, cùm tranſierit Cedron fluentem per ipſam Vallem: in Monte Calvariæ mortuus eſt, & in Monte Oliveti ad Cœlum aſcendit. Porrò duo iſti Montes Vallem obambiunt. Ne autem putes Chriſtum ad illam Vallem deſcenſurum. Sedem Majeſtatis ſuæ extollet in aere circa Vallem, & in eodem loco ſtabunt, ſecundùm Apoſtolum, Electi: Mali verò deorſum in ipſa Valle ſuper terram ita diſtributi, ut illi ad dexteram C dicantur, iſti ad ſiniſtram, ut quantum fieri poteſt, in ſenſu literali Scripturæ impleantur.

CONTROVERSIA VI.

AN OMNIUM RESURRECTIO SIT SIMUL; SEU EODEM TEMPORE FUTURA.

134 SUb terminis hiſce generalibus præſentem propono Controverſiam, ut cunctas opiniones complectar, quæ circa tempus reſurrectionis circumferuntur. D Veruntamen ex profeſſo erroneas inſectabor: ſummis cæteræ labiis ad eruditionem delibentur. Somniarunt *Chiliaſtæ* Juſtos mille annis ante diem Judicii reſurrecturos, totumque id temporis ſpatium cum Chriſto in omni voluptatum, ac deliciarum genere volutandos. Errorem hunc tutatus eſt *Cherintus*, quod dixi in hoc Tract. Part. I. Controv. IV. Quamobrem ſolus remanet confutandus idem error, prout dividit reſurrectionem bonorum a malis, & a die Judicii.

135 Alius error deſignat determinatum reſurrectionis tempus, initium videlicet ſeptimi E Millenarii: ſic Lactantius *lib. 7. Divin. Inſtit. cap. 14., & 24.*, additque apud Gentiles ſententiam fuiſſe pervulgatam, pluraque hac de re ab Sibillis tradita. Eandem multis adminiculis ſuffultam tradidit *Rabbi Elias* apud *Genebrardum* in capite ſuæ Cronologiæ, & in *Talmud* in lib. *Sanedrin*. *Germanus* verò Conſtantinopolitanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum poſt medium alios addit quingentos annos. Auguſtinus *lib. 18. de Civit. Dei* refert eos, qui ſtatuunt ab aſcenſione Domini ad reſurrectionem quadrigentos, vel quingentos, vel mille annos,

Error deſignans tempus reſurrectionis.

quos ipſo rerum eventu redarguit enormiſſimæ falſitatis. Rursùs quidam divinare conati ſunt menſem Martium, ſeu Aprilem; alii diem, & Dominicum, & quidam determinatè Paſchalem: alii horam ipſam auroræ, & quidam punctum mediæ noctis. Variant etiam circa reſurrectionis ordinem: alii intendunt ſimul omnes ſimultate morali ſurrecturos eàdem Judicii die, ſed temporis adſtruunt prioritatem, quatenus aliqui priùs vitam recipient, alii poſteriùs; quidem autumant priùs bonos, quàm malos: alii priùs eos, qui ad Vetus Teſtamentum ſpectant, deinde qui ad Novum: alii priùs, qui adinvenientur jam mortui: deinde qui tunc morientur. Contra hæc omnia.

Cœlum non alterabitur niſi Judicii Dei.

136 DICO. *Reſurrectio mortuorum erit futura ſimul die Judicii omnino incerti; & quidem ſimultate temporis.* PROB. concluſio quoad omnes partes, quoad primam ſit I. Univerſaliter de hominibus Defunctis dicitur Job 14. v. 11. *Homo, cùm dormierit, non reſurget, donec atteratur cœlum.* Sed cœlum non alterabitur, alteratione accidentali, per ceſſationem ſcilicet influxus in ſublunaria, niſi die Judicii; ut cautum eſt per Scripturas: ergo homines non reſurgunt niſi Judicii die.

137 II. Non eſt mortuorum fingenda reſurrectio mille annis ante Judicium, ſi Chriſti teſtimonio cum Judicii die conjungatur; ſed ita conjungitur, ùt patet Math. 24. ubi deſcripto Domini adventu ad judicandum, & ſignis immediatè præviis v. 29. dicit: *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur*, & ſubnectitur reſurrectio v. 31. *Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum*: ergo non reſurgent mille annis ante Judicium.

Reſurrectio conjungitur cum Judicio.

138 III. Pro Judicii die intelligitur dies omnino ultima, & conſummativa ſeculi; ſed mortuorum etiam Electorum reſurrectio futura eſt ultima ſeculi die: ergo Judicii die. *Oſtenditur minor* Joan. 6. v. 39. *Hæc eſt voluntas ejus, qui miſit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die. Hæc eſt .... ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & reſuſcitabo eum in noviſſimo die .... Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me traxerit eum: & ego reſuſcitabo eum in noviſſima die ... Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſima die.* In omnibus hiſce propoſitionibus loquitur Chriſtus de Electorum reſurrectione: atqui noviſſimus dies eſt ultimus ſeculi, & Judicii, ùt habetur ex eodem Apoſtolo cap. 12. v. 48. *Sermo, quem locutus ſum, ille judicabit in noviſſimo die*; terminus iſte, *noviſſimum* in ſacris Scripturis ultimum ſignificat: Proverb. 31. v. 25. ultima dies vitæ, quæ eſt dies mortis, noviſſima appellatur, *& ridebit in die noviſſimo*. Ultima dies feſtivitatis noviſſima dicitur Joan. 7. v. 37. *In noviſſimo autem die magno feſtivitatis.* Ultimus menſæ locus vocatur noviſſimus: *recumbe in noviſſimo loco*. Ultima apparitio Chriſti reſurgentis, quæ Paulo facta eſt, hoc termino exprimitur. Porrò noviſſimus dies, aut noviſſimum tempus abſolutè dies Judicii dicitur.

Dies noviſſimus eſt dies Judicii.

139 IV. Chriſtus aſcendens in cœlum permanenter, ubi erit uſque ad reſurrectionem, juxta illud Act. 3. v. 21. *Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium*: & illud Pſal. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*; quod, teſte Apoſtolo, tunc erit, cùm noviſſimè inimica mors ſubigetur media univerſali reſurrectione 1. *Corinth.* 15. Sed hoc eſſet falſum, ſi mille annis regnaturus in terris excitaret Electos à morte: ergo.

140 V. Electi reſurrecturi ſunt ſimul cum Malis; ſed per *Chiliaſtas* Mali reſurgent die Judicii: ergo etiam Boni. *Oſtenditur clarè major*: Daniel 12. v. 2. *Evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium*: Joan. 5. v. 28. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala, in reſurrectionem judicii*: 1. ad Corinth. 15. verſ. 52. *In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba: ... & mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur.* Viden' quomodo boni ſimul, ac mali reſurgent, licèt ſub diverſa conditione? Ubi pariter adverte cum electorum reſurrectione conjungi conſecutionem æternæ vitæ, ut inde intelligas Chriſtum haud in alio Regno futurum cum electis, quàm in cœleſti; quod luculenter expreſſit Paulus, *Simul rapiemur cum Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus*, in æterna videlicet felicitate.

Electi reſurgent ſimul cū reprobis.

141 His additur ratio congruentiæ. Sanctorum Corpora excitanda ſunt ad conformitatem Corporis Chriſti reſurgentis, ut antecedenti Controverſia vidimus, hoc eſt ad ſtatum immortalitatis; atqui ſtatui immortalitatis generatio, & corruptio non convenit: ergo æquitas poſtulat, ut differatur reſurrectio uſquequo in hiſce inferioribus ceſſet generatio, & corruptio, quod non fiet niſi die Judicii: ergo uſque ad illud tempus Juſtorum reſurrectio differetur.

142 *Altera propoſitionis pars probatur*. Non poteſt cognoſci reſurrectionis tempus, dies ſcilicet Judicii, ſi Deus ita ſibi notum reſervavit, ut nulli velit eſſe cognitum; ſed hoc modo eſſe abſconditum evidentibus Spiritus Sancti locutionibus conſtat: ergo. Ad minoris explicationem pluribus omiſſis ſequentia ſubdo: Malach. 3. v. 1., 2. *Ecce venit, dicit Dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem adventus ejus?* Quod de ſecundo plerique Patres intelligunt: Zach. 14. v. 7. *Et erit dies una, quæ nota eſt Domino, non dies, neque nox: & in tempore veſperi erit lux.* Ecce qualiter nota eſt dies ultima Domino, & non aliis: Luc. cap. 17. Phariſæis percunctantibus, quando veniet Regnum Dei, reſpondit incertum eſſe, & futurum, quando non cogitamus v. 24. *Nam, ſicut fulgur coruſcans de ſub cœlo in ea, quæ ſub cœlo ſunt, fulget; ita erit Filius hominis in die ſua*; &

Tempus reſurrectionis incognitam.

cap.

cap. 21. v. 34. *Attendite, ne fortè graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & ſuperveniat in vos repentina dies:* Marc. 13. v. 32. *De die autem illa, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, niſi Pater,* ideſt neminem certiorem facit, ut patet ex ſequenti verſiculo: *Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim quando tempus ſit.* V. 35. *Vigilate ergo, (neſcitis enim quando Dominus Domus veniat: ſerò, an media nocte, an galli cantu, an manè.)* Idem Matth. 24. ubi exemplo furis hoc myſterium depingit; furis enim adventus omnino ignoratur: 1. ad Theſſal. 5. v. 1. *De temporibus autem, & momentis, Fratres, non indigetis, ut ſcribamus vobis. Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet:* Act. 1. quærentibus Apoſtolis tempus reſtituendi Regnum Iſrael, reſpondit Dominus v. 7. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Qua auctoritate refellitur quæque computatio, & definitio temporis humano ingenio excogitata. Sic Auguſtinus *lib. 18. de Civit. Dei cap. 53.* — Omnium verò de „ hac re calculantium digitos reſolvit, & „ quieſcere jubet ille, qui dixit: Non eſt „ veſtrum ſcire tempora, quæ Pater in ſua „ poſuit poteſtate —

143 *Tertia pars tanquam conformior Scripturis probatur:* Jo: 5., ut eximat Chriſtus Judæis admirationem ejus, quod dixerat, ſe habere virtutem excitandi mortuos adjecit: *Nolite mirari, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent* &c. ſcilicet nolite mirari, qui unâ horâ, hoc eſt eodem tempore una voce inſonante malos, & bonos vitæ reſtituam; & ad Corinth 15. v. 52. *In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba; canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Boni igitur, & mali eodem redivivi momento conſiſtent. Nil ſanè repugnat ex parte Dei, qui cum poſſit innumeros Angelos creare uno momento, poteſt itidem a mortuis homines quoſcumque revocare. Utique ſimul omnes boni, & mali eodem tempore ſtabunt ad Tribunal Chriſti. Cur non etiam emergent ſimul è pulveribus? Cur multiplicentur actiones, ubi totum haberi unica operatione poteſt? Ad ſonum tubæ fiet reſurrectio — Idem videtur di- „ cendum de ſono illo, ac de formis Sa- „ cramentorum, ſcilicet quod in ultimo in- „ ſtanti ſonus effectum ſuum habebit — ait D. Thomas *ſupplem. quæſt. 77. art. 4. ad 3.*, excludit è reſurgentibus prioritatem temporis. Collectio cinerum, Angelorum miniſterio per motum localem facienda erit aliqua temporis duratione, licèt breviſſima. Poſita verò omnium cinerum collectione, in ictu oculi efformabitur organizatio, & vivificatio, ſervato inter has actiones ordine naturæ, & prioritate cauſalitatis, non temporis; ad quod alludit *Ezech. 23.*, priùs deſcribens oſſa arida, deinde ſtantia ſuper nervos, ſpiritu poſtea vivificari. Id fieri quaſi ſucceſſivè declaramus, ut captu facilior ſit veritas reſurrectionis: ſicuti ab hiſce loquendi formulis alia exprimimus, quamplurima, quæ ſimul tempore ſunt. Cæterùm cum reſurrectio ſit exequenda divina virtute, quæ infinita eſt, ſub una durationis realitate continetur. Haud enim activitas, & potentia Dei menſuranda eſt ad regulas cauſarum, quæ ex ſua limitatione ad certos modos agendi coarctantur. Qua animadverſione pleræque enodantur difficultates, quæ Scholaſticos torquent circa organizationem ex Philoſophiæ principiis explicandæ; eaſque propterea miſſas faciens gradum facio ad argumenta, queis prædictæ concluſiones oppugnari ſolent.

Omnes ſimul reſurgent.

Collectio cinerum non erit in inſtanti, bene verò reſurrectio.

ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

144 **B**Aſis, cui *Chiliaſtæ* innituntur, eſt falſa expoſitio textus Apocalypſis 20. Deſcribitur ibi ligatus Satanas mille annis, & poſtea ſolvitur ad modicum tempus: hinc judices conſtituunt SS. Martyres, ſub quibus univerſi continentur Electi, de quibus dicitur v. 5. *Et vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima.* Enarratur deinde perſecutio Antichriſti, Judicium finale, Mortuorum reſurrectio, punitio Impiorum, & concluditur: *Hæc eſt mors ſecunda.* Duplex hinc habetur reſurrectio, duplex mors, diviſio reſurgentium Electorum ab aliis, & eorumdem regnum cum Chriſto.

Fusè hunc textum explicui in hoc *Tract. Part. 1. Controv. IV.* Cæterùm aliquibus tantopere difficilis eſt viſus, ut librum Apocalypſis à numero Canonicorum rejecerint rati à *Cherinto* fuiſſe elaboratum. Verùm enim verò à recto ſenſu exciderunt, dum ſuoptâ ingenio ſcrutantur ineffabilia eloquia Domini, quæ nemo novit, niſi ſpiritus Dei, & cui ipſe voluerit revelare. Apocalypſis tot continet myſteria, quot verba, teſte *Hieronymo.* Non eſt mirum, quòd obſcura videatur. Quantum ad hanc objectionem ſpectat, ſi attentè perpendatur, nihil eſt in ejus explicatione laborandum. Tota oritur difficultas ex variis interpretationibus minimè ſervatâ omnimoda textus conſonantiâ. In eo igitur capite depingitur ſtatus Eccleſiæ à morte Chriſti uſque ad conſummationem ſeculi. Satanas primò ligatus frænum eſt illud, quod Dæmoni injecit Chriſti mors, de qua ipſe dixit: *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras;* primum Judicium eſt examen in morte cujuslibet coram Angelis habendum. Mille anni ſunt totum tempus complendo Electorum numero deſtinatum, de quo cap. 7. dicitur Animabus interfectorum vindictam clamantibus, ùt expectent. Vita eſt ſtatus gratiæ, & regnum eſt ſtatus gloriæ, quam à die obitus, & purgationis animæ Sanctorum conſequuntur; ideoque expreſsè ait: *Et Animas decollatorum:* reſurrectio prima eſt aſſecutio gratiæ, & gloriæ quoad animam: *Cæteri autem non vixerunt,* hoc genere vitæ ſcilicèt gratiæ, & gloriæ, quia mortui ſunt in peccato. Alterum Judicium, quod deſcribitur, eſt ultimum univerſale coram Angelis, & hominibus.

Confutatur error Millenariorum.

nibus. Secunda reſurrectio eſt reparatio ad vitam corporalem, & hæc eſt communis Bonis, Maliſque. Mors ſecunda eſt damnatorum ad gehennam perpetua damnatio animæ, & corporis. In ea partem non habent comprehenſi in prima reſurrectione, quoad animam priùs glorificati: hæc eſt pura, putaque explanatio; ſed videatur citato loco auctoritas *D. Auguſtini*, & tota ibi Controverſia.

145 Ratio *Rabbi Eliæ* aſſignantis tantum millenarium uſque ad diem reſurrectionis coaleſcit ex ſequentibus I. Lex naturæ duravit bis mille annos; lex ſcripta bis mille: ergo lex gratiæ totidem durabit. II. In primo verſu *Geneſis*, quo ſummatim Mundi creatio continetur, ſexies continetur litera, quæ apud Hebræos millenarium ſignificat: ergo mundi duratio exprimitur futura ſex millium annorum. III. Deus ſex diebus mundum creavit, & ſeptimo requievit. Sed apud Deum mille anni ſunt ſicut dies externa, quæ præteriit: ergo indicatur ſtatus mundi duraturus per ſex millenarias, & ſeptimo erit reſurrectio. IV. Sex primi Patriarchæ poſt longum vitæ ſpatium recitantur mortui, & ſeptimus non ponitur mortuus, ſed translatus in Paradiſum, Sanctus videlicet *Henoch*: ergo ſeptimo millenario finietur orbis.

Lex naturæ ordinatur ad legē gratiæ.

Sed enim hujuſmodi conjecturæ ſunt adeo futiles, ac diſparatæ, ut incaſſum concutiant ſoliditatem divini oraculi. Immo prima infert oppoſitum; lex enim naturæ, & lex ſcripta præmiſſæ fuerunt ad legem gratiæ velut excellentiorem, & ad finem aliarum, adeoque longiùs videtur duratura. Et cùm in ea plures ſint ſalvandi, fore videtur, ut diutiùs ſubſiſtat paulatim complendo ſalvandorum numero. Altera inſtantia omnino eſt enervis. Etiamſi ea litera millenarium numerum importet, nulla eſt ratio arguendi millenarium eſſe dierum, annorum, vel potiùs hebdomadarum, vel Jubilæorum; cùm apud Hebræos omnes reperire ſit hujuſmodi calculos numerales. Tertia itidem eſt incerta, tum quia non eſt conſtans Patrum doctrina, an realiter ſex dies inſumpſerit Deus in mundi creatione, an omnia ſimul facta ſint, & dierum diſtinctio dicatur reſpectu ad diſcrimen operum, quæ Deus fecit, primariorum; tum quia ſex illi dies fortè ſignificant ſex Mundi Ætates, vel Secula, vel Jubilæa. Nec Pſalmus ille nos movet à ſententia; æque enim coram Deo ſe habent mille anni, ac dies externa, quæ præteriit, ac mille ſecula; nam omne tempus comparativè ad æternitatem nihil eſt, & omne mutabile reſpectu ad divinam immutabilitatem, ſicut omne creatum coram Deo ente infinito ab Iſaja pro nihilo habetur, & nihil eſſe dicitur. Quarta eſt omnino ad tuendum poſitum excogitata, quæ ſi valeret, Mundus ſolummodo eſſet duraturus, quantum ii ſex primævi Patriarchæ vixerunt. Deinde cum iidem inæqualiter duraverint, cur deducitur æqualitas ſex mille annorum? Et cum *Henoch* ante translationem ſupra trecentos annos fuerit inter vivos, qui poſſit inferri finis Mundi in principio ſeptimi millenarii? Item ſi *Henoch* reliquit poſt ſe progeniem in ævum omne duraturam, inſulſum eſt ex ejus translatione arguere Mundi interitum. Si diluvium aquæ, ſymbolo fuit diluvii flammarum, quo Mundus conflagrabit, cur cæteri poſteriores *Henoch* Patres non ſupputent alia Mundi millenaria? Translatus eſt *Henoch* futurus teſtis ex lege naturæ contra Antichriſtum, ſicut *Elias* ex lege ſcripta?

Non eſt certum, quod Deus ſex diebus Mundum creaverit.

Omne tempus reſpectu æternitatis nihil eſt.

Henoch teſtis legis naturæ contra Antichriſtū, ſicut Elias legis ſcriptæ.

146 Adminicula opinionis diem Dominicum ſtatuentis pro reſurrectione petuntur ex *Leonis* Epiſt. 81. ad Dioſcorum cap. 1., & ex *Auguſtini* ſerm. 154. de reſurrectione: videlicet Mundus die Dominico creatus eſt, & lux univerſum illuſtrans: eodem die Hebræi tranſierunt mare rubrum ſtantibus undis, eodem dedit Deus manna: eidem nonnulli adnectunt Chriſti nativitatem; ponunt enim ejus conceptionem poſt Veſperam die Jovis, Luna Martii incipiente decima quarta, quam incidiſſe in diem Veneris eo anno credunt, ex Hebræorum conſuetudine ſupputantium dies a Solis occaſu. Die eodem baptizatus, a Magis adoratus eſt, aquam in vinum mutavit, pavit quinque panibus multitudinem, à mortuis reſurrexit; Apoſtolis tradidit poteſtatem remittendi peccata, deditque præceptum Evangelizandi; emiſit viſibiliter Spiritum Sanctum die Pentecoſtes: quatuor millia hominum ad Principis Apoſtolorum prædicationem convertit: Joanni in Apocalypſi plura myſteria dictavit; eaque propter dies Dominicus tanquam dies exultationis ab Eccleſia celebratur.

Rationes, quæ probāt reſurrectionem futuram die Dominico.

147 Sententia, quæ Martium aſſignat, vel Aprilem, ducitur ex eo, quòd hiſce menſibus terra hyemalibus brumis ſiccata, herbas gignit, & arbores quaſi intermortuas vivificat; itaque videntur oſſa arida eodem tempore reditura ad vitam. Sanè Mundi finis principio reſpondere debet: ſed Mundus cœpit verno tempore, ùt communior fert opinio: ergo. Licèt deſcribantur arbores ornatæ fructibus humano victui deſtinatis; hoc non eſt ſignum autumni, quo maturescunt; ſed quia cum a Deo immediatè fuerint creatæ, fructibus onuſtæ apparuerunt: perfecta ſunt enim opera Dei.

Quæ probant Martium, aut Aprilem pro reſurrectione.

148 Qui auroram ſtatuunt pro hora reſurrectionis, moventur ex eo, quod Chriſtus diluculò reſurrexerit: Marci 16. v. 9. *Surgens autem manè prima Sabbati apparuit Mariæ Magdalenæ*; ſed reſurrectio noſtra ad Chriſti reſurrectionem exemplari debet: ergo. Quo diſcurſu inferunt etiam auroram diei Paſchatis.

Argumenta probātia auroram pro reſurrectione.

148 Pro media nocte adducunt Parabolam decem Virginum, quæ præſtolantur nocte concubia adventum Sponſi, & illud Luc. 17. v. 34. *In illa nocte erunt duo in lecto uno: unus aſſumetur, alter relinquetur.* Addunt media nocte Ægyptios à Domino percuſſos plagâ magnâ, & ita mediâ nocte percutiet improbos plagâ æternâ. Ambroſius *lib. 8. in Lucam*, & Auguſtinus *lib. 83. q. 57.*

Alia pro media nocte.

Verumenimverò hæ ſimplices conjecturæ nullam inferunt certitudinem, cùm Spiritus Sanctus proteſtetur: *Qua hora non putatis Filius hominis veniet*. Quidni igitur cum noſtro

Omnia ſpectantia ad tēpus reſurrectionis incerta ſunt.

Cyrillo

Cyrillo Hieroſolymitano Catech. 15. dicamus — „ Tempus nemo curioſè inquirat, non eſt „ enim noſtrum ſcire tempora, & momen- „ ta, quæ Deus poſuit in poteſtate ſua. „ Neque audeas determinare ea, quando „ hæc fient, neque rurſus ſupinus jaceas —

149 Auctores tertiæ demùm ſententiæ pro ſe allegant illud ad Hebræos 11. v. 39, & 40. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem: Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis, conſummarentur*. Hinc eruunt electos fore ſeorsùm à reprobis ſuſcitandos. Afferunt & illud 1. ad Corinth. 15. v. 22., & 23. *In Chriſto omnes vivificabuntur: unuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus; deinde hi, qui ſunt Chriſti . . . . Deinde finis*. Ecce inter reſurrectionem bonorum, & malorum prioritas manifeſta. Addunt tandem textum 1. ad Theſſalon. 4. v. 15. *Mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi*. Ratio eſſe poteſt ex parte reſurgentium; quia oſtendere debent promptiorem obedientiam voci Dei. Ex parte judicandorum; quia Juſti ſublime ferentur, ubi Chriſtus: reprobi humi jacebunt: illi igitur hoſce præcurrent. Ex parte Dei, qui promptior eſt retribuendo præmio, quàm pœnæ infligendæ. Certè dignitas Sanctorum exigere videtur aliquod privilegium in cauſalitate reſurrectionis. Non enim congruum videtur commiſceri cum malis, etiam ad modicum tempus.

Sed hæc ſpecioſior, quàm firmior opinio obruitur a communi Doctorum. Locus Scripturæ *ad Hebræos* eſt abs re: probat Sanctos veteris Teſtamenti neque quoad animam ante ſtatum gratiæ, neque quoad animam ſimul, & corpus ante diem Judicii conſecuturos beatitudinem; quia lex vetus non habebat opus perfectum, ex quo ordinabatur ad Chriſtum, qui cœlorum portas recluſit. Secundus textus ſolùm probat ordinem dignitatis, non temporis, nempe quòd quiſque reſurget ſecundùm diſpoſitionem meritorum, ſicut unuſquiſque de ſuo corpore, quod infrà clariùs explicat Apoſtolus dicens: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*. Quòdſi mavis aliquam adſtruere prioritatem temporis, in eo eſt conſtituenda, quòd Chriſtus prior reſurrexerit, id autem nemo negat: deinde univerſali reſurrectione cæteri mortuorum, ſive boni, ſive mali: omnes enim comprehendit ſub mortuis in Chriſto tanquam in parte famoſiori: Juſtos verò frequentiùs commemorat *Paulus*, quia tendebat ad erigendam ſpem fidelium, deinde finis, nempe finale Judicium. Tertius *ad Theſſalonicenſes* ſuperiùs fuit expoſitus; intendit enim oſtendere, tam qui longo tempore præmortui fuiſſent, tam qui brevi, ſimul omnes rapiendos in aera cum Chriſto; etenim ante hujuſmodi raptum expectabitur priorum, & poſteriorum reſurrectio. Quare cùm dicitur, mortui reſurgent primi, idem eſt, ac primùm reſurgent, deinde ibunt obviam, ſemperque fit mentio expreſſa Electorum propter ſpem erigendam Credentium.

Lex vetus non habebat opus perfectum.

Unuſquiſque reſurget ſecundùm diſpoſitionē meritorum.

Quare in reſurrectione frequentius Juſti nominentur.

Aliqui in hoc textu agnoſcunt prioritatem dignitatis, quatenus in primis mortuis comprehenduntur ſpeciales Sanctorum ordines, videlicet Patriarcharum, Apoſtolorum, Martyrum, &c., cùm quo ſtat, quòd aliqui particulares ſub Antichriſti perſecutione futuri ſint excellentioris ſanctitatis, quàm aliqui ex præcedentibus. Sed comparatio non eſt ſingulorum ad ſingulos. Ratio deinde deſumpta ex parte reſurgentium non militat; nam obedientia ad vocem Dei non eſt obedientia virtutis, ſed divinæ potentiæ, quæ æqualiter eſt efficax quoad omnes: quæ ſe tenet ex parte judicandorum, deficit pariter nam ille Electorum aſcenſus in aera fiet celerrimè, nec eſt ullum inconveniens, quòd tantulum conſiſtant Impii expectantes Juſtorum aſcenſum. Quæ allegantur ex parte Dei, nihil evincunt; dies Judicii eſt dies vindictæ; quare ut oſtendatur promptitudo ad miſerendum opportuna non eſt illa præventio. Congruentia quoque ſubinducta nihil concludit. Erunt ſpecialiſſima Electorum privilegia reſurgentium in corporibus glorioſis, quibus mira agilitate in aera volabunt, & hoc volatu illicò ſeparabuntur a reprobis. Hæc ſummatim ſufficiant, cùm in his nihil peculiare ſit contra Hæreticos.

Dies Judicii, dies vindictæ, dies ultionis.

CONTROVERSIA VII.

CONTRA PRODIANITAS, GNOSTICOS, ALBANENSES, ALIOSQUE HÆRETICOS.

AN SIT FUTURUM UNIVERSALE JUDICIUM.

150 UT cumulatior habeatur reſurrectionis doctrina, ac purgatior ab Hæreticorum falſimoniis, perneceſſe eſt de ultimo Judicio agere, in quo explicando ea ex profeſſo tangam, quæ ad Catholicam Fidem pertinent. *Prodianitæ*, ſecundùm Auguſtinum *Proclianitæ*, apud Philaſtrium negant reſurrectionem, & Judicium; item *Manichæi* non credunt reſurrectionem, nec Judicium ſperant, itemque *Borboriani*, quos *Gnoſticos* idem appellat *Auguſtinus*: ideoque vitiis ſe implicant, & prædicant concupiſcentiam. Laudatus Auctor hunc de univerſali Judicio errorem citatis Hæreticis non impingit, ſed ſolummodo *lib. 20. de Civit. Dei cap. 1.* ait ſe velle de Judicio agere contra Impios, & Incredulos. Noſter *Guido* de Hæreſibus aſſerit *Albanenſes* docere univerſale Judicium jam eſſe factum. *Natanael Elianus* libro, cui titulus *Mattanla*, inquit verbum *Judicare* in Symbolo poſitum, non ſumi propriè, ſed translatè, quatenùs idem ſit ac regnare, prout in libris Judicum Reges dicebantur Judices.

Hæretici, qui erraverunt circa univerſale Judicium.

Alios errores circa formam Judicii legere eſt apud Hæreticos: *Lutherani* tenent die Judicii ſecundùm Fidem homines ſolùm eſſe remunerandos, ita expreſſerunt in effigio divini Judicis cuſa Auguſtæ Vindelicorum, teſte *Lindano* Dial. 1. Dubitantii. *Calvinus* blaſphematur nullum eſſe die Judicii damnandum, inquiens, ideo attributam Chriſto

pote-

poteſtatem judicandi, ut conſcientiis ſuorum terrore trepidis conſuleret, cùm omnium ſit Redemptor lib. 2. Inſtit. cap. 16. §. 18. *Franciſcus Piccius* de efficacitate Servatoria tenet Judicium diutiùs duraturum, *Mahometo* ſortè adhærens, qui univerſale Judicium ſomniavit per quingenta annorum millia extenſum. Nos Scripturarum lumine, quid veritas doceat, exponemus.

§. I.

151 DICO. *Futurum eſſe univerſale omnium hominum Judicium*. PROB. 1. aliquibus veteris Teſtamenti Scripturis. Judicium univerſale illud dicimus, in quo Deus judicabit omne genus humanum, bonis præmia diſtribuens, malis ſupplicium; ſed hoc futurum prædicunt Prophetarum oracula: ergo. *Minor oſtenditur* Joelis 3. v. 2. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in Vallem Joſaphat: & diſceptabo cum eis ibi ſuper populo meo, & hereditate mea Iſrael, quos diſperſerunt in nationibus, & terram meam diviſerunt*: iterùmque v. 12. repetit: *Conſurgant, & aſcendant gentes in Vallem Joſaphat: quia ibi ſedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu*, pergit enarrare Judicis ſeveritudinem pro malis, miſerationem pro bonis, ſtellarum, ſolis, cœlique immutationem. Et 2. plura habet de eodem Judicio: Danielis 7. v. 9., & 10. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit: veſtimentum ejus candidum quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda: thronus ejus flammæ ignis: rotæ ejus ignis accenſus. Fluvius igneus, rapiduſque egrediebatur à facie ejus. Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei: Judicium ſedit, & libri aperti ſunt*: Iſajæ 66. v. 15., & 16. *Ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ ejus: reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis: quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino*. Idem cap. 3. v. 13., & cap. 13. v. 9.. Malachiæ 4. v. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*. Sophoniæ 1. v. 14. *Juxta eſt dies Domini magnus, juxta eſt, & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ, & clangoris ſuper Civitates munitas*.

Ex Prophetis probatur Judicium.

152 Evangelicis teſtimoniis *probatur ſecundò*. Hæc refert Auguſtinus *lib. 20. de Civit. cap. 5.* Judicium univerſale illud intelligunt Catholici, quod ad communem hominum reſurrectionem conſequitur; ſed Evangelia hoc Judicium futurum affirmant: ergo. *Matth.* 11. exprobans Chriſtus Civitatibus, in quibus fecerat prodigia, ait: *Veruntamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remiſſius erit in die Judicii, quàm vobis*, & ad Capharnaitas converſus repetit: *Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die Judicii, quàm tibi*: & cap. 12. v. 41. *Viri Ninivitæ ſurgent in Judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quàm Jonas hic. Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic*. Hic Chriſtum agere de Judicio poſt reſurrectionem demonſtrat *Auguſtinus* laudato capite dicens — Duas hoc loco res diſcimus: & „ venturum eſſe Judicium: & cum mortuorum reſurrectione venturum. De Ninivitis enim, & Regina Auſtri, quando „ hæc dicebat, de mortuis ſine dubio loquebatur, quos tamen in die Judicii reſurrecturos eſſe prædixit — Cap. 13. ponitur parabola zizaniorum, quæ permittuntur creſcere ſimul cum tritico uſque ad meſſem: hanc, interrogantibus Diſcipulis, explicat Chriſtus. Audiamus *Auguſtinum* — „ Qui ſeminat, *inquit*, bonum ſemen, eſt „ Filius hominis: ager autem eſt hic Mundus; bonum verò ſemen hi ſunt filii regni: zizania autem ſunt filii nequam: „ Inimicus autem, qui ſeminavit ea, eſt „ Diabolus: meſſis autem conſummatio ſæculi eſt: Meſſores verò Angeli ſunt: ſicut „ igitur colliguntur zizania, & igni comburuntur; ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittet Filius hominis Angelos ſuos, „ & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & „ mittent eos in caminum ignis: ibi erit „ fletus, & ſtridor dentium. Tunc Juſti „ fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris eorum — Et poſt pauca ſubjungit — Hic „ quidem Judicium, vel diem Judicii non „ nominavit; ſed multò eum clarius ipſis „ rebus expreſſit, & in fine ſeculi futurum „ eſſe prædixit — Cap. 19. v. 28. *Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael*. Auguſtinus eodem capite — Hinc diſcimus cum „ ſuis Diſcipulis judicaturum Jeſum — & infrà — Quod autem ait, in regeneratione, „ proculdubio mortuorum reſurrectionem „ nomine voluit regenerationis intelligi: „ ſic enim caro noſtra regenerabitur per „ incorruptionem; quemadmodum anima noſtra eſt regenerata per fidem — Tandem cap. 25. v. 31. *Cùm autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut Paſtor ſegregat oves ab hædis: & ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris. Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi . . . . Tunc dicet, & his, qui à ſiniſtris erunt: diſcedite à me maledicti in ignem æternum*. Hic diſertiſſimè deſcribitur univerſale Judicium, & quidem in reſurrectione mortuorum, ubi gentes omnigenæ comparere debent: & capite ſuperiori cum reſurrectione conjungit judicium. Quæ omnia tam certa ſunt, ac luculenta,

ot

ut quicquam auctoritatis ex aliis Evangeliſtis petere ſupervacaneum omnino videatur.

Auctoritas Apoſtolorum.

153 PROB. 3. Apoſtolica auctoritate: Petrus 2. *Epiſt. cap.* 3. poſtquam dixerit fore noviſſimis diebus homines impios, illuſores, inundationemque aquarum, docet futurum Judicium cum mundi conſummatione per ignem: *Cœli autem, qui nunc ſunt, & terra eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervati in diem Judicii, & perditionis impiorum hominum*: hinc ſubdens Dominum aliquandiu differre, ut pœnitentiæ ſpatium præbeat, ſubſequitur v. 10. *Adveniet autem dies Domini, ùt fur, in qua cœli magno impetu tranſient; Elementa verò calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera exurentur*: ex quibus efformatur argumentum: Judicium univerſale illud explicatur, quod per antonomaſiam dicitur *dies Domini*, & conjungitur cum mundi conſummatione, atqui tale Judicium futurum hic aſſeritur à D. Petro: ergo. Ad hoc idem facit illud Epiſtolæ canonicæ Judæ v. 14. *Prophetavit autem de his ſeptimus ad Adam Henoch dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis facere Judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii*. Porrò Judicium contra omnes, & de omnibus non eſt niſi univerſale: Apoſtolus ad rem noſtram 1. Corinth. 4. v. 5. *Nolite ante tempus judicare quoad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Domino*. Hæc, ſicut ad oculum patet, eſt illuminatio abſconditorum coram omnibus. De univerſali Judicio plura idem effatur Apoſtolus pluribi, & præcipuè 1. *Corinth.* 15. v. 51., 2. *Corinth.* 5. v. 10., 1. *ad Theſſal.* 4. v. 15., 2. *Theſſal.* 2. v. 2., *Apocal.* quoque 20. v. 11. hoc clarè habetur: *Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, à cujus conſpectu fugit terra, & cœlum, & locus non eſt inventus eis; & vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum: & dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant; & judicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum*. Locus iſte apertam Judicii veritatem continet.

Judicii univerſale efficaciter retrahit a malo.

154 PROB. 4. per cauſas fundantes Judicii veritatem ex Scripturis, & Patribus erutas. Prima ſit cauſa moralis, quæ ad morum reformationem conducit. Ut homines compeſcantur in malum proclives, in bono inſtabiles, proni in terrenas voluptates, ad vera animæ bona procuranda ſocordes, neceſſarium eſt frænum aliquod ortum ex formidine, quâ improbi maximè percellentur; ſed ad hoc efficaciter conducit formido univerſalis Judicii: ergo. Id ipſum proponit Sapiens Eccl. 7. v. 41. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*. De hoc Apoc. 14. v. 7. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora Judicii ejus*. Hoc ipſo utebatur Propheta, inquiens: *Confige timore tuo carnes meas; à judiciis enim tuis timui*. De hoc habetur Job 5. v. 21. *A flagello linguæ abſconderis, & non timebis calamitatem, cùm veneris*. Flagellum linguæ eſt ſententia Judicii Impios conjicientis in æterna ſupplicia. Hoc evitat flagellum, qui adventum Domini ad judicandum expaveſcit. *Clemens* I. Epiſt. 1. ad Jacobum, ſeu ùt vult *Bellarminus*, & *Poſſevinus*, ad Simonem fratrem Domini — Quis enim peccare
„ poterit, ſi ſemper ante oculos ſuos diem
„ Judicii ponat, quod in fine mundi cer-
„ tum eſt agitandum, ut tandem, qui in
„ hac vita bene egere, conſequantur repo-
„ ſita bona; peccatores autem, ut conſe-
„ quantur præparatas, & reconditas pœ-
„ nas, de quibus ita futurum dubitare om-
„ nino non poſſumus — Bonos igitur Judicii expectatio ſolatur: Malos timor perentit, & ad meliorem frugem reducet.

Per univerſale Judicium divina providentia juſtificatur.

155 SECUNDO exponam, quid Divina providentia exigat. Neceſſe eſt, ut aliquando palam compareat divinæ providentiæ rectitudo, quæ apud impios malè audit; ſed hoc nequit fieri abſque univerſali Judicio, in quo juſta cognoſcantur opera Domini, & falſæ objurgantium criminationes: ergo. Videmus quotidie Malos jucundari, ac Bonos affligi, nec ſolùm ab hominibus, ſed etiam a Deo percuti; quare ſtulti obmurmurant, obloquuntur, & in cœlum os ponunt, & quandoque etiam ſanctiores commovet hæc eadem conſideratio, ùt teſtatur Pſalmiſta pſal. 72. *Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper iniquos, pacem Peccatorum videns . . . Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias; & dixi: ergo ſine cauſa juſtificavi cor meum, & lavavi inter innocentes manus meas: & fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis*. Certum autem eſt, hæc omnia a Domino diſpoſita juſtis æquè, & occultis cauſis. Fiat igitur oportet divinorum judiciorum manifeſtatio, ut omnes intelligant, quàm juſtè, ſapienterque exaltaverit Deus Impios, Juſtos autem humiliaverit.

Æquitas divinæ juſtitiæ exigit univerſale Judicium.

156 TERTIO oſtenditur exigentia Divinæ Juſtitiæ. Æquitas poſtulat, ut læſus publicè honor publicè reparetur; ſed hoc eſſe non poſſet, niſi admittatur univerſale quodpiam Tribunal, in quo ſingulorum Jura expendantur: ergo. Mixtæ ſunt in Eccleſia Virgines fatuæ, & prudentes: zizania miſcentur tritico, & ita abſconditè, ut carneis oculis exteriora conſpicientibus mali judicentur boni, & boni pro impiis habeantur; unde Sanctorum fama læditur: innocentiæ Jura violantur; itaque recto Judice eſt opus, non ſecundùm faciem judicante, nec cognoſcente ex obtutu oculorum, ſed qui etiam abſcondita penetret, ut Reproborum verſutiæ, & hypocriſis detegantur: ſimplicitas, atque Electorum innocentia pateſcat; & ideo Apoſtolus 1. Corinth. 4. v. 5. dicit: *Quod Chriſtus Judex illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Domino*: & ecce reparatio honoris Juſtorum;

rum; ſed & Pravorum confuſio ſubſequetur, quam fusè Spiritus Sanctus Sap. 14. v. 19. deſcribit: *Et erunt poſt hæc decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum*: & exaltatio bonorum ſupra malos benè explicatur Malach. 4. v. 2., & 3. *Egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento, & calcabitis Impios, cùm fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum in die, qua ego facio, dicit Dominus exercituum*. Alias cauſas prætereo utpote expenſas Controverſiâ primâ de ſtatu Animarum.

157 PROB. 5. Veritas univerſalis Judicii patet ex conſenſu Eccleſiæ expreſſo in Symbolis Apoſtolorum, & Nicæno, & S. Athanaſii, quæ ſunt ſub omnium oculis: unde ſupervacaneum videtur textus referre; ita nec vacat allegare Patrum teſtimonia, quæ cupienti videantur apud *Coccium* in ſuo Theſauro Controverſiarum *tom. 2. lib.* 10. *art.* 5., qui diſtributos per ſecula Patres Latinos, & Græcos in aciem profert. Stat ergo judicandum eſſe hominem integrum, ideſt conſtantem ex anima, & corpore, ut pœnam recipiat, vel præmium; quia totus homo benè, vel malè egit, & congruè reſurrectio diſtrahenda uſque ad ſeculi conſummationem, ut continuatio generationum detur, quarum ſubjectum eſt materia, ex qua humana conflantur corpora.

Debet totus homo judicari.

§. II.

PRIMUM ADVERSARIORUM ARGUMENTUM DISSOLVITUR.

158 OBJICIES 1. Si admittatur univerſale Judicium debet eſſe contra Impios; ſed iſti non cadunt ſub Judicio: ergo. *Minor probatur* PRIMO auctoritate Pſal. 1. v. 5. dicentis *Non reſurgent Impii in Judicio*. Non negatur, ùt vides, impiis reſurrectio abſolutè, ſed ad judicium. SECUNDO ſententiâ Chriſti Domini Jo. 3. v. 18. *Qui autem non credit, jam judicatus eſt*. TERTIO doctrinâ Apoſtoli ad Rom. 2. v. 12. *Qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*; ideſt ſine Judicii ſententia. QUARTO Patrum teſtimonio: *Lactantius* lib. 7. cap. 20. — „ Nec tamen tunc univerſi à Deo judicabuntur, ſed ii tantùm, qui ſunt in Dei Religione verſati: nam qui Deum non agnoverunt, quoniam ſententia de his in abſolutionem ferri non poteſt, jam judicati, damnatique ſunt, ſanctis literis conteſtantibus non reſurrecturos impios in judicium — *Baſilius*, *Hilarius* idem perhibent ad dicta loca, ſicut & *Ambroſius*, & *Magnus Gregorius*. QUINTO ratione. Ubi eſt manifeſta cauſa damnationis, ibi nulla eſt neceſſitas judicii. In peccatoribus manifeſta eſt damnationis cauſa: ergo. *Minor explicatur*. Impii ſunt in duplici ordine fidelium, & Infidelium: in Infidelibus eſt aperta damnationis cauſa, nempe infidelitas, in Fidelibus defectus charitatis: æquè enim damnat charitatis defectus, ſeu ſtatus fidei non vivæ, & defectus abſolutus fidei, ſeu ſtatus infidelitatis: ergo ubi conſtabit de infidelitate, aut de ſola fide mortua, manifeſta ſit damnationis cauſa; & ubique Chriſtus loquitur de non credentibus fide viva; agit enim contrapoſitivè ad fidem ſalvantem, quæ eſt formata; & hanc rationem ſubnectit: *Hoc eſt autem Judicium; quia lux venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem; erant enim opera eorum mala*: Joan. 3. v. 19. Ecce, quàm manifeſta ſit cauſa damnationis. Quam rationem tangit etiam *S. Gregorius* lib. 26. Morali cap. 20.

RESP. *nego min.* quæ falſa omnino eſt, Scripturiſque contraria. Legimus enim Matth. 25. v. 32. *Congregabuntur ante eum omnes gentes*, videlicet ante Chriſtum ſedentem in ſede majeſtatis judiciariæ: Ad Rom. 14. v. 10. *Omnes enim ſtabimus ante Tribunal Chriſti*, & quidem ad Judicium, cùm dicat 2. Corinth. 5. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum, ſive malum*: Et Apoc. 20. v. 12. *Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu Throni, & judicati ſunt mortui*. Propoſitiones iſtæ ſunt univerſales diſtributivæ, ac proinde ſingulos comprehendunt: ſunt aliæ particulares pro iniquis, quibus omnibus dicetur; *ite maledicti in ignem æternum*; & de Infidelibus habemus 1. Corinth. 5. v. 13. *Eos, qui foris ſunt, Deus judicabit*; qui foris ſunt, ideſt extra Eccleſiam, infideles, & de iſtis dicitur Marci ultimo v. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur*. Nec adductæ probationes quicquam negotii faceſſunt: non prima ex Pſalmo; nam ei opponit Chriſtus Jo. 5. v. 29., ubi poſtquam dixit univerſos mortuos vocem Filii Dei audituros, v. 29. *Et procedent, qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala in reſurrectionem Judicii*. Cæterùm dilucidè patet Pſalmiſtam non diffiteri abſolutè impios ad judicium reſurrecturos, ſed in juſtorum judicio, ſcilicet non ſtabunt ex parte electorum; Inquit enim *Ideo non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in Concilio juſtorum; quoniam novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit*; & eſt cauſalis illius, quod præmiſit, *Omnia quæcumque faciunt, ſemper proſperabuntur, non ſic impii, non ſic*, quibus evidenter apparet impios excludi ſolummodo a ſorte bonorum. Vide ſupra Pars I. Controv. III.

Impii non ſtabunt ex parte Juſtorum.

159 Quidam duplex judicium adſtruunt diſcuſſionis, & damnationis, & opinantur minimè judicatum iri diſcuſſionis judicio, ſed dumtaxat condemnationis. Impii verò fideles utroque; cæterùm niſi quæſtio ſit de vocibus, pares videntur eſſe quoad utrumque. Nam Joelis 3. v. 2. dicitur: *Congregabo omnes gentes, & adducam eas in Vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis*; diſceptabit cum omnibus. Non diſtinguit ergo fideles ab infidelibus: Jeremiæ 25. v. 3. *Judicium Domini cum gentibus*, non ait de gentibus, vel ad gentes, ſed *cum gentibus*, quod ſignificat diſceptationem, & redargutionem; tandem Ezech. 34. v. 17. dicitur: *Ecce ego judico inter pecus, & pecus, arietum, & hircorum*, *Pecus, & pecus, arietum, & hircorum* ſunt Deo malorum genera fidelium, & infide-

Fideles, & Infideles judicabit Dominus.

fidelium, quos eodem modo judicat Dominus. Ratio eſt; quia ibi neceſſarium eſt judicium diſcuſſionis, ubi penſanda eſt qualitas cauſæ, & quantitas demeritorum; ſed in infidelibus hoc omnino requiritur; nam inter eoſdem ſunt magis, minuſque culpabiles in ipſa infidelitate, & ſecundùm hanc inæqualitatem, diſpar ſtatuenda eſt pœna; adeoque debent merita cauſarum diſcuti, cùm ex ſola infidelitate non conſtet ſingulorum diſcrimen demeritorum.

160 DICES. Judicium diſcuſſionis ſolummodo locum habet, ubi permixtio ſit bonorum operum cum malis; ſed infidelibus deeſt hæc mixtio; ſublato enim fidei fundamento ſubſequentia opera carent rectitudine conducente ad ſalutem; ſecus in Fidelibus datur hujuſmodi mixtio, & habent aliquid, quod non eſt ſaluti contrarium, ſcilicet fidem.

Æqualitas inter Infideles, & Fideles peccatores.

RESP. Quantum ad hoc eſſe æqualis; nam ſicut dempto fidei fundamento nullum eſt opus perfectè bonum, hoc eſt ſupernaturalis ordinis, ac proinde nec conducens ad ſalutem; ita ablatâ vitâ charitatis nullum eſt opus bonum habens meritum in ordine ad præmium. Deinde licèt Fideles non habeant bona opera ordinis ſupernaturalis; habent tamen aliqua ordinis naturalis, quæ licèt non diſponant ad gratiam, & multò minùs eam mereantur, attamen ejuſmodi ſunt, ut pœnam haudquaquam mereantur; quamobrem ſint ad examen revocanda. Præterea in multis incompertum eſt, qua via nacti ſint auxilia ad fidem neceſſaria. Apud Theologos illud Apoſtoli: *In omnem terram exivit ſonus eorum*, certum eſt non intelligi de ſingulis generum: ſunt quippe in montibus plurimi, & in remotis terrarum finibus, qui ſolos audierunt Parentes, & Magiſtros erroribus infectos: dignitas igitur divinæ providentiæ flagitat, ut omnes intelligant, quàm juſta fuerint incomprehenſibilia judicia ejus. Quare ampliatione quâdam dicuntur a Patribus non eſſe judicandi judicio diſcuſſionis, quatenus magis elongantur à conſequenda ſalute; ea quo carent fundamento fidei, & radicali unione cum Chriſto; & ex parte hujus principii ſecundùm ſe accepti eſt in illis manifeſta damnationis cauſa.

Per quandam ampliationẽ dicitur quod Infideles non indigent Judicio diſcuſſionis.

SECUNDA *probatio* nihil concludit; eam illuſtrat *S. Thomas* in hunc locum — „ Qui autem non credit, jam judicatus eſt. „ Nondum apparuit judicium, ſed jam factum eſt judicium. Novit enim Dominus, qui ſunt ejus: novit, qui permaneant „ ad coronam, & qui permaneant ad flammam. Aut hoc dicit, quia ipſum diſcredere Impœnitentis ſupplicium eſt. Eſſe „ enim extra lumen etiam ſecundùm ſe, „ maximum ſupplicium eſt, vel quod futurum eſt, prænunciat. Sicut enim, qui „ occidit hominem, & ſi nondum ſententiâ „ judicantis condemnatus ſit; rei tamen „ natura condemnatus eſt, ita & qui incredulus eſt, ſicut & Adam, qua die comedit de ligno mortuus eſt — Quare modo humano loquitur Chriſtus; apud homines duplex admittitur judicium, aliud Juris, ſeu legis, aliud ab homine, ſeu Judicis.

Quomodo qui non credit jã judicatus eſt.

Duplex Judicium ab homine, & à jure.

Primum eſt ipſa ſententia, quam lex fert contra Reum, puta ſuſpendium contra homicidas, & hanc ipſo facto incurrit. Secundùm eſt cauſæ diſcuſſio, quæ fit per allegata, & probata cum ſententia, quæ ſequitur: ex quo fit, quod licèt homicida ſit à lege damnatus, nihilominus requiritur actualis ſententia Judicis declaratoria, & executoria. Ita in caſu; cùm modo loquendi humano miſcet Chriſtus locutionis propheticæ conditionem, quæ propter certitudinem, & infallibilitatem futuri aſſumit præteritum tempus pro futuro; unde idem eſt: *Qui non credit, jam judicatus eſt*, ac infallibiliter judicabitur.

TERTIA *probatio* eſt abs re. Ibi oſtendit *Paulus* omnes, qui peccant, damnatum iri, ac duo hominum genera diſtinguit. Alios educatos extra legem Moyſis, alios in ipſa lege: primi peribunt ſine lege ſcripta, & juxta ipſam non examinabuntur; ſed juxta legem naturalem: ſecundi peribunt, ſed ſecundùm legem ſcriptam, cujus obſervantiam profeſſi ſunt: ex qua diviſione concludit in damnatione impiorum Deum non eſſe perſonarum acceptatorem.

QUARTA *probatio* ex Patribus jam corruit ad reſponſionem ſecundæ, ubi Patrum mentem aperuimus. Subnectam *Auguſtini* verba lib. de agone Chriſtiano c. 27., ubi allegato loco Scripturæ in objectione poſito — Non intelligunt, *inquit*, ſic loqui „ Scripturas ut præteritum tempus pro futuro tempore inſinuent, ſicut ſupra diximus; quod Apoſtolus dixit de nobis, „ quod ſimul nos conſedere fecit in cœleſtibus, nondum factum eſt; ſed quia certum eſt futurum, jam dictum eſt, quaſi „ jam factum ſit; ſicut & ipſe Dominus „ Diſcipulis dixit: Omnia, quæ audivi à „ Patre meo, nota feci vobis? Et paulo „ poſt dicit. Multa habeo vobis dicere, „ ſed non poteſtis portare modo. Quomodo ergo dixerat omnia, quæ audivi a „ Patre meo, nota feci vobis, niſi quia „ illud, quod per Spiritum Sanctum certiſſimè facturus erat, quaſi jam feciſſe „ locutus eſt? ſic ergo cum audimus... „ Qui autem non credit, jam judicatus eſt, „ hoc dixit, quia jam damnatus eſt præſcientiâ Dei, qui novit, quid immineat „ non credentibus —

Præteritum pro futuro tempore.

QUINTA *probatio* ex dictis jam collabitur. Manifeſta eſt eorum damnatio; etenim habent in ſe damnationis cauſam, videlicet peccata, quæ ſententiam promerentur. Audiamus *S. Cyrillum* lib. 2. in Joan. c. 53. — „ Judicatum verò jam ait eſſe incredulum, „ quod ipſe in ſe ipſum condemnationis intulit ſententiam — quæ ſolutio communis eſt apud Patres.

Increduli quomodo jam judicati.

§. III.

SOLVITUR SECUNDUM ARGUMENTUM.

161 OBJICIES 2. Judicium univerſale inde nomen traxit, quia omnes comparere debent, & judicari. Hoc eſt falſum: nam plures non comparebunt, nec judicabuntur, videlicet Pueri infidelium: ergo. *Probatur min.* I. eodem modo judicandi ſunt pueri, quo peccaverunt, ſed peccaverunt in capite: ergo in ſolo capite comparebunt, & judicabuntur. II. Danielis 12. v. 2. *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant ſemper;* ſed parvuli prædicti non evigilabunt in vitam æternam, nec in opprobrium: ergo nec comparebunt ad judicium, & ob hoc Propheta non dixit omnes evigilabunt, ſed multi, ut intelligamus parvulos non baptizatos excludi. III. ad Judicium ſtare debet, qui materiam propriam Judicii habet; ſed iſti non habent; quia materia Judicii ſunt actus boni, vel mali; ideoque ad Corinth. 5. dicitur: *Ut referat unuſquiſque, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum;* actibus moralibus carent parvuli; aliter de habitibus non eſt reddenda ratio, cùm illis nec mereamur, nec demereamur. IV. omnes ad Judicium ciendi ſtabunt vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram; ſed parvulis utrobique nullus erit locus. Non ad dexteram; cùm non ſint oves, nec ad ſiniſtram, cùm non ſint hædi, igni deſtinati æterno: ergo. V. quicumque Judicio adſtabunt, cognoſcent Sanctorum gloriam, ſicut & malorum pœnas; ſed prædicti non agnoſcent gloriam, aliàs graviſſimam patientur triſtitiam, cùm ea ſint cárituri: ergo.

Aliqui putaverunt parvulos infidelium non adfuturos Judicio.

Propter hæc momenta aliqui putaverunt parvulos infidelium non adfuturos Judicio: alii dixerunt adfuturos, ſed non judicandos judicio diſcuſſionis: alii neque judicio condemnationis, inter quos *Auguſtinus* lib. 1. de origine Animæ cap. 9., & lib. 3. c. 13. quendam *Vincentium* refert. Et *Zuinglius* declaratione de peccato originali ad *Urbanum Reggium* docet eſſe probabile, quòd infidelium parvuli ſint ſalutem conſecuturi per Chriſtum, concedit tamen infallibiliter morientibus in originali peccato, ſi ſint filii fidelium, & quoad ſecundam partem plures Sectarios habet aſſeclas. Accedit ad hos *Pelagius*, qui iſtos excludebat a Regno Cœlorum, a beatitudine videlicet ſupernaturali, ſed concedebat vitam æternam in naturali felicitate valdè perfecta, procul ab omni moleſtia, & dolore extra cœlum, & gehennam, loco medio inter utrumque: ſic *Auguſtinus* lib. de hæreſibus cap. 88. loquitur — „ Nam etiamſi non baptizentur, promit„ tunt eis extra Regnum quidem Dei, ſed „ tamen æternam, & beatam quandam vi„ tam ſuam —

Sine Baptiſmo vel in re, vel in voto nullus ſalvatur.

162 PROB. 1. Jo. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei;* ſed parvuli morientes in originali non ſunt renati ea aqua, & Spiritu Sancto neque in re, neque in voto: ergo non poſſunt introire in Regnum Dei: & v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Itidem Marc. ultim. dicitur: *Qui non crediderit, condemnabitur;* ſed infantuli non credunt in Filium Dei, nec actualiter, nec habitualiter: ergo. *Ulterius* ad Rom. 5. v. 16. *Nam Judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in juſtificationem:* ex quo ſic. Eadem certitudine judicandi ſunt in condemnationem parvuli, qua conſtat contrahere peccatum originale ea culpa Adami; ſed fide divina conſtat infici originali peccato: ergo. Nullus utique, qui non ſit Filius Dei, cohæres erat Regni cum Chriſto; quiſquis enim labem retinet originariam, excluſus eſt a filiatione Dei, & eſt filius iræ, juxta Apoſtolum dicentem ad Epheſ. 2. v. 3. *Eramus naturâ filii iræ.* Hoc etiam patet ea Apoc. 20. v. 6. *Beatus, & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima;* quæ conſiſtit in emundatione a culpa; & v. 15. *Qui non eſt inventus in Libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis;* atqui macula originali inquinatus non recenſetur in libro vitæ, in quo non niſi mundi ſcribuntur, nihil enim coinquinatum introibit in Regnum Cælorum: ergo à Regno Dei arcentur.

Habens culpam originalem non eſt ſcriptus in libro vitæ.

Concilia aſſerunt parvulos ſine Baptiſmo diſcedentes non ſalvari.

163 PROB. 2. Conciliorum auctoritate. Carthaginenſe apud *Auguſtinum* Epiſt. 90. — Quicumque negat parvulos per bap„ tiſmum Chriſti a perditione liberari, & „ ſalutem percipere ſempiternam, anathema „ ſit — Millevitanum apud eundem Epiſt. 92. — Pueros parvulos, ſi nullis innoven„ tur Chriſtianæ gratiæ Sacramentis, habi„ turos vitam æternam, nequam præſump„ tione contendunt — Florentinum *ſeſſ. ultima* — Illorum animas, qui in actuali „ mortali peccato, vel ſolo originali dece„ dunt, mox in Infernum deſcendere, pœnis „ tamen diſparibus puniendas — Tridentinum *ſeſſ. 5. can. 5.* idem docet: unde optimè *Auguſtinus* lib. 2. de origine animæ cap. 12. ſcribit — Novellos hæreticos Pelagia„ nos juſtiſſima Conciliorum Catholicorum, „ & Sedis Apoſtolicæ damnavit auctoritas, „ eò quòd auſi fuerint non baptizatis par„ vulis dare quietis, & ſalutis locum, „ etiam præter Regnum Cœlorum — Inter Romanos Pontifices, qui hunc errorem damnaverunt recenſetur *D. Gregorius* lib. 9. moral. cap. 12. aliàs 16. — Quoſdam, *ait*, „ tunc reatu culpæ originalis adſtrictos etiam „ ſine operibus damnat — *Leo* Magnus Epiſt. 88. ad Nicetam, *Siricius* Epiſt. 1. ad Himerium *Joannes* Papa relat. 30. q. 1. can. *Ad limina*.

164 PROB 3. Patrum doctrinâ. *Auguſtinus* lib. 3. de peccatorum meritis, & remiſs. cap. 23. — Nulla ex noſtro arbi„ trio, præter Baptiſmum Chriſti ſalus æter„ na promittatur Infantibus, quam non pro„ mittit Scriptura divina humanis omnibus „ ingeniis præferenda — Et alibi ſæpe *Fulgentius* lib. de fide ad Petrum cap. 27. — „ Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites,

„ non

„ non ſolùm homines jam ratione utentes, „ verùmetiam parvulos, qui ſive in utero „ Matris vivere incipiunt, & ibi moriun- „ tur, ſive de Matribus nati ſine Sacra- „ mento ſancti Baptiſmatis.... de hoc ſæ- „ culo tranſeunt, ignis æterni ſempiterno „ ſupplicio puniendos — *Anſelmus* lib. de conceptu virginali cap. 27. — Si originale „ peccatum eſt aliquod peccatum, neceſſe „ eſt omnem hominem in eo natum, illo „ non dimiſſo, damnari — Alios Patres vide apud *Sodocum Coccium* in Theſauro Controverſiarum lib. 3. tom. 1. art. 1. Stat igitur Catholica veritas. Hinc Apoc. 20. v. 12. dicitur: *Et vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt ... & judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris*. Puſilli autem judicari non poſſunt judicio ſalutis ſtante originali peccato: ergo judicio damnationis. Quantum ad Judicium diſcuſſionis nihil eſt, quod ad fidem ſpectet, citra errorem negari, vel concedi poteſt; & niſi quæſtio ſit de nomine, autumo ſpeciem aliquam diſcuſſivi Judicii futuram. Pro Judicio diſcuſſivo venit examen cauſæ, ob quam quis damnatur, vel abſolvitur à Judice; atqui aſſignanda eſt cauſa, cur morientes in originali excludantur a Regno: ergo afferenda ſunt motiva. Certè æquitas divinæ juſtitiæ in puerorum damnatione manifeſtanda eſt, quam juſtè Adæ peccatum imputetur, eiſque non profuerit Chriſti redemptio, nec venerint ad Baptiſmum: quæ utique nobis valdè obſcura, & difficilia ſunt, cùm in illis ſit mixtum voluntarium morale cum involuntario phyſico: cumque ſecundùm naturam, & perſonam privandi ſint gloriâ: ſciri debet, quomodo hæc ſimul componantur; eò vel maximè quòd aderit comparatio ad reliquos pueros, qui purgati labe originis poſſidebunt Deum: ſi verum foret, quod *Cajetanus* docet quæſt. 52. art. 1. tertiæ part. — Confutati ſunt „ enim omnes de malitia, & incredulitate; „ ſed parvuli de ſola malitia originalis pec- „ cati, & incredulitate, quia nec propria, „ nec parentum fide incredulitatem evaſe- „ runt — ſequeretur etiam fore in Judicio redarguendos, quod abſque diſcuſſione eſſe nequit. Et ſanè id, quod de parentibus tangit, vim facit; oportet enim, ut declaretur, cur plures ex illis excludendi ſint à Regno ob parentum negligentiam, qui ſuos filios non ſubtraxere infidelitati.

Quid dicemus de Judicio diſcuſſionis.

Hinc ad primam probationem in contrarium ajo parvulos peccato actuali in ſe non peccaſſe, ſed ùt moraliter contentos in capite humani generis; peccato autem habituali in ſe ipſis contraxerunt maculam, unde etiam in ſe ipſis ſuſtinere debent pœnam, ſicut per Baptiſmum emundati abſque actu proprio in ſe ipſis fruebuntur gloriâ: & hoc ſufficit ad judicium damnationis. Ad diſcuſſivum pertinet oſtendere juſtitiam hujus cauſæ.

Parvuli habent in ſe ipſis maculam peccati.

165 DICES: excluſio a Regno per finalem ſententiam eſt pœna perpetua; ſed peccato originali non debetur pœna æterna, dicente *Angelico* p. 1. q. 87. art. 5. ad 2. — „ Peccato originali non debetur pœna æter- „ na ratione ſuæ gravitatis, ſed ratione „ conditionis ſubjecti, ſcilicet hominis, qui „ ſine gratia invenitur, per quam ſolùm „ fit remiſſio pœnæ — ergo non ſunt parvuli judicandi judicio damnationis, & ſi in ſe ipſis ſint maculati: niſi dicere velimus Deum ſupra condignum punire.

RESP. *negando min.* quam non evincit inducta auctoritas *S. Thomæ*, qui nomine gravitatis intelligit converſionem ad bonum commutabile, quæ converſio ſecundùm ſe non dicit diſtantiam infinitam, ùt docet in ſolutione ad primum; prout autem includit averſionem a Deo, & deordinationem ab ultimo fine, & dicit infinitam diſtantiam, & pœnam æternam meretur, ùt docet in corpore art. Hanc porrò averſionem a Deo explicat per carentiam gratiæ in ſubjecto, carentia verò gratiæ fundat excluſionem a Regno Dei.

Converſio ad bonum commutabile ſecundùm ſe eſt finita.

166 INSTABIS. Per *D. Thomam* peccatum originale eſt minus peccatum, quàm veniale, ùt ibidem docet admittendo hanc propoſitionem in ſua objectione poſitam *Peccatum originale eſt minimum peccatum*; ſed peccato veniali a mortali ſeparatò non debetur pœna æterna: ergo.

RESP. Peccatum originale eſſe minimum peccatum ex parte voluntarii actualis, ùt in hoc homine; ſecus autem ex parte averſionis ab ultimo fine; peccatum verò veniale eſt majus ratione voluntarii perſonalis, ſed minus ratione averſionis a Deo, quam non dicit, cùm non repugnet ultimo fini: hinc *D. Thomas* quæſt. 5. de malo art. 1. ad 10. dicit — Perpetuitas pœnæ conſe- „ quitur perpetuitatem culpæ, quæ provenit „ ex carentia gratiæ; quia culpa non eſt „ remitti niſi per gratiam, & quia per „ peccatum originale excluditur gratia, „ non autem per peccatum veniale; ideò „ peccato originali debetur pœna perpetua, „ non autem peccato veniali —

Peccatum originale ex parte voluntarii eſt minimum.

167 REPLICABIS *D. Thomas* apertè negat parvulos eſſe judicandos, ſic enim ait in ſuppl. quæſt. 89. art. 5. ad 3. — Dicen- „ dum, quòd etiam pueri ante perfectam „ ætatem decedentes in judicio compare- „ bunt, non ut judicentur, ſed ut videant „ gloriam Judicis — ergo.

RESP. *nego anteced.* Quis enim *D. Thomam* adnumeret *Pelagianorum* aſſeclis? Ejus mens ſtatim elucet ex prælibato ejuſdem textu, ubi originalis culpæ adjudicat pœnam perpetuam: idque repetit ſæpenumero. Ipſe haud diffitetur judicandos fore judicio condemnationis, ſed rigoroſo diſcuſſionis examine circa propria merita habendo, ùt objectio intendebat. Præterea inibi *Angelicus* nullam de parvulis mentionem injicit in originali decedentibus; de morientibus tantummodò meminit ante rationis uſum, adeo ut nequeat ad infantes baptizatos reſtringi; ſed hoc non eſt neceſſe.

Judicium diſcuſſionis eſt circa merita.

Ad ſecundum principale objectum ex Daniele reſpondet *Auguſtinus* lib. 20. de Civit. cap. 23. — Et multi dormientium in terræ „ aggere exurgent: hi in vitam æternam, „ & hi in opprobrium, & in confuſionem „ æternam .... Et adhuc ſententiæ illæ

„ evan-

Multi in Scripturis, idem ac pro omnibus.

„ evangelicæ eſt locus iſte ſimillimus de reſurrectione dumtaxat mortuorum corporum: nam qui illic dicti ſunt in monumentis, ipſi hic dormientes in terræ aggere, vel ſicut alii interpretati ſunt, in terræ pulvere; & ſicut ibi, Procedent, dictum eſt, ita hic exurgent. Sicut ibi, Qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui autem mala in reſurrectionem judicii, ita & iſto loco, Hi in vitam æternam, & hi in opprobrium, & confuſionem æternam. Non autem diverſum putetur, quod cùm ibi poſitum ſit, Omnes, qui ſunt in monumentis, hic non ait Propheta, Omnes, ſed Multi dormientium in terræ aggere. Ponit enim aliquando Scriptura pro Omnibus multos: propterea & Abrahæ dictum eſt Patrem multarum gentium poſui te; cui tamen, & alio loco: in ſemine tuo, inquit, benedicentur omnes gentes — Eodem tenore pergunt *Hieronymus* in cap. 26. Iſajæ, & *Ambroſius* in Pſalmum primum. Cùm autem originali peccato infecti non evigilabunt in vitam æternam, erunt in opprobrium.

165 DICES. Non pertinebunt ad judicium damnationis, qui eripientur a poteſtate Dæmonis; ſed iſti parvuli eripientur in noviſſimo a poteſtate Diaboli; quia pro illis foris eſt ejectus, & inimica mors, hoc eſt Diabolus, Chriſto ſubjicietur: ergo.

RESP. *nego min.* Manet ſub poteſtate Diaboli, quamdiu quis non regeneratur per Chriſtum; ita enim eſt, *qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum dilectionis ſuæ* ad Coloſſ. 1. v. 13., & Act. 26. v. 18. mittitur *Paulus* ad gentes, & populos, ut aperiat oculos eorum, & convertantur a tenebris ad lucem, de poteſtate Satanæ ad Deum. Hinc doctrina Eccleſiæ eſt per Baptiſmum homines ſubtrahi jugo Satanæ, quod èt confirmat *Auguſtinus* lib. 1. de Nuptiis, & Concupiſcentiis cap. 20. — Non enim fides dubitat Chriſtiana, quam novi hæretici oppugnari cœperunt, eoſque, qui lavacro regenerationis abluuntur, redimi de poteſtate Diaboli, & eos, qui nondum tali regeneratione redempti ſunt, etiam parvulos filios redemptorum ſub ejuſdem eſſe poteſtate captivos, niſi & eàdem Chriſti gratiâ redimantur — Cui conſentiunt cæteri Patres.

Infantes cum originali peccato verè ſunt peccatores.

Ad tertiam dico: unuſquiſque debet rationem reddere de ſe ipſo, prout eſt innocens, vel reus. Parvuli peccavere, vel juſtificati ſunt per alios, & ſecundùm hoc ſunt judicandi, morientes autem cum ſolo originali veros eſſe peccatores fides docet, & pluribus Scripturis oſtendit *Auguſtinus* lib. 6. contrà Julianum cap. 4. incipiens ab ea, qua *D. Paulus* probat mortuos eſſe omnes, quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, & non niſi pro mortuis eſt mortuus; apparare autem debet in judicio, quòd peccatores ſunt, & quomodo, & qualiter in peccato perſeveraverint uſque ad mortem. Hæc omnia fiant oportet, ut appareat æquitas, & juſtitia ſententiæ. Textus verò Pauli: *Ut unuſquiſque referat prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*, intelligitur non ſolùm de actibus poſitivis, ſed etiam de omiſſionibus, non ſolùm de commiſſis, ſed etiam de his, quæ portaverunt viventes in carne. Audiatur *Auguſtinus* Epiſt 207. in hunc locum — Unde & ipſi, ſicut „ dixi, ſi in illa parva ætate moriuntur, utique ſecundùm ea, quæ per corpus geſſerunt, ideſt, tempore quo in corpore fuere: quando per corda, & ora geſtantium crediderunt, vel non crediderunt: quando baptizati, vel non baptizati ſunt: quando carnem Chriſti manducaverunt, vel non manducaverunt &c. —

An in pueris decedentibus cum originale detur pœna ſenſus.

Ad quartam probationem, ſi quis teneat cum ſolo peccato originali decedentes verè plecti pœnâ ſenſus, & quidem ad mentem quorundam Patrum, quos ſequitur *D. Fulgentius* lib. de fide ad Petrum — Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non ſolùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, ſi ſine Sacramento Baptiſmatis de hoc ſæculo tranſeunt, igniis æterni ſupplicio puniendos; quia etſi peccatum propriæ actionis non habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione traxerunt — Si quis, inquam, præfatis aſſentiatur, expeditam habet difficultatem. Veruntamen cum plauſu volitat inter Theologos opinio denegans infantibus pœnam ſenſus. Reliquum eſt igitur, ut diſſolvatur difficultas, quatenus ſi includuntur infantes in ſententia Judicis damnantis ad ignem, Hæreticus diffitebitur includi parvulos in ſententia Chriſti excludentis non credentes, & non renatos ex aqua, & Spiritu Sancto; cùm utrobique propoſitiones ſint univerſales, indefinitæ in materia dogmatica, & currat eadem proportio ex defectu culpæ perſonalis, & utrobique & ignis, & excluſio a Regno ſit pœna a Deo non inflicta, niſi ex vero peccato. Cæterùm non eſt nec loci hujus, nec muneris mei alterutram ex his ſententiam propugnare. Digna eſt cautio Cardinalis *Bellarmini* lib. 6. de amiſſione gratiæ cap. 2., nihil prodeſſe parvulis ſententiam benignam, nec ſeveriorem obeſſe — Multum tamen nobis obeſſe, ſi ob inutilem miſericordiam erga defunctos pertinaciter aliquid contra Scripturas, aut Eccleſiam defendamus; idcircò non affectum quemdam humanum, quo plerique moveri ſolent, ſed Scripturæ, Conciliorum, & Patrum ſententiam conſulere, & ſequi debemus —

Cautè uſurpandum id, quod ab aliquibus dicitur, Patres, ut errorem impugnent, inclinare in oppoſitam partem, & exagerativè locutos.

166 Hinc cautè uſurpanda eſt reſponſio, quam aliqui in hiſce controverſiis reponunt, videlicet Patres emphaſi quadam locutos, quatenùs cùm errorem aliquem impugnant, ita invehuntur, ut verbis in oppoſitam partem inclinare videantur, & doctrinam ſuam deſumere credunt ex *D. Thoma* qu. 5. de malo art. 2. ad 1. — Ideo autem „ Sancti uſi ſunt tali modo loquendi, ut deteſtabilem redderent errorem Pelagianorum, aſſerentium in parvulis nullum eſſe peccatum, nec aliquam eis deberi pœnam — Sed enim aliud eſt deteſtabilem reddere errorem, aliud oppoſito errori ſavere; ſi in re dogmatica tam facilè Patribus attribuitur exageratio, quomodo ex eorundem auctoritate ſuppetet nobis ratio tu-

randi

tandi alia fidei dogmata? Veritas non eſt erroneis fulcienda adminiculis. Quæ exagerantur, ſpeciem quandam olent mendacii. Non ergo, ut unus evellatur, ferendus eſt error alter. Æquè errat, v. g., qui parvulos negat contrahere peccatum originale, ac qui eiſdem iniquum ſupplicium adjudicat. Non eſt itaque docti viri ita verimati ſtudere, ut offendiculum adſtruat prolabendi in errores, fortaſſe etiam pejores prioribus. Quare talis reſpondendi modus in dogmaticis eſt reſutandus, niſi adſit rationabila fundamentum. Si verò locus aliquis Patrum difficilis, vel obſcurior videatur, explicandus eſt ea contextibus, ex connexis, & alibi dictis, ex qualitate materiæ, ex fine, aliiſque circumſtantiis.

Quomodo difficiles Patrum textus explicandi.

170 Hand ſatis quoque arrldet altera cujuſdam Doctoris ſententia, ſic explicantis ea verba: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum* ad parvulos non pertinera, quia ſunt extra Eccleſiam. Forma Judicii ibi ſola deſcribitur, quà judicabuntur qui in Eccleſia ſunt: id probat *primò* ax ſimilitudine ovium, atque bædorum unius Paſtoris, & gregis. Porrò grex Paſtoris unius eſt ſola Eccleſia. *Secundò*: Examen non ſit de bona, vel mala fide, an benè, vel malè crediderint, ſed de ſolis operibus fide præceptis *Eſurivi &c.* cùm Evangelium ſoli fideles ſuſcipiant: non erat in eo exprimenda forma, quâ infideles judicandi aſſent; ſatis enim erat dixiſſe, *qui non crediderit, condemnabitur*. Non multùm, inquam, bujuſmodi ſolutio placet; infirmatur enim vis propoſitionum univerſalium in materia dogmatica: Illâ namque auctoritata utitur Eccleſia, ut & perpetuitatem declaret pœnarum in omnibus damnatis. Si autem da ſolis interprætemur fidelibus, non poterit extendi ad infideles; & cùm alioqui, cæteris paribus, infidelium ſint minùs gravia, quàm fidelium crimina, addetur argumento robur npinantium infidelium pœnas aliquando finiendas. Deinde negare quiſquam poterit infideles Judicio adſtituros, & illud *Congregabuntur ante eum omnes gentes*, contrahi ad cos poterit, qui erunt ad dexteram, vel ad ſiniſtram, nempe ad fideles ſolos. Quare ſatius eſt ad omnes ſive fideles, ſive infideles ſententiam illam extendere. Chriſtus ad ſiniſtram ſtantes in pœna aſſociat Dæmonibus velut miniſtris, & omnium deceptorum magiſtris, cùm proinde infidelibus potiſſimè dominentur Dæmones, ſequitur, ut hi ſint ſocii pœnarum. Neque me quicquam movent adſtructæ rationes: non prima; quandoque enim unus Paſtor ſuo in ovili oves babet, atque hædos plurium Dominorum. Deinde Chriſtus non comparebit in Judicio ſub Paſtoris ſpecie, ſed Judicis: quod ipſum Redemptoris muneri conſonat, cùm extendatur ad omnes (pro omnibus enim venit) ideò comparere omnes, & judicari debent de uſu redemptionis. Non ſecunda; nam opera, & omiſſiones propoſitæ in exemplum non ſunt a ſola fide dictata, ſed a lege naturali, quæ omnes obligat. Non tertia: licèt Evangelium a ſolis ſuſcipiatur fidelibus, eiſque profit; continet tamen doctrinam generalem, & omnibus prædicandam; & hoc ipſo quod affirmat non credentes fore condemnandos, declarat ſubjiciendos ſententiæ eſſe, & judicandos, ùt ſupra diximus.

Communior ſolutio eſt iis verbis: *Ite in ignem æternum*, non exprimi ſpeciem pœnæ, ſed genus; ſanſumque eſſe, ite in tormentum vobis debitum; & ideo ſubdirur, *& ibunt hi in ſupplicium æternum*; itaqua ſub genere pœnæ cum ea continetur, quæ damni dicitur, & quæ ſenſus: per diſtributionem parvulis attribuitur illa damni aliis illa ſenſus.

Nomine ignis venit qualibet pœna.

171 Sed contra hoc ſtat regula, Scripturæ verba, quantum licet, eſſe in ſenſu proprio accipienda. Sanè ax vi hujus ſententiæ vix poſſet determinatè probari pœnam ignis dari in damnatis, & Dæmonibus, & ſi per banc non evincitur, neque ex aliis poterit textibus evinci, cùm eadem illis interpretatio ſit adaptanda. Negatur pueris; quia non eſt par cauſa demeriti: negari poterit Dæmonibus, & animalibus; quia diſpar eſt capacitas ſubjecti, ſcilicet non combuſtibilis: ſpiritualis enim ſubſtantiæ non ſunt proportionatæ ad ignem. Poſſet etiam negari æternitas pœnarum quoad homines, illamque ſolis Dæmonibus aſſignari, ſicut adultis pœna ignis adſcribitur, non verò pueris, & de hoc dari poterit conſimilis diſparitas; quia videlicet Dæmones ſunt ex natura ſua obſtinati in malo; vel quia peccaverunt ex ſola malitia, abſque ſuggeſtione. Meliùs itaque ſalvant Scripturæ integritatem, qui dicunt parvulos cum originali decedentes comprehendi in ea ſententia *diſcedite à me maledicti in ignem æternum*; at conflagratione non puniri, ſed detentione, & ſic verè plectuntur mitiſſimâ pœnâ, quia non omnimodè puniuntur igne, nec ulla in hoc eſt repugnantia; adulti etiam impari ſorte torquentur igne, juxta peccatorum inæqualitatem, quamvis omnes igne torqueantur. *Ulteriùs* ea detentio non inferet pueris pœnam ſenſus; norunt enim alium quemqua locum ſibi indebitum.

Ignis inferni urit, & detinet.

172 DICES. In igne detenti patientur pœnam damni; ſed pœna damni eſt graviſſima, ùt docent Patres, & Scholaſtici probantes majorem damnatorum pœnam fore pœnam damni. Er ratio eſt; quia pœna damni conſiſtit in eo, ut perpetuò careant ſummo bono: ergo non eſt mitiſſima pœna, ſed maxima; quare parvulos non tanget judicium, nec ſententia damnationis.

RESP. pœnam damni eſſe graviſſimam, ſi conſideretur ex parte termini, ſeu boni privati, ſecus ex parte ſubjecti, quod afficit; nam ſecundùm hoc major, vel minor eſt juxta proportionem ſubjecti magis, minuſve diſpoſiti per majora, vel minora peccata. Hinc fit, ut in pueris ſit mitiſſima, quorum culpa non eſt perſonalis, ſed naturæ, nempe per voluntarietatem in alio. Stat igitur, quod docet *Auguſtinus* lib. 1. de origine Animæ cap. 9. eſſe haudquaquam poſſe medium ſtatum inter gehennæ ſupplicium, & Regnum Cœlorum; qui enim non ſunt ad

Pœna damni conſideratur ex parte termini, & ex parte ſubjecti.

cœle-

cœleſtem vitam deſtinati, æternam mortem ſubibunt; eaqueprop̄ter toto aberrant cœlo, qui ea mente *Auguſtini* medium adſtruunt inter Gehennam, & Regnum, ſi pro medio intelligatur aliquod beatæ vitæ genus.

Ad quintum probationem applicanda eſt præcedens ſolutio; tangitur enim in ea quæſtio illa, an morientes cum originali ſint obnoxii triſtitiæ, ac dolori, qua ſuper re biphariam ſcinduntur ſcholæ, nec ad fidem quicquam attinet alterutra opinio, dummodo a cœleſti Regno excludantur pueri, atque in damnationis claſſe computentur. *Auguſtinus* prælibato loco de origine Animæ ait — „ Parvulis non baptizatis nemo permittat „ quietis, aut felicitatis cujuslibet, atque „ ubilibet inter damnationem, Regnumque „ Cœlorum quaſi medium locum — Sed de his ſatis, cùm ad Tractatum de originali peccato ſpectent.

§. IV.

TERTIUM ARGUMENTUM CUM SUIS INSTANTIIS SOLVITUR.

Objectiones negantis Juſtos judicandos.

173 OBJICIES 3. Juſti non judicabuntur; ſed Juſti ſunt melior pars humani generis: ergo totum genus humanum non judicabitur: ergo judicium non erit univerſale. *Major oſtenditur*. I. Jo. 3. v. 18. *Qui credit in eum, non judicatur*; ſed omnis Juſtus credit: ergo nullus Juſtus judicabitur. II. Promiſſiones divinæ ſunt infallibiles; ſed Deus promiſit peccata dimiſſa omnimodæ oblivioni tradenda: ergo cum omnes Juſti, B. Virgine exceptâ, habuerint aliquod peccatum, dicente Scriptura; *Qui dicit peccatum non habere, mendax eſt*, nullus erit judicandus; cùm judicium fieri nequeat abſque peccatorum manifeſtatione. *Minor probatur* Iſai. 65. v. 16 17. *Oblivioni tradita ſunt anguſtiæ priores, & quia abſcondita ſunt ab oculis meis. Ecce enim ego creo cœlos novos, & terram novam: & non erunt in memoria priora*. Ezech. 18. v. 21. 22. *Si autem impius egerit pœnitentiam . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*: Pſalm. 31. v. 1. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*. 1. Petri 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Ergo. III. Juſti noviſſimo die maximo honore afficientur Sap. 5. v. 1., & 4.; *Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia, adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt . . . Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore; ecce quomodo computati ſunt inter Filios Dei*. At ſi judicandi ſunt, confuſionem patientur criminum publicatione: ergo. IV. Omnes juſti ante judicium erunt beati: ſed Beatis repugnant conditiones ultimi judicii; nam beatitudini repugnat timor, & terror, qui tamen neceſſario tunc erunt, cùm ſcriptum ſit Job 41. v. 16. *Cùm ſublatus fuerit, timebunt Angeli*: ergo. V. Omnes juſti judicii die erunt Judices aſſeſſores Matth. 19. v. 28. *Sedebitis, & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael*: quod dictum eſt Apoſtolis, verum erit in perſona omnium Juſtorum; ſed qui judicat, non judicatur, & hac ratione Chriſtus Judex non judicabitur: ergo. VI. Secundùm Evangelium juſti in reſurrectione erunt ſicut Angeli Dei; ſed Angeli non judicabuntur; dicitur enim Joan. 16. verſ. 11. *Princeps hujus Mundi jam judicatus eſt*: ergo. VII. Plures Sancti conſummatam habent beatitudinem animæ, & corporis: unde de Virgine Matre Apoc. 12. v. 1. dicitur: *Signum magnum apparuit in Cœlo*: & Matth. 27. v. 52. *Multa Corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*; ſed qui conſummatam habent beatitudinem, non debent judicari: ergo plures juſti non judicabuntur: ergo, ne ſit diſcretio in illa die, æqualis erit omnium conditio; præſertim quòd ſinguli conſummatam naneiſcentur eſſentialem beatitudinem.

Omnes Juſti ſunt judicandi.

RESPONDETUR cum Catholicis negando aſſumptum argumenti: omnes enim auctoritates allatæ ad probandum univerſale Judicium, & plures adductæ de juſtorum reſurrectione evincunt juſtos omnes eſſe judicandos judicio approbationis. Quare non eſt ulterius immorandum; ſufficiat nunc auctoritas Apoſtoli 2. ad Tim. 4. v. 8. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus*.

Judicii diſcuſſionis.

De Judicio diſcuſſionis non eſt apud omnes æqualis, quoad modum loquendi, certitudo. Quoad rem verò, ſi quæſtionem de nomine excludamus, reor conſtare ex Scripturis. Judicium ſiquidem diſcuſſionis nihil eſt aliud, quàm examen operum, quod a Scriptura ventilatio dicitur; atqui hoc dabitur in Judicio quoad juſtos: ergo dabitur Judicium diſcuſſionis, ſeu diſcretionis. *Minor probatur* parabolâ *Matth.* 20. de Operariis, qui pro diurno labore denarium receperunt. Plauſibilis expoſitio, quam ſequitur *D. Thomas* in hunc locum eſt, in ea depingi juſtos recipientes mercedem beatitudinis, in cujus diſtributione inducitur aliquorum obmurmuratio, quia æquale præmium cum primis ultimi recepére, refertur Domini redargutio, & reſponſum ſatisfaciens querimoniæ: quâ doctrinâ repræſentatur forma judicii diſcuſſivi. Oſtenditur quoque eadem *minor* ex Matth. 12. v. 36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii*. Hic exemplificat Judicium in peccatis, quæ ſolent a viris juſtis committi, ut intelligamus diſcuti eorum opera: Eccleſiaſtes 12. v. 14. *Cuncta, quæ fiunt, adducet Dominus in Judicium* pro omni errato ſive bonum, ſive malum illud ſit; cui conſonat illud 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*. Hinc cap. 12. Matth. *D. Thomas* ſubdit — In die Judicii reddet „ unuſquiſque rationem ſermonum ſuorum — *Unuſquiſque* etiam juſtus; nam cùm prædictæ ſint propoſitiones univerſales, ad omnes debent extendi: ſpecialiter tamen de Juſtis accipitur illud Sophoniæ 1. v. 12. *Et erit in tempore illo: Scrutabor Jeruſalem in lucernis*; pro Jeruſalem intelligitur anima juſti; ſcrutatio in lucernis ſignat exquiſitam diligentiam

Diſcutienda Juſtorū opera.

in

in diſcutlendis minimis etiam defectibus; illud quoque Pſal. 74. verſ. 3. eſt ad rem: *Cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo*, quibus denotatur intima etiam bonorum operum ventilatio: quæ loca adducens *D. Bernardus* de Viris Sanctis ſer. 55. in Cant. — Id-

Opera bona examinanda.

„ circò, *ait*, neceſſe erit ſubtili ea inveſti-
„ gati diſcuſſione, & quaſi admotis lucernis
„ de tenebris in lucem prodi. Poſſumus
„ afferre aliquid èt de Pſalmo ad confirman-
„ dum id, quod dicitur de ſerutanda Jeruſa-
„ lem. Ait namque ſub Perſona Domini,
„ cùm accepero tempus ego juſtitias judica-
„ bo: Vias Juſtorum (ni fallor), & actus
„ eorum diſcuſſurum ſe, & examinaturum
„ dicit — Ergo Sancti diſcuſſionis judicio
examinabuntur.

174 Nec aliter eſſe poteſt; nam ſatiſfieri debet Divinæ Juſtitiæ, & Miſericordiæ, cujus rectitudinis Chriſtus eſt adeo ſollicitus, ut & ipſe velit judicari, ut hominibus conſtet de ejus æquitate: hinc Iſai. 43. verſ. 26. dicitur: *Reduc me in memoriam, & judicemur ſimul: narra ſi quid habes ut juſtificeris*: & Pſalm. 50. v. 6. *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm judicaris*. Ut autem pateſcat ſententiæ æquitas, palàm fiat oportet merita permanſiſſe viva uſque ad mortem, & quomodo, ſi fuerint interrupta, reparata ſint: item peccata Juſtorum pœnitentiâ fuiſſe abluta: hæc omnia Juſtitiæ, & Miſericordiæ myſteria revelanda ſunt, & propalam exponenda; quare

Etiam Chriſtus judicandus.

AD PRIMAM PROBAT. reſpondeo: *qui credit non judicatur*, Judicio condemnationis, de qua ſub nomine Judicii loquitur Scriptura — Solent enim Scripturæ,

Juſti non judicabitur Judicio condemnationis.

„ *ita Auguſtinus*, judicium etiam pro æterna
„ damnatione ponere — ac propterea de Impiis dicitur Joann. 5. *Quod evigilabunt in reſurrectionem Judicii*. *S. Irenæus* lib. 5. cap. 27. ait — Qui credit in me, non judicatur,
„ ideſt non ſeparatur a Deo — Dicitur autem de præſenti non judicatur; quia a Deo præſcitur finaliter perſeveraturus in fide formata.

AD SECUNDAM. Eæ ſolummodò Scripturæ indicant adæquatam peccatorum remiſſionem tum ex parte hominis; quia per gratiæ infuſionem verè deletur macula: tum ex parte Dei; quia illorum non recordatur, ut puniat. Cæterùm non ſignificatur deleri ex Dei memoria, nec eſſe die Judicii manifeſtanda; tunc enim detegentur abſcondita tenebrarum. Quamobrem *Auguſtinus* lib. 20. de Civit. cap. 14. — Quædam igitur vis eſt

Peccata manifeſtabuntur in Judicio.

„ intelligenda divina, qua fiet, ut cuique
„ opera ſua vel bona, vel mala, cuncta in
„ memoriam revocentur, & mentis intuitu
„ mira celeritate cernantur, ut accuſet, vel
„ excuſet ſcientia conſcientiam, atque ita
„ ſimul & omnes, & ſinguli judicen-
„ tur —

AD TERTIAM. Manifeſtatio peccatorum non erit Juſtorum dedecori, cui non ſunt obnoxii. Recitantur quotidie in Eccleſia D. Magdalenæ, D. Auguſtini, aliorumque plurium peccata, neque tamen inde triſtantur, aut quidquam dedecoris ad eos redit; quinimmò in ipſa revelatione gaudebunt, miſericordias Domini in æternum cantantes, ubi apparebit omnia in bonum Electis cooperata eſſe, & peccata ipſa in prædeſtinationem præordinata elucebunt. *Ulteriùs* glorioſa tunc Sanctis erunt merita, quæ innoteſcere adæquatè non poterunt, niſi detectis criminibus, queis ſatisfecere. Secus in Damnatis creſcet confuſio ex cognitione ſuorum, aliorumque ſcelerum, in quibus obduraverunt; & quamvis ſocii criminum verecundiam minuant; re penſata ex hominum æſtimatione, quæ conſuetudine vileſcit, tunc augeſcet; quia —

In Juſtis apparebunt peccata abſque confuſione.

„ Confuſio reſpiciet æſtimationem Dei, quæ
„ eſt ſecundùm veritatem de quolibet pecca-
„ to, ſive unius tantùm, ſive multorum —
ita *S. Thomas* Suppl. quæſt. 87. art. 2. ad 4.

AD QUARTAM. Terror Judicii apud *Job*, omneſque Patres afficit Reprobos, tunc graviſſima formidine quatiendos, non autem Electos, nullo commovendos pavore. Afficit etiam Sanctos viventes tempore immediatè proximo ad judicium propter immanes rerum formidabilium eventus, qui in Evangelio depicti judicium præcurrent, apti ad perterrendos etiam Angelos, ſi eos timor poſſet inceſſere. Niſi fortè mavis dicere, tunc Angelos timore percellendos propter eos, queis ad cuſtodiam præſunt, ne iis ſignis, & perſecutionibus perterriti a Fide, & Charitate deciſcant. Certè metuent divinam virtutem, & poteſtatem admirantes, cùm detrudet ea die Diabolum cum Angelis ſuis in Infernum: ſic *D. Thomas* in hunc locum Job.

Judiciũ erit terribile pro Reprobis.

AD QUINTAM. Unum eſt certum, duo ſunt obſcura: certum eſt ſecundùm fidem in aliquo ſenſu quoſdam Sanctos habituros judiciariam poteſtatem; quia hoc clarè in laudato textu Matth. habetur, ſicut etiam Luc. 22. v. 29. *Ego diſpono vobis . . . ut ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſrael*: 1. Corinth. 6. v. 2. *An neſcitis quoniam Sancti de hoc Mundo judicabunt?* Sap. 3. v. 7. *Fulgebunt juſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis*. Obſcurum autem eſt, quid ſit hoc judicare, & quinam Sancti ſint judicaturi. Circa primum varios dicendi modos refert *D. Thomas* in 19. Matth. Primus eſt: Sancti judicio Impiorum præerunt comparativè, quatenus eos factis condemnabunt; ac decernent pœnâ dignos, quia ſibi in malè operando diſſimiles fuerint. *Hieronymus* in 19. Matth. —

Quidam ſecundùm fidẽ debent judicare.

Quid eſt judicare.

„ Sedebitis judicantes duodecim Tribus Iſ-
„ rael; quia vobis credentibus illi credere
„ noluerunt — & *Chryſoſtomus* Hom. 65. in
Matth. — Quid eſt judicantes duodecim
„ Tribus Iſrael, nihil aliud niſi condem-
„ nantes? — Secundus modus docet judicaturos per conſenſum, quatenus approbabunt ſententiam Judicis dicentes, *Juſtus es Domine, & rectum Judicium tuum*: & Pſal 57. v. 11. *Lætabitur Juſtus, cùm viderit vindictam*. Aſt inquit *Angelicus* hoſce modos non ſufficere, utpote Sanctis omnibus communes; & tertium ſubjungit aſſerentium ideo judicaturos; quia eos Chriſtus dignabitur honore ſecum aſſidendi, juxta illud Apoc. 4. v. 1. & 4. *Vidi . . . in circuitu ſedis ſedilia viginti-quatuor: & ſuper thronos vigintiquatuor ſeniores*

ſedentes, ſicut & Danielis 7. Et hunc quoque probat non ſufficere; quia Scriptura utrumque exprimit, & ſedere, & judicare. Hinc quartum ſubnectit: judicabunt ad modum libri, quia juſti in cordibus ſuis cuſtodiunt legem, & mandata, ſecundùm quæ attenditur ſalus: unde in ipſo capite 20. dicitur *Libri aperti ſunt, & mortui judicati ſunt*. Verumenimverò aliquid plus exigit Doctor *Angelicus*, quia Pſal. 149. v. 6. ſcriptum eſt, *Gladii ancipites in manibus eorum*. Itaque ponit modum explicandi a *Riccardo* deſumptum, qui conſiſtit in quadam participatione judiciariæ actionis per Chriſtum auctoritativè exercitæ: *primò* quatenus ex privilegio concurrent cum Chriſto ad excitandam in judicandis peccatorum recordationem, & bonorum operum, ſuggerent nempe lumen quoddam ad cognitionem conſcientiæ, qui concurſus videtur pertinere ad diſcuſſionem: *ſecundò* quatenus deferent velut promulgatores ſententiam ad aures judicatorum, ſicut per Angelos, & Moyſen lata eſt lex.

Qui debent judicare.

175 Circa ſecundum: quidam ex auctoribus attribuunt ſoli Apoſtolorum cœtui judiciariam facultatem: quod ab omnibus ferè Patribus rejicitur; latiorem enim Scripturæ ſenſum admittunt. Alii ad omnes Sanctos eam poteſtatem extendunt; quia in numero duodenario univerſitas multitudinis exprimitur, ùt docet *Auguſtinus* lib. 20. de Civitate Dei cap. 5 relatus ab *Angelico* in 19. Matth.; ſed extenſio non admittitur univerſaliter quantum ad ultimum modum judicandi; quia Chriſti promiſſio ſpeciale alicujus excellentis virtutis præmium includit. Hinc quidam hoc Judicium concedunt Sanctis ab Eccleſia canonizatis: ex quo enim publicè ſunt teſtimonio probati, æquum videtur, ut alios judicent. Aſt non arridet hæc aliis doctrina; nam titulus judicandi non oritur ex Eccleſiæ canonizatione, ſed ex ſanctitate, quæ eminentior quandoque eſt in aliis Sanctorum albo ſolemniùs non adſcriptis. Itaque D. Thomas *ſupplem. quæſt.* 89. *art.* 2. docet hujuſmodi privilegium ad voluntarios pauperes præcipuè reſervari, quod deducit primò ex *cap.* 19. *Matth.*, ubi tanquam præmium peculiare tribuitur paupertati judicandi poteſtas. Extimeſcendum ibi Chriſtus propoſuerat ſalutis æternæ diſcrimen in divitiarum affluentia; Petro itaque reſpondenti: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* ſubdit Chriſtus: *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael*. Ubi adverte Chriſtum loqui de perfectis in paupertate; inquit enim: *Et ſecuti eſtis me*: deducit ſecundò ex illo Job 36. v. 61. *Non ſalvat impios, & judicium pauperibus tribuit*. Tertiò ex promiſſione exaltationis facta humilibus, *qui ſe humiliat, exaltabitur*. Porrò humiliati, maximèque depreſſi ſunt pauperes ſpiritu, Mundi contemptores; unde etiam Chriſto *Joan.* 5. data eſt poteſtas judicandi, utpote pauperrimo; & ab Impiis conculcato. Quartò quia *Matth.* 5. paupertas voluntaria eſt prima

Paupertas voluntaria eſt perfectionis fundamentū.

inter beatitudines, hoc eſt primus gradus, & fundamentum perfectionis; & quia perfectorum eſt judicare imperfectos: ideo ſpecialiter voluntaria paupertas eſt diſpoſitio ad judiciariam poteſtatem: qua doctrina ibi ad ſecundum oſtendit *Angelicus*, judicium activum magis ſpectare ad Pauperes, quàm ad Martyres, & Virgines; quia licèt martyrium, & virginitas ſint ſacrificia de majoribus, melioribuſque bonis; haud tamen ſunt ita principalia opera perfectionis. Paupertas autem eſt prima pars perfectionis; *principium autem eſt maxima pars rei*: qua doctrina idem *Angelicus* ad tertium demonſtrat non competere Doctoribus, quamvis Joan. 12. v. 48. habeatur: *Sermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die*, quod gloſſa Doctoribus applicat judicantibus, eo namque ipſo quòd legem, & verba exhortationis proponant ad inſtituendos mores, æquum videtur, ut eos ipſi judicent, a quibus ſpreta ipſorum fuere ſana conſilia; quia — Ille, *inquit*, qui legem propoſuit,
„ aut exhortatus eſt ad bonum, judicabit,
„ cauſaliter loquendo, quia per comparationem ad verba ab ipſo prolata, vel
„ propoſita alii judicabuntur . . . Vel dicendum (ſecundùm quoſdam) quòd tria
„ requiruntur ad judiciariam poteſtatem:
„ primò, abdicatio temporalium curarum,
„ ne impediatur animus à ſapientiæ perfectione. Secundò, requiritur habitus continens divinam juſtitiam ſcitam, & obſervatam. Tertiò, quòd illam juſtitiam
„ alios docuerit; & ſic doctrina erit perfectio complens meritum judiciariæ poteſtatis — Et ad quintum aſſerit non immeritò hoc præmium accidentale datum eſſe pauperibus ad judicandos etiam ſibi in merito ſuperiores; quia utvis auctoritativè ſuperior judicari nequeat ab inferiori, poteſt tamen virtute delegata a ſuperiore utriuſque. Hinc enodatur difficultas principalis argumenti, quòd ſcilicet judicantes non judicantur. Judiciariam poteſtatem pauperibus convenire, dummodo tales ſint in perfectione, docet *Hieronymus* Epiſt. 28. ad Lucinium — Qui duo cum Vidua pauper-
„ tatis ſuæ in gazophilacium æra mittentes
„ totum cenſum, quem habuerunt, Domino
„ tradiderunt, & merentur audire, ſede-
„ bitis ſuper duodecim &c. — Pariter *D. Auguſtinus* pauperibus non tantùm re, ſed affectu, unde inter iſtos connumerat divites re, ſed pauperes corde, hanc poteſtatem tribuit Epiſt. 89., licèt Pſal. 49. Viris quiſcunque perfectis.

Judicantes ſupremi non judicantur.

AD SEXTAM. Abſque dubio Angeli comparebunt ad diem Judicii, teſte Matth. 25. v. 31. *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo*; tunc ad literam verum erit illud ad Philipp. 2. v. 10. *Ut omne genuflectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum* in præmium humiliationis, quam Chriſtus in terris ſuſtinuit. Adſtabunt etiam tanquam boni, adminiſtratores ſpiritus eorum, qui præordinati ſunt in ſalutem: mali, quia miniſtri fuerunt iniquitatis. Quod autem reſpicit Judicium præmii, vel pœna eſſentialis D. *Thomas* ſupplem. q. 89.

Angeli in Judicio apparebunt.

Non judicabuntur Judicio retributionis.

q. 89. art. 8. tenet, minimè judicatum iri, utpote jam ſuis judicatos in ultimo inſtanti viæ, dum præmium receperunt principale; maximè quòd Chriſtus non ſit Angelorum redemptor, neque debet eſſe eorundem judex. Quantum autem ad præmium accidentale docet judicandos judicio retributionis, quia Boni babebunt gaudium magnum de bominum ſalute; ſcriptum eſt enim: *Gaudium erit in cælis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente:* Malis verò accedet major triſtitia, & confuſio tum propter ſalutem Bonorum, tum ob Malorum perditionem.

176 Aliquorum tamen opinio fert Angelos ſupponendos fore judicio retributionis quoad eſſentialia, quod eruitur ex ſequentibus Scripturis 2. Petri 2. v. 4. dicitur: *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari:* Apoc. 20. v. 9. *Diabolus qui ſeducebat eos miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi Beſtia, & Pſeudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum:* probant etiam ex Dæmonum querelis timentium, quòd ſtatim eſſent a Chriſto judicandi, & damnandi. Matth. 8. v. 29. *Quid nobis, & tibi Jeſu fili Dei, veniſti ante tempus torquere nos;* ſed potiſſimè ea prima Corinth. 6. v. 3. *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus;* quod certò refertur ad judicium quoad eſſentialia; tum quia eudem modo dicuntur homines Mundum judicare, ac Angelos; tum quia *Clemens* I. lib. 7. Conſtit. cap. 33. inſit — „ Venturus eſt Chriſtus in thronum regni „ ſui ad condemnandum deceptorem Mundi „ Diabolum, & tribuendum unicuique pro „ actibus ſuis — Idem docet *Auguſt.* lib. 21. de Civit. Dei cap. 23., & lib. 11. cap. 33.

Quomodo Angeli judicari dicuntur.

Sed ad hæc omnia facilè reſpondetur: In præallatis Scripturis exprimi effectum quendam ſecundarium damnationis, perpetuæ, videlicet relegationis in Inferno, ubi ita alligabuntur, ut non ſint ampliùs egreſſuri, ad eam libertatem capeſſendam, quà nunc gaudent. Atque hoc eſt, quod Patres citati intendunt, & illi etiam, qui Dæmonibus tribuere videntur ſuæ damnationis ignorantiam; non enim abſolutam tribuunt, ſed quoad peculiarem hunc effectum relegationis ſempiternæ: nec eàdem cenſurâ a fidelibus judicabuntur, qua Mundus judicabitur, ſed de conſequenti dumtaxat, quatenus judicabunt homines bonos, & malos, ex quorum damnatione, vel ſalute accreſcet Angelis gloria, aut pœna accidentalis: ita ex *D. Thoma* in hunc locum: vide ſup. in hoc tract. p. 1. Controv. II. n. 28., & ſeq.

177 Probant deinde rationibus. I. Ex Angelis, & hominibus fiet una Civitas Jeruſalem, & unum Regnum in participatione ejuſdem beatitudinis eſſentialis: ergo æquum eſt à Chriſto homines, & Angelos æqualiter judicari. II. Quia eſt è dignitate Chriſti, ut tanquam caput hominum, & Angelorum utroſque judicet. III. Pertinet ad honorem Angelorum, ut eorum merita in conſpectu omnium hominum, & Dæmonum laudem recipiant. IV. Pertinet ad publicam manifeſtationem Divinæ juſtitiæ, & miſericordiæ; quamvis enim præmium receperint, & ſemel ſint judicati, hoc tamen clanculum factum eſt; ſed homines, utcunque privatim judicati, publico iterùm judicio ſubjicientur. V. Chriſtus dicitur venturus judicare vivos, & mortuos; ſed Angeli inter viventes computantur, ſicut intelliguntur a Deo creati, ubi Deus dicitur Creator inviſibilium, & viſibilium: ergo.

Angeli indiſtinctè ſunt judicandi.

Hæc ut omnia vera ſint, ſufficit de conſequenti, & indirectè Angelos fore ſubjiciendos cenſuræ Chriſti hominis, de quo loquimur in præſenti. Porrò idem Chriſtus homo non eſt æqualiter hominum caput, & Angelorum. His etenim præeſt ſecundùm communes quaſdam rationes: illis verò peculiariter: quod apprimè ratiocinatur *D. Thomas* pr. cap. ad Epheſ. lect. 8. Haud itaque eodem ſunt modo quoad eſſentialia dona ad Chriſtum referendi Angeli, & homines, neque in militanti, neque in triumphanti Regno, ac per conſequens neque in forma judicii. Quocirca licèt homines privativè, ac publicè ſtare debeant ad Divinum Tribunal, hoc non valet de Angelis. Ad gloriam itidem Angelorum ſatis eſt patefieri ſuo quemque miniſterio functum eſſe circa homines, & Eccleſiam. Profectò eluceſcet ipſorum honos ea elevatiori ſitu, aliiſque circumſtantiis, quæ & propalam facient eſſentialem eorundem gloriam. Ex hoc judicio pariter indirectò manifeſtabitur Divina juſtitia, & miſericordia, quantum ſat eſt ad ſtatum Angelorum, prout ſunt Spiritus adminiſtri. Illud verò ſymboli in ſenſu, quo ſupra explicatum eſt, intelligitur de ſolis hominibus; quare ſicuti Chriſtus non eſt Angelorum Redemptor, nec per ipſum influunt in Angelos eſſentialis gratiæ dona, ita non eſt eorundem directè Judex.

Angeli non ſunt judicaturi.

178 Num verò Angeli conjudices ſint futuri, anceps ſententia eſt. Negativam tuetur *S. Thomas*. Judicis aſſeſſores debent eſſe conformes in natura. Angeli neutiquam ſunt Chriſto judici conformes in natura: ergo. Sanè *Matth.* 13. in parabola zizaniorum adducuntur Angeli ùt miniſtri, non ùt judices: *Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de Regno ejus omnia ſcandala*. Aliud autem eſt judicare, aliud judici miniſtrare. *Danielis* 7. deſcribuntur plures Angeli in judicio miniſtrantes, & plures aſſeſſores non quidem ad judicandum, ſed ad judicis coronam, & majeſtatem. Inter Angelos quidam ex Officio throni dicuntur, quòd ad judiciariam poteſtatem ſpectare videantur, tanquam executores Dei, & promulgatores quoad juſtiſſimam, rectiſſimamque Mundi gubernationem, quæ nunc fit a Deo. Ita ex *Angelico* ſupplem. quæſt. 89. art. 3. ad 2. — „ Dicendum, quòd nomen throni attribuitur Angelis ratione illius judicii, quod „ Deus ſemper exercet, omnia juſtiſſimè gubernando, cujus judicii Angeli ſunt quodammodò executores, & promulgatores — Plerique rationem *D. Thomæ* ſolùm contrahunt ad homines judicandos; ſecus ad Dæmones, Angelis in natura conformes. Sed

Quomodo quidem Angelis dicuntur Throni.

idem *Angelicus* non probat hanc veritatem ex conformitate naturæ judicantium, & judicandorum, ſed judicantium, & Judicis, quod tamen parùm noſtra intereſt.

Septimæ probationi in contrarium poſitæ reſpondetur. Non eſt major ratio de Sanctis glorificatis quoad animam tantùm, quàm etiam quoad corpus: horum bona omnium, & mala manifeſtari oportet, ut mala purgata fuiſſe, & bona finaliter prævaluiſſe innoteſcat. De Virgine Deipara culpæ omnimodè experti, & excellentiſſimis virtutibus prædita, nulla fiet Judicis diſcuſſio, ſed tantùm publica ejuſdem exaltatio ad Dei gloriam, & ſpecialem providentiam in Deipara manifeſtandam.

De B. V. non fiet judicium.

179 OBJICIES 4. Non eſt futurum univerſale Judicium, ſi quæ de eo dicuntur, metaphoricè ſint accipienda; atqui ita eſt: ergo. *Probatur minor*. In Scriptura habetur *Ecce Throni poſiti ſunt*, & quòd *Filius hominis ſedebit in ſede Majeſtatis ſuæ*; ſed Throni non poſſunt eſſe reales, nec ſubſiſtere in aere: ergo neque realis erit Judicis ſeſſio. II. dicuntur Libri aperti, & ſecundùm eos judicati mortui; ſed Libri non poſſunt eſſe reales, aliter eſſent infinitæ molis: ergo neque Judicium ex illis. III. ponitur, quòd Judicium fiet in Valle Joſaphat; ſed hoc nomen eſſe nequit alicujus loci realis; quia quicumque aſſignetur, etiam ſi Mundus totus, non videtur capax tantæ corporum multitudinis diſtinctæ, niſi ponatur corporum penetratio in corporibus damnatorum: ergo ſignificatur aliquid metaphoricum. IV. ponitur prolatio ſententiæ per os humanum; ſed hoc eſſe nequit, cùm non omnes auribus audiant, ut Dæmones: ergo eſt prolatio metaphorica. V. dicuntur poſt Judicis ſententiam mors, & Infernus mittendi in ſtagnum ignis; ſed hoc realiter nequit contingere: ergo metaphoricè debet explicari. Si ergo omnes circumſtantiæ metaphoricæ ſunt, Judicium totum eſt metaphoricum, nec reale, nec verum.

RESP. hunc eſſe modum arguendi hæreticis familiarem, qui ad eludenda Fidei myſteria, divinarum locutionum ſignificationes ad methaphoram trahunt. Sed in præſenti veritate adeo clara ſunt teſtimonia, ut æquivocationi nullum relinquant locum. Nec in argumento adducta quidquam habent roboris. Non primum de Thronis; quamvis enim in ſenſu myſtico S. Thomas *in Comment. Apoc.* 20. teneat Thronum Chriſti eſſe Eccleſiam, cæteroſque proinde Thronos eſſe perfectos homines, qui ad judicandum aſſumuntur; erunt tamen verè, & reales Throni virtute divina, & Angelorum miniſterio, & luce, & verè mirabiliter efformati, quod non erit Angelis difficile, cùm naturaliter ex aere poſſint corpora efficere, ſicuti ex luce, & aere effingent nubes, in quibus venturus Judex deſcribitur ad Majeſtatem ejus augendam, & hoſtium formidinem, juxta illud 1. Reg. 2. v. 10. *Dominum formidabunt adverſarii ejus: & ſuper ipſos in Cælis tonabit: Dominus judicabit fines terræ*. Quæ nubes mira Cœlorum ſpecie variegata electos recreabit, & exterrebit impios, ſicut columna ignis præcedens caſtra Iſrael Hebræis profuit ad lumen, adverſariis ad terrorem, & obſcuritatem.

Throni in Judicio ex aere, & luce formabuntur.

180 DICES. Tunc ceſſante motu cœlorum, deſinent cæteri motus, atque adeo etiam motus iſte condenſandi aeris: ergo non poſſunt Throni illi naturaliter ab Angelis conflari.

RESP. ad fidem tuendam nihil intereſſe, utrum naturali virtute hæc ſint præſtanda, nec ne. Deinde incumbit arguenti demonſtrare deſituros eſſe cœlorum motus, priuſquam finiatur Judicium, cùm cœli potiùs innovandi videantur eo finito. Præterea hæc ratio militat pro agentibus ſublunaribus, quæ in agendo dependent a cœleſtibus; ſecus de Angelicis Spiritibus, in quos cœleſtia nihil influunt etiam quoad actiones circa corpora exercendas.

Angeli non dependent ab influxu Cælorum.

181 DICES *ſecundo*. Aer totus impar videtur efformandis nubibus, corporibuſque, quæ aſſument Angeli ad comparendum. Uni ſiquidem conflando corpori multum aeris neceſſarium eſt, & alioquin multitudo erit innumerabilis adſtantium Angelorum.

RESP. primò dubiam rem eſſe, num Angeli ſint corpora aſſumpturi; verſamur enim in meris conjecturis, quia in Nativitate, Reſurrectione, & Aſcenſione apparuere corporalibus induti; Judex quoque & homines judicandi corporaliter apparebunt. Itaque reſpondetur ſecundò, aerem copioſiſſimum eſſe, & vaſtiſſimum elementum, ſuffecturumque corporibus effingendis.

Præterquamquod partes aquæ, & ignis attenuari poterunt, vel a Deo novus aer produci: non ergo Chriſti thronus erit metaphoricus, ut *Origenes* voluit.

Ad ſecundam probationem multiplex circa hos Libros expoſitio eſt: primò *Auguſtinus* lib. 20. de Civit. Dei cap. 14., pro Libris Sanctos intelligit — Libros dixit eſſe „ apertos, & librum; ſed librum cujuſ„ modi ſit, non tacuit, qui eſt, inquit, „ vitæ uniuſcujuſque: ergo illi libri, quos „ priore loco poſuit, intelligendi ſunt San„ cti, & veteres, & novi, ut in illis „ oſtenderetur, quæ Deus fieri ſua man„ data juſſiſſet —

Multiplex expoſitio circa libros, qui in Judicio aperientur.

Secundò Hieronymus *in cap. 7. Daniel.* tenet Libros eſſe conſcientiæ ſingulorum, & memoriam cujuslibet judicandi juxta illud Jeremiæ 17. v. 1. *Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum*: & ad Rom. 2. v. 15. *Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Deus occulta hominum*. Juxta duas hujuſmodi expoſitiones Libri non eſſent in proprietate reales. Tertia Libros reales vult eſſe duo Teſtamenta novum, & vetus, ad quorum doctrinam examinanda ſunt opera hominum; quod ipſum videtur innuere Deuter. 33. v. 2. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis . . . In dextera ejus ignea lex*: Hebraicè legitur *Judex de Sinai*. Quarta in altero Libro docet omnium judicandorum deſcripta nomina; in altero ſingulo-

gulorum opera. Quarta tot Libros actionum multiplicat, quot ſunt perſonæ.

Alias autem liber apertus eſt vitæ: hunc Librum interpretantur aliqui eſſe Chriſti vitam, omnibus inſtar regulæ ad benè vivendum propoſitam, & juxta hanc ſunt mortui judicandi. Communior fert opinio Librum eſſe prædeſtinationis, in quo exarata ſunt nomina præelectorum ad vitam æternam, eſtque fundamentaliter in mente Dei, & formaliter exemplatus in alio, qui tunc aperietur. Præter hunc admittit *S. Hieronymus* alium Librum mortis in manu Dæmonis, ubi deſcripti ſunt Reprobi, & licèt in mente Dei ſint indelebiliter impreſſa nomina, & acta Reproborum, tamen non dicitur dari in Deo librum mortis, quia ex D Thoma 1. *p. q.* 24. *art.* 1. *ad* 3. non ſolent in libris militiæ ſcribi, qui à militia rejiciuntur. Aperiet autem libros tum radicales conſcientiarum, tum formales, ut intelligantur ab omnibus, & ſingulis, ita ut quilibet clariſſimè perſpiciat omnia ſua, & aliorum omnium opera. Virtus divina memoriam excitabit, elevabitque phantaſiam, & intellectum ad penetranda quæcumque objecta, quæ ad Judicium pertinent. Quæcumque penitiſſima, ac retruſiora objecta coaptabuntur cuique ad intelligendum, ac videndum: ſicuti ſpirituales ſubſtantiæ, & ſeparatæ cognoſcent quæque cordium arcana. Die autem illo noſtrarum Dominus voluntatum vult omnia poni in propatulo, & ab omnibus videri, ita univerſalis Judicii natura exigente: & ut omnibus reſplendeat divinæ juſtitiæ rectitudo. Hæc autem manifeſtatio fiet breviſſimo tempore: D. Gregorius *lib.* 2. *Dialog. cap.* 35. de Sancto Benedicto refert, quòd ſpiritu elevatus totum Mundum viderit quaſi in globo ſolaribus radiis collectum: quo etiam modo Prophetæ abſentia, & plura ſimul vident. Hanc intellectus miram, acutiſſimamque aciem habebunt ſinguli in Judicio, quo pandentur cogitationes cordium juxta illud Sapientiæ 1. v. 9. *In cogitationibus impii erit interrogatio*. Verba: Matth. 5. v. 22 *Qui autem dixerit fratri ſuo, raca: reus erit Concilio*. Opera: ad Heb. 13. v. 4. *Fornicatores .... judicabit Deus*. Omiſſiones: Matth. 25. v. 42. *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare*, & ſimiliter de bonorum genere judicabuntur cogitationes, verba, opera, & omiſſiones tam in peccatoribus, quàm in Juſtis, facta in utroque ſtatu gratiæ, & peccati; hæc enim omnia ut elucidentur, æquitas univerſalis Judicii poſcit.

Quid Liber vitæ.

Quando ſingulorum opera cognoſcentur.

Quid veniet nomine vallis Joſaphat.

Ad tertiam de loco. Haud ignorem pleriſque nomen illud vallis Joſaphat viſum eſſe appellativum, quod ſignificat Domini Judicium, non autem locum aliquem determinatum. Verior tamen, & communior ſententia perhibet præſtitutum aliquem locum. Aliqui volunt eſſe innominatum, & nobis incompertum, cui poſtea Judicium ipſum nomen dabit *vallis Joſaphat*; ſicuti locus, ubi Reges in fine Mundi occidentur *Anathema excidii* vocabitur *Apoc.* 16. *v.* 18., & locus ubi interficietur Gog, dicetur *vallis multitudinis* Ezech. 39. v. 11.: itidem locus, in quo ſedebit *Antichriſtus*, appellabitur *Palatium regale* Daniel. 11. v. 45. Juxta hanc explicationem elabitur difficultas; locus enim ille erit tantæ amplitudinis, quanta ſufficiet ad omnes continendos. Alii tenent ſitum eſſe illum inter Jeruſalem, & montem Oliveti, cui vallis Joſaphat nomen eſt a Rege Joſaphat deductum, qui triumphalem arcum inibi extruxit poſt victoriam de Ammonitis, & Idumæis: forſitan mutatus eſt in mauſoleum, in quo potuerunt recondi ejuſdem oſſa ex Sion tranſlata, ubi fuerat tumulatus. In hac valle Joſaphat Ezechias, & Joſias combuſſerunt idola: in ea Civitatis cadavera ſepeliebantur (nunc Turcarum cœmeterium eſt) ibidemque erat gehenna, in quo cremabantur infantes Moloch: in ea tenent Hebræi extare fauces Inferni, ex eo quòd ibi duæ palmæ jugiter fumant: in ea eſt hortus Gethſemani, ubi Chriſtus paſſionem eſt exorſus. Circa hanc Vallem ſunt præcipua loca, ubi Redemptor noſter mirabilia operatus eſt, & ſecundùm hanc literam currit objectionis arduitas: cui reſpondet *Angelicus* parvum locum magnam poſſe hominum multitudinem capere; ſed ùt ſuperiùs diximus, ſupra terram ſoli Impii ſtabunt, & pro valle Joſaphat etiam vicinia connotantur, etſi redivivi extra Paleſtinæ fines occupent ſitum, adhuc ſubſiſtet Scriptura; nam denominatio ſumitur ab ipſa Valle, quæ erit velut Judicii centrum, & immediatè ſuper eam ſtabit Judicis tribunal.

Soli Impii ſtabunt ſupra terram.

Ad quartam. Ex doctrina *Nyſſeni* totidem erunt ſententiæ, quot perſonæ judicatæ; merita namque, & ſingulorum demerita inæqualia ſunt, ac proinde inæqualis correſpondet præmii, & ſupplicii menſura. Una igitur communis ſententia non eſt proportionata juſtorum, reproborumve ſingulis: quod conſonum eſt Jeremiæ 17. v. 10. *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes: qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum*. Hæ verò ſingulorum ſententiæ fient per mentale imperium, quo unicuique intimabuntur, & innoteſcent aliis omnibus. Qui modus aptior videtur ad explicandam ipſius Judicii brevitatem nobis in Scripturis deſcriptam Malach. 3. v. 5. *Ero teſtis velox maleficis, adulteris* &c. Matth. 24. v. 27. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret uſque ad Occidentem: ita erit & adventus Filii hominis*. Quanta verò ſit futura duratio, nihil certi affirmem. Dicitur quidem in Scripturis dies Judicii; ſed non exæquabit diem integrum. Præter particulares ſententias dabitur alia duplex generalis ſententia, una pro juſtis, altera pro malis, ùt ex Evangelio patet: & hæc voce ſenſibili, & humana proferetur, quæ Dei efficacia ad ſingulorum aures perveniet, & Angeli intellectu percipient. Eiſdem verbis intimabitur, quæ in Evangelio recenſentur: aptiſſima quippe ſunt ad exprimendam qualitatem præmii, & pœnæ, quorum explicatio videnda eſt apud Expoſitores. Fiet proceſſus, & proferetur ſententia ſecundùm rigorem juſtitiæ abſque loco appellationis, & indulgentiæ, unde

Plures ſententiæ particulares, duæ univerſales.

Brevitas Judicii.

ſcrip-

ſcriptum eſt Proverb. 6. v. 34. *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.*

Ad quintam per metonymiam pro morte accipitur Diabolus, cujus invidiâ mortem Mundo invexit: pro Inferno veniunt Dæmones, tanquam abyſſi principes, quicque ſimul cum iis, qui ſcripti in libro vitæ non fuerint, æternaliter in ſtagnum ignis præcipites deſcendent. D. Thomas *quæſt.* 89. *art.* 4. *ſupplem.* docet, Dæmones executores eſſe Judicis ſententiæ in Impios, quodpote ad naturalem ordinem pertineat inter Deum, & hominem, ut miniſterio Angelorum ea gubernetur, qui ordo non eſt apud Inferos omnino auferendus. Quemadmodum igitur in cœlo, ubi ordo eſt perfectiſſimus, per Angelos deſcendent ad Beatos quædam illuminationes non pertinentes ad eſſentialem beatitudinem, in Inferis per Dæmones infligentur quædam ſenſibiles pœnæ præter eſſentialem damnationem, qualis eſt excinſio a regno, privatio gloriæ. Ceſſabit omnis prælatio tendens ad finem, de qua loquitur *Paulus* 1. Corinth. 15. verſ. 24., neutiquam verò deſinet prælatio cónſervativa: & hoc non quidem ea merito Dæmonum, qui injuſtè ſibi hominem ſubegere inducendo ad peccatum, ſed ex naturæ ordine — Dicendum, *ſic laudatus Thomas*, quòd prælatio illa, quæ dicitur evacuanda per Chriſtum in futuro, eſt accipienda ſecundùm modum prælationis, quæ eſt ſecundùm ſtatum hujus mundi, in quo & homines hominibus principantur, & Angeli hominibus, & Angeli Angelis, & Dæmones Dæmonibus, & hoc totum ad perducendum ad finem, vel abducendum a fine. Tunc autem cùm omnia ad finem illum pervenerint, non erit prælatio abducens, ſed conſervans in fine boni, vel mali — Vid: de Purgat. Pars II. Controv. V.

Diabolus dicitur mors.

Dæmones exequuntur ſententiā in impios.

182 OBJICIES 5. Ideo admittitur Judicium, quia illud futurum Scriptura pronunciat; ſed hæ loquuntur more prophetico, accipientes futurum pro præterito; ſicut dicitur de Spiritu Sancto, quòd in futuro *accipiet*, cùm tamen ſtet pro præterito: ergo.

RESP. non eſſe immorandum in ſolutione hujus inſtantiæ, quæ cæteroqui vero axiomati innititur, videlicet quòd prophetica locutio accipit futurum pro præterito, & è contra. Circumſtantiæ ſunt adeo limitatæ ad futurum, ut nullum relinquant interpretationi locum. Hæ circumſtantiæ ſunt univerſalis reſurrectio omnium mortuorum, comitatus Angelorum, Judicis majeſtas, præmiſſio Præcurſorum, Antichriſti perſecutio, Orbis conflagratio, commotio ſyderum, Orbis innovatio, & alia plura, quæ certò certiùs conſtat non eſſe præterita, ac per conſequens Scripturæ pertremendam de Judicio univerſali mentionem injicientes manifeſtè illud futurum pronunciant. Aliæ objectiones ſolutæ ſunt in Controverſia de Judicio particulari.

CONTROVERSIA VIII.

AN CHRISTUS PROXIME QUA HOMO VENTURUS SIT AD JUDICANDUM.

183 HEreticos quotquot in ſuperiori Controverſia confutavimus, in hanc quoque redeunt perinſenſi: & inſuper etiam Hebræi omnes in eo obſtinati, ut denegent ſecundum Meſſiæ adventum, nempe Chriſti; quamobrem Scripturarum teſtimonia evertuntur, cùm ad fabulas rejectant, quòd Chriſtus venerit, quem adbuc venturum præſtolantur. Hiſce impugnandis, quoniam plura eſſent neceſſariò expendenda ab hoc loco valdè aliena, ideo iis omiſſis, ea dumtaxat recenſeam, quæ ad judicium pertinent. *Georgius David* auſus eſt blaſphemari dicens ſe ſe Chriſti loco eſſe venturum, ut totum Mundum judicet. Sic *Baſilienſes* in vita hujus nequiſſima, ſic *Colchæus* de vita, & actis *Lutheri* ad annum 1545. *Origenes* tract. 24. in Matth. quæque de ſecundo Chriſti adventu habentur, ipſe explicat in ſenſu ſpirituali, & intellectuali. Sileo cæteros minùs cautè loquentes de judiciaria poteſtate Chriſto collata.

184 DICO: *Chriſtus qua homo venturus eſt ſecundò ad judicandum.* PROB. I. Scripturis utriuſque Teſtamenti, ſupponendo tamen Scripturas illas, quibus primus adventus demonſtratur, niſi neceſſitas urgeat ad oſtendendum diſcrimen inter utrumque. Eſt igitur adventus Chriſti Domini futurus in majeſtate, & terrore; ſed iſte non eſt primus adventus: ergo Chriſtus eſt ſecundò venturus: ergo ad judicandum. *Minor prob.* Primus adventus Chriſti Domini eſt humilis, & pauper juxta illud Zachariæ 9. v. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper Aſinam, & ſuper pullum filium Aſinæ.* Sanè adventus in humilitate haud idem eſt, ac adventus in majeſtate: ergo. Probatur autem *major* Pſalm. 49. v. 3. *Deus manifeſtè veniet: Deus noſter, & non ſilebit: Ignis in conſpectu ejus exardeſcet:* Dan 7. v. 13. *Ecce cum nubibus Cæli quaſi Filius hominis veniebat.* Cui conſonat illud Evangelii Matth. 26. v. 64. *Amodò videbitis Filium hominis . . . venientem in nubibus Cæli:* ergo ex conſonantia utriuſque Teſtamenti apparet duplex adventus Chriſti, cùmque juxta eaſdem Scripturas non ponatur ſecundus adventus, niſi ad judicandum, procul dubio Chriſtus ut homo venturus eſt ad judicandum.

Duplex Chriſti adventus.

185 Adventus ad ſalvandum uno tempore factus, & adventus ad increpandum, & retribuendum pro alio tempore ſunt duo diſtincti adventus; ſed in Scripturis ſub eadem Chriſti perſona hi duo adventus enunciantur: ergo. *Minor oſtenditur* Iſai. 55. v. 4. *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem, quam neſciebas vocabis: & gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current:* qui locus expreſsè eſt de Chri-

ſti

Chriſti prædicatio.

ſti prædicatione, & converſione gentium: Zachar. 13. v. 2. *Erit in die illa, dicit Dominus exercituum: diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultrà*: cui ex novo Teſtamento correſpondet illud Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Hæc pro prima parte *minoris*: pro ſecunda Pſal. 96. v. 2. *Nubes, & caligo in circuitu ejus: Juſtitia, & judicium correctio ſedis ejus. Ignis ante ipſum præcedet*: Iſai. 66. v. 15. *Ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ ejus: reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis: quia in igne Dominus dijudicabit*. Similia correſpondent in Evangelio Matth. 16. v. 27. *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus*: qui adventus ad retribuendum cum Angelorum comitatu apertè, & fusè deſcribitur *Danieli* 7.

Duplex Regnum Chriſti.

186 TERTIO. Adventus ad faciendum ſibi Regnum ſpirituale in cordibus hominum abſque plena illorum ſubjectione, immo cum ſubjectione ad Principes ſeculi: & adventus ad faciendum ſibi Regnum poteſtativè, & cum plena inimicorum ſubjectione ſunt diſtincti; ſed hi duo in Scripturis eidem Chriſti Perſonæ aſſignantur: ergo. *Min. declaratur*: & quoad primam partem habetur Iſajæ 28 v. 16. *Mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum*; hic autem lapis eſt Chriſtus poſitus in fundamento regni Eccleſiæ: lapis ille parvus, qui abſciſſus eſt ſine manibus, & percuſſit, & comminuit omnia regna mundi, hoc eſt falſa Gentilium idola, & crevit in montem magnum, & fecit ſibi regnum, *quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet univerſa regna hæc: & ipſum ſtabit in æternum* Daniel. 2. v. 44. Hoc autem regnum eſt Eccleſia toto orbe diffuſa, uſque ad conſummationem ſeculi duratura. De hoc regno loquitur Evangelium Luc. 1. v. 32. *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus: & regnabit in æternum in domo Jacob*; de quo regno Chriſtus ad Pilatum *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; quia eſt regnum ſpirituale, nec in hoc perfectam conſecutus eſt hominum ſubjectionem; nam *hic eſt lapis, quem reprobaverunt ædificantes*, & quem Principes Sacerdotum tradiderunt Pilato. Hoc regnum adhuc incompletum eſt, cùm non omnes obediant Evangelio, cùm adhuc expectandum ſit, ut compleatur numerus Fratrum. Quoad ſecundam partem probatur ex Pſal. 109. v. 1. *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, quod non fit, niſi ad conſummationem ſeculi: & poſtea v. 5., & 6. *Dominus a dextris tuis confregit in die iræ ſuæ Reges: Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum*. Hic deſcribitur perfecta regni poſſeſſio judicii die, quod etiam aſſeritur 1. Corinth. 15. v. 25. *Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus*: & utrumque Apoſtolus ad Hebr. 10. v. 12. complectitur, inquiens: *His autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus*. Regnum acquiſitum per Crucem, & quod in dies ædificatur, perficietur die judicii totali hoſtium ſubjectione.

Regnũ acquiſitũ per Crucem perficietur in conſummatione ſeculi.

187 QUARTO. Adventus, quem pax Orbis, & elementorum quies præcedit, ab illo diſtinguitur, quem bella, & elementorum perturbatio præcedunt; atqui duo iſti adventus in Scripturis de eadem Chriſti perſona deſcribuntur: ergo. De primo habetur Iſai. 11. v. 6. *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos*. Quæ dicuntur ad ſignificandam pacem inter nationes; ſicut in Evangelio de nativitate Chriſti dicitur, facta *toto orbe in pace compoſita*. De ſecunda ſcribitur Joelis 2. v. 1. *Venit dies Domini*. V. 10. *A facie ejus contremuit terra, moti ſunt cæli: ſol, & luna obtenebrati ſunt*: v. 30. *& ignem, & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*. His ſimilia quoque *Jerem.* 23. v. 19.: *Daniel.* 7. v. 9.: *Sophoniæ* 1.: *Zachariæ* 14. v. 5.: *Malachiæ* 3. v. 2., quæ omnia correſpondent illis, quæ docet Chriſtus *Matth.* 24. de ſignis præmittendis ante judicium, bella ſcilicet, ſeditiones, terræmotus, commotionis ſolis, lunæ, ſtellarum, & ſimilia.

188 Adventus in diverſo loco, tempore, & conditione perſonarum eſt omnino diverſus; ſed ejuſdem Chriſti Domini adventus erit hujuſmodi: ergo. Locus primi adventus eſt Bethlehem Mich. 5. v. 2., & Matth. 2. v. 6. *Tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael*. Locus ſecundi eſt vallis Joſaphat Joelis 3. v. 14. *Populi populi in Valle concisionis: quia juxtà eſt dies Domini in Valle concisionis*: & v. 16. *Et Dominus de Sion rugiet*. Tempus primi adventus eſt ante conſummationem ſeculi, & valde procul; & ideò dicit *Pſalmiſta*: Dominum in medio annorum operatum eſſe ſalutem; & ea, quæ circa converſionem gentium fieri debent, ſubinde facienda ſunt. Tempus ſecundi eſt in conſummatione ſeculi *Matth.* 13. In primo adventu pauci Chriſtum agnoſcent Jerem. 5. v. 12. *Negaverunt Dominum, & dixerunt: non eſt ipſe*. In ſecundo, omnes gentes ſimul comparebunt ante ipſum Joel. 3. v. 2. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat*: & v. 12. *Ibi ſedebo ut judicem omnes gentes*. In primo adventu Præcurſor præcedet Joannes Baptiſta Iſai. 40. v. 3. *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri*: Malach. 3. v. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*. In ſecundo præcedet Elias Malach. 4. v. 5. qui venturus eſt, *antequam veniat dies Domini*: utrumque adventum deſcribit Zacharias 12. v. 10. *Aſpicient ad me, quem confixerunt*. Per ly *confixerunt* exponitur adventus ad patiendum; per ly *aſpicient* exprimitur alius adventus,

Diverſitas in primo, & ſecundo Chriſti adventu.

in

in quo Chriſtum videbunt, qui eum morti tradiderunt. Quod clariùs explicatur Apoc. 1. v. 7. *Ecce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*. Ut Hebræus tandem diſcat intelligere duplicem Chriſti adventum, hæc dicta ſuffiaiant.

Qui paſſus eſt, judicabit.

189 PROB. II. Quod perſona Judicis ſit Chriſtus qua homo: qui paſſus eſt: qui ſepultus reſurrexit a mortuis, & aſcendit ad cœlos, ille idem venturus eſt ad judicandum. Hic eſt Chriſtus qua homo; quia prædicta non ſunt facta, nec fieri poſſunt, niſi in humanitate: ergo Chriſtus qua homo venturus eſt ad judicandum: *Oſtenditur major* Act. 1. v. 11. *Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum*; hæc locutio correlativa *Jeſus*. *Qui* ſignificat identitatem Perſonæ. *Aſſumptus* appellat ſupra humanitatem. *Sic veniet quemadmodum* exprimit ſenſibilitatem adventus. Act. 10. Petrus narratâ compendioſè vitâ, paſſione, prædicatione, reſurrectione, & Chriſti aſcenſione v. 42., ait: *Et præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum, & mortuorum*, quæ locutio eſt valde formalis, & expreſſiva. Act. 17. v. 31. idem habetur: *Eò quòd ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis*: Ecce qualiter per Chriſtum hominem decrevit Deus mundum judicare. Huc collimant omnes Scripturæ ſuperiùs allatæ, quæ dicunt Filium Dei venturum, & manifeſtari oportere ante Tribunal Chriſti &c.

190 PROB. III. Chriſtus ùt homo eſt caput totius Eccleſiæ, & hominum Redemptor: omnes enim de plenitudine ejus accipiunt, & omnia ſubjecit Deus ſub pedibus ejus: dedit illi omnem poteſtatem in cœlo, & in terra, & Pater omnia tradidit in manibus; ſed ad rationem capitis, & Redemptoris ſpectat judiciaria poteſtas; quia ad caput regni, & familiæ pertinet exigere rationem a ſervis ſuis, ùt ex Parabolis a Chriſto adductis; quia Judicium eſt conſummatio curſus redemptionis, & complementum ſtatus omnium viatorum; cùm ultrà non ſint futuri viatores. Principium autem, & finis ſibi correſpondent; & ideo ſicuti Chriſtus in humanitate eſt principium, & progreſſus totius redemptionis; ita ad eumdem attinet ultimum complementum. In Judicio retribuetur præmium Electis propter merita Chriſti, & ex fructu paſſionis ejus, Reprobis pœna, utpote paſſionis fructu malè uſis. Sicut igitur Chriſtus homo obtulit ſe hoſtiam viventem, ut vitam daret hominibus: ita ad ipſum pertinet retribuere gloriam: atque ita ſervatur in Deo connaturalitas in agendo, qui per cauſas medias effectibus propinquiores operatur; ſed Chriſtus homo habet propinquitatem, affinitatem, & convenientiam cum hominibus: ergo per ipſum exercet Deus judiciariam poteſtatem.

Judiciaria poteſtas ſpectat ad Redemptorem.

CONFIRM. Judicium fiet poſt hominum reſurrectionem; ſed hominum reſurrectio erit a Chriſto homine, ùt ſuperiùs probatum eſt: ergo etiam judicium. Quarè Apoſtolus ad Rom. 14. verſ. 9. *In hoc Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: ut & mortuorum & vivorum dominetur. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante Tribunal Chriſti*. Ex quo Symbolum docet, *Indè venturus eſt judicare vivos, & mortuos*.

Sed etiam diſertiſſimè habetur ex Matth. 24. v. 30. *Et tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & majeſtate*. Hic deſcribitur perſona Judicis, & dicitur *Filius hominis*, quem videbunt judicandi; atqui omnes judicandi videre nequeunt Chriſtum ùt Deum; mali enim non poſſunt Deum intueri; cùm ejus viſio eſſentialiter ſit conjuncta cum gaudio: ergo illum videbunt ùt hominem. Deinde *Filius hominis* in ſecunda parte verſiculi ſtat in eodem ſenſu, quo in prima parte, quod conſtat ex ipſa textus conſonantia; ſed in prima parte præclarè ſtat pro Chriſto ùt homine: ſiquidem ſignum illud *Filii hominis* eſt crux, quæ omnium Patrum ſenſu præferetur, Judici advenienti, quod mox dicam: Filius verò hominis exaltatus eſt in Cruce: ergo in illa judicabit.

191 Hinc D. Auguſtinus *ſer. 64. de verbis Domini cap. 7.* — Judex hic erit Fi-
„ lius hominis, formâ illâ hìc judicabit, quæ
„ judicata eſt: audite, & intelligite: Jam
„ hoc Propheta dixerat, videbunt, in quem
„ pupugerunt: Ipſam formam videbunt,
„ quam lanceâ percuſſerunt. Sedebit Ju-
„ dex, qui ſtetit ſub Judice. Damnabit
„ veros reos, qui factus eſt falſus reus.
„ Ipſe veniet, formâ illâ veniet . . . . Vi-
„ dete autem, qua ratione hoc oportebat, &
„ hoc rectum erat, ut judicandi viderent
„ Judicem: Judicandi autem erant boni,
„ & mali: Beati enim mundo corde, ipſi
„ Deum videbunt. Reſtabat, ut in judi-
„ cio forma ſervi, & bonis, & malis oſten-
„ deretur; forma Dei ſolis bonis ſervaretur —
S. Athanaſius *de Incarn. Verbi* — Te latere no-
„ lim, *inquit*, alterum ejus adventum illu-
„ ſtrem, & divinum, non humilitate con-
„ temptibilem, ſed gloria magnificum in
„ expectatione eſſe, atque imminere, cùm
„ non, ut patiatur, rediturus ſit, ſed ut
„ fructus ſuæ Crucis omnibus retribuat; im-
„ mortalitatem videlicet, & reſurrectionem,
„ & incorruptibilitatem; nec ut judicetur,
„ ſed ut judicet ſecundùm ea, quæ quiſque
„ in corpore ſuo geſſerit ſive bona, ſive
„ mala. Cyrillus Jeroſolymitanus *Catbac. 4. cap. de futuro Judicio* — Hic Jeſus Chriſtus,
„ qui aſcenderat, veniet rursùs de cœlo,
„ non de terra — Nicephorus Conſtantino-
politanus *Epiſt. ad Leonem III.* ait — Credo
„ denique Chriſtum aſcendiſſe in cœlum,
„ & ad dexteram Dei Patris ſediſſe cum
„ aſſumpta carne, cum qua iterùm veniet
„ in gloria Dei, & poteſtate, quæ eſt ſu-
„ per omnem creaturam, & Judex ſedebit,
„ unicuique ſecundùm opera ſua reddens —
Theophilactus *in cap. 8. Marc.* — Quem igi-
„ tur puduerit Crucifixum confiteri Deum
„ ſuum, illius, & ipſum pudebit: indi-
„ gnum

,, gnum ſe illom ſervum judicabit, cùm ve- ,, nerit non tunc humilis, neque (ſicut hic ,, apparebat) contemptus, ita ut qnem ejus ,, tunc pudere debeat, ſed in gloria, & ,, cum comitatu Angelutum. Lactantius *lib.7. Divin. Inſtit. c.* 19. — Hic eſt enim libe- ,, ratur, & judea, & ultor, & rex, & Deus, ,, quem nos Chriſtum vocamus, qui ptinſ- ,, quam deſcendat, hoc ſignum dabit; cadet &c. — Hieronymus *Epiſt.* 1. *ad Heliodorum cap.* 9. — Judicaturo Dominu Mundus lu- ,, gubre immugiet, Tribus ad Tribom pe- ,, ctora ferient; potentiſſimi quondam Reges ,, nudo latere palpitabunt . . . Ecce ctucifi- ,, xus Deus meus, ecce judea, qui obvo- ,, lutis pannis in præſepiu vagiit; hic eſt il- ,, le Operarii, & Quæſtuariæ Filios; hic ,, qui Matris geſtatus ſinu &c. — Maximus Taurinenſis *in expoſitione Symboli* — Neceſſe ,, eſt, ut hominum genus ille diſcutiat, qui ,, creavit, & ille judicet, qui redemir — Conſimilia cæteri Patres.

HÆRETICORUM ARGUMENTIS RESPONDETUR.

192 OBJICIES 1. Jodiciaria poteſtas convenit Domino creaturarum ad Rom. 14. v. 4. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum?* Atqui Chriſtus qua homo non eſt Dominus creaturarum: ergo qua homo non habet jodiciariam poteſtatem.

Poteſtas judicandi Deo competit per eſſentiam, Chriſto per participationem.

RESP. Judiciariam poteſtatem competere Deu per eſſentiam; quia ſecundùm hoc importar ſupremum duminium, & abſolutam poteſtatem coercitivam, & diſtributivam cum umnimoda independentia, & illuminatiune. Veruntamen per participationem communicatur Chriſto Domino, ſicut poteſtas miracolorum, quæ auctoritativè ſolùm in Deo eſt, ſed eidem humanitati collata per cacellentiam fuit. Hinc Cyrillus Alexandrinus *lib.* 2. *in Joan. cap.* 140. — Datum au- ,, tem ſibi a Patre, *ait*, judicium, non quia ,, poteſtatem hanc ipſe naturâ non habeat; ,, ſed per diſpenſatiunem, ùt homo — Et quamvis hæc poteſtas ſit communis Filio com cæteris Perſonis, nihilominus per quandam appropriationem tribuitur ipſi Filio; quia ſapientia pertinet per ſe, & formaliter ad formam judicii, cùm ratio judicii ſit lex veritatis, ſecundùm quam judicatur, ideo ponitur Eccleſiaſtici 10. v. 1. *Judex ſapiens judicabit populum ſuum.* Portò Filius eſt ſapientia genita, & veritas.

193 DICES. Si Chriſto homini competeret tanta poteſtas ſederet ipſe ſuper thronum ultimu die; atqui non eſt ſeſſurus qua homo, dicente Daniele cap. 7. v. 9. *Aſpiciebam donec Throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit . . . Judicium ſedit, & Libri aperti ſunt*; ſed Chriſtus qua homo non eſt antiquus dierom; per hunc etenim terminum ſignificatur æternitas, quæ humanitati non competit: ergo.

Fontalis poteſtas judicandi in Patre.

RESP. *nego min.*, cujus oppoſitum non evincit adducta auctoritas loquens de radicali poteſtate jodicandi, quæ in Patre reſidet, & ab ipſo deſcendit in Filium, cujus humanitati deinde communicatur, quud ipſe Propheta ibidem prædixit v. 13. *Et ecce cum nubibus Filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit, & in conſpectu ejus obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem, & honorem, & Regnum, & omnes populi, & tribus, & linguæ ipſi ſervient.* Dilucidè hinc patet aſſumi Chriſtum ad thronum judiciarium; unde Rupertus *cap.* 14. *in Daniel.* — Manifeſtè ,, quidem conſcriptum eſt judicium Divi- ,, num, ſed non dictum eſt, qualem per ,, manum, vel perſonam ſit agitandom, non ,, enim judicabit per ſemetipſum ille anti- ,, quus dierum . . . . Igitur quod in Evangelio ,, ſuo prædicat ipſe Filius hominis, Pater ,, nun jodicat quemquam, ſed umne judi- ,, cium dedit Filio. Hæc prophetica viſio ,, lucido ſatis deſendit teſtimonio —

194 OBJICIES 2. Chriſto competit judiciaria poteſtas, vel quia Rex, de quo legitur Proverb. 20. v. 8. *Rex qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo*; vel quia caput, & quia ſpiritualis: 1. Corinth. 2. v. 15. *Spiritualis judicat omnia.* Sed ſtantibus his dignitatibus, Chriſtus non habuit judiciariam poteſtatem, has ſiquidem conſecutus eſt ab inſtanti Incarnationis; ideo Angelus dixit Mariæ Luc. 1. verſ. 32. *Dabit ei Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & regnabit in Domo Jacob in æternum*: & Joan. 1. v. 14. *Vidimus gloriam ejus gloriam quaſi Unigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis*, quibus ſignatur gratia capitis, & abundantia ſpiritualitatis: & tamen Luc. 12. negat ſe habere judicandi poteſtatem; nam cùm *quidam de turba diceret, dic Fratri meo, ut dividat mecum hereditatem*, ille reſpondit: *Homo, quis me conſtituit Judicem, aut diviſorem inter vos?* ergo.

Duplici titulo convenit in Chriſto judicandi poteſtas.

RESP. judiciariam poteſtatem duplici titulo conveniri Chriſto. Ex debito, poſitâ unione perſonali, ſeu ex vi unionis hypoſtaticæ, quod probant adductæ auctoritates: & ex meritis ſuæ paſſionis. Ex eo enim quòd ipſe humiliatus fuerit per ſubjectionem ad iniquiſſimam ſententiam, meruit exaltari, ut omnium Judex fieret: quod docet Job 36. v. 17. *Cauſa tua, quaſi impii, judicata eſt, judicium, cauſamque recipies*: & Apoc. 3. v. 21. dicit Chriſtus, *qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in Throno meo; ſicut, & ego vici, & ſedi cum Patre meo*: quod de thruno judiciariu intelligit *Gregorius*, & habetur Pſal. 9. v. 5. *Sediſti ſuper Thronum, qui judicas juſtitiam.* Hæc igitur poteſtas extenditur ad umnes res humanas; nam ſi *ſpiritualis judicat omnia*, multò magis Chriſtus, & Matth. ultimo dicitur: *Data eſt ei poteſtas in Cælo, & in terra.* Maximè quòd res umnes ordinatæ ſunt ad ſalutem æternam; cui autem committitur principale, committitur etiam acceſſorium. Chriſto autem commiſſum eſt ſalvare homines, eoſque vel ad beatitudinem perducere, vel peccatures ab ea repellere, ac proinde etiam debet res umnes judicare. Attamen totalem executionem non eſt aſſecotus, donec finaliter ſubjecti non fuerint inimici ejus, quod erit Judicii die. Licèt autem Chriſtus eſſet verus Rex, & temporalium Dominus, nihiluſecius noluit ſe gerere tanquam Judicem,

Quare Chriſtus noluit exercere judicium inter Fratres.

cem, dividendo hæreditatem inter doos Fratres, quia ab altero dumtaxat poſtulatus non eligebatur convenienter Judex arbiter. Illa diviſio ex avaritia trahit originem, cui propterea abnuit cooperari: *videte, & cavete ab omni avaritia*; potiſſimè quòd ipſe venerat ad procurandas animæ divitias, neque è ſuo munere videbatur ſeſe miſcere temporalibus, neque ob terrenorum lites diſtrahi a ſolicitudine promovendi æterna. Itaque perperam ex hoc textu *Anabaptiſtæ* arguebant nefas eſſe Chriſtianis temporalia bona partiri inter ſe, & de his lites intendere. Chriſti exemplum non ad omnes Chriſtianos extenditur; ſed ùt ſummum ad Paſtores animarum. Hinc etiam malè *Calvinus* adnititur temporalem Epiſcopis juriſdictionem eripere. Satis enim ex dictis reſultat Chriſtum eâ præditum fuiſſe, ſuoque dumtaxat docuit, ut ab ea exercenda evangelizantes abſtinerent, ſi quando rationabilis obeſſet cauſa.

Anabaptiſtæ negabant licitam diviſionem rerū.

Calvinus negat Epiſcopis temporalem Juriſdictionē.

195 OBJICIES 3. Chriſtus ſecundùm alterutram naturam caret judiciaria poteſtate Joan. 8. v. 15. *Ego non judico quemquam*; ſed non caret propter Divinitatem: ergo propter humanitatem.

RESP. *nego maj.*, cujus probatio in ipſo contextu labitur. Chriſtus repulit a ſe judicium falſum, quo Judæi de ipſo judicabant. Affirmat ſe habere verum judicium non per ſe ipſum, ſed ex Patre: *Vos ſecundùm carnem judicatis: ego non judico quemquam: & ſi judico ego, judicium meum verum eſt; quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater*. Hinc duo ediſcimus: primum per miſſionem Chriſto datam fuiſſe judiciariam poteſtatem, & judicii veritatem: ſecundum contra *Sabelli* errorem dicentis perſonas in Divinis differre ſolùm penès nomina; ſi enim hoc eſſet verum, haudquaquam dixiſſet, *ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me*, qua locutione duo diſtinguit miſſum, & mittentem.

Chriſto non competit falſum judiciū.

196 DICES. Hic non eſt ſermo de miſſione ab æterno: ergo datum non fuit judicium ſecundùm humanitatem: ſicuti nec infertur ex illo Joan. 5. v. 22. *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio*; quia Divinitatem afficit, & inde Chriſtus argumentum aſſumit ad eam comprobandam: quemadmodum ex tota connexione elucet: *Pater meus operatur, & ego operor*. Et quoniam ipſum quærebant Judæi ad interficiendum, quia Patrem ſuom ajebat Deum eſſe, & illi ſe faciebat æqualem, probat Chriſtus iterùm ſuam Divinitatem ex eo, quòd quicquid Pater operatur, idipſum operetur èt Filius, & quod Filius nihil faciat, quod Patrem non viderit facere, & quod Pater vim habet excitandi mortuos, eandemque habeat Filius. Deinde inducit argumentum ex judiciaria poteſtate verbis præcitatis, ubi ponit omne judicium Filio datum a Patre; quia Pater non judicat quemquam abſque Filio, confirmatque æqualitatem ſubdens v. 23. *ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem*. Ideo antiqui Patres hoc contra *Arianos* utebantur argumento. Et Tertullianus contra *Praxeam cap.* 16. ait a primordio attributum Filio judicium; quia illud verbum *omne* nullam admittit temporis exceptionem. Et Chryſoſtomus *Hom.* 33. *in Joann.* attendit ad illam cauſalem, *quia Filius hominis eſt*, non dixit qua homo, nempe ſecundùm conditionem naturæ, aliter omnibus hominibus daretur. Et Ambroſius *lib.* 2. *de Fide cap.* 4. — Omne judicium „ dedit Filio, dedit utique generando, non „ largiendo. — Adde Hilarium *lib.* 7. *de Trinit.*, Athanaſium *ſerm.* 7. *contra Arianos*, Theophilactum, Euthimium, pluresque alios.

RESP. Duo hic in uno confunduntur, quòd ſoli Chriſto ùt Deo tribuatur judicandi poteſtas; & quòd ex his teſtibus non probetur fuiſſe humanitati communicata. Primum negatur; obſtant enim teſtimonia præclariſſima. Secundum poſſet tranſmitti; etenim ſtat in ipſis Scripturis æqualitatem probari cum Patre, & ultrò confitemur Sanctos Patres iis uſos fuiſſe ad probandum Filii Divinitatem adversùs *Arianos*. Novimus tamen Patres non ſolùm demonſtrare Divinitatem, ſed etiam judiciariam poteſtatem inferre, Chriſto homini fuiſſe collatam, & quidem inhærendo Scripturæ, quæ plura ibidem miſcet pertinentia ad humanam naturam. Namque illud v. 20. *Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit*, non ita commodè adaptatur Chriſto Deo; quia non exit a Patre per dilectionem. Et illud *ſicut audio, judico, & judicium meum juſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me*, cogimur intelligere de humana Chriſti voluntate. Sanè Auguſtinus *tract. in Joan.* 22. habet — Secundùm quòd Filius eſt „ Dei, ſicut habet Pater vitam in ſemetipſo, ſic èt dedit Filio vitam habere in ſemetipſo; ſecundùm autem quòd Filius „ hominis eſt, poteſtatem dedit ei judicium „ faciendi. In judicio homo videbitur, „ Deus autem non videbitur — Idem alibi tradit Tertullianus *contra Praxeam c.* 21. — „ Quia dedit illi facere in poteſtate, quà „ Filius hominis; per carnem ſcilicet, „ ſicut & Filius Dei per Spiritum ejus — & omnes ferè Patres Latini cum D. Thoma *ſupplem. quæſt* 90 *art.* 1.

197 OBJICIES 4. Vera judiciaria poteſtas debet poſſe præmium, pœnamve conferre; ſed Chriſtus homo in ſe non cognoſcit poteſtatem præmiandi, ùt dicitur Matth. 20. v. 23. *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo*: ergo non habet judiciariam poteſtatem.

RESP. Hanc auctoritatem contorquebant *Ariani*, ut æqualitatem inter Patrem, & Filium tollerent, ſed immeritò. Nam ùt advertit Auguſtinus *lib.* 1. *de Trinit. c.* 12. quod paratum eſt a Patre, paratum eſt etiam a Filio; quia Pater, & Filius unum ſunt. Non negat Chriſtus abſolutè ſe habere poteſtatem conferendi beatitudinem, cùm alibi dicat: *diſpono vobis regnum: vado parare vobis locum*, ſed negat poſſe ex ea ratione, quam adhibebat, ad petendum ſcilicet parentelæ, non meritorum titulo, quæ attendens diſpoſuit Pater dexteram, vel ſiniſtram eos propterea invitavit ad bibendum paſſionis calicem, qui meritorius eſt. Finem

peti-

petitionis non fuiſſe omnino putum, conſtat ex bis immediatè a Chriſto ſubjunctis de humilitate. Habes Auguſtinum *Concion.* 3. *Pſal.* 103. -- Quid eſt, non eſt meum dare vobis? Non eſt meum dare ſuperbis. Modo quibus loquor, ſuperbi eſtis, ideò dixi; „ Non eſt meum dare vobis: ſed fortè dicerent; Erimus humiles. Non ergo eritis vos: ego vobis dixi. Non dixi, non dabo humilibus, ſed non dabo ſuperbis. „ Qui autem ex ſuperbo fit humilis, non „ erit, qui erat -- *D. Thomas* in hunc locum ait -- Non eſt meum dare vobis, „ quaſi dicat eminentia dignitatis non datur perſonæ, ſed merito, & hoc ſecundùm prædeſtinationem Divinam -- Quibus inſinuat non eſſe Chriſti dare abſolutè, ſed cum ſubordinatione ad diſpoſitionem Patris.

198 DICES. Veritas Judicii petit indiſpenſabiliter poteſtatem, & voluntatem efficacem tribuendi tantitatem pœnæ, vel præmii ſecundùm meritorum, vel demeritorum proportionem. Hoc hoc nullo modo competit Chriſto homini: Dei enim eſt definite præmia, & pœnas, & gloriam tribuere in participatione Divinæ juſtitiæ poſitam: ergo.

CONTRA. Hæc inſtantia æquivocat de judicio abſoluto dependens. In Regno benè diſpoſito habetur tribunal abſolutum in perſona Regis; deinde conſtituti ſunt alii Judices ſubordinati, qui propriè ſunt tales. Et ratio eſt evidens; quia ad verum judicium ſufficit cognitio cauſæ per allegata, & probata, juriſdictio ad eam examinandam, & ad inferendam pœnam, vel abſolutionem efficaciter, ideſt cum poteſtate inducente executionem, & ſententiæ prolatio, vel ſcripto, vel verbis, vel alio convenienti modo. Formare leges, quæ ſunt regulæ judicandi, taxare pœnas, aſſignare conditiones ſervandas ad judicandum non pertinent ad formam judicii, ſed ſunt præſuppoſita velut fundamenta, & fiunt a ſupremo Principe; quare qui habet illa priora, licèt his poſterioribus careat, eſt verus Judex. In noſtro caſu Chriſto Domino illa competunt. Habet enim perfectam rerum cognitionem: habet veram juriſdictionem, cùm ſit verus Rex, verum caput, verus legislator: habet efficacem voluntatem retribuendi, & inferendi executionem, cùm omnia obediant ad nutum, profert ſententiam: quid ergo ultra deſideratur? Dicat ergo Apoſtolus ad Hebr. 2. v. 10. *Decebat enim eum .... qui multos Filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.*

Ad judicium ſufficit cognitio cauſæ, & ſententia cum juriſdictione.

199 OBJICIES 5. Eadem perſona pro iiſdem circumſtantiis nequit eſſe judex, & advocatus; ſed Chriſtus in Judicio exercebit munus advocati: ergo non exercebit munus Judicis. *Min. prob.* In eo munere venturus eſt, quo ſedet ad dexteram Patris, ùt colligitur ex ſymbolo; ſed ad dexteram Patris ſedet ùt advocatus 1. Joan. 2. v. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum*; & quidem perpetuus eſt advocatus ad Hebr. 7. v. 25. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*: Act. 1. v. 11. *Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum*: quomodo autem ad cælum aſcendit? *Elevatis manibus*, ideſt exercens munus miſericordis, patris, & redemptoris: in hoc munere igitur veniet. Quâ doctrinâ *Calvinus* tollit a Judicio Chriſti omnem rigorem, & totaliter ablegat ſeveritatem, ſolam proponens miſericordiam: ad quod firmandum adducit *Ambroſium* lib. 1. cap. 6. de Jacobo, & vita beata -- Sed metus eſt, „ ne Judex ſeverior ſit? Conſidera, quem „ Judicem habeas. Nempe Chriſto dedit „ Pater omne Judicium. Poterit ergo ille „ damnare, quem redimit a morte, pro quo „ ſe obtulit, cujus vitam ſuæ mortis mercedem eſſe cognoſcit? Non ne dicet, „ quæ utilitas in ſanguine meo, ſi damno, „ quem ipſe ſalvavi? deinde conſideras Judicem, non conſideras Advocatum? Poteſt iſte ſeveriorem ferre ſententiam, qui „ interpellare non deſinit, ut paretur reconciliationis in nos conferatur gratia --

Mirum, qua animi promptitudine auſit *Calvinus* cum *Beza* tollere omnia ultimi Judicii terriculamenta, tantamque Judici miſericordiam affingere, ut omnibus indiſcriminatim ſpondeat beatitudinem, ſi modò profiteantur nudam fidem. Sic enim obſtat Scriptura, ut nuſquam clarius, aut diſertius. Sophoniæ 1. v. 15. *Dies illa dies iræ; dies tribulationis, & anguſtiæ; dies calamitatis, & miſeriæ; dies tenebrarum, & caliginis; dies nebulæ, & turbinis; dies tubæ, & clangoris ſuper Civitates munitas, & ſuper angulos excelſos*: Iſaiæ 13. v. 10. *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furoriſque ad ponendum terram in ſolitudinem, & peccatores ejus conterrendos de ea*: Ezech. 7. v. 3. *Finis venit, venit finis ſuper quatuor plagas terræ, nunc finis ſuper te, & immittam furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas*: Conſimilia cæteri Prophetæ in ſuperioribus citati.

Calvinus tollit rigorē a Judicio.

Dies Judicii terribilis.

Novi teſtamenti reſpondent quoque Scripturæ Luc. 21. v. 25. *Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi*: Matth. 13. v. 24., & 25. Apoſt. ad Rom. 2. v. 5. *Cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ*, ideſt die Judicii: ad Heb. 10. v. 26. *Voluntariè peccantibus nobis, terribilis autem quædam expectatio Judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.* Alibi alia: idem docent unanimiter Patres.

200 DICES. Prædicta habentur pro non credentibus; quia ex fidei fructibus conſtabit, qui crediderint, & fient Chriſti cohæredes, ſic *Beza* Confeſſ. fidei cap. 6. Hæc eſt ſecunda pars erroris Hæreticorum, qui examen operum excludunt a divino Judicio, & totum fidei tribuunt, omneſque credentes ſalvant.

Sed quis iterùm non mirabitur, qualiter Heterodoxi in luce cæcutiant? *Matth.* 19. explicatâ doctrinâ de ſervandis mandatis, de evangelica paupertate, obedientiâ, & caſtitate, aliam ſubdit de Judicio, & vitam

In Judicio examinabuntur opera.

 æter-

æternam promittit relinquentibus agros, vel uxorem, vel matrem propter Dominum: *Matth.* 20. poſtulante Matre Joannis, & Jacobi ſeſſionem ad dexteram, & ad ſiniſtram Chriſtus prædicat humilitatem, & paſſionem: *Matth.* 25. aſſignat pro cauſa ſententiæ dandæ Electis opera miſericordiæ, pro Reprobis defectus operum, nullâ factâ mentione de fide: *Matth.* 12. docet reddendam eſſe rationem de omni verbo otioſo: *Ad Rom.* 2. habetur, quòd cogitationes cordis noſtri accuſabunt, vel nos defendent: 2. *Corinth.* 5. dicitur, quòd quiſque reddet rationem, prout geſſit ſive bonum, ſive malum, omnes denique ſive credentes, ſive non credentes ſtabimus ante tribunal.

Ad probationem negatur Chriſtum venturum advocati munus exercere: quandiù manet apud Patrem, interpellat pro viventibus: ſolummodo enim ſtatus viatoris eſt ſtatus miſericordiæ; quia ſolus eſt ſtatus pœnitentiæ: *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis*, clamat Paulus: *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt, invocate eum, dum propè eſt*, dicit Propheta; aptate noſtras lampades, antequam veniat ſponſus, docet Chriſtus, qui clauſâ januâ pulſantibus fatuis Virginibus reſpondet: *Neſcio vos*: veniet expectantibus eum in ſalutem; ſed illi expectant, qui cum Paulo dicunt: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi*. Vigilare nos præcipit Dominus, antequam veniat dies illa magna; quia tunc non eſt tempus miſerendi: *Ambroſius* loquitur de Bonis, quos conſolatur, ne plus juſto terreantur ex Judicii rigore, & deficiant: docet ſeveritatem non timere Judicis eos, qui mortui peccatis cum Chriſto ad meliorem vitam reſurrexerunt, ùt dicit præcedenti capite: loquitur conſonè ad ea, quæ tradidit de bono mortis cap. 3., ubi docet eos in Judicio exultaturos, qui carnem ſuam, & concupiſcentias crucifixerint, unde conſentit cæteris Patribus, qui aſſerunt terribilem fore Judicem Malis, ſuavem Bonis.

Suavitas Judicis erga Electos.

201 Adventus Chriſti ad Judicium, ùt evidenter ex Scripturis patet, erit glorioſus: dicitur enim Matth. 24. v. 30. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & majeſtate*, & cap. 25. v. 31. *Cum venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo*, & ſimilia in Prophetis, quibus deſcribitur extrinſeca majeſtas conſiſtens in comitatu eorum, qui aderunt. De majeſtate intrinſeca, quæ conſiſtit in gloria corporis Chriſti, non eſt dubium; ſic enim veniet, quemadmodum aſſumptus eſt. Qui judicabit, eminere debet ſuper judicandos; ſed Electi erunt in corporibus glorioſis: ergo a fortiori Chriſti corpus glorioſum erit. Secundus Chriſti adventus erit majeſtatis, non humilitatis ùt primus; unde in carne glorificata faciendus eſt, ſicut ille in carne mortali: hæc majeſtas erit Electis in præmium, Reprobis autem in ſupplicium; quia amico gloria amici eſt delectabilis, inimico eſt afflictiva. Quomodo verò nubes illæ, throni, Angelorum corpora fient, in ſuperiori Controverſia explicatum eſt.

Chriſti adventus erit glorioſus.

CONTROVERSIA IX.

AN IGNIS CONFLAGRATIONIS PRÆVIÆ AD JUDICIUM SIT ELEMENTARIS, ET PURGATIVUS ELECTORUM, ET CŒLORUM.

202 PLura ſigna præceſſura Judicii diem claræ demonſtrant Scripturæ, quas in ſuperioribus allegavimus, ſcilicet Joelis 2. v. 30. *Dabo prodigia in Cœlo, & in terra ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi*. Luc. 21. v. 25. *Erunt ſigna in ſole, luna, & ſtellis*, & alibi ſæpè terribilia deſcribuntur ea, quæ tunc eventura ſunt, in quibus exponendis nulla nobis incumbit neceſſitas, cùm nihil ad dogma ſpectans includatur, & ſi quid utile occurret, in reſolutione propoſitæ Controverſiæ miſcebitur. Unius tantùm ſigni expoſitionem non omittam, illius videlicet, quod Matth. 24. v. 30. ponitur: *Tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo, & tunc plangent eum omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus*. Hoc ſignum eſt ſanctæ Crucis, quæ tunc apparebit, hoc enim eſt proprium Chriſti vexillum, quo aereas ſibi ſubjecit poteſtates — „ Signum verum, & proprium Chriſti eſt „ Crux — ait Cyrillus Jeroſolymitanus *Catech.* 15., & Eccleſia canit — Hoc ſignum „ Crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad „ judicandum venerit — Tunc ſignum Crucis appariturum Patres univerſi docent: *Origenes* tract. 30. in Matth., *Chryſoſtomus* Hom. 77. in Matth., *Hilarius*, *Hieronymus*, *Euthimius*, *Theophylactus* in hunc locum, *Hippolytus* de conſummatione Mundi: *Ephrem* de pœnitent. cap. 4., *Damaſcenus* lib. 4. Orthodoxæ Fidei cap. 12., *Cyrillus Jeroſolymitanus* Orat. ad Conſtantium, *Emiſſenus* in lib. Allegoriarum, & alii. *Calvinus* tamen, ut defendat errorem ſuum de non adoranda Cruce (quæ tunc ab omnibus adorabitur, ejuſque elucebit dignitas, dum tanto coruſcabit ſplendore, ut ſolis lucem excedat) perperam exponit Evangelium pro ſigno Filii hominis, intelligens ipſum Filium hominis venientem inter nubes in humana natura — „ De ſigno Filii hominis, *ſic loquitur impius*, „ quod parebit in cœlo, ſequitur ſigni illius explicatio, quòd Filium hominis vi„ debunt ſuper nubes venientem, qui ſub „ habitu ſervi contemptibilis tunc in terris „ agebat — ſed Evangelio apertè contradicit; nam tria clarè diſtinguit, ſigni apparitionem, planctum tribuum, adventum Chriſti in nubibus; quare diſtinctum a nubibus, & Filium hominis concedendum eſt ſignum, quod aliud non eſt a Cruce, ut exaltetur, cùm nunc prædicata ſcandalum ſit Judæis gentibus ſtultitia; apparebit autem ad confundendos infideles, qui Chriſtum non receperunt, Judæos, qui eum crucifixerunt, & fideles impios, qui iterum in cordibus ſuis crucifigunt: ſic *Auguſtinus* ſer. 130. de tempore, qui *Chryſoſtomo* adſcribitur — Ut agnoſcant Conſilium iniquitatis „ ſuæ, qui Dominum Majeſtatis crucifixe„ runt

Vexillum Chriſti Crux, hoc apparebit in Judicio.

Calvinus negat Crucem apparituram.

„ runt . . . . tunc piangent omnes tribus ter„ ræ videntes accuſatorem ſuum, ideſt, ipſam „ Crucem , & in ipſo arguente cognoſcent „ peccatum ſuum ſero, & fruſtrà fatebuntur „ impiam cæcitatem ſuam — Electi autem conſolabuntur illam aſpicientes , veluti totius ſalutis principium .

Crux ipſa realis apparebit.

203 An verò ipſa realia Crux ſit apparitura , affirmant nonnulli ea Patribus , dicuntque fore integrandam reaſſumptis omnibus particulis per orbem diſperſis , & deperditis ; & licèt cætera mixta antè , vel poſt judicium ſint deſtruenda , ipſa tamen nun peribit ob ſpecialem ſui dignitatem præ aliis inſtrumentis paſſionis Chriſti , conſervabiturque glorioſa in Cœlis ſimul cum corporibus Sanctorum . Huic opinioni favent ſybillina carmina lib. 6.

O felix lignum , in quo Deus ipſe pependit :
Nec te terra capit , ſed cœlì tecta videbis ,
Cùm renovata Dei facies ignita micabit .

Er conſentit *S. Ephrem* — De his , quæ poſt Crucem revelanda ſunt , hæc ſcilicet „ Crua rursùs in ſecundo adventu Domini „ prima appaιitura eſt in Cœlo tanquam pre„ rioſum , & venerabile ſceptrum magni „ Regis Chriſti , juxta verbum Domini di„ centia: & apparebit ſignum Filii hominis „ in Cœlo - De qua ſententia videndus eſt Thomas Waldenſis *tom.* 3. *de ſacramental. titul.* 20. *cap.* 158. ; alii autem negant eo dicti fundamento, quod Scriptura dicat , *ſignum Filii hominis* , & ſignum verius indicat non crucem , ſed ſignum crucis . Tum quia a S. S. Patribus adſtruitur tale ſignum , quod videri debeat ab omnibus judicandis ab Oriente uſque ab Occidentem , quod non eſt intelligibile de modico illo ligno ; tum quia quantum fieri poteſt , non ſunt multiplicanda miracula . Verùm iſta non urgent ; nam Scriptura dicit *ſignum Filii hominis* , quod ſtat pro immediato , & proprio ſigno , quod eſt ipſa Crux , quæ ratione maximæ lucis a judicandis facilè videri poterit, ſicut videbitur Filias hominis , qui eſt minoris quantitatis ; nec fortè majus eſſet miraculum , quàm magnæ Crucis ea aere efformatio , nec excederet miraculum , quod elucet in reſurrectione mortuorum, nec ita eſt parcendum miraculis, ut non verificetur , quod Chriſtus *veniet cum majeſtate magna* .

Quãdo Crux apparebit?

204 Quantum ad tempus apparitionis , neque conveniunt Doctores , docentibus aliquibus cum *Anſelmo* in Elucidario , quod apparebit immediatè cum ipſomet Judice , ſicut ad ingreſſum , vel triumphum alicujus Principis præmittitur vexillum . Tradunt alii ſignum hoc pluribus diebus ante Judicium , ideſt ab occiſione Antichriſti apparitorum , tum ad reparandum honorem ei ablatum ab Antichriſto , qui conabitur totaliter Crucis cultum evellere , & ad ſignificandam victoriam de ipſo habitam per Crucis virtutem ; tum ad excitanda Fidelium corda , qui deficient metu perſecutionum : ſic *Clemens* lib. 7. Conſtit. cap. 3. Hinc eſt , quod *Matth.* 24. reponitur inter illa ſigna , quæ præcedent ante mortuorum reſurrectionem . Attamen ſive immediatè , ſive ante Chriſti adventum Crua ſit appaιitura , durabit uſque ad finem Judicii ad oſtenſionem Divinæ juſtitiæ . Volunt quidam , quod in actu ſiaa ſtabit ; ſed videtur congruentior opinio dicentium, quod geſtabitur ab aliquo Angelo , vel ab initio , ſi defendatur ſententia *Anſelmi* , vel quando adveniet Chriſtus Judex , ſi dicatur apparitura pluribus diebus ante judicium , quod ad majorem Crucis venerationem conducit . *D. Thomas* Opuſc. 2. c. 244. favet opinioni dicentium , quod reliqua inſtrumenta apparebunt cum Cruce — Indè etiam eſt quod „ veniente Domino ad Judicium ſignum „ Crucis , & alia paſſionis inſignia demon„ ſtrabuntur — Apud *Vviguerium* cap. 21. §. 6. ordine quodam deſcribuntur Angeli deferentes dicta inſtrumenta , ſed de his ſatis , cùm nihil ſpeciale pro dogmate occurrat , & aliàs ſunt incerta : Deus enim voluit ſubſtantiam , & principales Judicii circumſtantias revelare , utpote ſufficientia ad nos a corpore excitandos , cætera reticuit .

Crux deferetur ab Angelo.

Veniamos igitur ad ſcopum propoſitæ controverſiæ : quæſtio quoad an eſt , clarè patet ex manifeſtis Scripturæ teſtimoniis : Joelis 2. v. 3. *Ante faciem ejus ignis vorans , & poſt eum exurens flamma* : Daniel. 7. v. 9. *Thronus ejus flamma ignis : rota ejus ignis accenſus . Fluvius igneus , rapiduſque egrediebatur a facie ejus* : Iſai. 66. v. 15. *Quia ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadriga ejus : reddere in indignatione furorem ſuum , & increpationem ſuam in flamma ignis : quia in igne Dominus dijudicabit* : Pſ. 49. v. 3., & 4. *Ignis in conſpectu ejus exardeſcet : & in circuitu ejus tempeſtas valida . Advocabit cœlum deſurſum , & terram diſcernere populum ſuum* : & alibi : circa hunc ignem plura inquiruntur a Doctoribus alia pertinentia ad conditionem , ſeu naturam ignis , alia ad finem ſpectantia , alia ad originem , & permanentiam : nos ad tria capita in titulo propoſita reſtringimus , quæ etiam breviter attingemus , reſecando , quæ minorem habent utilitatem .

Ad Judicium præcedet ignis.

§. I.

205 PRima pars tituli inquirit qualitatem illius ignis , qui dicitur futurus ſub tempore Judicii , an ſit verus ignis materialis , & elementaris : negantibus veritatem univerſalis Judicii , & omnia ad illud ſpectantia ad metaphoram trahentibus , arridet opinio dicentium ignem illum non eſſe verum ignem , ſed myſticum , videlicet zelum Dei ; ſed non eſt recedendum a doctrina Catholicorum , qui aſſerunt futurum ignem realem .

Ignis in Judicio erit verus , non myſticus .

PROBATUR 1. Verba ſacræ Scripturæ ſemper ſunt intelligenda in ſenſo proprio , quoties non ſequitur evidens abſurdum ; maximè ubi cum reali ſenſu myſticus ſenſus optimè retinetur ; tunc enim plena habetur myſteriorum intelligentia ; ſed in noſtro caſu , ex eo quod concedatur verus ignis , nullum ſequitur abſurdum , & nul-

& nullum de facto aſſignatur; & aliàs connaturaliter retinetur myſtica intelligentia; immo ex negatione imminet periculum, ne plus juſto metaphoricis inſiſtendo locutionibus Scripturas infirmemus, quibus vera fidei myſteria exponuntur: ergo.

Aquæ Diluvii veræ fuerunt, ſic & ignis.

206 PROB. 2. Sicut per aquas dicitur purgatus Mundus ſub temporibus Noe, ſic dicitur purgandus noviſſimo die per ignem; ſed illæ fuerunt veræ aquæ: ergo iſte erit verus ignis. Totum habemus 2. Petr. 3. v. 5., & ſeq. *Latet enim eos hoc volentes, quòd cæli erant priùs, & terra, de aqua, & per aquam conſiſtens Dei verbo: per quæ, ille tunc mundus aquâ inundatus periit. Cæli autem, qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervati in diem Judicii, & perditionis impiorum hominum*: ubi ex comparatione diluvii conſtat futurum verum ignem.

Ille ignis involvet Reprobos.

207 TERTIO. Ille ignis involvet Reprobos, illos trahens ad inferos; ſed ignis, quo Reprobi torquebuntur apud inferos, erit verus ignis, ùt tenet Eccleſia, Sanctique Patres: ergo ille erit verus ignis. *Major habetur* 2. Theſſal. 1. v. 7. *In revelatione Domini Jeſu de cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum*: Lucæ 3. v. 17. *Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igne inextinguibili*: & Pſal. 96. v. 3. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*: quo Pſalmo utitur *Apoſtolus* ad Hebræos pro ſecundo Chriſti adventu: his ergo Scripturis manifeſtè apparet eo igne Reprobos detrahendos ad infernum.

Habebit materiales effectus.

208 QUARTO. Ignis, qui habet materiales effectus, eſt ignis proprius, & elementarii; ſed ille ignis habebit effectus materiales; nam 2. Petri 3. verſ. 10. dicitur, *Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur, terra autem & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur*. Combuſtio autem Orbis eſt effectus omnino materialis.

Omnia in judicio erunt ſenſibilia.

209 QUINTO. Totus apparatus, & forma judicii erit ſenſibilis, tum quoad perſonam Judicis, tum quoad perſonas judicandorum, tum quoad modum, unde Dominus manifeſtè veniet; ſed ille ignis pertinebit ad apparatum judicii, ùt patet ex Scripturis: ergo erit ſenſibilis, & materialis. *Secundò*. Secundus adventus, qui eſt juſtitiæ, correſpondere debet primo, qui fuit miſericordiæ, in quo venit Chriſtus, non ut judicet Mundum, ſed ut Mundus ſalvetur per ipſum; ſed in primo adventu aſſumpſit vera elementa materialia ùt inſtrumenta ſuæ miſericordiæ, qualia ſunt Sacramenta: ergo in ſecundo adventu vera elementa aſſumet ùt inſtrumenta ſuæ juſtitiæ: ſed aſſumet ignem, ùt dicitur Malach. 4. v. 1. *Ecce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus: & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus*. Hinc aliqui cum *Lactantio* dicunt illum ignem ex ſuprema ſphera, ſeu regione deſcenſurum in oſtenſionem majorem iræ Dei. *D. Thomas* hoc non approbat, quatenus *D. Petrus* innuere videtur, quòd aſcendet; ubi pariter reprobat opinionem dicentium, quòd generabitur circa medium ex congregatione radiorum cœleſtium corporum; fiet enim reverberatio in nubibus concavis, velut in ſpeculo comburrente, & ideo excitabitur ignis; non approbat, inquam, hanc opinionem; quia habentibus aſtrorum ſcientiam dies judicii innoteſcere poſſet, eò quòd effectus cœleſtium corporum ſequuntur determinatos ſitus, & aſpectus. Ipſe autem docet, quòd fiet ex congregatione omnium cauſarum ſuperiorum, & inferiorum, habentium vim ignitivam. Alii docent egreſſurum è ſubterraneis cavis Inferni. Sed licèt ejus origo incerta ſit, ùt docet *Auguſtinus* lib. 20. de Civit. Dei c. 16., & inter Doctores ſit diverſitas circa ejus generationem, omnes tamen admittunt eſſe ignem ejuſdem ſpeciei cum noſtro, & ex Divina virtute quoſdam habebit effectus, quos naturaliter non haberet, ùt purgare Univerſum, ire in circuitu ſequendo materiam combuſtibilem, conſumere etiam ſe ipſum, quatenus purgabit elementa, & in hoc ſenſu, quòd ex duobus ignibus ejuſdem ſpeciei major deſtruat minorem.

Qualiter generabitur ille ignis.

210 OBJICIES 1. Ignis, quo Chriſtus venturus eſt ad judicandum, explicandus eſt conſonè ad Scripturas; ſed ſecundùm Scripturas accipitur metaphoricè: ergo. *Explicatur min.* Sophoniæ 3. v. 8. *In igne zeli mei devorabitur omnis terra*: Pſal. 78. v. 5. *Uſquequo Domine iraſceris in finem? Accendetur velut ignis zelus tuus*: unde deſumitur metaphora ab igne propter efficaciam in agendo, quam efficaciam habebit zelus Domini: & ad hunc ſenſum explicat prædictos textus *Auguſtinus* 20. de Civit. cap. 21., *Hieronymus* in Iſajam 66., eadem metaphora valet ex parte claritatis, quam habet ignis; Chriſtus enim manifeſtè veniet, & omnia manifeſta faciet: ſic *Euthimius*, & *Cyprianus* de bono patientiæ, eadem quoque metaphora ignis applicatur Chriſto; nam ſicut ignis vim ſeparativam habet, ſic Chriſtus ſeparabit bonos a malis: hinc illud 1. Cor. 3. v. 13. *Uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit*: ſeduliùs exponit: Examinationem judicii igni voluit comparare ſecundùm conſuetudinem Scripturarum.

Ignis aliquãdo realiter, aliquãdo metaphoricè.

RESP. Certum eſt in Scripturis nomen ignis aliquando ſtare pro reali igne, aliquando pro metaphorico, & quidem multipliciter; nam ſtat pro zelo Dei, pro charitate, pro concupiſcentia, pro invidia: unde ſicut non benè argueret, qui ex eò quòd in aliquibus locis ignis ſtat metaphoricè pro charitate, inferret in omnibus locis ſtare ignem metaphoricè pro charitate: ita non benè arguit, quòd in omnibus locis metaphoricè ſit intelligendus, ex quo alicubi ſic intelligatur. Attendendum èſt igitur ad contextum. Deinde pluries cum ſenſu reali ſtat optimè metaphoricus, & uterque tenendus eſt: & inde oritur, quòd iidem Sancti Patres eandem Scripturam ſumunt aliquando literaliter, aliquando myſticè, prout ad intentum quæſtionis conducit. Hoc accidit in caſu noſtro de igne judicii, qui utrumque ſenſum admittit, realem, quatenus veros materiales effectus producet, myſticum,

In Scripturis cum ſenſu reali ſtat metaphoricus.

quate-

quatenus exprimit zelum, iram Domini, illius eſt inſtrumentum; quandoque ignis realem ſenſum non admittit propter incapacitatem materiæ, vel propter adjunctas modificatiunes, & tunc cogimur ſenſum ſubintelligere metaphoricum: & ita accidit in duabus citatis Scripturis in objectione; quia illud nomen ignis reſtringitur ab additamento illo *zeli mei*, *zelus tuus*, ad metaphoram.

211 OBJICIES 2. Ignis, qui judicium præcedet, computabitur inter ſigna adventus ejus; ſed cætera ſigna ſunt metaphoricè intelligenda: ergo etiam ignis. *Minor declaratur* Matth. 24. v. 29. *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtella cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur*. In ſole autem, & luna intelligitur Eccleſia, quæ obſcuranda dicitur propter perſecutionum magnitudinem, in ſtellis veniunt viri illi, qui fulgentes in charitate tunc deficient a Chriſto; & certè ſtellæ cùm fixæ ſint nequeunt realiter cadere: virtutes quoque cœlorum, quæ ſunt ſubſtantiæ Angelicæ, phyſicè commoveri non poſſunt, ſic *Auguſtinus* ſentit Epiſt. 80. ad Heſychium, & tradit rationem — „ Ne irrideamur ab eis, qui hæc, quæ velut noviſſima, . & omnium maxima horreſcimus, plura in hiſtoria gentium, & „ & multò majora legerunt —

Signa, quæ Judicii præcedent, erunt realia.

RESP. *neg. min.* Nullo etenim modo concedi poteſt ſigna præcedentia fore ſolummodo metaphorica, dixi ſolummodo, quia metaphoricum ſenſum admittent, quatenus deſignabunt infelicem Eccleſiæ ſtatum; ſed realia erunt: & ratio eſt; quia, quæ deſcribuntur futura in cœlo, dicuntur correlativè ad ea, quæ fiunt in terra; ſed hæc non ſunt ſolummodo metaphoricè intelligenda: ergo neque illa. *Major* conſtat ex Scripturis, quæ prænunciant ſigna in cœlo, & in terra, ùt Joel. 2. v. 30. *Et dabo prodigia in cœlo, & in terra*: Luc. 21. v. 25., *& erunt ſigna in ſole, luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium*. *Minor* eſt manifeſta ex eiſdem Scripturis; nam laudato capite Lucæ v. eod. ſubditur: *præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum*: Apoc. 16. v. 3. *Et ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare, & factus eſt ſanguis tamquam mortui: & omnis anima vivens mortua eſt in mari*; & v. 18. *Et terræmotus factus eſt magnus, qualis numquam fuit, ex quo homines fuerunt ſuper terram*. Talis terræmotus ſic deſcriptus, & ſimilia puram metaphoram admittere nequeunt, unde cogimur intelligere talia ſigna ſenſu reali, ac proinde etiam cœleſtia ſigna realia erunt. Deinde Scriptura dicit, quòd hæc prodigia, & ſigna deſervient ad cognoſcendum judicium non multùm diſtare: *Ita & vos cùm videritis hæc omnia, ſcitote, quia prope eſt in januis* Matt. 24. v. 33.; ſed ſi futura non eſſent realiter, non deſervirent ad hujuſmodi cognitionem; nam myſtica Eccleſiæ obſcuratio non conſideratur ab hominibus, nec obvia eſt oculis. *Secundò* docet Chriſtus *Luc.* 21., quòd hæc ſigna talem horrorem incutient, quòd præ timore areſcent homines: ſed ſi intelligerentur in ſenſu myſtico de effectibus ſpiritualibus tantùm, non cauſarent timorem; quia ſpiritualia mala,

Signa, quæ fient in terris, erunt realia.

utpote remota a ſenſibus non multum apprehenduntur, nec movent. *Tertiò* modus, quo quærent homines illa mala effugere, indicat eſſe realia: Apoc. 9. v. 6. dicitur: *In diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam: & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*: & cap. 6. v. 15. *Abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium: & dicunt montibus, & petris: cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni*. Ecce quòd timor eſt ſenſibilis, & conturbatio externa, qua impediuntur etiam a cogitatione propriæ ſalutis: ſecus autem eveniret, ſi effectus illi eſſent ſpirituales, & ſi adverterentur ab hominibus.

Quare ad objectionem dicendum eſt, *Auguſtinum* eo in loco ſenſum myſticum aſſumere, qui opportunior videbatur ad vindicanda myſteria Fidei ab Irriſoribus aſſerentibus majora ſigna, quæ aliquando eveniſſe leguntur: ſed allucinantur; nam credendum eſt Scripturis proclamantibus horribiliora futura: ſimiliter alii S. S. Patres modò myſticum ſenſum aſſumunt, modò literalem; ſicut etiam quandoque applicant illa loca Scripturæ non ad diem Judicii, ſed ad alia tempora, & ad alia flagella, ſed per participationem; quia præcedentia minora figuræ quædam ſunt majorum; ſicut Hæreſiarchæ, & Eccleſiæ perſecutores Antichriſti vocantur imitatione illius, qui tali nomine antonomaſticè vocatur. Ex quibus magis firmatur veritas; Prophetæ ſiquidem, & Patres per reſpectum ad maximam illam vindictam, alias explicant a Domino alio tempore exercitar.

Quomodo autem continget obſcuratio Solis, & Lunæ, dicimus obſcurationem futuram per admirabiles defectiones, quæ frequentes, & magnæ erunt ratione motuum cœleſtium, qui inordinati erunt: ſeneſcente inſuper Orbe, fient commotiones in temporibus anni, æſtas frigida, calida hyems, quæ variationes diſponent ad defectiones, & terræmotus. Fient etiam hujuſmodi totales obſcurationes per denſiſſimarum nubium interpoſitionem, ex quarum qualitate, & diſpoſitione reverberationis fiet Sol cilicinus, ut dicit Scriptura. Luna vertetur in ſanguinem, & tota fiet ſanguis, ùt eadem teſtatur, ad quos effectus concurret Divina virtus: & a vera Philoſophia aberrat *Origenes* tract. 20. in Matth., qui docet Solis lumen paulatim defecturum; quia deficiet ejus pabulum, ſentiens Solem, & Lunam eſſe corpora corruptibilia, quæ pabulo nutriantur, ſicut accidit in noſtro igne. Neque altera ſubſiſtit expoſitio, quam idem inſinuat, videlicet obſcurandum Solem; quia fumo implebitur aer ex Orbis conflagratione; nam, ùt Scriptura docet, talia ſigna præcedent diem Judicii ad terrendos homines, conflagratio autem non erit niſi ipſa Judicii die. Ob eandem rationem non eſt admittenda opinio dicentium illa lumina obſcurari propter excellentem ſplendorem Crucis, & Judicis; nam loquendo de Judice, ſolùm apparebit die Judicii: deinde non dicerentur in proprietate obſcurari, non dare lumen, verti in tenebras, ſi ſolùm excedentur a lumine ſuperiori.

Quomodo contînget Solis obſcuratio.

De

Quid de ſtellis.

De ſtellis, omiſsâ opinione *Origenis* loco citato dicentis, quod ſtellæ ob earum corruptibilitatem cadent, & illâ *Tertulliani* contra *Hermogenem* cap. 34. aſſerentis, quod revera cadent, quia redigentur in nihilum, dicimus explicari per Scripturam, quid ſit ſtellas cadere: *primò* per luminis ſubtractionem Joelis 3. v. 15. *Sol, & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*: *ſecundò*; quia ſtellarum nomine veniunt cometes magni, & fulgura horribilia Joel. 2. v. 30. *Et dabo prodigia in cælo, & in terra*.

Quid de virtutibus cælorum.

De virtutibus cœlorum: ſi dicamus cum Hebræis virtutes cœlorum eſſe ipſamet aſtra, facilè ſolvitur inſtantia; nam dicentur commoveri; quia diverſos aſpectus, conjunctiones, & motus habebunt, & mutabunt influentias; nam ob illas commotiones peſtiferas dabunt. Si nomine virtutum cœleſtium veniunt Angeli, dicuntur commoveri per effectus, quos cauſabunt in cœleſtia, & terrena corpora, tamquam Divinæ juſtitiæ miniſtri, de quibus ſcriptum eſt Pſal. 149. v. 6. *Gladii ancipites in manibus eorum: ad faciendam vindictam in nationibus*.

212 OBJICIES 3. Pronunciatur in Scriptura futurum adventum Chriſti omnino inopinatum; ſed ſi ignis cum cæteris ſignis eſſet realis, non poſſet eſſe inopinatus: ergo. *Major oſtenditur* 1. ad Theſſal. 5. v. 2. *Sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint pax, & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperveniet interitus*. Quomodo pax, & ſecuritas, ſi tot mala ſenſibilia prænuncia in januis prædicant Judicium? Sunt ergo metaphorica ſigna.

RESPONDENT aliqui cum *Œcumenio* in hunc locum, non obſtantibus illis ſignis adeo manifeſtis repentinum diei adventum Domini, quia dies, & hora neſciuntur, licèt tempus fore propinquum dignoſcatur: ea proportionali ratione, qua mulier ſentit partum non multùm diſtare; ſed diem, & multò minùs horam ignorat: dicunt alii cum *Ambroſio*, quòd repentinus ſuperveniet interitus aliquibus; quia tempore proximiori ad Judicium multi ex improviſo morientur. Vera ſolutio eſt, quòd impii parvipendentes illa ſigna, falsâ fruentes pace prævenientur a Judicio; & hoc docuit Chriſtus *Matth.* 24. exemplo Diluvii, quod ſupervenit otiantibus hominibus, nec fidem dantibus propheti͡æ, & prædicationi Noe: Boni tamen timebant, ac præparabant ſe. Nec eſt inconveniens, quòd tempus Judicii dicatur incertum, & tamen arguatur proximum; nam dies Judicii conſiderari poteſt ſecundùm ſe, & ùt conjunctum cum circumſtantiis, & ſignis: ſi primo modo, intelligatur, dies Judicii eſt omnino Angelis, & hominibus incognitus: ſi ſecundo modo, eſt cognitus illis, qui ad tales circumſtantias, & ſigna attendunt: ſicut Medico perito cognita eſt mors Petri, non quidem ſecundùm ſe, & abſtractivè a circumſtantiis, benè verò cum circumſtantiis morbi lethalis: unde Matth. 24. v. 29. dicit Chriſtus: *Statim autem poſt tribulationem illorum dierum . . . v. 32. Ab arbore fici diſcite parabolam: cùm jam ramus ejus tener fuit, & folia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas: ita & vos cùm videritis hæc omnia, ſcitote quia propè eſt in januis*.

Ultimum Judicium quomodo dicatur incertum, & certum.

§. II.

213 SEcunda pars tituli inquirit, an ille ignis ſit futurus ad purgandos Electos. *Lactant.* lib. 7. cap. 21. videtur docere, omnes tam Bonos, quàm Malos fore igni tradendos — Sed & Ju-„ ſtos, cùm judicaverit Deus, etiam igne „ eos examinabit — Subdit tamen, quòd innocentes ignem non ſentient, ſecus iniqui: idem tradere videtur *Origenes* hom. 14. in Luc. — Ego puto, quòd & poſt reſur-„ rectionem ex mortuis indigeamus Sacra-„ mento, eluente nos, atque purgante; ne-„ mo enim abſque ſorde reſurgere poterit — Similia habet hom. 3. in Pſal. 36.: lib. 8. in Epiſt. ad Rom.: hom. 31. in Jeremiam, ubi confirmat, vel ſupponit errorem ſuum, quòd aliquando omnia peccata ſint purganda, & dimittenda: *Cæſarius* autem Arelatenſis hom. in cap. 3. ad Corinth. 1.: *Ambroſius* Pſal. 46.: & ſerm. 5., & 21. in Pſal. 118.: *Hilarius* in hunc Pſalmum tenent, non quidam Juſtorum omnium, ſed aliquorum peccata illo igne fore purganda.

214 Sed hæc doctrina, prout jacet, Fidei principiis repugnat, unde cautè procedendum eſt, & declaranda veritas. Si dicatur, quòd ignis purgabit omnes Electos, ab hæreſi excuſari nequit propoſitio; nam Catholica Eccleſia docet non eſſe poſt mortem purganda, niſi peccata perſonalia, in hoc ſeculo non diluta; ſed plerique Juſtorum, vel non commiſerunt peccata actualia, ùt infantes decedentes poſt Baptiſmum, vel ſi commiſerunt, perfectè pro illis ſatiſfecerunt, ſeu ab omni reatu mundati ſunt, ùt adulti, qui immediatè poſt lavacrum moriuntur, vel Martyres, qui pro fidei confeſſione moriendo omne debitum extinguunt; vel inſignes pœnitentes, qui pœnalitatibus onus ad commiſſa crimina conſequens adæquant? ergo non omnes Juſti purgatione indigent.

Hæreticum eſt dicere ignē conflagrationis purgare omnes Electos.

215 Si autem loquamur de illis Juſtis, qui abſque reatu maculæ moriuntur, ſed cùm debito pœnæ, & propoſitio intelligatur univerſaliter, hæreſis quoque periculum non aufugit; ſiquidem ſecundùm fidei principia ante finale Judicium Purgatorio expleto Juſti quoad animam beatificantur; ſed nullus etiam in minimo coinquinatus introibit in regnum cœlorum: ergo iſti per ignem conflagrationis nihil habebunt purgandum.

Juſti quoad animam ante finale Judicium beatificantur.

216 Si verò ſermo ſit de illis Juſtis, qui vel ob gravitatem reatus, vel quia brevi tempore defuncti ſupponuntur nondum ſufficienter ſatisfeciſſe, adhuc propoſito minùs conſonâ doctrinæ Eccleſiæ apparet; ùt enim ex Controverſia de reſurrectione dictum eſt ex *Apoſtolo* ex 1. Corinth. 15., & 1. ad Theſſal. 4. omnes Juſti in ſpirituali, & glorioſo corpore reſurgent; ſed corpus glorioſum non eſt capax purgationis:

Corpus glorioſi non eſt capax purgationis.

tionis: ergo nec iſti tradentur igni conflagrationis. Quare ad Divinam providentiam ſpectabit diſponere, quòd intenſiori pœnâ ſuppleatur conditio durationis, tum in iis, qui a longo tempore, tum in iis, qui a paucis momentis defuncti erunt; quia immo iſti ante obitum purgabuntur ſive mediis calamitationibus illorum dierum, ſive mediâ vehementi contritione.

217 DICES. Gloſſa interlinealis ad illud Danielis 7. *Thronus ejus flamma ignis*, dicit -- „ Ut malos puniat, bonos purget -- & Gloſſa ordinaria -- Ut peccatores peccatorum magni„ tudinem pertimeſcant, & Juſti ſalventur, „ ſic tamen quaſi per ignem -- *Ambroſius* ad illud Malachiæ 3. -- Quis ſuſtinebit diem „ adventus ejus? ipſe enim quaſi ignis con„ flans, & emundans argentum, & purga„ bit filios Levi -- & *Pſal.* 118. *ſer.* 20. -- „ Omnes oportet per ignem probari quicum„ que ad Paradiſum redire deſiderant -- ſed illæ Scripturæ loquuntur de univerſali Judicio: ergo volunt Patres, qui eas explicant per ignem conflagrationis purgandos fore Electos.

Explicantur Patres.

CONTRA. Quòd etſi illæ Scripturæ per ſe, & directè agant de judicio univerſali, compræhendunt tamen etiam particulare judicium, quod eſt præparatorium ad univerſale: ſiquidem nec quoad materiam examinandam, nec quoad ſubſtantiam ſententiæ, ab eo differt; unde Patres ad particulare judicium tales Scripturas accommodent: & aliquando diem particularis judicii noviſſimum diem appellant; quia fit in puncto mortis: Juſti igitur, qui in hoc ſeculo ſufficienter non ſatisfecerunt, in judicio particulari igni traduntur ad emundationem, qui ignis eſt idem ſpecie cum illo, qui die ultimo Mundi Chriſtum præcedet: unde optimè dicunt Patres eo igne, ideſt ſpecifico, purificari Bonos. Verumtamen quòd quandoque indefinitè loquuntur, aſſerentes igne purganda omnia peccata præſcindendo a tempore particularis, vel univerſalis judicii, vel in ſtatu viæ, ut doceant indiſpenſabiliter de criminibus pœnitentiam agendam eſſe.

218 DICES 2. *Hilarius* in Pſalm. 118. octonario tertio apertè loquitur de die univerſali; exponens enim illa verba -- Concu„ pivit anima mea deſiderare juſtificationes „ tuas in omni tempore, *dicit*, An cùm ex „ omni otioſo verbo rationem ſimus præſti„ turi, diem Judicii concupiſcemus, in quo „ nobis eſt ille indefeſſus ignis obeundus, in „ quo ſubeunda ſunt gravia illæ expiandæ à „ peccatis animæ ſupplicia? -- ergo.

RESP. Quòd non videtur ita clarè appellare ad univerſale judicium, cùm verbum illud *diem Judicii* ſit indefinitum; & cùm determinatè ſubjungat *expiandæ animæ à peccatis*, apparet illud limitare ad particulare, in quo ſola anima Purgatorio ad expiationem demandatur. Cæterùm ſi adhuc velimus Patres loqui de univerſali Judicio, dicendum erit, quòd illa verba purgari, probari, examinari illo conflagrationis igne, veniant in hunc ſenſum, quòd ignis erit quaſi aſſeſſor cum Chriſto, velut Divinæ Juſtitiæ jam executæ miniſter, & ùt teſtis Judici ferenti ſententiam innocentiæ, & purgationis antea factæ in Purgatorio; pro Impiis autem adſtabit ùt

Ignis teſtis & executor Divinæ Juſtitiæ.

ultor, & carcer: quo ſenſu benè explicatur illud Eccleſiæ: *Qui venturus eſt judicare ſeculum per ignem*: ubi particula *per* denotat realem ignis cauſalitatem, vel exercitam in Juſtos in Purgatorio, vel in Reprobos in Inferno, & tunc, & in æternum exercendam: obſervandum autem eſt, quòd dicitur per ignem judicaturum ſeculum, quia nomine ſeculi veniunt peccatores, utpote ſeculi hujus amatores.

219 DICES 3. Omnes circumdabit ille ignis; erit enim in circuitu throni: ergo realiter omnes patientur.

RESP. in primis negari poſſe *ant.* Licèt enim ſit in circuitu, non tanget Electos; deinde dato, quòd tangat, non lædet Juſtos, ſed illis erit velut ros, ſicut fuit pueris in fornace Babylonis: nec per conſequens Judicium impediet. Ita enim ſub Divinæ diſpoſitionis regula erit diſtributus, quòd mali, & boni diſcernantur, & omnes Judicem videant. *D. Thomas* videtur ſentire, quòd ignis conflagrationis, ùt præcedens judicium læſurus ſit illos Juſtos, qui tunc non erunt ſufficienter purgati; ſed intelligendus eſt de illis, qui tunc morientur, & vivi die ultimo reperti ſunt.

Ignis non nocebit Electos.

220 DICES. Anima, & corpore peccaverunt Juſti: ergo anima, & corpore ſatisfacere debent; ſed hoc non fit in Purgatorio: ergo fiet die judicii.

Jam alibi reſponſum eſt, quòd in anima conſummatur peccatum, in eadem conſummatur ſatisfactio. In anima, & in corpore incipit ſatisfactio media contritione: mortem, mortiſque tormenta corpus ſuſtinet, patitur corruptionem, & ſepulchri ignominiam.

§. III.

221 TErtia pars tituli tangit finem ſatis principalem ignis conflagrationis, Mundi ſcilicet purgationem, in qua materia fusè loquuntur quidam Doctores, & accuratiſſimus eſt *D. Thomas* q. 74., & 91. ſuppl. nos quantum fieri poteſt ob ſæpè dictum motivum; quia nempe non ſunt omnia ad Dogma neceſſaria, titulum limitabimus ad cœlorum purgationem; hoc quippe utile erit ad intelligentiam aliquarum Scripturarum. Ad cujus examen ſupponendum eſt tempore illo univerſum eſſe innovandum; quod ſic oſtenditur. Innovatio eſt tranſitus ab uno ſtatu in alium; ſed Mundus tranſibit de uno in alium ſtatum: ergo innovabitur. *Minor* habetur Iſaj. 65. v. 17. *Ecce ego creo cælos novos, & terram novam: & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor*: & ſequenti cap. v. 22. *Sicut cæli novi, & terra nova, quæ ego facio ſtare coram me, dicit Dominus: ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum*: quæ dicta ſunt in ſenſu myſtico de innovatione Eccleſiæ per legem novam, & gloriæ conſummationem, & in ſenſu literali pro cœlorum materialium, & terræ innovatione; unde *Apocalyp.* poſt explicatam totam ſeriem ſecundi adventus Chriſti dicitur c. 21. v. 1. *Vidi cælum novum, & terram novam*;

Mundi purgatio per ignem.

Innovatio Univerſi.

 pri-

primam enim cœlum, & prima terra abiit: nun autem hæc nova erunt, niſi ponatur innovatio.

Status Electorum innovabitur.

222 SECUNDO. Univerſum factum eſt prupter Electos: 1. Cor. 3. v. 23. *Omnia veſtra ſunt: vos autem Chriſti*: ex quo ſic: Conſentaneum eſt, quòd ea, quæ ſtatui alicui ordinantur, ſint illi accommodata, & propurtionata; ſed ſtatus Electurum innovabitur; quod enim ſeminatur in iguobilitate, reſurget in gloria: ergo Univerſum prupter illus ſactum innuvari pariter debet.

Cœli participabunt gloriam filiorum Dei.

223 TERTIO. Omnis expectatio a Deo creaturæ impreſſa per urdinationem ad finem intrinſecum, & naturalem, vel ad finem extrinſecum, & ſupernaturalem expleri debet; quia, quæ a Deu ſunt, fruſtra non ſunt; ſed Univerſum, & ſenſibilis creatura a Deu ordinatur ad finem ſuperexcedentem naturalem formam: ergo illum conſequetur. Hoc antem eſt induere gluriam ex participatione gloriæ filiurum Dei, quurum corpora induent incorruptiunem, & hanc eandem expectat ſenſibilis creatura, quæ eſt ſubjecta varietati, ideſt currnptiuni. Hanc ratiunem ponit Apoſtolus ad Rom 8. v 19., quæ per ſe primò dicta ſunt de Electis, & per communicationem de aliis creaturis: *Nam expectatio Creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim Creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei. Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc*: videatur ibi *D.Thomas*. Licèt ergo novitas gloriæ detur in præmium meriturum, & Creaturæ irrationales nun ſint meriti capaces; Electi tamen ad augmentum ſuæ gloriæ tuti Univerſo hanc innuvationem meruerunt; ùt, cùm quis meretur pretiuſis veſtibus ornari, licèt illum ornatum veſtis ipſa nun mereatur.

Quomodo contaminatur creatura irrationalis.

224 QUARTO. Quamvis creatura materialis pruptiæ nun ſit capax culpæ, ſubit tamen cuntaminatiunem quandam ex peccatis hominum, quatenus ſubjecta fuit abuſui peccantium; ſed Chriſtus veniet ad judicium conſummaturus umnem peccati immunditiam in Electis per æternam gloriam, in Reprobis per æternam pœnam: ergu debitum eſt, quòd etiam creaturæ, quæ deſervierunt immunditiæ, purificentur, ac pruinde innoventur.

Potentiæ exteriores debent ſatiari.

225 QUINTO. Conveniens eſt, quòd potentiæ exteriores in ſtatu beatitudinis ſint ſatiatæ, & beatæ, & inter iſtas potiſſimè oculus, qui eſt nobilior: ſatiabitur autem per hoc, quòd meliuri modo utetur viſu. In hoc mortali ſeculo creatura deſervit homini ad ſuſtentationem vitæ corporalis; hic uſus ceſſabit; quia corpus noſtrum induet incorruptionem: deſervit parti intellectivæ ad cognitionem inviſibilium: neque hic uſus neceſſarius erit; quia Beati in Divina eſſentia cognitionem habebunt, ac proinde hunc uſum exercere debebit circa alia corpora, in quibus pleraque judicia Dei maniſeſtè elucent; ſed alia corpora non erunt proportionata, niſi innuventur, ſicut innovatum eſt Chriſti corpus, & Beaturum, quæ erunt primaria ubjecta viſus: ergu. Uſque ad illud tempus igitur ex urdinariu curſu in Univerſo erit ille idem fluxus ſpecificus, & genericus rerum, qui nunc eſt, & deſcribitur Eccleſ. 1. v. 9. *Quid eſt, quod fuit? Ipſum quod futurum eſt*; ſed tune Deus novam formam, ſeu formæ ſtatum inducet; nam quæ ad gloriam pertinent, ab ipſo ſunt, non a natura: adeoque illa innuvatio nun eſt reducenda in aliquod corpus alterans, quod ſit intra Univerſum, per quod nunc fiunt alterationes: ex quo ſequitur, quòd hæc innovatiu ſit ſupra naturam, ejuſque perfectiva, contineturque in potentia obedientiali. Et quamvis Deus dicatur die ſeptimo ceſſaſſe ab omni upere faciendu in futurum, hoc debet intelligi, quòd nihil facit, quod nun cuntineatur in ſimilitudine rerum ab initio factarum, & in earum naturali, vel ubedientiali potentia.

Quomodo dicatur die ſeptimo ceſſaſſe Deū ab opere.

Purgatio incipiet ante Judicium, & complebitur poſt illud.

226 Quando autem iſta purgatio facienda ſit ante, vel poſt judicium, certò non conſtat, & optimè dicit *Auguſtinus*, quòd tunc experientia docebit: ipſe tamen inclinat, quòd fiet ante judicium lib. 20. de Civit. cap. 30.: *D. Thomas* verò tenet fieri ante judicium, expleto ultimu effectu, qui eſt involvere Reprobos, & trahere ad inferos, ſic in Supplem. q. 74. art. 7. Cunſone ad Scripturas dicerem incipiendam purgatiunem ante judicium, & poſt illud complendam: prima pars conſtat ex Scripturis: Pſal. 49. v. 3. *Ignis in conſpectu ejus exardeſcet*: Pſalm. 96. v. 3. *Ignis ante ipſum præcedet*: Jnel. 2. v. 3. *Ante faciem ejus ignis vorans*. Conſtat etiam ratione; quia ante judicium reſurgent Electi in curporibus gluriofis, & a corruptione liberis; ac pruinde etiam cæteræ creaturæ liberari debebunt, & ſaltem initiativè purgari. Poſterior pars eruitur ex priori *ad Corinth. 15.* Conſummatio, & perfectio Mundi, & Eccleſiæ militantis eſt finis tutius progreſſus Chriſti Dumini, quu poſitu, tradet regnum Patri; ſed hæc non habentur, niſi quando ſubjecerit omnem poteſtatem, & inimicos ſuos, quod tunc fiet, quandu per finalem ſententiam, & Dæmones, & Malos perpetuis tradet cruciatibus: ergo tunc Mundi perfectiu eſt conſumanda. Ratione pariter cunſtat: non poteſt poni mundi innovatiu, niſi præmittatur perfecta purgatio a peccatorum contaminatione; atqui hæc haberi nequit, niſi poſt judicium; ipſa ſiquidem judicii die Dæmunes, & Reprobi ſuarum iniquitatum fœtore contaminabunt Orbem, illâ ipsâ die deſperatiunis actus, blaſphemiiſque contra Deum evument. Deinde non videtur congruum, quòd etiam ad momentum Damnati fruantur Mundi innovata pulchritudine, quo adeo abuſi ſunt, quem ſuis criminibus polluerunt: ergu expectanda eſt cunſumatio poſt judicium, & hoc modo faciliùs concurdantur ſententiæ.

Sententia de Mundi purgatione.

227 His præmiſſis, accedimus ad difficultatis ſcupum, circa quam *S. Hieronymus* in cap. 51., & 65. Iſaiæ quorundam Philuſuphorum ſententiam refert, qui dicebant hæc umnia eſſe igni tradenda, ut omninu diſſolvantur: & *Euſebius* lib. 15. cap. 17. de præparatione evangelica hos Philoſophos dicit

dicit fuiſſe Stoicos, inter quos *Zeno*, *Cleanthes*, *Cryſippus*. Ex Patribus *Juſtinus Martyr* quæſt. 93., & ſeq., *Chryſoſtomus* hom. 14 in epiſt. ad Rom., *Gregorius Nyſſenus* lib. de Creatione mundi cap. 24., *Baſilius* hom. 3. Examerou., *Ambroſius* lib. 1. Examer. cap. 6, & alii docent cœlum ob peccati præviſionem fuiſſe corruptibiliter conditum, adeoque, & ſubſtantialiter innovandum per ejus deſtructionem, & alterius productionem. Ex recentioribus *Ambroſius Catharinus* in primam ad Hebræos, & in cap. 3. ſecund. Petri: *Hieronymus Maggius* lib. 2. de Exuſtione mundi cap. 6., & 7.: *Franciſcus Valleſius* de ſacra Philoſophia cap. 89. tenent Mundum fore ſubſtantialiter innovandum vel per annihilationem, vel per corruptionem, & novorum corporum productionem tam cœleſtium, quàm elementariorum, & terreſtrium: alii autem excipiunt cœleſtia, alii aliqua elementa; ſed univerſalis doctrina defendit cœleſtia corpora non eſſe ſubſtantialiter innovanda, nec cætera corpora ſimplicia, & hanc ſequimur, utpote Scripturis conformiorem.

Nec cœleſtia, nec ſimplicia corpora ſunt ſubſtantialiter innovanda.

228 PROB. *primò*. Purgatio, & innovatio finalis per ignem primæ purgationi per aquam factæ correſpondet 2. Petr. 3. v. 6., & 7. *Per quæ ille mundus aqua inundatus periit. Cœli autem, qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervati in diem Judicii*; ſed prima purgatio non corrupit corpora ſimplicia, nec ſuperiores cœlos quoad ſubſtantiam: ergo neque ſecunda eadem quoad ſubſtantiam deſtruet.

Mundus præterit quoad accidentalia.

229 SECUNDO. Univerſum innovatur juxta illud, quod præterit, & abit; ſed præterit, & abit non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm accidentia: ergo. *Min. habetur* 1. Corinth. 7. v. 31. *Præterit enim figura hujus mundi*; figuram dixit, non ſubſtantiam. Hic *Auguſtinus* explicat lib. 20. de Civit. Dei cap. 14. — Peracto quippe judicio, tunc eſſe
„ deſinet hoc cœlum, & hæc terra, quando
„ incipiet eſſe cœlum novum, & terra no-
„ va. Mutatione namque rerum, non om-
„ nimodo interitu tranſibit hic mundus.
„ Unde & Apoſtolus ait: præterit enim
„ figura hujus mundi, volo vos ſine ſollici-
„ tudine eſſe: figura ergo præterit, non
„ natura —

230 TERTIO. Corpora cœleſtia, & reliqua ſimplicia expetant ſui immutationem, & glorificationem, ùt ſupra vidimus ex Apoſtolo ad Rom. 8. v. 22. *Scimus, quòd omnis creatura ingemiſcit* &c.; ſed ſi innovatio fieret per ſubſtantialem immutationem; non expectaret ſui immutationem, & glorificationem; ſed deſtructionem, ad quam non datur inclinatio; immo omne ens ab illa refugit: ergo. Exponit hanc rationem *Epiphanius* Hæreſ. 64. -- Exardeſcet equidem ad purga-
„ tionem, ac renovationem, deſcenſione facta,
„ totus Mundus igne dilutus; non tamen ad
„ perfectum interitum, ac corruptionem de-
„ veniet . . . ſed & Paulus palam teſtatur
„ dicens, etenim ſolicita creaturæ expectatio
„ revelationem filiorum Dei expectat -- Non ergo expectant ſuum non eſſe, ſed aliquid meliùs, quod eis accreſcat. *D. Thomas* ſuppl. quæſt 91. art. 3.

Cœli expectant ſuam immutationẽ.

231 QUARTO. Quod eſt conditum, ut in æternum perſeveret, non poteſt ſubſtantialiter innovari: ſed Cœli, & Univerſum condita ſunt, ut in æternum perſeverent: ergo. *Minor* habetur Eccleſiaſtes 3. v. 14 *Omnia opera, quæ fecit Deus, perſeverant in perpetuum*: & de Cœlis Job 37. v. 18 *Tu forſitan cum eo fabricatus es Cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt*: qua locutione declarat eorum perpetuitatem. Tangit hanc rationem *Epiphanius* ibidem -- Igitur ad hoc, ut ſit, & maneat, crea-
„ turam Deus conſtruxit: quemadmodum
„ etiam ſapientia confirmat; creavit enim
„ Deus omnia, ad hoc, ut ſint, dicens &c.

Univerſum conditum eſt, ut in æternũ perſeveret.

232 QUINTO. Corpora cœleſtia ſolis, & lunæ habitura ſunt majorem lucem, & perfectionem, quàm nunc habent; ſed hoc verificari nequit, niſi ſint ſubſtantialiter permanſura: ergo eorum innovatio non fiet per ſubſtantialem immutationem. *Major* habetur Iſajæ 30. v. 26. *Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter*: ibi Propheta loquitur de judicii die, quâ Deus perfectè ſanabit vulnera, & Electorum defectus: ubi *Hieronymus* -- Erit lumen lunæ ſicut lumen
„ ſolis, quando dederit Deus cœlum novum,
„ & terram novam, & tranſierit habitus Mun-
„ di hujus, ut luna, & ſol laboris, & curſus
„ ſui præmia conſequentur -- quatenus in uſum Sanctorum deſervierunt: quod autem dicitur de ſole, & luna, dicitur pariter de cæteris corporibus ſimplicibus.

Major lux in Sole, & Luna.

233 SEXTO. Quod ſpoliatur una forma accidentali, & aliam induit, non deſinit eſſe ſubſtantialiter; ſed cœleſtia, & reliqua ſimplicia corpora accidentali forma ſpoliabuntur, & aliam induent: ergo non peribunt ſubſtantialiter. *Minor prob.* ex Pſal. 101. v. 26. *Initio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Ubi perire cœlum dicitur per hoc, quòd ab habitu ſeneſcente ad virentem tranſeat; ſic *Hieronymus* ibi in cap. 51. Iſajæ explicans illud, quia cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur -- Cùm autem cœlum
„ veteraſcat, & terra conſequenter, & ea,
„ quæ cœli circulo continentur . . . . morien-
„ tur non in interitum ſui, ſed in abolitio-
„ nem vilitatis antiquæ, & innovationis fu-
„ turæ gloriæ -- Et infra ſubdit -- Ex quo
„ perſpicuum eſt cœlum, & terram non peri-
„ re, & in nihilum redigi, ſed in melius
„ commutari --

Quomodo dicantur Cœli perire.

234 SEPTIMO. Cœlum, & terra poſt judicium deſervient Sanctis ad beatitudinem Act. 7. v. 49. *Cœlum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedum meorum*; ſed electi cum Deo, & apud Deum beatitudine fruuntur: ergo purgatio Mundi facienda erit per remotionem diſpoſitionis contrariæ gloriæ, quæ eſt finis, & ultima rerum conſummatio: hæc autem indiſpoſitio in corporibus inferioribus per aliquod eis inhærens habetur, quatenus per mutuam actionem deficiunt a naturali puritate: ergo ab hac per talem actionem contracta purganda ſunt. In corporibus autem cœleſtibus motus localis eorundem ultimæ perfectioni repugnat; quia motus iſte eſt via ad perfe-

Cœlum, & terra deſervient Sanctis ad beatitudinem.

ctionem, & mutuam actionem cauſat: ergo iſte eſt removendus, & tribuenda quies; atqui motus iſte eſt extra cœleſtium corporum ſubſtantiam ſimplicem: ergo in univerſali purgatione horum ſubſtantiam conſervabitur, & qualitates illæ intrinſecæ formam conſequentes, tanquam proprietates, de quibus non loquitur *Auguſtinus* lib. 20. de Civit. c. 16. ubi dicit naturam ſalvari, & perire proprietates, cùm loquatur de proprietatibus extraneis, quæ ex mutua actione miſcentur. *D. Thomas* fusè art. 4., & 5. q. 74. supplem.

Ceſſabit motus cœlorum.

235 Iſta igitur innovatio in cœleſtibus corporibus fiet per motus ceſſationem; ſcriptum eſt enim Iſajæ 60. v. 20. *Non occidet ultrà ſol tuus, & luna tua non minuetur*; ſed ſolis occaſus, & lunæ diminutio a motu cœli oritur: ergo motus cœli ceſſabit: Gen. 8. v. 22. finis motus cœleſtis eſt generatio, & conſervatio corporum corruptibilium: *cunctis diebus terræ, ſementis, & meſſis, frigus, & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcent*; ſed generatio, & corruptio ceſſabunt, quia impletus erit numerus fratrum, ideſt electorum: ergo. Quæ ratio habetur Apoc. 10. verſ. 7. *Sed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cùm cœperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei*. Tunc cœli nobilitabuntur; ſed quies eſt nobilior motu; quia ex quiete res magis aſſimilantur Deo, in quo eſt ſumma immobilitas: ergo recipiant quietem. Sic *Angelicus* in ſuppl. q. 91. art. 2. Fiet etiam hæc innovatio per additionem luminis, & ſplendidiſſimæ lucis, per quam perficientur cœli, ùt patet ex laudato *Iſajæ c. 30.*: & ratio eſt; quia lux eſt qualitas valdè propria cœleſtium corporum, & ideo dicitur Eccleſiaſtici 43. v. 10. *Species cœli gloria ſtellarum, mundum illuminans in excelſis Dominus*.

Major erit lux cœli.

Elementa innovabuntur per novas qualitates.

236 Elementa pariter purgabuntur ab impuritate extranearum qualitatum, quarum mixtio facta eſt per mutuam actionem, & innovabuntur per augmentum, & additionem qualitatum nobilitantium, per novam ſcilicet pulchritudinem, & claritatem. Hoc enim indicant Scripturæ, quibus dicitur cœlum, & terram innovanda eſſe; hoc exigit proportio cum ſtatu Electorum, quorum corpora innovabuntur, non ſolùm per depurationem ab imperfectionibus, verùm etiam per additionem novæ pulchritudinis. Hoc poſtulat finis purgationis Mundi, ut ad accidentale Beatorum præmium deſerviat, & ad perfectam Dei cognitionem per manifeſta indicia, inquam, creatura ſuo decore ducitur; in ea ſiquidem Divina ſapientia manifeſtatur, juxta illud Sap. 13. v. 5. *A magnitudine ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator horum videri*. Quales autem futuræ ſint iſtæ qualitates *S. Thomas* ſupplem. q. 91. art. 4. dicit, ſoli Deo, qui eſt auctor, cognitas fore; addit tamen ex aliorum ſententia „ quòd terra erit in ſuperficie per„ via, ſicut vitrum, aqua ſicut cryſtallus, aer „ ùt cœlum, ignis ùt luminaria cœli „ Quidam citant *Anſelmum*, & *Guilielmum ex Cartuſiano*, quaſi dicant terram ſemper fore virentem pulcherrimis, & immarceſſibilibus floribus, velut terreſtrem Paradiſum. Quæ opinio ob ſui ſingularitatem, & ob periculum incidendi in errorem Pelagianorum aſſerentium terram ſemper virentem futuram eſſe ſedem puerorum decedentium ſine Baptiſmo, ab omnibus deſeritur.

§. IV.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

237 OBJICIES 1. Illud indiget ſubſtantiali purgatione, quod fuit culpa contaminatum; qua ratione mixta ſunt diſſolvenda; ſed cœli ſuperiores fuerunt culpâ contaminati, cùm in cœlo empireo Angeli peccaverint: ergo cœli ſuperiores verè corrumpentur.

Empireum nullo modo innovandum.

Poſſet *negari major*; ſed quia veriùs crediderim cœlum empireum non eſſe adhuc accidentaliter innovandum: ducor, quia a Deo conditum eſt, ut eſſet Beatorum ſedes; unde dicitur Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi*; unde ab initio debuit omni perfectione compleri, licèt non eſſent, niſi poſt Chriſti aſcenſionem, illuc aſcenſuri homines; debuit quoque omni perfectione a principio ornari, cùm paulo poſt a creatione ab Angelis electis habitatum fuerit. Ad probationem crederem Angelos in cœlo empireo non peccaſſe, ſed in ſupremo cœlo aereo: moveor, quia ille locus deſtinatus eſt pro ſede Beatorum; unde illùc non ingrediuntur niſi Beati permanenter, vel tranſeunter; ſed Angeli peccantes non erant in ſtatu beatitudinis: ergo.

Angeli non peccaverunt in cœlo empireo.

238 OBJICIES 2. Quod defluit a ſuo eſſe, immutatur ſubſtantialiter; atqui ſuperiora corpora defluent a ſuo eſſe: ergo immutabuntur ſubſtantialiter. *Min.* habetur Iſai. 34. v. 4. *Tabeſcet omnis militia cœlorum, & complicabuntur ſicut liber Cœli: & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea*. Hìc cœli militia ſignificat ſtellas, quæ prædicuntur verè perire, ùt manifeſtat ſimilitudo foliorum, quæ ab arbore cadunt.

RESP. Senſum literalem hiſtoricum comminationem eſſe illis Iſraelitis, qui fuerunt coadjutores Aſſyriis, prædicens indignationem Judicis, & judicii intermedii, quod ſolet Deus facere in hoc ſeculo de impiis; & recenſet necem, & ſanguinis effuſionem, quam immittet, rerum diſſipationem, & alia mala, inter quæ prædicit deſtruenda idola, quæ in cœli militia ſignificantur, quia iſti ſtellas adorabant, quod prohibet Deus, Deut. 17. v. 3. *Ut vadant, & ſerviant diis alienis, & adorent eos, ſolem & lunam, & omnem militiam cœli, quæ non præcepi*: *Tabeſcent* igitur *cœli*, ideſt ſpiritus, qui aſtris ſecundùm Gentilium errorem præſident: *Complicabuntur ſicut liber*, quia ſicut in libro plicato nihil legitur, ita in aſtris amplius non poterunt divinare: quo ſenſu explicandus erit ille textus Apoc. 6. v. 14. *Cœlum receſſit ſicut liber involutus*. Præter hunc hiſtoricum ſenſum in prædictis includitur etiam myſticus, quatenus prædicitur fructus prædicationis Chriſti in everſione idololatriæ.

Verùm cùm quidam ex Sanctis Patribus ibi intelligant ſenſum literalem de ultimo Judicio; cùm fiat ibi mentio de die

ultio-

ultionis, & de pœna in ſempiternum non auferenda, ita quòd verba *Iſaiæ* eadem ſint cum verbis Chriſti Matth. 24. *Stellæ cadent*, difficultas adhuc urget: cui reſpondeo hìc exprimi ſolam accidentalem mutationem per obſcurationem lucis ſtellarum, quæ erit in ſignis prævîis ad judicium, & ideo dicitur *Tabeſcet*, quod eſt decolorari: per ceſſationem motus ordinati, ſi intelligatur ante judicium: ſub hac enim metaphora libri complicati, & cœli recedentis exprimitur irregularis cœleſtium corporum circulatio illis temporibus futura. Hinc illud ultimum *omnis militia defluet* exprimit copiam cadentium cometarum, quo ſenſu *Iſaias* optimè concordat cum Evangelio. Quòdſi referatur poſt judicium, dicuntur cœli complicari ſicut liber; quia ceſſabunt ab uſu, & miniſterio influendi in hæc inferiora: ex quo ſequitur defluere cœli militiam; quia auſertur, & diſperditur omnis materies, ex qua formantur cometes, & fulmina: & hæc dicuntur ſecundùm humanam conſuetudinem; nam quando libro aliquo uſi ſumus, & amplius non deſervit, complicatur, & reponitur. Verius conſonat *Iſaia*, ſi textus referatur ante judicium, cùm caput illud comminationibus plenum ſit.

239 DICES: Quod in ſua ſubſtantia diſſolvitur, non immutatur ſolùm accidentaliter; ſed cœleſtia corpora ſunt diſſolvenda in ſui ſubſtantia, ùt dicitur Iſaiæ 51. v. 6. *Cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur*: quibus exprimitur ſubſtantialis diſſolutio: dictum textum loqui de die Judicii manifeſtat contextus, & auctoritas *D. Hieronymi*.

Senſus literalis eſt hiſtoricus de liberatione Iſraelitici populi a captivitate, & intendit removere impedimentum, quod exoriri videtur ex paucitate Judæorum, ex opprimentium hoſtium poteſtate, ex gravitate pœnarum, quibus gravabatur: qua occaſione miſcet liberationem myſticam a captivitate Diaboli, & peccati, oſtenditque vanitatem, & caducitatem terrenorum, & temporalium fluxibilitatem, permanentiam quoque bonorum ſpiritualium, & æternorum, & ideo ſubdit: *Salus autem mea in ſempiternum erit, & juſtitia mea non deficiet*: quare iſtud caput ab Eccleſia applicatur primo adventui Chriſti Domini ad liberandum nos per redemptionem. Quòdſi alius literalis ſenſus ſubſit de finali Judicio, cœlorum nomine non veniunt cœleſtes orbes, ſed aerei, ùt infra ex Patrum regula dicemus, quod & textus ſuadet; inquit enim: *Et habitatores ejus ſicut hæc interibunt*: verbum *ejus* non appellat tantùm ſupra terram, ſed etiam ſupra cœlos; eſt ſiquidem aſteriſmus ſacræ locutionis: in ſolis autem cœlis aereis ſunt habitatores, videlicet volucres: terram autem atteri eſt, quoad ſuperficiem radi, & comburi; atterere eſt comminuere in partes, ſed non totaliter diſſolvere.

Nomine cœli venit aliquando aereum.

240 INSTABIS. Non poteſt meliùs exprimi ſubſtantialis reſolutio, quàm per reductionem in nihilum; ſed corpora cœleſtia reducenda ſunt in nihilum: Iſai. 65. v. 17. *Ecce enim ego creo cœlos novos, & terram novam: & non erunt in memoria priora*. Hoc eſt, erunt deleta, & conſonat Apoc. 21. v. 1. *Vidi cœlum novum, & terram novam. Primum enim cœlum, & prima terra abiit, & mare jam non eſt*. Nec dubitari poteſt, quòd non loquatur de judicio: agit enim apertè de totali vialis ſtatus conſummatione.

RESP. locum *Iſaiæ* a Patribus myſticè aſſumi *primò* pro beneficio legis gratiæ, in quo data ſunt majora auxilia, & exprimuntur per illud verbum cœli, & majora beneficia ab hominibus recepta, quæ per terram novam declarantur. *Secundò* per conſummationem beatitudinis Sanctorum, qui non inhabitabunt ampliùs hanc terram ſub hoc cœlorum aſpectu, ſed Sanctam Jeruſalem poſſidebunt: novum cœlum, quia novus ad ipſam datur ingreſſus. D. Auguſtinus *lib. 20. de Civit. Dei cap. 21.*, *& lib. 22. cap. 3.* — Et quod, *ait*, erit cœ„ lum novum, & terra nova, & non erunt „ memores priorum, nec aſcendunt in cor ip„ ſorum, ſed lætitiam, & exultationem in„ venient in ea: & ecce ego faciam Jeruſa„ lem exultationem, & populum meum in „ lætitiam, & lætabor in populo meo, & „ ultra non audietur in ea vox fletus — Quo ſenſu accipitur etiam locus Apocalypſis. Quòdſi textus referantur ad judicium in ſenſu reali, tunc per novitatem intelligitur innovatio elementorum facienda per purgationem extranearum qualitatum, & ideo exemplificat in tribus elementis, videlicet in terra, aqua, & aere, qui cœlum dicitur, ſubintelligiturque ignis, qui erit purgationis inſtrumentum. Quando dicitur *mare non erit*, ſignificatur totalis purgatio ab omni impuritate, non autem totalis aquæ negatio: negatur ergo mare, qua mare, quod dicit aquam mixtam, & impuram, non autem aquæ elementaris natura. Mundatio ab extraneis vocatur etiam creatio: unde David petens ab extraneis affectibus dicebat: *cor mundum crea in me Deus*. Quòdſi prædicti textus intelligantur de innovatione cœlorum, dicimus, quòd hæc innovatio eſt accidentalis, & totaliter cœli ſplendore, & luce micabunt, quod ampliùs non erit memoria priſtinæ pulchritudinis.

Quomodo poſt judicium mare nõ erit.

241 URGEBIS. Mutationem illam in cœlis, & terra intelligere debemus, quam explicat Chriſtus; ſed Chriſtus non explicat mutationem illam per mutationem accidentalem Matth. 24. v. 35. *Cœlum, & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt*. Ubi illum tranſitum cœlo, & terræ convenire dicit, quem negat verbis ſuis; ſed ejus verba quoad eſſe veritatis nunquam tranſibunt, tranſibunt autem materialiter quoad effectus, & ſonum: ergo cœlum, terra tranſibunt quoad eſſe, & retinetur conſonantia ad illud Eccleſiaſtes 17. v. 30. *Quid lucidius Sole? & hic deficiet*.

RESP. *neg. min.* Nam illa Chriſti propoſitio noſtram doctrinam confirmat; intendit namque demonſtrare omnimodam certitudinem, & infallibilitatem ſuæ doctrinæ, quam prædicabat, & aſſumit comparationem a ſolidiſſimis, & firmiſſimis rebus, quaſi dicat: videte ſoliditatem cœli, & terræ, quanta ſit, & tamen facilius eſt ea deficere, quàm verba mea non verificari: unde ſenſus non eſt aſſertivus, ſed comparativus; & ratio eſt, quia

coula

cauſa eſt fortior ſuo effectu; verbo autem cœli firmati ſunt, unde illud eſt fortiùs. Quòd ſi quis ſenſum teneat aſſertivum, nunc intelliguntur de tranſitu ſtatus in alium meliorem. Veritas autem verborum Dei nec in minimo deficiet, ſed quoad minutiſſimum jota adimplebitur. Illud autem Eccleſiaſtes intelligitur de lucíditate, quam nunc ſol habet, quæ in meliorem commutabitur: dicitur autem *hic deficiet*, quod appellat ſupra ſolem ipſum, eò quòd ipſe ab una qualitate lucíditatis ad aliam tranſibit, ſicut dicitur, mutatur homo, quando unam veſtem exuit, & aliam induit.

242 REPLICABIS. Cœli, & terra eo modo ſunt diſſolvenda, quo mixta; ſed illa omnino quoad eſſe diſſolventur: ergo. Accipe totum argumentum ex celebri loco 2. Petri 3. verſ. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo Cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt, exurentur*; ideſt mixta, quæ ſubſtantialiter deficient: & infrà v. 12., & 13. *Properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent? Novos verò cœlos, & novam terram ſecundum promiſſa ipſius expectamus, in quibus juſtitia habitat*: quibus ſatis claré indicatur ſubſtantialis ſimplicium, & cœleſtium corporum diſſolutio.

Auctoritas iſta aliquibus difficilis viſa eſt, unde eam variè explicant; ſed non habent majorem vim, quàm præcedentia teſtimonia, immo minorem. Igitur pro cœlis non veniunt ætherei, ſed aerei; nam *D. Petrus* loquitur de illis cœlis, & de illa terra, quæ per inundationem aquæ diluvii diluta fuerunt, ùt contextus manifeſtat, & ii reſervati ſunt in diem Judicii; atqui certò certiùs aqua diluvii ad æthereos cœlos non pervenit: ergo neque ad æthereos cœlos perveniet ignis. Nam ex *D. Gregorio* tantùm ignis aſcendet, quantum aſcendit aqua diluvii. Certum quoque eſt, quòd cœli ætherei tunc ſubſtantialiter non ſunt mutati, ſed accidentaliter, quatenus occupati fuerunt, & impediti a ſuis actionibus, & effectibus, & elementa tunc vitiata fuerunt; quia ex quantitate aquæ terra lutuoſior facta eſt, aer craſſior, & aqua denſior, quæ impuritas continuâ commixtione aucta eſt: ab hac purgabitur ab igne, quod per diluvium factum non eſt. Dicitur, *magno impetu tranſient*; nam propter conflagrationis violentiam a vetuſtate corruptionis ad incorruptionis novitatem tranſibunt: elementa ſolventur; quia nunc ſunt colligata, & mixta ad uſum, & miniſterium creaturarum ad productionem generationum: tum verò hæc colligatio diſſolvetur: non autem peribit ſubſtantia elementaris. Terra autem in ſui ſuperficie comburetur cum ſuis mixtis, eundem ſenſum habent eadem verba ibidem repetita: ubi duo ſunt advertenda. Primum, quòd non dicit alios cœlos, aliam terram expectamus, ſed cœlos novos, & terram novam, ideſt utraque innovata. Secundum per illa verba *per quam cœli*: ſignificatur cauſa effectiva hujus diſſolutionis, & innovationis, quæ eſt Dominus ſupernaturali virtute agens. Audiamus *Epiphanium* Hæreſ. 65.--

Ignis conflagrationis tantum aſcendet, quantum aqua diluvii.

Perire apud Scripturas eſt mutare.

„ Quandoquidem hic mos Scripturis reſpon-
„ debimus, ut hanc Mundi tranſmigrationem
„ in meliorem, ac magis glorioſam reſtitu-
„ tionem, interitum, ac perditionem dicant;
„ tanquam videlicet prior figura pereat uni-
„ verſorum ad illuſtriorem ſtatum immuta-
„ tionem; nam nulla contrarietas, aut ab-
„ ſurditas eſt in Divinis Scripturis. Præterit
„ enim figura hujus Mundi, & non Mundus
„ dictum eſt. Sic ſanè morem habent Scrip-
„ turæ, ut perditionem vocent mutationem in
„ meliorem, aut pulchriorem prioris for-
„ mæ -- Ambroſium *Pſalm.* 101. -- Cœli pe-
„ reunt ab eo, quod ſunt, cùm mutantur in
„ melius -- Vide *Auguſtinum* lib. 20. de Civit.
Dei cap. 18.

243 OBJICIES 3. contra ſecundam partem, videlicet quòd Mundus accidentaliter innovabitur: ideo Mundus innovandus, quia factus eſt propter hominem; ſed hoc eſt falſum: ergo. *Prob. min.* Nullus ſapiens artifex maxima facit inſtrumenta propter minimum artificium; ſed homo eſt quid minimum ad corpora cœleſtia, ac proinde ad totum Univerſum: ergo.

Hoc ductus motivo Rabbi Moyſes loca veteris Teſtamenti pro Mundi innovatione intellexit metaphoricè; ita quod ſolem obſcurari ſit Mundum in triſtitia eſſe, ſolem prælucere ſit Mundum eſſe in lætitia. Attamen veritas Scripturarum manet in æternum; unde ad argumentum *nego min.* Homo enim ratione animæ rationalis longè perfectior eſt corporibus cœleſtibus; eſt namque ſubſtantia ſpiritualis capax gratiæ, & æternæ beatitudinis.

Homo ratione animæ perfectior Cœlo.

244 DICES. Ideo Mundus ad hominem ordinatus innovari debet, quia homo ipſe innovabitur; ſed hæc ratio non currit; nam ſequeretur, quòd deficiente homine per peccatum, deficerent quoque cœleſtia corpora, & univerſum per amiſſionem v. g. luminis, quod ab initio habuerunt, quod non ſubſiſtit: cùm ſint corpora incorruptibilia, & ut ſtaret proportio, neceſſe eſt, quòd tantum luminis habuiſſent a principio, quantum habebunt poſt judicium; ac proinde luna habuiſſet lumen ſolis, unde cùm facta ſit, ut præeſſet nocti, jam nulla fuiſſet diſtinctio noctis, & diei.

Quidam totam paritatem concedunt, adeoque admittunt defeciſſe illa corpora per realem diminutionem factam ab ipſo Deo, qui eſt auctor incorruptibilium corporum. Alii tenent, quòd non eſt facta realis imminutio, ſed ſolùm in effectu, & uſu, quatenus tantam utilitatem non attulerunt homini, ſicut antea attuliſſent, uti patet de terra, quæ poſt peccatum produxit ſpinas, & tribulos, quos non produxiſſet, ſaltem in tanta quantitate, in ſtatu innocentiæ. Quare autem poſt peccatum non ſit facta realis immutatio, quæ fiet poſt judicium, ex diverſitate unius, vel alterius ſtatus provenit. Nam peccatum non mutavit conditionem univerſi, cùm homo tam ante, quam poſt peccatum habuerit vitam animalem, quæ indiget motu, & creaturarum generatione: poſt judicium non habebit vitam animalem, ac proinde cùm his non indigeat, dabitur immutatio per ceſſationem motus cœlorum, & ſimilium.

Per peccatũ immutatum eſt univerſum quoad effectus.

245 OBJICIES 4. Plantæ, mineralia, animalia non innovabuntur: ergo neque cætera corpora. *Ant. ab omnibus conceditur*: conſe-

queu-

quentia *probatur*. *Primò* ſicut elementa homini ſervierunt, ita & animalia, plantæ, & mineralia. *Secundò* ſicut elementa pertinent ad perfectionem Univerſi, ita & ſupradicta. *Tertiò* ſicut elementa, ita & hæc alia ſaltem quoad ſpeciem naturaliter exigunt perpetuitatem. Plura ex his habent nobiliorem formam, ſcilicet viventis: ergo eorum appetitus expleri debet.

RESP. *concedendo antecedens*. Illa etenim ad uſum animalis vitæ hominum ordinata ſunt Gen. 9. v. 3. *Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia*: ceſſabit autem vita animalis poſt judicium. Deinde vel omnia animalia deberent innovari, vel aliqua: ſi aliqua non eſt major ratio de iſtis, quam de aliis, cùm omnia deſervierint uſui hominum: ſi omnia, deberet etiam dari reſurrectio animalium. *Negatur ergo conſequentia*, & ad primam probationem: innovatio Mundi conformari debet innovationi hominum; hæc autem fiet per ſtatum incorruptionis, ad quem tranſibit, adeoque ad illam innovationem ſolùm dicunt ordinem, quæ ad incorruptionem ordinentur. Porrò ad incorruptionem ſolùm dicunt ordinem corpora cœleſtia, quæ ſunt incorruptibilia quoad totum, & quoad partes; elementa quæ quoad totum; ſed non quoad partes incorruptibilia ſunt: homo qui eſt incorruptibilis ſecundùm formam, ſed non ſecundùm materiam: cætera verò ſunt corruptibilia tam quoad totum, quam quoad partes, ſecundùm formam, & ſecundùm materiam; adeoque nullum ordinem dicunt ad incorruptionem, ac proinde non ſunt capacia hujus affectus, nec hunc illis potuit homo mereri. Ad ſecundam: ſicut duplex eſt ſtatus naturæ, videlicet conditæ, & glorificatæ, ita eſt duplex perfectio, alia prioris, alia poſterioris: animalia, plantæ, & ſimilia pertinent ad perfectionem primæ vitæ, non autem ſecundæ. Ad tertiam: omnis appetitus, qui eſt in effectu, eſt per ordinem ad ſuam cauſam; ſed appetitus in iſtis mixtis, ut ſint, & in ordine ad motum cœli: ergo, illo ceſſante, non eſt in his appetitus, ut ultra ſint, & permaneant. Ad quartam: ſunt quidem perfectiora quoad formam, ſecus quantum ad ordinem ad incorruptionem, ratione cujus attenditur capacitas innovationis.

Plantæ, animalia, mineralia non innovabuntur.

246 OBJICIES 5., & inſtatur contra tertiam ſolutionem; atqui motus cœli non ceſſabunt: ergo neque iſta. *Prob. ant.* Quamdiu manet aliquod corpus, tamdiu manet illud, propter quod factum eſt; ſed corpora cœleſtia facta ſunt, ut dividant diem a nocte *Gen.* 1., quod non fit niſi per motum: ergo. Deinde ſicut gratia, ita & gloria non tollit naturam; atqui motus cœli eſt naturalis: ergo non tollitur per gloriam.

RESP. *neg. antecedens*. Motus cœli ordinatur ad ſubſidium vitæ corporalis hominum, quatenus per ipſum multiplicatur humanum genus, plantæ, & animalia uſui humani corporis neceſſaria, & cùm ceſſabit corporalis vita, ceſſare oportet & motus cœli. Nec ſequitur, quòd fruſtra ſint cœleſtia corpora abſque motu, per quem dividitur dies a nocte; quia iſte eſt finis proximus, præter quem eſt alius finis; facta ſunt nempe propter hominem, cui tunc deſervient ad beatitudinis complementum. Motus eſt quidem cœlis naturalis, ſed paſſivè, quatenus in ipſis recipitur, non autem activè; quia non eſt in eis principium activum intrinſecum motus. Ceſſabit ergo ab extrinſeco per hoc, quòd ab intelligentia motrice deſinet moveri: per quod patet ad id, quod addebatur de gloria.

Motus cœli ordinatur ad finem humanæ vitæ.

247 DICES: etiam lumen ordinatur ad uſum vitæ corporalis, ſicut ordinatur motus, & tamen illud non ceſſabit.

RESPONDEO, motum, cùm ſit actus imperfecti, non importare intrinſecam perfectionem ſubſtantiæ corporis cœleſtis: lux autem eſt qualitas intrinſecè perficiens. Ex his habes cauſam diſpoſitivam hujus innovationis uſque ad aereos cœlos eſſe ignem purgantem ab inquinamento peccatorum, & ſeparantem extraneas qualitates a corporibus ſimplicibus. Cauſam principalem agentem eſſe Deum, qui Univerſo perfectionem adjiciet, & quidem id faciet ùt auctor naturæ, cùm illæ qualitates ſuperadditæ naturalem ordinem non tranſcendant: ſitus verò elementorum erit hujuſmodi; terra infimum, ſeu inferiorem locum obtinebit in pulcherrimam planitiem diſtributa: ſupra terram erit aqua, deinde aer: ultimo ignis, & omnia ita benè diſpoſita, quòd Beatis deſervient ad jucunditatem.

Motus non eſt intrinſeca perfectio cœlorum, benè verò lux.

Ordo elementorũ poſt Judicium.

248 Ex his, quæ dicta ſunt de ceſſatione motus cœli plura colligit *D. Thomas* ad explicandum ſtatum corporeum Reproborum, qui, peracto judicio, ad inferos deſcendent: *Et ibunt*, ùt ſcriptum eſt Matth. 25. v. 46., *&* *ibunt hi in ſupplicium æternum*: & Apoc. 20. v. 14. *Infernus, & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis*. Aperietur igitur magnus terræ hiatus, per quem præcipitabuntur; quem hiatum permanſurum in perpetuum, ùt Beati pœnas Damnatorum videant, quidam Patrum videntur docuiſſe.

Status corporum Damnatorum.

249 INFERT ergo *primò*. Corpora Damnatorum fore incorruptibilia; quia totaliter deficiet cauſa corruptionis, quæ eſt mutatio ab eſſe ad non eſſe, cùm deficiet motus cœli, qui eſt primum alterans, in cujus virtute cætera agentia operantur ad corruptionem. Ex eodem principio concludit, quòd erunt impaſſibilia paſſione naturæ, quæ conſiſtit in eo, quòd paſſio recipiatur in ſubjecto materialiter, hoc eſt alterando illud; cùm alterationis principium ſit cœli motus; erunt tamen paſſibilia paſſione intentionali, quatenus recipient impreſſionem a qualitatibus diſconvenientibus non corrumpendo.

Damnati quomodo incorruptibiles.

250 INFERT *ſecundò*. Vermem, quem futurum in damnatis aſſerunt Scripturæ, non eſſe realem, ſed ſpiritualem, ideſt remorſum conſcientiæ; quia nullum animal, Mundo innovato, & cœli motu ceſſante, remanebit.

Vermis ſpiritualis.

251 INFERT *tertiò*. Fletum non fore materialem, quatenus fletus dicit lacrymarum reſolutionem; quia fieri nequit abſque corruptione, generatione, & alteratione, cùm debeat generari humor, qui ex oculis diſtillat: erit tamen fletus corporalis, quatenus quamdam capitis, & oculorum commotionem dicit; quia Damnatorum corpori ab exteriori affligentur, & ab interiori, quatenus immutabuntur ad malam animæ paſſionem; & hic

Fletus in inferno.

fletus

ſictus reſpondebit delectationi, quæ fuit in anima, & corpore. Hæc *D. Thomas*.

252 Alii literaliter retinendo Scripturas, quæ tradunt futurum in inferno ignem, frigus, tenebras, vermes, aliaque pœnarum genera expreſſa Pſalm. 10. v. 7. *Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum*, docent omnes iſtas pœnas corporales eſſe, & reales, quæ licèt in ſtatu naturali corruptibili, ſeu viæ ad diſſolvenda corpora ſufficerent, impediuntur tamen a Divina virtute, cùm ſint æternæ juſtitiæ inſtrumenta; a qua pariter virtute ſuppletur influxus præſtandus a motu cœli.

253 Ex Patrum doctrina deduxit *D. Thomas*, ex Mundi purgatione talem fore ſeparationem, ut quidquid purum, & nobile reperitur, aſcendat ad Beatorum gloriam: quidquid autem immundum, & fœtidum deſcendat ad damnatorum pœnam, & ſic ex omnibus creaturis aliquid accreſcat ad tormentum juxta illud Sap. 5. v. 21. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos*; ſic Divina exigente juſtitia, ut qui ab uno optimo recedentes per peccatum in rebus materialibus, quæ varia ſunt, & multiplicia, finem ultimum conſtituerunt, multipliciter, & a multis affligantur.

Dejectis impiis in Infernum, Chriſtus triumphator ad Cœlum aſcendet.

254 Ad inferos præcipitatis Impiis, Chriſtus judex triumphator aſcendet ad empireum cœlum ſecum ducens Electos, dicens *Venite benedicti Patris mei poſſidete regnum*: de quo pariter 1. ad Theſs. 4. v. 16. *Simul rapiemur cum illis obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus*. Porrò corpora Sanctorum cum Chriſto aſcendentia erunt ad illius aſſimilationem innovata ab intrinſeco mediis quatuor dotibus, videlicet impaſſibilitate, ſubtilitate, agilitate, & claritate, de quibus 1. *ad Corinth.* 15., in quarum explicatione immorari non vacat, utpote in re omnino ſcholaſtica.

Quatuor qualitates Beatorum.

255 Quare ad complementum ſolùm explicare oportet, quid velint illa verba, quæ Paulus ſubdit adimplenda peracto judicio 1. Corinth. 15. v. 24. *Deinde finis: cùm tradiderit Regnum Deo Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus*: & v. 28. *Cùm autem ſubjecta fuerint illi omnia: tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus*. Ob quorum arcana aliqui errandi occaſionem ſumpſerunt, credentes poſt diem Judicii humanitatem eſſe convertendam in Divinitatem: & hanc dicunt ſubjectionem eſſe, & traditionem regni, de qua *Paulus* loquitur. Circa quem errorem videndus eſt *Auguſtinus* lib. 1. de Trinit. cap. 8., ex eodem loco Ariani colligebant Filium Dei eſſe Patre minorem, cùm eſſet ei ſubjectus.

Chriſti Regnum æternū.

Certum eſt autem Chriſtum, ut hominem regnaturum in æternum: *Regni enim ejus non erit finis* Luc. 1., & Danielis dicitur æternam poteſtatem in Judicio tradi ei a Patre ſuper omnes Tribus terræ, quæ non auferetur, & regnum quod non corrumpetur, & pluribus aliis in locis ponitur in æternum in cœlo regnaturus cum Electis. Certum eſt etiam, quòd Chriſtus ut homo ſemper fuit Patri perfectè ſubjectus, ejuſque adamuſſim voluntatem adimplevit. Illa omnia igitur referuntur ad Eccleſiam militantem, & eſt ſenſus, *cùm tradiderit regnum Deo Patri*, hoc eſt, cùm ei conſignaverit Eccleſiam, quæ ad ſui conſummationem pervenit, completo electorum numero, devictis omnibus perſecutoribus, & contritis aeris poteſtatibus, tunc erit finis ſeculorum. Interim donec hæc fiant, *oportet illum regnare*, ideſt militantem Eccleſiam gubernare per donorum communicationem, per Sacramenta, per applicationem ſuorum meritorum, illamque promovere, & augere. Habitâ poſtmodum totali victoriâ omnibus ſubjectis hoſtibus, & per mortuorum reſurrectionem, devictâ morte, benè ipſemet Chriſtus ſubjectus erit Patri, hoc eſt, ceſſabit a gubernatione Eccleſiæ militantis, & totus incumbet feliciſſima quiete Patris contemplationi cum ſuis Electis gaudendo, & fruendo eâ proportione, qua Dux belli, reportatâ de inimicis victoriâ., ſpolia, vexilla, & arma dicat Regi, totoſque incumbit gratulationibus cum Rege, & cum eo de pace fruitur. Quæ omnia Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ judicio lubenti animo humillimè ſubjicio emendanda,

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google